NOBILISS. ET CLARISS.

D. PETRI SALII DIVERSI, MEDICI AC PHILOSOPHI FAVENTINI,

COMMENTARIA LVCVLENTISSIMA

in

HIPPOCRATIS COI MEDICORVM PATRIS,

DE QVÆSITIS VNIVERSALIBVS AD MEDICINAM spectantibus, siue de Morbis

Libros IV.

IN QVIBVS AVTHOR QVASI MANVDVCTIONEM medicam proponit ad cætera Hippocratis & Galeni scripta tum rectè intelligenda, tum rite explicanda; non minus Academicis Professoribus ac Studiosis Medicinæ Candidatis, quam ipsis Practicis Archiatris necessariam.

Cum Indice rerum & verborum locupletissimo.

FRANCOFORDIÆ,

Impensis Ioannis Treudelii Bibliopolæ.

M. DC. XII.

I

PRAEFATIO.

INTER ANTIQVIORES MEDICOS Hippocrates Cous ab AEsculapio ex Heraclidarum familia vigesimus, ita Medicæ scientiæ incubuit, in eaq; adeo profecit, enituit, ac floruit, vt ad hanc artem exornandam, excolendam, & perficiendam, non tantum à patre recepta, ab auis, atauisque per manus tradita, verum etiam ea, quæ ipse summo studio, summaq; diligentia obseruauerat, decreuerit ad æternam omnium hominum memoriam & vtilitatem scriptis demandare. Hinc diuersa ab eo emanarunt, & conscripta sunt volumina. Alia ad probitatem Medici facientia, quale est Iusiurandum. Alia ad Medici elegantiam in operando, qualis est liber de iis, quæ in Medicatrina fiunt. Alia ad constituenda artis naturæ principia, qualis est liber de Natura humana. Alia ad victus rationem instituendam, qualis est liber de regimine victus in morbis acutis. Alia ad declarandas morborum communium communes causas, qualis est liber de Aëre, Aqua, & locis. Alia ad explicanda per histoticam narrationem, quæ in morbis communibus, & quæ in particularibus obseruanda sunt, quales sunt libri Epidemiorum. Alia ad præsagiendi in morbis futurum euentum rationem, qualis est liber Prognosticorum. Alia ad partem curatiuam Chirurgiæ inseruientem, quales sunt libri de articulis, de fracturis, de vlceribus, & de vulneribus capitis. Alia mixtim, & communiter ad curandi, ad prognosticandi, ad rectam victus instituendi rationem, quam breuissimas explicãtia sententias, quales sunt libri Aphorismorum. Alia ad communia, & vniuersalia præcepta à Medico in curandi ministerio obseruanda, qualis est liber dictus primus de Morbis. Verum ipse Hippocrates considerans hanc artem, diuinitus datam, tamq̃ rem diuinam, in sacrario, ac recondito loco reponendam esse, vt sicuti à rebus diuinis, ac sacrosanctis profani abstinere debent; ita etiam vulgares, ac inerudití homines ab huius studio dimouerentur, & longe destinarentur: In his voluminibus exarandis adeo graui stylo, tanta verborum concinnitate, tali sententiarum breuitate, concisisq; adeo nonnunquam sententiis processit, vt veritatem obscuritate inuolues difficillimam à posteris perdiscendam hanc artem relinquere voluerit. Hæc

autem difficultas tanta fuit, vt vſque ad Galeni tempora vix vllum ex iis, qui ſe huic ſtudio addixerunt, reperire liceat, qui penetralia huius artis integre ingredi potuerit, ſed nec qui forſan perfecte eam delibauerit. At Galenus, tanquam de cœlo eo tempore, quo medicina ſine vllo delectu in conſpectu Maieſtatis Romani Imperii exercebatur, datus, adeo ſecretiores, & magis reconditas huius ſcientię partes, duce Hippocrate, penetrauit, vt ad eius voluminum explanationem deſcendens, potuerit plurima Hippocratis ſcripta, è tenebris in lucem, ex obſcuritate in claritatem, ex difficultate in facilitatem traducere. Quo in negotio adeo feliciter ſe geſſit, vt ſicuti nulli cõparandus, ita ab omnibus imitandus veniat; cum ab eo poſteri modum exacte interpretandi Hippocratem receperint: quo ſi caruiſſemus, plurima, quæ ad artem iſtam tum perdiſcendam, tum exercendam faciunt, ac pene omnia, quæ in eadem vllius ſint momenti, nobis ignota forent. Verũ in tanta Galeni excellentia nonnulla adhuc ſuperſunt, quæ deſideranda veniunt: non, quod ille hæc omnia aut aſſequutus non ſit, aut aſſequi nõ potuerit, ſed quoniã vel non omnia tentauerit, vel ſi tentauerit, temporis diuturnitate conciderint. Hinc plurimi celeberrimi viri conantes artem noſtram ad ſummũ faſtigium prouehere, & iis, quæ à Galeno deſiderantur, ſupplere; vel alteras in Hippocratis libros explanationes, vel nouas in his, quos Galenus non expoſuerat, interpretationes condidere. Hos ego imitatus, non eorum excellentiam, aut dicendi phraſin, & eloquentiam, aut rei medicæ ſcientiam æmulatus, ſed ſolo eorum, qui huic ſtudio addicti omnium Hippocratis librorum commentationes expetunt, deſiderio motus, præ manibus libros, & præcipue hunc primum librum de morbis, ab Hippocrate conſcriptum, & à Galeno non explanatum, vt eum exponerẽ, deſumpſi. Nec immerito ſane: cum hic liber plurima ad artem neceſſaria, & vtiliſſima contineat, ac is ſententiarum breuitate, grauitate, obſcuritate, & veritate notabilis, & commentatione dignus exiſtat. In hoc autem exponendo vtilia, & neceſſaria in arte præcepta indicabo, ſententiarum breuitatem claritate ſermonis compenſabo, grauitatem verbis propriis, & cõmunibus declarabo, obſcuritatem facilitate dilucidabo, omniumque eius dictorum veritatem vel demonſtratiuis, vel ad has proxime accedentibus rationibus demonſtrabo: hiſque conſequutione ſermonis multa ad cognitionem morborum pertinentia, & multa ad eorundem curationem facientia addens, & interponens, opus conſummabo.

PE-

PETRI SALII DIVERSI COMMENTARIA IN LIB. I. DE MORBIS,

Proœmium.

MVLTA A MEDICO ANtequam ęgrotanti manum admoueat, cognoscenda sunt; nam morbi speciem, eius magnitudinem, morem ac motum nouisse debet. A morbi enim specie, qualitatem habet auxiliorũ: à magnitudine, quantitatem: à mote, an efficaciora, an minus efficacia in vsum sumenda sint: à motu, an tarde, an cito medicandum. Præter hæc autem nouisse etiam debet, qua in regione, quo in loco, in qua anni parte, sub qua cœli constitutione, opus suum moliatur. Quodque, & quale sit subiectũ, cui mederi debeat, in qua sit ætate, cuius sexus existat. Et an ex causis externis, an ex internis: & an ex communi causa, an ex particulari labore: cognoscens simul eius studia, exercitationes, mores, consuetudines, victum, & in summa omnem eius vitæ rationem. Ex his enim multa deprehender, sine quibus recta medendi ratio haberi nequit. His vero plurima adhuc supersunt, sine quorum cognitione Medicus hanc artem diligenter, ac gloriose exercere non potest. Nam dum in proprio opere versatur, & futura prædicere, & præsentia agnoscere, & pręterita rememorare debet, præteritorum cognitio ad causas, & occasiones morborum pertinet; præsentium ad ea, quæ à Medico, nec ea narrante ægroto, deprehenduntur. Futurorum autem spectat ad prænoscendum, an æger ex morbo sit conualiturus, an moriturus; & an breui, an diu eodem morbo sit laboraturus; quibus si plene satisfecerit, & se immunem ab omni culpa in moribundis mortem pręnuncians tuebitur, & in cæteris omnibus, qui morbis superuicturi sunt, gloriam, & honorem sibi comparabit. Ad hæc præstanda multa ab Hippocrate in voluminibus eius legitimis tradita sunt. Quæ non ad morborum curationem, sed ad cognitionem, & præscientiam pertinent, qualia multa in Aphorismis, in libris Epidemiorũ, & potissimum in libris Prognosticorum (in quibus morborũ acutorum præsensiones certæ, cæterorum autem per Analogiam ad hos habitam, admonentur) habemus. Sed his multa alia annexa sunt, quæ nobilis Medicus ignorare non debet: alias artem hanc calumniose exercebit. Talia sunt multa vniuersalia quæsita, per quæ Medicus, cum in sanatione ægrotantium insistit, & interrogare, & ad interrogata respondere, & respondentibus, si male senserint, contradicere de morbis sciat. Cum enim multa hinc inde ab astantibus, ab ægrotante, & à Medico petantur, & quærantur de morbo, de causis, de agendis, de superuenientibus accidentibus, & aliis plurimis circumstantiis: multa etiam respondeantur, & multis cõtradicatur: debet Medicus hæc vniuersalia quæsita nouisse. Horum omnium merito conditus est hic liber, videlicet, vt ex hac parte nec Medicus, nec Ars medica mutila esset. In hoc enim illa quęsita vniuersalia, quæ Medicus, dum ad actum practicum descendit, nouisse tenetur, explicantur, ac declarãtur. Quibus explicatis ac declaratis, facile erit Medico circa ea versari, vt sibi ipsi, & astantibus, ac ægrotanti integre satisfacere queat: ad quę huius voluminis intentio, & vtilitas dirigitur. Quis autem huius voluminis author fuerit, parum constare videtur, vt hinc nonnulli inter spurios Hippocratis libros hunc recenseant, nullum tamen certũ assignantes Authorem. Si tamen inscriptionem antiquam intueamur, & hanc doctrinæ Medicæ partem necessariam consideremus, Hippocratisq; perfectionẽ attendamus: non negabimus, vt ex processu habebitur, hunc librum ab Hippocrate cõditum fuisse: sicuti nec negat Galenus lib. 3. de artic. cont. 18. quamuis secundum de Morbis iuxta Dioscoridis sententiam scriptum fuisse ab altero Hippocrate, Thessali filio, li. 6. Epid. sect. 1. com. 29. dixerit. Quoniam tamen hic liber nec perfectionem, nec dicendi phrasim omnimodam Hippocratis redolet: censeo hunc ab eo quidem forsan vel dum iunior esset, vel nondum artem perfecte cõsummasset, conditũ, non tamen postea elucubratum, aut perpolitum fuisse, ita vt imperfectus remanserit, quales remansere liber secundus & sextus Epidemiorum. Libri Titulus est de Morbis: qui Titulus tamen à Galeno libro citato de articulis nõ recipitur, cum dicat eum male inscriptũ esse de Morbis. Et iure merito, cum intentio sit, in hoc tractare nõ de Morbis, sed de quæsitis vniuersalibus ad Medicinam spectantibus. Quæ enim de quibusdam Morbis tractatio quæsitis vniuersalibus annectitur, licet hæc maior libri pars existat, &

inde ab eis denominatio sumi iure videatur posse: nihilominus cum hæc potius in exemplum quæsitorum, quam ex professo hic posita sit, iure merito non de morbis, sed de quæsitis vniuersalibus ad Medicinam spectantibus inscribi deberet. Et eo magis, cum de quibusdam paucioribus morbis, nō de omnibus, nedum de pluribus hic agatur. & ideo hic liber licet inscribatur primus de Morbis, non tamen est de Morbis. quare nec etiam primus dicendus erit, cum nullam habeat aut relationem, aut coniunctionem, aut conuenientiam ad cæteros de Morbis. Ab illis enim distinctus est, & dicendi modo, & doctrina, & materia, nec ab eodē, à quo illi conditi fuerunt, conscriptus est authore.

Liber iste in tres partes principales diuiditur. In prima proponit vniuersalia quæsita, quæ à Medico, dum morborum curationi se accingit, necessario cognoscenda sunt: vt petere & respondere, & respondentibus, vbi male sentiant, contradicere queat. In secunda descendit ad explicationem, & declarationem prædictorum quæsitorum per simplicia exempla. In tertia describit quosdam particulares morbos, de purulentis specialiter, tanquā de morbo difficillimo agens, vt eorum generationem, progressū & desinentiam præcipientes, secundum prædicta quæsita de ijsdem interrogare, respondere & contradicere, quam scientifice, & artificiose fieri queat, possimus.

Textvs 1.

Qui de sanatione recte inquirere velit, percunctanti quoq; respondere, & contradicere recte: eum hæc animaduertere oportet.

Sicvti in omni scientia sunt propriæ interrogationes, & propriæ responsiones, ita etiam in Arte nostra sunt propriæ interrogationes Medicę, & propriæ responsiones Medicæ, sine quibus scientificum quid non habetur. Cognitio enim rerum vera per propria, non per impropria habetur media. De his tractare in hoc libro intentio est Hippocratis, non tamen de omnibus, sed de illis tantum quæ sanationem, id est, proximam morborum curationem, eorundemque terminationem, & modum respiciunt. non enim vniuersalia illa quæsita, quæ remota à morborum curatione sunt, proponere intendit, sed proxima tantum, licet illa eadem ad Medicum, qui artem integre callere velit, scire pertineat. Qualia sunt ea, an temperatura temperata detur, an pueri iuuenibus calore innato magis caleant, an vna sit anima in homine per tres potentias distincta, vel tres sint animæ tribus quidem locis distinctæ, sed in vna substantia & essentia cōiunctæ. An virtutes rectrices residEant in omnibus cerebri ventriculis, vel solum in postremo. An omnes morbi consistant in continuitatis solutione, an etiam in intemperie, & multa alia, quæ quoniam à morborum curatione longe distant, ea in hunc locum adducenda nō erant. Per sanationem enim non methodum medendi in vniuersali traditam, sed proximum Medici actum, dum ad particularem morbum curandum, & sanandum se accingit, intelligit. Quo casu sicuti multa vniuersalia à Medico, antequam patienti manum admoueat, & de morbo, & de ægrotante, & de agendis, & de superuenientibus sunt cognoscenda, ita eum oportet hæc omnia singulariter singularibus casibus applicata animaduertisse ac nouisse, si voluerit circa ea, quæ proprie sanationem respiciunt, recte versari, vt hinc de omnibus prædictis particularibus, & particulariter curandis casibus recte, ac proprie interrogare, respondere, simulque in his male sentientibus contradicere queat. Sicuti autem per sanationem non vniuersalem medendi modum intelligimus, ita nec ipsum actum medendi practicum audiamus, sed ea vniuersalia quæsita. quæ singularibus applicata debet nouisse Medicus, dum ad actum medendi practicum se accingit, & dum in opere ipso versatur, siue hæc morbum, siue ægrotantem, siue Medicum ipsum, siue circumstantias cōcomitantes, vel superuenientes respiciant. Hęc igitur sunt ea, de quibus in sequentibus acturus, inquit, hæc esse necessaria, vt Medicus ea sibi proponat, ad hoc vt cum ratione siue petendo, siue respondendo, siue contradicendo de his loquatur. Petere, & interrogare tam pertinet ad medicum, quam ad ægrum, & ad astantes. Nihilominus non intendit Hippocrates hoc in loco proponere, aut declarare, quæ sint rectæ interrogationes, aut astātium, aut ægrorum, sed tantum medicorum. Non enim decet medicum interrogantem extra intentionem medicam alia interrogare, qualia non dedecet ægrotantes, vel astantes interrogare, aut narrare. Si enim quis decumbat fatigatus ex longo cursu, non est medici interrogare, an ex fuga, an ex certamine, an ex libera voluntate cursum inierit. Hæc enim non recta esset interrogatio, cum nihil hoc ad morbi curationem conferat, nisi vltra motum de animi accidentibus etiam quærat. Quod tamen explicasse vel ęgrum, vel astantes non dedecet. Respondere autem pertinet ad medicum solummodo, cum interrogatus ab astantibus, vel ab ægrotante fuerit circa spectantia ad morbum, vel ad eius curationem, vel ad curationis modum. Si enim extra hos limites interrogetur, non est, quod respondeat medicus, quoniam talibus interrogationibus non debentur, nec appropriantur Medicæ responsiones. Sicuti autem medicis interrogationibus medicus respondere debet, ita etiam si contra medicas assertiones quid ab astantibus, aut ab ægrotante dubitetur, vel affirmetur, his contradicere per proprias responsiones debet. Quæ autem sint omnia hæc vniuersalia, quæ nouisse debet medicus, ita incipiens recenset.

2 *Primum quidem à quibus causis omnes Morbi hominibus fiant.*

Cvm rerum cognitio ex causarum cognitionē pendeat, cumque morbi non cogniti nulla fidelis curatio esse possit, Medico admodum necessaria est cognitio causarum morbos generantium. Quæ cognitio cum futura sit basis omnium ab eo agendorum, iure inter quęsita vniuersalia hoc primum ab Hippocrate proponitur tāquam principale, & præcipuum à Medico perspiciendum. Videlicet,

debeat, vt cognoscat, à quibus causis in homine morbi creentur, ac introducantur. Nisi enim causas illorum generatrices agnoscat, parum in curatione, minime in præseruatione proficiet. Causarum autem cum aliæ sint vniuersales, ac genericæ, aliæ autem particulares, & specificę, vniuscuiusq; morbi non est, quod hoc in loco has intelligas, sed illas, quas postea aptantes particularibus ducunt nos in morbi vel præsentis, vel imminentis cognitionem, cuius merito possumus interroganti de causis morbi singularis fideliter respondere. Nam cum notum sit, homines ægrotare alias ex causis externis, alias ex causis internis, debet nouisse Medicus, quæ sint ex causis externis, & quæ ex internis aptæ morbos causare, & qua ratione & modo ad hos dandos concurrant. Vt hinc ortus morborum notitiam habens, possit ipsis, ac morbo ab eis producto reluctari. Indicationes enim agendorum principaliter ab essentia morbi, & ab eius causis, si adhuc perseuerent, desumuntur. Quod si causæ non persistant, harum cognitio saltem in morbi notitiam nos manu ducet.

3 *Deinde vero qui morbi necessario, vbi facti fuerint, aut longi sunt, aut breues.*

SVPERVENIENTE morbo, qui merito causarum vel præexistentium, vel præsentium, agentiumq; introducatur, statim incumbat medicus eius cognitionem, vt agnoscat, non dixerim, quod talis affectio sit morbus, quoniam ex læsis actionibus hoc facile patet, sed quis, & qualis sit. Primum cognita specie, secundum cognita qualitate morbi habebit. Species (quam Galenus quandoq; formá morbi appellauit) ex propriis ipsius symptomatib. & ex pathognomicis eiusdem signis deprehenditur. His enim habitis, & constitutis morbi species innotescit. Ná vt data febre acuta cum dolore lateris pungitiuo, cum difficultate anhelitus, & cum pulsus duritie, pleuritidé; data autem sine loci patientis affectu cum summo incendio, & inexhausta siti, febrem ardentem, data vero eiusdem ordinis febre cum delirio continuo, cum rubore oculorum, cum vigiliis perpetuis, cú pulsu duriori, phrenitidé eum morbum, qui patientem corripit, esse certo arguimus: ita pariter ex iisdem aliorum omnium morborum symptomatibus, & signis propriis speciem, & formam eorum deprehendimus. Qualitas autem multiplex est, quare non simplici eget consideratione, & cognitione, sed omnes eius differentiæ sigillatim attendendæ sunt. Quarum aliæ sumuntur à tempore, aliæ à motu, aliæ à periculo, aliæ ab euentu consequente, vel succedente. Quæ sumuntur à tempore, sunt longitudo, & breuitas: quæ à motu, sunt celeritas, & tarditas: quæ à periculo, sunt lethale esse, vel non lethale esse: quæ ab euentu, sunt mutilationes membrorum, virtutum deperditiones, cacoethe fieri, & quæ huiusce sunt classis. Morbi illi sunt longi, q longo tempore durantes non solum ad septimanas, sed etiam ad menses, & quandoq; ad annos se extendunt. Illi vero sunt breues, qui breui tempore durantes intra terminum acutorú, quamuis non acuti, terminantur. Morbi illi sunt celeres, qui celeriter, tardi, qui lente mouentur, quæ celeritas, aut tarditas ita à breuitate & longitudine morbi distinguuntur, vt se inuicem non consequantur. Nam dantur breues morbi, qui tarde moueátur, vt sunt febres destillationib. austrinis superuenićtes, & quę ex cruditatib. aut ex cutis constipatione ob refrigeratum corpus. aut similib. causis succedunt. Dantur & longi, qui celeri motu mouentur, vt fit in epilepticis, & asthmaticis accessionib. Morbi illi sunt lethales, qui quoniá cum sint graues, aut sunt magni in ꝓpria essentia, aut mébra principalia obsederunt, vel cacoethes existunt, & inde patientes perimere apti sunt. Illi vero nú sunt lethales, q nuńq illis similes existentes nec vires prosternere, nec vitam ex seabolere possunt. Morbi illi malorú sunt euétuum, quib. succedere alicuius facultatis extinctio, aut aliquorú membrorú mutilatio queat, aut ipsi in processu temporis cacoethes, qualia sunt articulorum vulnera, euadere possint. Illi autem non sunt tales, quibus sanatis, vel dum sanantur, nihil tale superuenire consueuit. At vnde habét morbi, ꝙ sint longi, aut breues, celeres aut tardi, lethales, non lethales, malorú, aut nó malorum accidentiú? Longitudinem habét aut à materia, aut à subiecto, aut à causa. A materia quidem si frigida existat, & præcipue si crassa, viscida, & tenax sit. Hæc enim cú innatu calori reluctetur, plurimúq; tépotis ad sui alterationem, & coctioné desideret, omnino morbos longiores (cuius ratione monebat Gal. morbos chronicos esse frigidos) causabit. nisi tamen vel cóculeata, vel obstruens aliquod principale membrú obsederit, vt fit in lethargo, & apoplexia, & destillationib. præfocantib. aliisq; similib. morbis, qui licet pendentes à materia frigida, crassa, & tenaci, nihilominus breuis sunt terminationis. A subiecto auté, si in eo vis imbecillis sit, quę neq; morbos. aut humores morbos faciétes potissimú peccante materia frigida, coquere possit. Tales sunt senes, quia parú calidi innati ex decursu ætatis habent. Cuius ratione dictum est ab Hipp. morbos longos senes concomitari ad mortem. Et tales sunt illi, qui ante senectutem senum naturá æmolátur, vel quia parú calidi innati ab ortu receperint, vel quia languida mébra principalia habeant, vel quia admodum intemperata, intemperie potissimú frigida, existát. A causa vero; quoniá vbi in corpore sit morbi fomes, & causa, q̃ morbum diu fouere possit, vt euenit in morbis, qui ad alterius mébri consensú efficiútur. Morbi hinc antiquátur, siue frigidi, siue calidi fuerint, cui⁹ ratione cephalcæ, hemicraniæ, cephalalgiæ non tantú frigidæ, sed etiá calidæ, diu, si per cósensum fiant, protrahi possunt. Vel sicuti euenit in morbis, qui ex ꝓpria membri intéperie causantur, siue calida, siue frigida existat. Hac enim permanente, & persistente, morbi inde orti etiam diu persistunt, & durant. Et hoc eo diutius, quo magis illa intemperies vel antiquauerit, vel in habitu fiat. Breuitatem autem habent ex aduerso pariter aut à materia, aut à subiecto, aut à causa. A materia, si calida, si tenuis, si pauca, quoniam talis facile discutitur, si pariter sit calida, tenuis, & mul-

 ta, quo-

ta, quoniam talis facit morbos acutos, pariter si frigida, multa, & crassa existat, vbi vel obstruat, vel sit conculcata in principalibus membris, quoniam calorem innatum earum partium, & illarum, quæ cum eis consentiunt, vel suffocant, vel extinguunt. A subiecto autem, si sit forte, calore insito abundans, bene temperatum, potissimumq; si florentis sit ætatis, habitet loca calida, concurrat aeris ambientis æstus, & victus ratio ad calidum vergens processerit, vbi morbus vel salubris, vel vires magnitudine exuberans existat. Si vero sit debile, languidũ, cui parum insit caloris innati, & præcipue si senex sit, vbi morbus grauis vrgeat. A causa vero, si sit momentanea, si sit leuis, si sit in pura dispositione, non in habitu, vbi morbus sit leuior, nec alte inhæserit membro affecto. Si autem ea sit valida, & magnæ actiuitatis, & altius in membri penetralib. inhæserit, vbi morbus sit grauis, & magnus, grauiterq; vrgeat patientem. Quo ad celeritatem, & tarditatem, celeritatem proprie habent, aut ratione materiæ, aut ratione motus eiusdem. Ratione materiæ, si ea sit tenuis, vel etiam multa cum hoc, quod sit calida. Hæc enim facile, & velociter mouetur. Ratione autem motus, si ex irritatione naturæ, ob qualitatem materiæ peccantis, & eam stimulantis, velociter ad statum properẽt, in motuq; accessionum, & periodorum festinent. Tarditatem ex aduerso pariter habent, vel ratione materiæ, vel ratione motus. Ratione materiæ, vbi sit frigida, crassa, viscida, & tenax, non obstruens, nec conculcata in membro principali inflammationem causans: quoniam hæc alterationi inepta tardos facit morbos. Ratione motus, vbi accessiones & periodi lente procedant, cum à materia segni, nec natura irritante pendeat. Quod autẽ morbi sint lethales, vel nõ lethales, primum habent, vbi ab eis immineat principalium virtutum vel suffocatio, vel extinctio. Suffocatio pendet aut à copia, aut à prauitate materiæ. Extinctio autem fit per resolutionem expugnatis facultatibus, vel ab oppositis materiei peccantis qualitatibus, vel ab aliqua euacuatione aut superflua, aut mala. & per naturam, vel ab aliquo symptomate graui vires perimente. Talia autem contingere solent in illis morbis, qui ex grauibus, vel in sua essentia sint magni, vel principalia membra obsederint, vel sint cacoethes. Quare omnes hi inter lethales recensendi veniunt. Secundũ habẽt, vbi nulla principalium virtutũ læsio, vel mediate, vel immediate immineat. Quo autem ad differentiam, per quam morbi sunt aut malorum, aut non malorum accidentium, primum habent, si ab eis resultare, vel aliquorum membrorum mutilationes, vel aliquarum virtutum deperditiones, vel cacoethes euadere. & in prauam naturam immutari possunt. Secundum autem habent, vbi ex eis nullius membri mutilatio succedere queat, & nullius virtutis actio deperdi possit, nec ex sui natura cacoethes euadere, & prauam naturam adipisci queant. His autem habitis liqueat, qui morbi sint longi, & qui breues; qui celeres, & qui tardi, qui lethales, & qui non lethales, qui mali euentus, & qui non mali existant. Ex quibus etiam liqueat ob concurrentiam, vel differentiam causarum, morborum alios esse breues, celeris motus, & non lethales, qualis est synocha sine putredine, & illæ febres huic similes, quæ ex immanitate dolorum accidunt, alios breues, tardi motus, & non lethales, quales sunt febres destillationibus, cruditatibus, cutis constipationibus, & similibus caussis succedentes: alios breues velocis motus, & lethales, quales sunt morbi acuti à materia potissimum calida pendentes, sicuti est febris ardens, phrenitis, pleuritis, cæteræque viscerum inflammationes: alios breues, tardi motus, & lethales, quales sunt plures morbi acuti à materia frigida pendentes, qualis est lethargus, catoche, & similes. quos non dicas celeris motus, quia cito terminentur. quoniam aliud est celeriter moueri, aliud est cito terminari. Illud enim dicit qualitatem motus, hoc spatium, & temporis terminum, cuius ratione non coincidit, morbum esse velocis motus, & citæ terminationis. Liqueat etiam ex longis, alios esse longos, tardi motus, & non lethales, qualis quartana. alios esse longos, tardi motus, & lethales, qualis est phthisis & hydrops. alios esse longos, celeris motus, & non lethales, quales sunt cephalææ, hemicraniæ, & similes morbi, qui licet longi, in accessionibus & periodis particularibus sunt velocis motus. Alios esse longos, celeris motus, & lethales, quales sunt grauiores epilepsiæ & asthmata, quæ sæpius in particularibus accessionibus, cum aliquando acutissimæ fiant, interimunt patientes. Sed num verum censendum est id, quod de morbis à materia frigida pendentibus dictum est? Videlicet, quod si, quamuis ratione terminationis breues, ratione periculi, lethales existant, sint nihilominus tardi motus. Nam Galenus ex aduerso statuere videtur, morbis acutis proprium esse celeriter moueri. Vnde libr. 2. aph. comm. 23. dicebat, acuti morbi magni sunt, & ad suum vigorem celeriter properant. Si autẽ ad statum celeriter festinant, igitur non tardi, sed celeris sunt motus. Hoc idem libro 2. de diebus criticis capite 12. ex Archigenis sententia docebat, hæc habens. Nam acutum hunc esse ait, cui motus velox, & subito pericula adueniunt. Hanc eandem recipiebat sententiam in fine libri tertii de diebus criticis opinionem Archigenis & Hippocratis in essentia morborum acutorum explicanda comparans. Dicebat autem: Nam acuti morbi propter velocitatem periculosi, vt Archigenes describebat, vt autem Hippocrates cum febre continua eueniensis accidens necessario erit, vt celeriter ad crisim perueniat. etenim ex motus specie acutus nuncupatur. Hæc Galenus. Sed si ex motus specie constituitur morbus acutus, igitur non potest esse morbus acutus, qui velociter non moueatur. Verum, quod magis difficultatem auget, sunt Galeni sequentia verba, per quæ hæc habet: Quiescendum vero ei celerrime, vt qui ad proprium finem properet. nam idem est celeriter moueri, ac ad terminum confinere: quasi dicat, in morbis acutis idem est celeriter moueri, & cito terminari. At hæc sententia nequaquam re-

cipien-

cipienda veniat, quoniam si cito terminari, & celeriter moueri idem esset, omnes morbi breuis terminationis essent celeris motus, quod sicuti experientia redarguit, ita superius adducta exempla falsum esse testantur. Si autē differunt, quæ est differentiæ ratio? Cito terminari temporis morbi breue spatium circumscribit, velociter autem moueri, accessionum, constitutionum, periodorum, circuituum, non magnitudinem, aut vrgentiam, sed celeritatem, anticipationem, irritationem, incrementa denotat. Illud tempus, & numerum dierum præfigit, hoc in eo tempore, & in illis diebus motum morbi attestatur. Nam idem temporis spatium potest idem morbus & tardo, & celeri motu pertransire. Tardo, si accessiones, periodi, circuitus nec anticipent, nec inualescant. Celeri: si anticipent, si inualescant, si cum maiori irritatione fiant, si incrementa continua accedant. Cum igitur terminari dicat temporis breuitatem, velociter autem moueri dicat motus celeritatem, cumque spatii aut temporis breuitas cum celeritate motus non coincidat, eo quod idem spatium aut tarde, aut cito pertransire queat, non idem erit in morbis acutis cito terminari, & celeriter moueri. quare non est, quod morbi velociter necessario moueantur, quoniam breui temporis spatio terminentur. Sed quid ad Galenum dicentem morbos acutos ad summum vigorem celeriter properare, eosq; acutos ex motus specie, ac velocitate nuncupari? Duo requiruntur ad morbum acutum constituendum, alterum, quod magnitudinem habeat, alterum, quod celeriter iudicetur. Has duas conditiones explicauit Galenus lib. 2. aph. com. 19. dicens: acuti morbi, præter id, quod celerrime iudicātur, statim etiam magnitudinem habent. Ex magnitudine autem pericula, ex celeritate iudicii, quod cito terminentur, habent. Quare ille morbus erit acutus, qui ob magnitudinem periculosus sit, & qui simul ob celeritatem iudicii cito terminari debeat. Per primam conditionem excluduntur omnes breues morbi, non periculosi, quoniam hi, licet sint breuis terminationis, non tamen sunt magni. Per secundam autem excluduntur omnes longi, licet magni, qualis est hydrops, & phthisis, reliquique similes, quoniam hi, quamuis magni sint, nihilominus velocis terminationis haudquaquam existant. Si autem morbus acutus hoc characterismo designatur, vt magnitudinem habeat, & cito terminetur, igitur non erit de essentia morbi acuti, vt velociter moueatur: quoniam sat ei est, vt cito terminetur, quamuis velociter non moueatur. non enim idem est cito terminari, & velociter moueri: cum illud terminum dicat, hoc autem modum, per quem ad terminum tendit, designet: & aliud sit breue spatium pertransire, & aliud in eodem breui spatio celeriter moueri. At si acutorum morborum, alii cito, alii tarde mouentur, cur dicuntur à Galeno morbi acuti ad statum properare? Quia terminum acutorum respiciens, dierumq; paucitatem, intra quam iudicari debent, animaduertens, eosq; ad longum tempus, dum acutiem seruant, non posse extendi considerans, absolute eos properare ad statum, non ratione modi, sed ratione termini, non ratione motus, sed ratione temporis limitati dixit, cum intra quartumdecimum diem simpliciter acuti ad mentem Hippocratis indicari debeant. Ad eundem sensum pariter Archigenes dicebat morbum acutum esse eum, cui motus velox, & subito pericula adueniunt, per motum velocem intelligens citam terminationem paucorum dierum numero limitatam, per aduenientia autem pericula magnitudinem circumscribens, quæ duæ conditiones formam acutorum morborum constituunt. Galenus autem dum in fine libri de diebus crit. ad mentem Hippocratis asserit, morbum acutum celeriter ad crisim peruenire; terminum, non modum respiciebat, & ideo dicebat acutum morbum, eum scilicet qui sit magnus (quam conditionem ex febre continua circumscribebat) ex motus specie nuncupari; per motus speciem, non qualitatem motus, sed terminum, intra quem iudicantur morbi acuti, intelligens. Ad cuius declarationem subiungebat: quiescendum vero ei celerrime, id est, breui temporis spatio (illa enim celeritas nō qualitatem motus, sed breuitatem temporis denotat) terminari debeat, vt qui ad proprium finem properet, id est, vt qui per temporis breue spatium iudicari debeat. Nam idem est celeriter moueri, & ad terminum confluere: id est, idem est breui temporis spatio ad iudicium accedere, & ad terminum dierum, qui morbis acutis præscriptus est, peruenire. Ex quibus pateat, Archigenem & Galenum per celeritatem in acutis non motus velocitatem, sed temporis breuitatem designasse. Quibus stantibus adhuc censeo dari morbos breues, lethales, & tardi motus, quales sunt plures morbi acuti à materia frigida pendentes, cuiusmodi exemplo lethargi, catoche, & similium patet. Nec est, quod dicas, hos etiam celeriter moueri: quia si sint graues, etiā statim extremos habent labores, & si non extremos, saltem vehementes, talesq;, vt inde pericula instent, & vitæ discrimen impendeat, quoniam hæc magnitudinem accidentium, & morbi sæuitiam, non motum attestantur. Magnitudo autē, & motus sunt quid inter se diuersa, cuius ratione dātur morbi magni tardi motus, vt phthisis, ac hydrops, & dantur morbi magni celeris motus, vt acuti à materia calida. Quare nil etiam prohibeat, vt dentur morbi magni tardi motus, cum magnitudo morbi motus celeritatem non includat. Nam qui ex his pereunt, non ex celeritate motus, sed ex violentia, & magnitudine morbi pereunt. Motus enim celeritas ad hoc tantum faciet, vt velocius pereant, quæ motus celeritas in his, qui à materia frigida procedunt, vix inueniri potest, cum hæc materia sit segnis, motui inepta, alterationi reluctans, parum naturam irritans, imo eam obtundens, grauans & facultates, ac membra principalia opprimens, & in summa nequaquam apta in morbis motus celeritatem, aut facere, aut pati, licet aptissima sit, vt celeriter interimat patientem, vel copia suffocans,

vel

vel qualitate facultates principales extinguens. Dantur igitur morbi breues, lethales, & tardi motus, sicuti dari diximus breues, lethales, & celeris motus. quemadmodū ex aduerso dantur alii longi, lethales, & tardi motus. Alii lōgi, lethales, & celeris motus. Quas omnes differentias nouisse debet Medicus, vt qualitates morborum deprehendens possit pro morbi differentia, & ei reluctari, & de eo veram sententiam proferre. Has differentias animaduertens Hippocrates, & morbi essentiam à medico cognitam præsupponens, (cum non cogniti morbi nulla possit accuratio, aut differentia attendi) ex his prima in hoc textu recenset, & iure merito: tum quoniam ex primis interrogationibus, quæ fiunt ab astantibus, & ab ægrotante, hæc vna est. videlicet an diu, an breui tempore ægro sit laborandum: tum quoniam hinc habebit Medicus, qualis victus ratio præscribenda veniat. Nam in his, qui breui terminantur, & potissimum si fuerint acuti, tenuis victus, & nonnunquam tenuissimus conuenit. qui in longis nequaquam præscribendus erit, cum in his ægrotantes non tenui victu, sed minus quam tenui, & aliquando crasso, vel crassiori pro ratione maioris, aut minoris longitudinis alendi sint.

4 *Aut lethales, aut non lethales.*

COGNITA aut longitudine, aut breuitate morbi, superest, vt Medicus astantibus in hoc respondeat, an æger morbo, in quo periclitandum sit de vita, laboret. Quare eo habito cognoscat, an lethalis sit morbus, an non lethalis, id est, an sit ex genere eorū, qui mortem ex sui natura inferre cōsueuerunt, an potius sit ex his, ex quibus ægri nequaquam periclitantes solent in pristinum sanitatis statum restitui. Quæ qualitas desumitur à differentia vel periculi, vel incolumitatis. quod periculum, & quæ incolumitas cum non tantum attendi possit respectu generis, ac differentiæ morbi, cum hic possit esse ex his, qui sunt salubres, & pariter ex his, qui sunt lethales, verum etiam respectu ægrotantis curandi, vt noscat, an ex eo morbo patiens sit conualiturus, an moriturus, & hoc ne in explicanda morbi qualitate postea decipiatur in prognostico, quod facere ad eius existimationem, & artis medicæ excellentiam debet, hoc in loco non de secundo, sed de primo casu intendit Hippocrates. cum de qualitate morbi, non de interitu, aut salute ægrotantis respondendum sit à Medico: cumque primus huic volumini debeatur, secundus autem libro prognosticorum reseruetur.

5 *Aut aliquam corporis partem mutilent, aut non mutilent.*

MVTILANTVR propriè ea membra, quorum tanta pars præciditur, vt munus suum obire nequeant. Sicuti digitis abscissis mutilatam manum vocamus, tum quoniam eius pars præcisa est, tum quia huius præcisionis merito ea suo munere fungi nequit. Hinc transumpto nomine mutilata etiam dicuntur ea membra, quæ ex morbosa causa impedita à proprio opere desistunt, licet nullius partis præcisionem patiantur. Vnde illi morbi, qui proprium opus à membris surripiunt, vel surripere, vbi curata nō fuerint, apta sunt, quales sunt paralysis, conuulsio, & similes inter eos, qui mutilant membra, recensentur. qui autem nequaquam tales existunt, inter non mutilantes connumerandi sunt. Hæc autem morborum qualitas, & differentia descripta à symptomatibus superuenientibus, quæ eius conditionis sunt, vt per ea operationes & functiones facultatum tollantur, à Medico animaduertenda est, vt certum salutaris morbi euentum prędicere queat: scilicet an ex eo patiens integre, an ex parte tantum conualiturus sit.

6 *Et qui postquam orti sint, dubij sunt, an mala ab ipsis euentura sint, an bona.*

CVM ex altera parte dentur morbi sua natura lethales, & ex altera parte dētur alii ex sua natura salubres, sunt autem quidam alii morbi, qui nec sua natura sint semper lethales, nec semp salutares, sed medii, ita vt quandoq; rectè iudicati optime soluantur, male autem mortem inferant, ideo à medico & hi cognoscendi sunt. vt interroganti de morborum horum natura respondere rite queat. Tales autem vocantur dubii, quia & ad interitum, & ad sanitatem, ad mortem, & ad vitam indifferenter terminari possunt. & dubium est in progressu eorum, an mala, id est mors, & an bona. id est, salus ab ipsis euentura sint. Hi enim morbi incertæ terminationis existunt. Tales autem solent esse simpliciter acuti. eorum enim qui vel quia nō sunt acuti, nec graues, vel quia cum sint ex acutis, sint grauiores, vt apoplexiæ fortis exemplo patet. certæ possunt esse prænuntiationes aut salutis, aut mortis, cum illi sint ex sui natura salubres, hi autem necessario lethales. Medii vero indifferētes sunt, & ideo Hipp. lib. 2. Aph. 19. dicebat, acutorum morborum non omnino certę sunt prænuntiationes salutis, aut mortis.

7 *Et à quibus morbis ad quales transitus fiat.*

MORBORVM multiplex est solutio: alii enim euacuatione, alii resolutione, alii per abscessus, alii permutatione ad alios morbos soluuntur. cum hoc vltimum aliquoties eueniat, potissimumque in morbis acutis contingat, non est ignorandum à Medico, qui morbi permutantur in alios morbos, nec ignorandi sunt illi morbi, in quos ij permutari consueuerunt, & in quos permutari apti sunt. Non enim quodlibet ex quolibet generatur, sed determinatum ex determinato oritur. alias omnia confuse, & sine ordine fierent, nec natura in rerum generatione ordinem haberet.

8 *Et quæ per fortuitum successum Medici ægrotos curantes faciunt.*

MVLTA mala, multaque bona in curatione ęgrotantium præter Medici expectationem superuenire solent. quæ tamen nec ratione curationis

tionis respectiue ad morbum, nec ratione morbi eueniunt. Tales euentus vocat Hippocrates fortuitos, quoniam fortuna dicitur de his, quæ præter operantis intentionem accidunt. Hæc autem contingere consueuere vel ratione externarum causarum, vel ratione animi accidentium, vel ratione assumptorum, vt contigit in Philonis filia, quæ iudicata, sed intempestiuius cœnata in septima obiit, vel ratione interni affectus occulti, & non considerati. Quæ omnia si ad salutem terminentur, bona, si ad mortem, mala vocantur ab Hippocrate. Propter fortuitum successum hæc facta dicuntur, quoniam præter medici curantis intentionem, & præter morbi curati rationem eueniunt. Si enim vel medico hæc cogitante, vel ex natura morbi acciderent, non fortuita dicerentur. Nam illud esset secundum medici intentionem, vel propositum, hoc autem vi morbi; quod si hoc vi morbi factum foret, medico de hoc nec quicquam cogitante, hoc eius ignorantiæ, non fortunæ adscribatur. Quare ad omnem calumniam vitandam, & ad hoc, vt de omni euentu rite respondere queat, nouisse debet, quæ per fortuitum successum recte, & apposite curante medico bona, vel mala eueniant, & quantum differant ab his, quæ ex proposito, & secundum rationem fieri deberent.

9 *Et quæ bona, aut mala ægrotantes in morbis perpetiantur.*

LANGVENTES ægri multa in morbis ipsis patiuntur, quæ tamen omnia non eiusdem sunt qualitatis. Alia enim sunt assidentia, & pathognomonica morbo, quæ semper mala sunt, quoniam morbum ipsum præsentem, & affligentem attestantur. de quibus non loquitur Hippocrates, cum hæc nusquam bona sint. Alia autem superuenientia morbo existunt, quę ægrum turbantia, & molestantia, aut bona aut mala indifferenter existere possunt. bona quidem, non quia non inferant læsionem ægrotanti, sed quia ex his bonum, sicuti ex malis malum attendendum est. Talia sunt signa critica & motus critici. quæ cum laboriosa sint ægrotanti, si præcedentibus coctionis signis, & in die decretorio, & per conuenientem regionem fiant, bona dicuntur, quia, & bonum prænuntiant, & in bonum, id est, ad salutem ægrotantis terminantur. Si autem cum signis cruditatis, aut malæ qualitatis, & in die non decretorio, vel malo, & non per conuenientem fiant regionem, dicuntur mala, quia mala præsagiunt, & in malum, id est, vel in difficile iudicium, vel in recidiuam, vel in mortem terminantur. Hæc sunt ea, quæ Hippocrat. monet animaduertenda esse à medico, vt dignoscat, dum æger à criticis signis, & à criticis motibus exagitatur, quæ sint bona, & quæ sint mala ex his, quæ ægrotantes patiuntur. ne ex tertore accidentium superuenientium in bona, & laudabili crisi coram astantibus afferat ægrum male habere, vel ex euacuatione materiæ peccantis in mala crisi, sibi ac astantibus persuadeat ægrum conualiturum fore. Quare iubet Hipp. vt medicus non ignoret, quæ bona, aut quæ mala ægrotantes in morbis patiantur, vt rite de his non tantum respondere, sed & contradicere queat. Astantes enim vbi videant, licet optima crisis sit expectanda, anxios ægros, difficulter spirantes, dolentes, nauseantes, delirantes, exclamantes, similiaque alia plurima patientes, suspicantur, ac existimant fore breui, vt ægrotantes pereant. Quibus contradicere debet medicus, qui omnia ex ratione fieri, & in ægrotantis vtilitatem terminatura esse nouerit. Sicuti ex opposito his, qui euanescentibus præter rationem, prauis symptomatibus, eunteque ad extinctionem calore innato, non amplius exagitato ægro, affirmat eum belle habere, contradicere debet affirmans ægrotantem periturum fore.

10 *Et quæ importune aut dicuntur, aut fiunt à Medico ad ægrotum, aut ab ægroto ad Medicum.*

MEDICI erga ægrotantem actiones omnes ita conuenientes, ac proportionatæ esse debent, vt nec dicto, nec facto ei vllam vnquam inferre noxam queat. Tantaque prudentia in visitando & medendo ægro vti debet, vt solum dicat, & faciat ea, quæ in vtilitatem ægrotantis redundare possint. Qui autem imprudentes sunt, nulloque delectu hanc artem exercent, multa importune erga ægrotantes aut dicunt, aut faciunt. Dicunt quidem, vt puta, cum ægrum timidum, omniaque suspicantem visitantes, ac coram eo magnitudinem morbi exaggerantes, magnum illi timorem incutiunt. Vel cum ægrum temerarium, & nihil timentem visitantes, omnia ei placide condonant, periculumque omne abesse in graui morbo afferunt; cum illi bene sperandum persuadere, hunc autem compescere debeant. Faciunt autem, cum auxilia medica importuno tempore administrant, vt cum aquam frigidam in febre ardenti vel ad ægrotantis delitias, vel ad feruorem sedandum hora inconuenienti, id est, nondum signis coctionis apparentibus exhibent, vel cum abscessum, dolentem quidem, sed nondum suppuratum secare audent, vel cum euacuationes criticas firmare tentant, vel cum menses prouocantia vtero gerenti propinant, similiaque alia multa tempore indebito adhibent. Talium autem est numerus pene infinitus, cum nulla sint medica præsidia adeo proficua, quæ non quandoque à Medicis parum expertis importuno in vsu adhiberi possint. Quæ si nouisse debet Medicus, prius eorum vsum opportunum adipiscatur. Ita enim quando importune adhibita erunt, facile deprehendet: cum rectum sit index, & norma obliqui. At quemadmodum ex parte Medici multa erga ægrotantem importune adhibentur & dicuntur, ita pariter dicuntur, & fiunt multa importune ab ægrotante erga medicum. Dicuntur autem ea importuna ab ægro, quæ postulata à Medico, ei non ex ratione morbi debentur. Fiunt autem, cum administrata renuit, curationemque opportunam, & conuenientem respuit. Sicuti

Sicuti cum Medicamentum tempore debito non sumit, negata vero admittit. Quæ omnia in morbis, præcipue autem in acutis, magnas pariunt offensas. Quæ autem sint sigillatim ista, ab ægrotante importune dicta, aut facta, nouerit ille Medicus, qui hanc artem non immerito exercens omnium morborum causas, differentias & signa, simulque auxiliorum speciem, quantitatem, modum, & vsum exquisite cognoscat, His enim habitis, quæ importuna, & quæ opportuna sunt, facile prospiciet.

11 *Et quæ exacte fiunt, aut dicuntur in arte.*

EXACTE, ac diligenter tunc dicimur aliquid facere, cum in nihilo deuiantes rei gerendæ metam perfecte attingimus. Hoc autem exequitur Medicus in opere suo, cum in medendi actu, neutiquam lædens ægrotantem, eum perfecte sanat. Non enim in omnibus hoc datur, cum multa offerantur, in quibus ex vna parte iuuantur, ex altera parte læduntur languentes ipsi. Et hoc, vel ob implicatos affectus, vel ob medicamentorum qualitatem, vel ob Medici imperitiam. Quapropter alias monebat Hippocrates, medicum ad hoc se exercere, vt morbis prosit, aut saltem nihil lædat. Quod præceptum, licet vulgare videatur, tamen magnum est, & non contemnendum, cum non parum proficiat Medicus ille, qui in medendo, si nihil prosit, nihil etiam lædat. Quare peritus Medicus cognoscat illos casus, in quibus exacte, ac perfecte curationem, & sanationem nulla cum læsione moliri possit: & eos pariter, in quibus cum sanatione aliqua læsio necessario complicatur, non sane ex parte Medici, quoniam hoc imperitis tantum euenit, vt illi, qui strumas sanare volens neruos recurrentes in curatione lædebat, sed vel ratione complicatorum affectuum, vel ratione qualitatis medicamentorum, vel ratione dyscrasiæ membrorum principalium ægrotantis, vt euenit in curatione intemperiei calidioris hepatis, vbi ventriculus sit frigidior. Vel ratione alicuius similis affectus, & passionis. Præter hæc nouisse debet, qui morbi perfecte sanari possint, & qui non perfecte, sed ex parte tantummodo tollantur. Nam ex morbis multi ope medica tolli perfecte possunt, multi etiam sunt, qui non nisi ex parte sanationem recipiunt. Sicuti marasmus tortidus, qui ex toto tolli nequaquam, ex parte tamen sanari potest, vt cum per balneum aquæ frigidæ, per aliaque consimilia, & opportuna medicamenta in marasmum ex senio transfertur, per quem æger poterit quidem diutius viuere, non tamen sanus esse. Hoc igitur est, quod dicit Hippocr. videlicet, quod Medicus animaduertat, quæ fieri possint exacte in arte.i. quæ curationes vel sine vlla ægrotantis læsione, vel sine vlla præsentis morbi reliquia perfecte fieri possint. Et quæ non exacte, id est, quæ necessario cum aliqua ægrotantis læsione, vel cum aliqua præsentis morbi reliquia fieri debent. & hoc de factis. Quoniam vero factis dicta correspondere debent, ea dicta exacte explicabuntur à Medico, quæ simpliciter ad simplicem ægrotantis sanationem pertinebunt. quæ autem non simpliciter, sed cum aliqua conditione, nec ad simplicem sanationem, sed ad limitatam, & conditionatam, dicuntur, ea non exacte dicta fuisse intelligantur.

12 *Et quæ recta in ipsa, & quæ non recta.*

QVEMADMODVM rectum nullam admittit obliquitatem, ita pariter nullum dicta, aut facta recta admittunt errorem, aut indebitam conditionem. Quare ea Medici dicta erunt recta, quæ in exprimendo morbo, in declarandis eius conditionibus, & differentiis, in prognostico enunciando, in victus rationem, & medicamenta proponendo, veritatem assequutus enarrabit. Non recta autem erunt ea dicta, quæ in prædictis omnibus, aut similibus rebus explicandis à veritate declinans enunciabit. Facta autem Medici recta sunt, cum in curatione nec quo ad morbi essentiam, nec quo ad medicamentorum aut qualitatem, aut quantitatem, aut tempus, aut modum haudquaquam aberrat, sed vere morbum pro morbo curans omnia apposite, & conuenienter administrat. Non recta vero facta sunt ea, quæ aberrans perpetrat, vel dum vnum morbum pro alio curat, vel cognito morbo nec opportuna, nec opportuno aut tempore, aut modo, aut quantitate, aut vsu medicamenta administrat. Hæc autem consueuere contingere in arte nostra pro ratione Medici vel periti, vel imperiti. nam hæc rectitudo, & obliquitas nusquam est ex parte morbi sed tota est ex parte artificis. quam rectitudinem, & obliquitatem tam dictorum quam factorum simul explicare voluit Hippocrates per illa verba: Et quæ recta nam cum dixisset, Et quæ exacte fiunt, aut dicuntur in arte, subdit: Et quæ recta. quasi dicat. Et quæ exacte fiunt, aut dicuntur in arte, & quæ non exacte. Et quæ recta dicuntur, aut fiunt in arte, & quæ non recta.

13 *Et quod ipsius principium, aut finis, aut medium, aut aliud quid eiusce modi demonstratum, quod recte habet, vt in ipsa sit, aut non sit.*

NVLLA est scientia adeo infima, nulla est ars adeo ignobilis, quæ non habeat sua principia, & media, per quæ propositum finem cōsequi debeat. Cum autem hoc omnibus sit commune, hoc idem arti medicæ, quæ inter omnes artes perfectissima est, & quæ plurima scientifica continet, non est denegandum. Quare iure censendum est hanc habere, vt vere habet, sua principia, media & finem. etenim principia à philosopho desumpta habet, media recipit ex propria arte, finem autem intendit per illa principia, & media assequi. Hæc autem principia, media, & finis ita sumpta sunt vniuersalia quædam, de quibus non est intentio Hippocratis agere hoc in loco, cum hic intendat agere tantum de quæsitis, vniuersalibus quidem, sed concernentibus sanationem ipsam, id est, ad ipsum practicum medendi actum pertinentibus. In quo nunc inquit Medicū debere animaduertere, quod ipsius artis, id est, sanationis & curationis actualis sit principium, medium & finis. Aut aliud quod eiuscemodi

modi demonstratum: scilicet, aut si nõ sint distincta, & ad inuicem recte ordinata hæc tria: videlicet, principium, medium, & finis, sit aliud quid promiscuum ex his tribus, vel duobus tantũ, quod recte habet, id est, quod conueniat, vt in ipsa curatione sit, aut non sit. Per quæ verba monet Hipp. à medico animaduertendum esse in actu medendi, quale debeat esse curationis principium, & quale medium, & qualis finis, intelligens per principium eam partem, ex qua debeat medicus curationem incipere. Non enim semper ab eodem scopo curationem aggredimur: etenim curantes aliquando incipimus à remotione causæ, aliquando à principio attendimus morbo, quandoque autem à symptomatum vehementia tracti relicto morbo, & eius causa, symptomatum remotioni, aut remissioni attendimus. Quare non semper idem est curandi principium: quo variante cætera etiam variant. Per medium autem intelligit curationis progressum, per finem vero nõ ægrotantis sanitatem, quoniam hæc in omnibus eadem semper æqualiter intenditur, sed vltimum curationis terminum, qui varius est pro ratione differentiarum morbi: terminantur enim curationes morborum, quandoque per medicamenta resoluentia, quandoque per alterantia, quandoq; per diuertentia, & reuellentia, quandoque per alia alterius conditionis auxiliorum genera. Vbi igitur desinit medicus operari, dum in actu practico versatur; ibi est finis sanationis ex eius parte. Vult igitur Hippo. medicum curantem hæc omnia nouisse, scilicet quale principium, medium, & finis curationis existat. Et si hæc distincte operari nequeat, an sit vna quædam illius morbi curandi forma promiscua, per quam principio, medio, & fine ad inuicem complicatis conueniat, vel non conueniat curationem aggredi. Nam in quibusdam casibus, dum symptomati occurrimus, & causæ, & morbo simul occurrimus; in quibusdam autem dum symptoma tollimus, tollimus quoque ex parte morbum, sed ex alia parte causam morbi fouemus, quæ ab his adaucta morbum sæuiorem in posterum causabit.

14 *Et quæ parua, & magna.*

DVPLICEM hæc sententia potest habere relationem: potest enim referri, & ad morbos, & ad curationes. Si referatur ad morbos, hic erit sensus, quod medicus cognoscat, qui morbi sint magni, & qui sint parui: & hoc non tantum curationis ratione, sed etiam prognosticandi merito, à magnis multa impendet, & curandi, & sanandi difficultas, à paruis autem nihil horum, cum facillime curentur, & facile sanentur. Magni sunt illi morbi, qui vel principalia membra detinent, vel sunt, aut facile redduntur cacoethes, vel in propria essentia, & quãtitate, vbi sunt graues, magni existant. Quare illi erunt parui, qui membra principalia nõ occupant, nec sunt, nec apti sunt, vt fiant cacoethes, nec in propria essentia sunt magni. Hos autem si recte nouerit medicus ab inuicẽ distinguere, facile poterit ad interrogantes respondere, & simul asserere, qui ex morbis curandis sint parui, & qui sint magni. Si autem referantur ad curationes, hic erit sensus, quod medicus cognoscat ea, quę vel magna, vel parua, in exercendo opere medico existant. Magnum est præcidere membrum, mittere sanguinem vsq; ad animi deliquium, hydropicum incidere, calculosos secare, empymaticos, & suppuratos vel aperire, vel inurere, fœtum mortuum extrahere, elleborum album dare, summam mediam præscribere, callosa ossa abrumpere, eadem luxata cum vlcere restituere, plurimaque alia similia facere, quæ cum magna existant, à medico cognoscenda sunt, ne dicat se leuia pro magnis administrare. Parua autẽ ea in curandi ratione existunt, quæ tractata nec vim, nec periculum inferunt, leniaque ex se sunt, licet quandoque ægrotanti tremenda, & timenda videantur: quale est secare abscessum suppuratũ, carnem superfluam excindere, membra exteriora scarificare, vlcerare, rubificare, inurere, & plura alia huiusce classis facere, quæ licet magna ægrotanti, ac astantibus appareant, debent à medicis tanquã parua, & leuia haberi. Vtrorumque horum cognitio medico necessaria, & admodum proficua erit: nam quo ad curationes nouerit ea, quæ magna sunt, non esse administranda, vbi vires langueant, & potissimum in subiectis debilioribus, delicatis, effœminatis, timidis, & in animi deliquium propensis. Ea vero, quæ parua sunt, non timebit etiam languentibus ęgris, ac imbecillioribus administrare. Quo autem ad morbos, nouerit in morbis paruis nõ esse timendum de ęgrotantium salute, nec ad validiora præsidia pro eorũ curatione accedendum esse, quoniam sicuti extremis morbis extrema remedia competunt, ita paruis morbis parua & debiliora conueniunt præsidia, & per leuia, nõ per ingentia curari debent: curatio enim morbo porportionari debet. In magnis autem nouerit ægrotantes periclitari, indeque de eorum salute suspicandum esse: nam cum ex magno morbo multa, & ingentia impendeant mala, magnum hinc ægrotanti salutis imminebit discrimen, à magnitudine etiam morbi nouerit ad præsidia magna statim properandum esse: quæ cum numero duo potissimum existant, scilicet vel sanguinis missio, vel pharmacia, pro ratione exigentiæ, & dispositionis ægrotantis, modo statim venã secabit, modo statim pharmacum propinabit. Illud faciet non contra indicantibus viribus, hoc nõ contra indicante humorum cruditate, prę terquam in materia turgente. At ex quibus fontibus (quoniam hoc nõ admodum liquet) deprehendet medicus morbi magnitudinem? Magnus dicitur morbus, vt habetur ex Gal. lib. de tot. morb. tempe. duplici ratione, scilicet vel relatiue ad vires, vel simpliciter ex sui natura. Relatiue ad vires morbus, qui in sui natura non sit magnus, magnus dici potest, cum supra ægrotantis vires, quæ sint imbecilliores, existat. Ex cuiuscemodi morbis facile pereunt ægrotantes, non ex morborum aut violentia, aut fortitudine, sed ex solo virium languore, ac imbecillitate, cuius merito facile cuicunque morbificæ causæ, quamuis leuiori, succumbunt. De hac autem magnitudine non loquimur, tum quia simplici-

pliciter magnitudo appellari non poteſt, tum quia nullum validum præſidium, qualia diximus eſſe ſanguinis miſſionem, & pharmaciam, indicare nequit, cum nec talia præſidia tal.bus viribus tolerari poſſint. Simpliciter autem morbus magnus ille eſt, qui in ſui natura, ſeu, (vt inquit Galenus) ex propria ſubſtantia talis eſt: qui licet ſit in ſubiecto robuſto, & vires validas habente, tamen eas deijcere, & mortem inferre, non ex virium languore, ſed ex propria violentia, & propria magnitudine aptus eſt. Huius magnitudinis fontes, & cauſas, vt inde medicus morbos magnos certo, ac exacte diiudicare queat, quærimus. Galen. lib. 4. Methodi cap. 6. ex triplici fonte, quemadmodum ſuperius dicebam, morbi magnitudinem deprehendi poſſe docebat: quorum primus eſt afflictæ partis præſtantia, ſecundus eſt ipſius affectus magnitudo, tertius eſt morbi cacoetheia: dicebat enim, cum trifariam non hæc modo vitia, verum etiam reliqua omnia grauia, magnaque reddantur, nempe vel propter afflictæ partis præſtantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel propterea quod ſunt cacoethe. Hoc idem paulo inferius per hæc verba repetebat: Nam cum triplici genere morbus quiſque ſit grauis, aut propter præcellentiam partis, aut propter affectus magnitudinem, aut propter ipſius cacoetheiam. Ex quibus liquet Galenum tres ſcopos, ac tres conditiones tantum ad conſtituendam morborum magnitudinem appoſuiſſe, non quod tres hæ ſimul concurrant ad hoc, vt morbus quiuis ſit magnus, ſed quod ſingula quoque harum ad hoc concurrens ſufficiat ad conſtituendum morbum magnum, licet plures etiam ſimul concurrere poſſint. Sed vt omnia clare pateant, & vt magnitudo morbi exacte deprehendi poſſit, hæc optime aduertantur. Quo ad primam conditionem notandum eſt, quod partis præſtantia quo ad duo intelligi debet, ſcilicet vel quo ad vitam, vel quo ad vſum. Quo ad vitam, vt ſi affectum ſit aliquod ex membris principalibus, vel aliquod ex his, quæ illis inſeruiunt, quorum ratione vita conſeruatur; vt ſi affectum ſit cor, cerebrum, iecur, ventriculus, pulmo, pericardium, ſeptum tranſuerſum, inteſtina, & ſimilia. Quo ad vſum, vt ſi affectum ſit membrum, cuius vſus valde commodus, & vtilis ſit pro vitæ commoditate, vt ſi adeo affecti ſint oculi, vt inde cæcitas, ſi adeo affecti ſint vel teſtes, vel vterus, vt inde ſterilitas; ſi adeo affectæ ſint aures, vt inde ſurditas; ſi adeo afficiatur crura, vt inde claudicatio immineat. Quo ad ſecundam notandum eſt, quod vnuſquiſque affectus poteſt eſſe magnus dupliciter. Primo, quia occupet magnam partem, licet ea pars nec ex præſtantibus, nec ex principalibus membris exiſtat: vt ſi fiat inflammatio, quæ totum crus integre occupet, vel etiam cum crure coxam, hæc inflammatio magnus morbus vocabitur, non quia occupet membrum nobile, ſed quia locum magnum, & membrum magnum apprehendit. Secundo, quia hic affectus, licet nec membrum nobile, nec membrum magnum occupet, tamen in ſuo genere eſt magnus, & grauis, quemadmodum ſi in ſumma manu, vel in ſummo pede fiat inflammatio adeo ingens, vt hinc gangrenæ periculum immineat, tunc talis inflammatio vocabitur morbus magnus, non ratione partis læſæ, aut ratione loci affecti, ſed ratione propria affectus. Quo ad tertiam notandum eſt, quod affectus fiunt, & dicuntur cacoethes dupliciratione. Primo ratione ſuperuenientium prauorum morbo accidentium, ſeu ratione ſignorum prauæ cruditatis: vt ſi in febre non intermittente extrema ſint frigida, ſi in acceſſione ipſa æger decumbere nequeat, ſi difficulter ſpiret, ſi lotia, ſi ſputa, ſi alui excrementa ſint vel liuida, vel nigra, alteriuſue praui coloris, conſimiliaque alia praua adſint, talis febris dicetur cacoethes. Secundo ratione partis læſæ, cuius merito, cum male afficitur, praua ſolent ſuperuenire accidentia, vt in tendonum, neruorum, articulorum, ſimiliumque partium vulneribus contingere conſueuit: his enim vulneratis praua ſolent ſuccedere ſymptomata, ſicuti dolores ingentes, conuulſiones, vigiliæ, delitia & quæ huiuſce ſunt claſſis. Et ideo vulnera neruorum, & articulorum ratione propriæ ſubſtantiæ fiunt cacoethes. Hi autē morbi, qui ſunt cacoethes, quicunque ſint, hoc habent peculiare, quod pro ratione affectus maxime curationi reluctentur. In qua re animaduerto (ne quis ex ſimilitudine deceptus credat morbum cacoethe eundem eſſe cum lethali morbo) aliud eſſe morbum exiſtere cacoethe, aliud eſſe lethale exiſtere: nam lethale eſſe denotat imminentē mortem, cacoethe autem eſſe, deſignat periculum, & ſymptomatum prauitatem, non mortem, cuius merito Galen. lib. 1. prorrhet. comm. 14. dicebat, κακοήθεις autem morbos, id eſt, malignos appellamus, quicunque periculum minantes ſpem ſalutis non adimunt. Ex quibus pateat morbum cacoethe periculum, non mortem atteſtari. Hæ tres magnitudinis morbi conditiones quandoque in vnico concurrunt morbo, quandoque non concurrunt. Concurrunt, vt ſi inflammatio ingens occupet iecur, cum prauis ſymptomatibus, & prauis ſignis, quoniam tunc talis morbus dicetur grauis, & propter partis præſtantiam, quoniam male affectum eſt iecur, quod eſt fons, & primum virtutis nutritiuæ inſtrumentum, & propter affectus magnitudinem, quoniam inflammatio eſt ingens, & propter cacoetheiā, quando in hoc ſuperueniāt praua ſymptomata, & praua ſigna. Non concurrunt autē diuerſimode, ſcilicet vel quia duæ adſint cōditiones, vel vnica tantū. Exemplum primi erit, vt ſi inflammatum ſit totum crus cum puſtulis nigris, cum dolore ingenti, & cum febre vrenti: nam eiuſcemodi morbus non eſt magnus ratione primæ conditionis, quia nō afficitur pars aut nobilis, aut principalis, nec quo ad neceſſitatem vitæ, nec quo ad eius vſum; ſed dicitur magnus, & quia occupat membrum magnum, & quia eſt magna inflammatio in ſuo genere: præterea quia eſt cacoethe, vt ex ſuperuenientibus ſymptomatibus, & ſignis apparet. Exemplum ſecundi erit punctura aut nerui, aut articuli: hęc punctura non eſt morbus magnus, quia ſit affecta pars principalis vel quo ad vitam, vel

quo

qoo ad vſum, nec quia affectus ſit in ſui eſſentia magnos; qoia vulnus eſt puſillum, & minimum occupat locum, ſed dicitur magnus morbus, quia tales ponctur æ, niſi rectiſſime curentur, ſtatim cacoethes euadunt, dolores vehementiſſimos, vigilias, conuulſiones, & quandoque deliria inducendo. Exemplum quoque ſit punctura in hepate. hoc vulnus dicitur magnum ratione præſtantiæ partis læſæ, non quia vulnus aut in ſui eſſentia ſit magnũ, aut magnam occupet partem. Cui ſi adiungantur vel ſigna, vel ſymptomata praua, erit etiam magnum, quia cacoethe. Si aotem huiuſcemodi accidentia nequaquam ſuccedant, ſed firmato ſanguine inflammatio prohibeatur, non erit magnum huius ratione, quia non erit cacoethe. Tres igitur hæ conditiones ex Galeno loco citato lib. 4. Meth. cap. 6. conſtituantur, ex qoibus vnuſquiſque morbus grauis & magnus dicitur, ſcilicet partis præſtantia, affectus magnitudo, & cacoetheia. At ſunt ne hls vel plures, vei paociores, vel aliæ ab his diuerſæ? Ratio huius difficoltatis eſt Galeni ſententia lib. 7. Meth. cap. 12. poſita, quo loci magnitudinem affectus ex tripiici cõſideratione perpendendam eſſe doeet, has ita diſtinguens, ac dicens. Alia, quæ ex læſæ actionis præſtantia ſpectatur: alia, quæ ex propria affectus eſſentia, & tertia præter has, quæ ex facultate, quæ læſum corpos gubernat, ęſtimatur. At hæ tres conditiones cum illis vndequaque non coincidunt. Nam hoc in loco cacoetheia prætermittitur, & facultatis corpus regentis conſideratio apponitur: ſuperiori vero loco hęc omittitur, & illa apponitur. qua de re videntur vel quatuor conditiones apponendæ, vel in altero horum duorum locorum Galenum ſuperfluum eſſe cenſendum eſt. At ſciendnm eſt Galenum lib. 7. Meth. cap. 12. non agere de morbotum magnitudine, nec docere fontes, ex qoibus morbi magni propriam magnitudinem recipiant, ſed aliam ab his diuerſam eius eſſe intentionem: nam eo loci volens Galenus tradere Methodum in complicatis affectibus curandis ſeruandam, ex tribus præceptis execurioni in hoc mandandis, hoc primum monebat, quod vbi à qnoqnam affectunm non leue periculum inſtat, ad id, quod vrget, dirigi primum curantis conſiliom debet. Hanc vrgentiam ſubinde explicare, ac fontes, ex quibus deſumatur, tradere volens, hæc ſubiuugebat. Atque in eo quidem curationis conſilio, qood ab vrgente initur, affectus magnitudo perpendenda eſt, ea triplex eſt. Alia, quæ ex læſæ actionis præſtantia ſpectatur: alis, qoæ ex propria affectus eſſentia, & tertia pręter has, qnæ ex facultate, quæ læſum corpus gubernat, ęſtimatur. Hæc Galenus; ex qoibus nõ qoę ſit magnitudo morbl, & à quibus ea ſumatur, ſed à quibus fontibus vrgentia morbi hauriatur, habemus, qnæ vrgentia cum conſiſtat in magnitudine paſſionis, ac lęſionis, inquit Galenus eam magnitudinem ex triplici fonte hauriendam eſſe, per magnitudinem affectus non magnitudinem morbi, ſed paſſionis intelligens. Nam nomen affectus hoc in loco ſomitur prout affectus diſtinguitur à morbo, licet à morbo ipſo reſultat. A morbo autem reſultant paſſiones, læſioues, ac ſymptomata, à quibus vrgentia habetor: nam vbi plures fuerint complicati affectus, is, à quo paſſiones, & læſiones vehementiores, ac ſymptomata grauiora impendent, maiorem vrgentiam habere dicetur. Verum quoniam paſſiones, ac læſiones non omnes pares exiſtunt, nec omnes pari ratione ægrotantes afficiunt, ideo vbi harum ſit dinerſitas, loco citato lib. 7. Method. tradit Galenus normam dignoſcendi has, earom tres fontes aſſignans. Primus deſumitur ex læſæ actionis præſtantia: quoniam ſi plures morbi cõplicentur, ex quibus facultates corpus noſtrum principaliter regentes labefactentur, maior vrgentia erit ex parte eius affectus, qui vires vitales diſſoluit, quam eius, qui vires aut animales, aut naturales labefactet. Ratio eſt; quoniam præſtantior eſt virtotis vitalis actio, quoniam ea vitæ baſis eſt, quam omnium aliarum virtutum. Secundus ſumitur ex propria affectus eſſentia: nam ſi quis affectus virtutem vitalem lædens ſit multo minor eo, qui facnltatem animalem labefactet, maior erit vrgentia ex parte affectus virtutẽ animalem labefactantis, qui cum in propria eſſentia ſit maior, maius etiam inde detrimentum parere poterit, quam ex eo, qui virtutem vitalem lædat, cum hic ſit minor, & inde minimam læſionem inferre ſit aptus. Tertius deſumitur ex læſione facultatis, quæ læſum corpus gnbernat: nam ſi complicentur morbi, qui omnes virtutes labefactare queant, maiorqne ſequatur læſio ex ea, quæ corpus totum gubernat, qualis eſt naturalis facultas in membris ei principaliter inſeruientibus, vt puta affecto vel hepate, vel ventriculo, qoibus laxatis, vt fit ex intemperie ea membra laxante, vel ex appoſitione medicamẽtorum laxantium, totum corpus laxatur, & non nutritur, ad hanc facultatem roborandã, tanquam ad affectionem magis vrgentem tota dirigi debet intentio: nam hac periclitante, nec virtus vitalis, nec virtus animalis conſiſtere poteſt. Quare tres hi erunt ſcopi, ex quibus morbi vrgentia deprehendi debeat. Primos erit partis læſæ præſtantia. Secundus affectus lædentis propria eſſentia, quæ ſit maior, & inde maius detrimentũ inferre queat. Tertius eſt eius læſio facultatis, qoæ læſum corpus gubernat. Ex qoibus clare liqneat, Galenum hoc in loco non de magnitudine morbi, aut de fontibus, ex qnibus morbi magnitudo deprehendatur, ſed de vrgentia morborum, omnium quidem, ſed pręcipue ipſius ventriculi, de quibus eo loci agit, & de fontibus, à quibus maiori vrgentia vrgere morbum deprehendimus, tractare: quare nõ eſt, qood in neutro loco aut dicatur vel ſuperfluus, vel imminutus, aut diuerſitatem in eadem ſententia habuiſſe cenſeatur. At qnoniam Galenus libr. 3. de criſ. cap. 4. egit de magnitudiue morbl ſub alio ſenſu, quam ſub prædicto, ne ex ſimilitudine ſequatur deceptio, locum illum integre declaro. Monebat eo loci Galenus quatuor à Medico in ſingulis morbis animaduertenda & cognoſcenda, ac ab inuicem diſtinguenda eſſe: videlicet ſpecies morbi, magnitudo morbi, motus eius, & mos. Species morbi habetur ex propriis morbi accidentibus,

Magnitudo autem ex eorundem quantitate. Motus ex temporibus, & qualitate accessionum: mos vero ex superuenientibus accidentibus vna cum signis coctionis, & cruditatis. Per clarissima exempla hæc declaro.

Exemplum primi: si sit tertiana febris, species eius deprehenditur ex aduenientibus alternatim periodis, ex rigore, ex calore mordaci, & acri, ex siti, ex Inquietudine: si sit pleuritis, ex dolore lateris, ex tussi, ex febre acuta, ex spirandi difficultate, ex pulsus duritia: quoniam hæc sunt propria horum morborum accidentia, ex quibus species ipsa morbi cognoscitur.

Exemplum secundi sit: in tertiana Ingens rigor, calor acerrimus, inquietudo magna, sitis inexhausta indicant hanc tertianam febrem esse magnam: sicuti si opposita sint accidentia, paruam denotant. Pariter in pleuritide si dolor sit ingens, tussis sit vel sicca, vel laboriosa, febris incensiua, difficultas spirandi sit magna, & pulsus admodum durus existat, indicant pleuritidem magnam esse, sicuti paruam denotant eadem accidentia, vbi minora, ac remissa sint, vt puta, si dolor sit leuis, tussis sit humida, & sine labore, febris sit remissi caloris, difficultas spirandi parua, & pulsus quam minime durus existat.

Exemplum tertii sit: in tertiana febre paroxysmorum anticipatio, caloris augmentatio, accidentium properatio, & accessiones omnia tempora celeriter percurrentes, erunt signa hanc febrem esse velocis motus; sicuti ex aduerso postpositio paroxysmorum, caloris remissio, accidentium procrastinatio, & accessiones omnia tempora tarde percurrentes sunt inditia tardi motus. Similiter in pleuritide accessiones properantes, dolores vrgentes, febres accelerantes, sputum cito apparens indicant pleuritidem velocis motus: sicuti in oppositum accessiones tardantes, doloris remissio, febres postponentes, & sua tempora tarde percurrentes, & sputum non apparens indicant pleuritidem tardi motus.

Exemplum quarti sit: si in rigore fiat magna ad intus caloris reuocatio, si corpus in eo valde frigidum sentiatur, si pulsus tunc vix appareat, si animi deliquium immineat, in incremẽto si multa sit inæqualitas, multaque sit anxietas. In vigore autem si incendium adsit summum, caro tamen vel non sit calida, vel saltem tepida, si declinatio sit vel cum sudore copioso vires labefactante, vel cum ægrotantis inquietudine, minimaque accidentium subleuatione, talis tertiana erit cacoethe, & mali moris: sicuti ex aduerso rigor breuis, nec admodum molestus, augmentum sine anxietate æqualiter procedens, status ad hæc proportionaliter se habens à nullo sæuo accidente concomitatus, declinatio autem cum sudore moderato, per quem febris soluatur, & releuetur æger, indicant tertianã esse boni moris. Pariter in pleuritide, si adsit spiritus crebertimus, & dolor nullo remedio sedetur, si sputum sit nullum, vel viride, vel nigrum, si extrema frigeant, si sudor circa faciem, & collum, & alias appareat, si virtus deficiat, hæc omnia attestantur pleuritidem mali moris: sicuti ex aduerso, si dolor facillime sedetur, si sputum cito apparens facile excreetur; laudabileque existat, si corpus totum æqualiter caleat, si omnia accidentia facile remittantur; hæc indicant pleuritidem boni moris. Hæ autem quatuor conditiones, & qualitates morborum possunt considerari in vnoquoque genere morbi, siue morbi hi sint leniores, siue grauiores existant: quoniam vnusquisque morbus in suo natura hæc quatuor, videlicet speciem, magnitudinem, motum, & morem ab inuicem distincta habet: nam morbus à morbo specie differt, sicuti furunculus per propriam speciem à carbunculo differt, & magnitudine furunculi inter se differunt, cum hic furunculus illo sit maior, vel minor, quia hic eo sit cum maiori, vel minori inflammatione, ac dolore: & motu differunt, quoniam iste furunculus est illo velocioris motus, quia hic cito properat ad statum, & ad suppurationem, ille autem tardius. Differunt & more, quoniam hic est minus benignior, quam ille, quoniam hic pendens à sanguine minus adusto, minoremque inferens dolorem, renixum habet moderatum, & colorem aut rubicundum, aut remissum: ille autem, quoniam pendens à sanguine magis adusto, vehementissimumque inferens dolorem, duritiem, & renixum habet ingentem, colorisque est potius punicei, quam rubicundi, est moris praui, & est cacoethe in suo genere.

Quod dico de hoc leniori morbo, Idem intelligatur etiam in grauibus verificari, vt in phrenitide, lethargo, peripneumonia, pleuritide, hepatitide, splenitide, ac in cæteris acutis morbis: in quibus omnibus, & species, & magnitudo, & motus, & mos optime cognoscenda, & ab inuicem exacte distinguenda sunt; quod GALENVS loco citato præcipue animaduertebat de magnitudine, & more morbi, quæ duo cum valde inter se differant, & ab inuicem distinguantur, non sunt simul, & ad inuicem confundenda: ratio huius est, quoniam dantur morbi parui, qui sunt mali moris, quemadmodum ex aduerso dantur morbi magni, qui sunt boni moris. Quare non est, quod magnitudo cum more confundatur, pro cuius declaratione dicebat GALENVS: Debiles quidem, & paruæ febres quandoque valde malignæ sunt, & aliæ calidæ, atque incendentes, vt aliquando stomacho angustiam, & calorem, & sitim intolerabilem afferant, nihil tamen habent nonnunquam periculosum.

His declaratis apparet morbum quadrifariam magnum appellari. Nam primo modo morbus dicitur magnus ex quantitate propriorum accidentium, cuius merito ille morbus dicetur magnus,

gnus, qnia propria accidentia magna haber. Secundo modo morbus dicitur magnus ex affectus magnitudine, scilicer cum affectus est in quantitate magnus, & inde occupar magnum iocum, aut magnum membrum. Tertio modo dicitur magnus, si male afficiatur pars nobilis, aut principalis. Quarto modo dicitur morbus magnus, si sir cacoethe. Primus modus habetur ex Galeno lib. 3. de cris. cap. 4. Reliqui tres modi habentur ex Galeno lib. 4. Metbod. cap. 6. Ex quibus modis duo primi, videlicet, primus & secundus respiciunt quantitatem, primus enim respicit quantitatem accidentium, secundus respicit quantitatem partis læsæ, & hi duo primi modi proprie faciunt, & denominant morbum magnum, qnoniam magnitudo est species quantitatis. Tertius autem respicir qualitatem, & præstantlam partis læsæ. Quartus vero respicit qualitatem accidennium, & signorum superuenientium. Vnde quoniam magnitudo non est de genere qualitatis, ideo nec iuxta tertium, nec iuxta quartnm modum proprie dicitur morbus magnus, sed abusiue vocatur magnus, per magnitudinem non quantitatem, sed vehementiam morbi aptam hominem vel mutilare, vel interficere denotando. Cum igitur quadrifatiam morbus dicatur magnus, num ex omnibus hisce modis pari ratione ea magnitudo Morbi habetur, quæ à Galeno tanquam primus scopus mittendi sangninem viribus constantibus constituitur? Nequaquam, quoniam Galenus cum morbum magnum venæ sectione egere, & ab eius magnitudine mittendi sanguinis indicationem desumi docet, per magnos morbos non intelligit eos, qui proprie magni ex respectu quantitatis dicuntur, sicuti illi, qni secundum primum, & iuxta secundnm modum dicuntur magni. nam iuxta primnm modum furunculus magnus esset magnus morbus, & inde venæ sectionem indicaret, quod falsum est, cum sir magnus in suo genere, non in sua essentia. iuxta secundum autem modum inflammatio leuior occupans totum crus diceretur etiam morbus magnus; quod nequam verum est, cum inflammatio, licet occupans partem magnam, nisi sit magna in suo genere, non possit dici morbus magnus. Sed Galenus per magnos morbos intelligit vehementes, & graues, qui periculum minentur. quales sunt illi, qui sunt tertii, aut quarti ordinis: vel etiam secnndi, vbi affectus in suo genere sit magnus, vt magnum vulnus, magna inflammatio, & alia consimilia. Et ideo dicebat Galenus lib. 4. Method. cap. 6. Cum enim trifariam non hæc modo vitia, sed etiam reliqua omnia grauia, magnaque reddantur vel propter afflictæ partis præstantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel propterea quod sint cacoethe. quo in loco aduertendum est, quod dixit, grauia, respiciens periculum, magna autem ea vocauit abusiue, eorundem vehementiam innuere volens. quapropter inferius dicebat. Nunc illud docere volo tum ipsam siue vim, siue magnitudinem appellare volens pro indicatrice quadam sanguinis detrahendi, vel purgationis adhibendæ statnendum esse. Tum vero Hippocratem hanc omnium, quos nouimus, primum indicationem adinuenisse. Ex qno loco habeatur Galennm per magnitudinem, vim & vehementiam morbi intelligere. Et ideo paulo post non amplius assumens magnitudinis nomen, sed grauitatis, vt periculum indicaret, supradicta reperens dicebat. Nam cum triplici genere morbus quisque sit grauis, aut propter præcellentiam partis, aut propter affectus magnitudinem, aut propter ipsius cacoetheiam. Quod etiam per magnitudinem morbi Galenus intelligat vehementiam, & quod per magnos morbos audiat vehementes, clare haberi potest ab eodem, lib. 4. reg. acut. com. 19. quo in loco cum Hippocrates indicationes secandæ venæ declarans dixisset: Si vehemens morbus videatur. exponens Galen. in com. 6. hæc verba dicebat. Sanguinem etenim primum detrahes, si magnus tibi videatur morbus. Tali autem remedio vtitur propter vehementes affectus. quod à qualitate desumitur, neque refert, si vehementem, vel magnum morbum dixeris. Quo loci aduerte per vehementem magnum exponere. sed notasse, quod talis vehementia à qualitate, non à qnantitate desumitur. & pariter nota, quod nihil refert vel vehementem, vel magnum in dicto sensu morbum dicere. Magnitudo igitur morbi, de qua lib. 4. Meth. agit, & quæ scopus mittendi sanguinis esse debeat, intelligatur morbi vehementia, & grauitas, quæ ideo periculo coniuncta est, quoniam hinc homines vel necantur, vel mutilantur. Et talis vehementia, seu vis, seu grauitas, seu magnitudo morbi (hæc omnia idem significant) ex tribus, vt habetur à Galeno libr. 4. Meth. cap. 6. fontibus, ac scopis causatur; nam aut pendet ab affectæ partis præstantia, aut ab affectus magnitudine, aut ab eiusdem cacoetheia. à quibus omnibus scopis, ac modis venæ sectio, si constant vires, indicatur. Qna de re pateat magnitudinem morbi positam, & declaratam à Galen. libr. 3. de cris. cap. 4. non identificari cum his, de qnibus lib. 4. Meth. agitur, nec esse eam, quæ venæ sectionem indicare possit, aut debeat, nisi in casu, in quo aliqna ex prædictis tribus conditionibus cum ea concurrat. Ex his igitur cognoscat medicus qui morbi sint magni, & qui sint parui. qno habito nouerit, quali præsidiorum genere in eis vti debeat, nam in magnis magna, & in paruis parua indicantur præsidia.

15 *Et multa, & pauca.*

SICVTI paruum, & magnnm respicit quantitatem continuam, ita multum, & paucum respicit quantitatem discretam. Quantitas hæc discreta est numerus. dicit ergo Hipp. quod sicut medicus cognoscere debet, quæ in arte, id est, in opere ipso exercendo sint aut magna, aut parua, ita noscere tenetur, quę in eadem sint multa, & pauca. Multa sunt, si hæc verba referantur ad morbos, vbi plures affectus præter naturam in vno ægrotante reperiuntur; panca autem sunt, vbi vnicus est morbus. dixit autem pauca, non vnum, quoniam vbi est vnus

morbus, semper adsunt plura præter naturam, etenim semper cum morbo adsunt symptomata, & quandoq; etiam morbi causa, quæ sunt plura, pauca tamen dicuntur in respectu eius ægrotantis, in quo sunt plures morbi, & plures affectus præter naturam. Si autem hæc verba referantur ad curationes, debet medicus nouisse, in quibus morbis sint necessaria multa præsidiorũ genera, & in quibus pauca sufficiant. Alii enim sunt morbi adeo rebelles, vel adeo longi, vt plurima, & diuersa coactus sit medicus admouere præsidia, vt alui lenitionem, venæ sectionem, alterationem, pharmaciam, plurimas alias euacuationes, diuersiones, reuulsiones, plura etiam localia medicamenta, & aliquando scarificantia, rubificantia, vesicantia, vlcerantia, exurentia, & plura similia. Alii autem sunt morbi, qui paucis contenti remediis facile cedunt. Quæ omnia cognoscat medicus, vt docere, & respondere de his queat: videlicet an multitudine præsidiorum in curando egeat, vel paucitate contentus superare morbum speret. Hoc autem habebit, si nouerit morbi speciem, & medicamentorum, seu auxiliorum efficaciam.

16 *Et quod omne in ipsis vnum est, & omnia, quod vnum.*

SICVTI medicus in arte, id est, in actu practico exercendo nouisse debet, quæ sint recta, & quæ non recta, & quæ parua, aut magna, & quæ multa, aut pauca: ita etiam eum cognoscere decet, quod sit illud totum in medendi actu, quod sit vnum, & quod sit illud vnum, quod omnia existat. Nam in omnibus fere morbis est vnum aliquod præsidium singulare, ad quod principaliter medici intentio dirigitur, & per quod principaliter tolli debet morbus: hoc auxilium dicitur omne, vel totum, quia summa curationis in eo consistit. Dicitur autem vnum, quia vnicum est: & hoc vnum est omnia, quia ab hoc vno præsidio omnia principaliter indicata habentur. Hoc exemplo pateat. In Syncope cardiaca à sanguine vnicum est præsidium indicatum, videlicet sanguinis missio: hæc autem in hoc casu dicitur totum & omne, quia in eo summa curationis consistit. Dicitur autem vnũ, quia vnicum est: hoc autem vnum est omnia, quoniam secta vena, & misso sanguine habemus exonerationem naturæ, corporis perspirationem, vasorum patentiam, sanguinis fluxibilitatem, vltra id, quod ægrum à syncope, & præfocatione releuamus. Pariter si sit causus à materia turgente, vnicum est præsidium indicatum, scilicet euacuatio materiei peccantis per pharmacũm, hoc autẽ est omne, & totum, quia ab hoc habemus materiei facientis morbum euacuationem, corporis refrigerationem, morbi imminentis præseruationem, & vitium custodiam, à quibus omnibus salus ægrotantis dependet. Cum igitur in morbis sæpius hoc eueniat, vt summa curationis consistat in vnico remedio, vult Hippocrat. medicum hoc animaduertere, vt & dicere, & astantibus respondere possit, quod sit illud remedium, in quo summa curationis consistat, & à quo ægrotantis salus principaliter dependeat. Vt puta, si sit febris ardens, quod dicat medicus, huius febris sanatio consistit vel in missione sanguinis, vel in pharmacia, vel in sudorem prouocantibus, vel in diureticis, vel in alio præsidio, in quo sentiat summam curationis consistere. Quod quidẽ præsidium erit omne, & totũ, quia ab eo curationis summa pendet, & est omnia, cum sit vnum, quia multa ex hoc emolumenta, & potissimum principaliter intenta consequimur. Vt igitur, & pro ægrotantis salute, & pro sui ipsius existimatione dicere, & respondere possit medicus, quod sit illud præsidium ex multis, in quo principaliter sanatio consistit, monet Hippocrates eum animaduertere, quod sit illud præsidium, quod sit totum, id est, summa curationis, & quod cum sit vnum, sit omnia, id est, quod sit tale, quod per id fere omnia principaliter intenta habeamus: etenim ita, & ægrotantis saluti, & suo honori optime consulere poterit medicus.

17 *Et quæ fieri possunt, intelligereq; ac dicere, & si opus sit, neque intelligere, neque dicere, neque facere.*

QVONIAM medici non modo popularibus, ac vulgaribus hominibus, sed etiam Principibus, ac Regibus inseruiunt: & quoniam multa, quę scopum sanitatis humanæ non habent, ab his sæpe imperantur, ideo monet Hippocrat. eos debere intelligere ac dicerę, quæ fieri possint, id est, quæ ex arte deducta conuenienter à medico fieri queant, qualia sunt ea, quæ ad comptoriam pertinent artem: hæc enim fieri, cum ex arte ipsa deducantur, & administrari à medicis quodammodo sine calumnia possunt, licet proprie ad medicinam non spectent. Dixit autem intelligere, ac dicere, non autem facere, quoniam talia medicus debet intelligere, & intellecta docere decet, non autem facere, quoniam talia medicum, quatenus medicus est, dedecet facere, vel si ea facit, non vt medicus facit. Subiungit autem Hippocrates, & si opus sit, neque intelligere, neque dicere, neque facere. Quasi dicat plura sunt, quæ postulantur à vulgaribus, vel imperantur à potentibus, quorum etiam si opus sit ex parte postulantium, vel imperantium, ea tamen medicus nec debet intelligere, neque dicere, nec facere: Intelligere non debet, sicuti nec factitia venena, nec modum ea conficiendi: melius enim est, vt in hac parte medicus sit ignorans, quam intelligens. Dicere autem non debet ea, quæ licet ex ipsa arte excipiantur, non tamen faciunt vel ad bonos mores, vel ad vtilitatem ægrotantium, qualia sunt abortum prouocantia, aut conceptum prohibentia: etenim hæc medicus cognoscere debet ad ea euitanda, non autem vt doceat mulieres talia medicamenta, cum ab his in malum vsum assumi possint. Quare nec dicere ea debet: sicuti nec venena naturalia, ne ab improbis hominibus in vsum recipiantur. Hæc autem, quæ intelligere, aut dicere non debet medicus, nec etiam

ab eo

ab eo facienda sunt, id est, non sunt ad actum practicum deducenda, quoniam talia, cum non ægrotantium vtilitatem, sed perniciem hominum, bonorumque morum corruptionem respiciant, à medico fieri non possunt, id est, iuste, rationabiliter, & non sine calumnia, & artis, artificisque decore haudquaquam fieri valeot. Quare huiusmodi facta, licet à principe imperata, negligat, omittatque medicus, cum non sit medici, qui solum humani generis salutem animaduertere debet, talia perpetrare.

18 *Et quod facilitas in ipsa sit, aut difficultas.*

FACILITAS agendotú consistit in his, in quibus est agentis efficacia, patientis autem vel nulla, vel parua resistentia. Difficultas autē in his, in quib. vel agens est inualidum, patiens vero admodum reluctatur, vel quamuis agens sit validum, patiens tamen in resistentia plurimum posset, ita vt non sit supra patiens agentis dominium. Talis facilitas, vel difficultas sæpe obuenit medico in curatione ipsa administranda: nam quandoque morbus est adeo salutaris, vt sine magno negotio præsidiis administratis cedat, quo casu curatio facilis dicitur: quandoque autem adeo rebellis est, & contumax, vt auxiliis, summa cum ratione admotis, ita eluctetur, vt vel non soluatur, vel summo cum labore, quo casu curatio difficilis redditur. Dicit igitur Hippocrates, quod medicus cognoscat, an futura sit facilitas in curando, an difficultas. Quæ cognitio ad duo vtilitati erit: nam & faciet ad recte prognosticandum, quod medici gloriam auget, & ad bene curandum, quoniam hinc nouerit in leuiori morbo medicamenta leniora, in contumaci autem præsidia validiora, & efficaciora in vsum assumenda esse, quod ad ægrotantis salutem redundabit.

19 *Et quod opportunitas, & quod intempestiuitas.*

INTER cætera, quę difficillimam artem nostram reddunt, potissimum recensetur occasio: cum enim corpus nostrum vndequaque mutationibus continuis obnoxium sit, & non tantum à causis externis, sed etiam ab internis continue alteretur, hinc fit, vt nequeat semper eundem statum seruare; qua status mutatione facta sæpius sequitur ægrotantes modo in hoc statu, modo in illo esse: ex qua status diuersitate, diuersitas etiam occasionis in medendo se offert medico curanti: nam quod summo mane iure poterat administrari, hoc succedente, & facta mutatione ad vesperi, nec die sequenti amplius fieri poterit, quoniam elapsa occasione non amplius erit medicamenti illius opportunitas, sed intempestiuitas: multa enim sunt, quæ in vno tempore, in vna diei parte, data occasione facienda essent; quo tempore elapso non amplius datur ea administrare. Vt igitur cognoscat medicus in occasione debita operari, & in occasione non debita ab opere desistere, monet Hippocrates, ab eo hanc opportunitatem, & hanc intempestiuitatem cognoscendam esse, vt & recte curare, & rite respondere de opportunitate, & intempestiuitate medicamentorum sciat. Vt puta, curaturus febrem ardentem, quæ materia turgente affligat, oportet, vt noscat opportunitatem exhibendi pharmaci esse, dum materia est in motu. Vbi autem non præcedente euacuatione ad aliquam partem decumbat, in ea quæ firmetur, intempestiuam esse pharmaci exhibitionem; quæ tempestiua fuisset, si data occasione exhibitum fuisset. Pariter curaturus morbum acutum, oportet vt noscat opportunitatem secandæ venæ, dum vires constant. Vbi autem in progressu ex aliqua præcedenti causa, vel euacuatione, vel morbo languerant, intempestiuam esse venæ sectionem, quæ tempestiua fuisset, si à principio, dum vires stabant, administrata fuisset. Quoniam igitur occasio est diuersa, & quæ in vno conuenit administrando remedio, sæpe est præceps, & fugax, ideo cognoscat medicus opportunitatem, & intempestiuitatem medicamentorum, & præsidiorum administrandorum, vt conuenientia dicere, & facere sciat, inconuenientia autem fugiat, & renuat.

20 *Et quibus aliis artibus similis sit, & quibus nihil similis sit.*

VT medicus cognoscat, quid sibi agendum sit, monet Hippocrates eum animaduertere, quibus artibus medicina similis, & quibus dissimilis existat. Ex hoc enim facile prospiciet, quale opus, & quale munus suum esse debeat. Cum autem artes diuersi generis existant, nec omnibus medicina similis sit, medicinaque sanitatem antea non existentem (quod est opus præclarum) introducat, nulli dubium est, eam inter factiuas artes recensendam esse, cum opus hoc sensatum faciat.

Verum cum factiuarum artium aliæ sint simpliciter factiuæ, sicuti ædificatoria, figulina, nauiū cōditoria, & similes plurimę: aliæ autē non simpliciter factiuæ, sed refectrices, vt quæ ædificia, naues, calciamenta restaurat, & resarcit, non inter factiuas simplices recenseatur medicina, quia hæc suam materiam non facit, nec opus suum integrum molitur, sed inter refectrices, vt quæ sanitatem deperditam restituere principaliter intendat. Similis igitur his refectricibus artibus medicina dicenda erit. Ex quo habebit medicus munus suum esse, non corpus sanum facere, sed deperditam sanitatem restituere. Hoc autem habito, liquet, quibus artibus dissimilis existat: cum enim plurimæ artes sint, quarum terminata operatione nihil actu subsistit, qualis est saltatoria, cantatoria, cytharistria, tybicinia, & similes aliæ plures, clarum est eam his omnibus esse dissimilem, cum terminata medici operatione remaneat sanitas, quæ est dispositio subsistens, ac stabilis.

21 *Et de corpore, quod calidum sit, aut frigidum, aut siccum, aut humidum, & quod forte, aut debile, aut densum, aut rarum.*

Tria in vnoquoque similari corpore considerandą sunt, scilicet temperamentum, forma, & materia. Nec est, quod dicas formam, & temperamentum partis similaris vnum & idem esse, tum quoniam temperamentum est accidens ex primis qualitatibus compositum, & resultans, forma autem est substantia, tum quoniam temperamentum variatur per magis & minus, forma autem nequaquam: nam neruus neruo, & caro carne potest esse aut frigidior, aut calidior, non tamen neruus neruo, nec caro carne est magis aut neruus, aut caro. tum etiam quia, si coincideret temperamentum partis similaris cum eius forma, partes seminales non per propriam essentiam distinguerentur, sed tantummodo secundum magis, & minus, cum omnes sint eiusdem temperamenti, videlicet frigidi, licet secundum magis & minus diuersi. qua de re ossa, membranæ, cartilagines, ligamenta, tendones, nerui, vesicæ, intestina, ventres, vteri, fibræ vnica essent pars similaris, cum non varient in temperamento, nisi secundum magis, & minus: quæ tamen omnia licet in temperamento concordantia, ab inuicem differunt ex propria forma. Forma igitur, & temperamentum partium similarium distincta sunt, à quibus distinguitur materia, quæ sicuti necessaria est in omni composito naturali, ita etiam in compositione partium similarium requiritur. Tria igitur in vnaquaque parte similari reperiuntur, scilicet forma, materia, & temperamentum, & hæc tria distincte consideranda sunt, licet vnita, & simul composita vnicam partem constituant. Quo ad temperamentum enim considerare debet, an sit vel calidum, vel frigidum, vel siccum, vel humidum, vel ex his combinatum. Quoad formam autem, quam Philosophi totam rel substantiam vel essentiam dicunt, & quæ nonnunquã species, nonnunquam facultas appellatur, considerandum est, an sit pro ratione partis propositæ integra, an corruptelam aliquam patiatur. Quo vero ad materiam, consideranda est, an sit mollis vel dura, an rara, vel densa, an crassa vel tenuis. Quæ omnia sicuti reperiuntur, & considerantur in vnaquaque parte similari, ita etiam reperiuntur & considerantur in vniuerso corpore, cum hoc ex illis constituatur. Et hoc est, quod monet Hippocrates, animaduertendum esse à Medico, scilicet, an corpus curandum quoad temperamentum sit vel calidum, vel frigidum, vel humidum, vel siccum, vel ex his combinatum: positis enim simplicibus temperamentis, intelligit Hippocrates etiam composita. Quo autem ad formam, an sit forte aut debile, id est, an facultates sint integræ, an viriatæ: quod est, an in substantia, & essentia propria sit robur aut languor, an integritas aut vitium. Quo vero ad materiam, an sit densum aut rarum, id est, an sit laxum vel adstrictum, subintelligens reliquas conditiones ad materiam pertinentes, videlicet, an sit molle, vel durum, an crassum, vel tenue. Quibus habitis facile deprehendet medicus, quæ medicamenta in ægrotantis salutem administranda veniant. nam à consideratione, quæ quo ad temperamentum debetur, habet, cuius qualitatis, scilicet, an vel calida, vel frigida, vel humida, vel sicca sint admouenda præsidia, cum contraria contrariis curari debeant. à consideratione quo ad formam habebit, an medicamenta à tota substantia, & respicientia propriam membri essentiam & facultatem (Talia autem Medicis expertis plurima sunt) in vsum sint, vel non sint assumenda. à consideratione vero quo ad materiam habebit, an medicamenta debeant esse valde comminuta, vel in crassiori mole admouenda, & an sensum ferientia, vel lenia, & an corroborantia, vel laxantia administrari debeant, ex quibus perfectam agendorum indicationem habere poterit. Exemplo hoc pateat in affectibus ventriculi. Sit quis, qui male concoquat, hic vbi veniat curandus, considerandum primo est à medico, an ex aliqua intemperie laboret, vitiata enim naturali temperatura, viriatur & facultas. Secundo an concoctrix facultas ex se sit languida, vel robusta, talis autem languor sæpius à primordiis naturæ ortum habet, cuius merito videmus nonnullos, qui ab ortu ventriculum languidiorem habentes indiscriminarim ab omni excessu tam calidorum, quam frigidorum alimentorum læduntur: nullum tamen insignis intemperiei indicium referentes. aliquando autem talis languor ortum habet ex errato, vt ex potu aquæ vitiatæ, exassumptione venenati aut alimenti, aut farmaci ex alimento corrupto, ex habitatione in aere fætido, vel ex alia praua qualitate infecto, vel ex alia simili causa. Tertio in hoc eodem consideret medicus, an talis ventriculi substantia sit mollis vel dura, an tenuis, vel crassa, an rara, vel densa, nam mollities, tenuitas, & raritas faciunt ad languorem, ad caloris innati dissipationem, & ad exactam & nimiam sensationem. Sicuti ex opposito durities, crassities, & densitas faciunt ad robur, ad caloris innati conseruationem, & ad obtusionem sensus. Hinc videmus plures, qui nullam ventriculi intemperiem patientes, ex sola eius raritate ab omni etiam leuissimo errato læduntur, cui si mollities, & tenuitas partium addatur, ab omni alimenti, & potus vel in sapore, vel in qualitate excessu, ob insignem, & exactã sensationem exasperantur. His autem consideratis habebit medicus à priori consideratione, cuius temperiei debeant esse medicamenta admouenda. à secunda habebit, an ea, quæ solam facultatem respiciunt, simul adhibenda sint. à tertia habebit, an quæ in sapore, & qualitate excedunt, & inde sensum ferire apta sunt; an potius leuia, & moderata in vsum venire debeant, & an adstringentia, vel laxantia potius, & an incrassantia, & in crassiori mole, vel attenuantia, & in tenuiori forma, ac valde comminuta administranda veniant, & in summa, an valida, an debilia sint admouenda præsidia. Nam dura corpora, densa, ac crassa facile validiora tolerant medicamenta, mollia autem, rara, & tenuia facila

cile à vehementibus alterantur, ab eisdemque exasperantur, & languent, cum illa ob propriam naturam sint minus sensitiua, minus dolentia, & minus resolubilia: hæc autem ex aduerso sint valde sensitiua, valde dolentia, & valde resolubilia. Quæ omnia sicuti in affectibus ventriculi considerata sunt, ita in vnoquoque alio male affecto membro, animaduertenda veniant. Vt igitur & in dicendo, & in curando rite medicus procedere possit, monet Hippocrates hæc tria, scilicet formam, temperamentum, & materiam distincte in omni affectu, & curando corpore consideranda esse, vt rectam, ac perfectam præsentium affectuum, & futurorum agendorum habere queat.

22 *Et quæ multa pauca fiunt: aut in peius, aut in melius.*

SÆPENVMERO multa agenda indicantur à morbo, vel quia complicatos habeat affectus, vel ob diuersitatem causarum, vel ob diuersitatem aut vehementiam symptomatum, quæ in pauca; sed validiora medicamenta nonnunquam colligens medicus, breui morbum sanare intendit. Cæterum ista collectio, & coadunatio multorum agendorum in pauca solet quandoque in peius, quandoq; in melius ægrotanti redundare, quemadmodum illi contingebat, de quo Galenus libro 12. meth. capite 1. loquebatur. Hic curaturus dysentericos cum materiæ copiam, fluxum, & acrimoniam videret, simulque vlcus valde dolens, & prauum cerneret, generose, vt sibi videbatur, ad vehementissimum medicamentum descendebat, intendens eos subito curare: exhibebat enim cepas vno die comedendas, postridie muriam acerrimam per sedem infundebat, tertio die pharmacum validum propinabat, cogitans, ea quæ per plura præsidia, & pluribus diebus erant agenda, his paucis medicamentis, & paucis diebus agere, tollendo simul fluxionem, materiæ copiam, & acrimoniam, vlcusque siccantibus, & abstergentibus admodum medicamentis siccando. Sed quid contigit ex hac curatione? Multos hic medicus vna sanauit die, quosdam vero iugulauit. Monet igitur Hippocrates, vt medicus animaduertat, vbi multa in pauca rediguntur (quod tantum fit, vbi multa præsidia non admodum valida, & quæ in multis administrati debent diebus, in pauca, sed validiora, & paucis diebus, quia valide, & violenter suam obeunt actionem, admouenda auxilia redigantur) an hoc in peius, an in melius ægrotanti redundare debeat: Hoc autem animaduertet, & prospiciet, si robur medicamentorum cum ægrotantis tolerantia, & robore comparabit. Si enim æger acuti sit sensus, male tolerans, & non validus, arguit in peius talem medicamentorum formam ægrotanti fore. Si autem æger hebetis sit sensus, bene tolerans, validusque, ac robustus admodum exitat, indicare poterit morbum ex huiusce modi præsidiis superari posse, indeq; in melius ægrotanti hanc curandi normam futuram esse. Inquit igitur Hippocrates: animaduertat medicus, quæ multa pauca fiunt, aut in peius, aut in melius, id est, consideret, qui multa præsidia in pauca coarctat, an ea in detrimentum, an in emolumentum ægrotanti futura sint.

23 *Et quod honeste, aut turpiter.*

HVius sententiæ non ille est sensus, quod Hippocrates moneat, medicum animaduertere, quod sit illud, quod aut honeste, aut turpiter ab eo agendum sit, quoniam medicus nihil turpe, sed omnia ita honeste agere debet, vt nunquam nec ratione lucri, nec ratione libidinis, nec ratione improbitatis ad turpia agenda descendat: hæc enim dedecent artem nostram, quæ solummodo ad languentium vtilitatem, non ad crimina perpetranda instituta est. At cum horum verborum sententia terminetur, & claudatur per illa verba inferius scripta, quę habent, fieri necesse est, hic horum erit sensus: Quod medicus animaduertat, & intelligat, quod sit illud, quod honeste, aut turpiter in curando fieri necessarium est, id est, quod sit illud, quod in curatione honestum est, ab omnibus videri, & quod sit illud, quod dum curatur, turpe est, vt ab omnibus videatur. Honestum est videre in hominibus omnes partes male affectas præter sedem, & pudenda, quæ turpe est videri ab omnibus: in fœminis autem præter sedem, & pudenda, etiam mammas, & ventrem, & inguina turpe est videre: harum enim partium conspectum propter verecundiam vitant. Inquit igitur Hippocrates, quod medicus curans animaduertat, quæ sint partes illæ, quę coram omnibus contrectari, & videri honestum est, & quę sint illæ, quæ curam omnibus contrectari, & videri turpe est: & hoc, vt luminum, & astantium rationem habeat illorum, vt ad lucem non operetur, cum alias libro primo de iis, quæ in medicatr. fiunt text. 12. & 13. docuerit ad lucem operandum esse in omnibus partibus, præterquam in his, quæ aut latere debent, aut turpe est videre: horum autem, vt eos, quos non decet talia aspicere, vel excludat, vel in pertractanda parte affecta ab eius aspectu impediat.

24 *Aut tarde, aut cito.*

SIcuti monuit Hippocrates, medicum animaduertere, quæ aut honeste, aut turpiter ab eo fieri necessario debent: ita hoc in loco monet ab eodem animaduertenda ea esse, quæ necessario fieri debeant aut tarde, aut cito. Notandum autem est, quod hic non loquitur simpliciter de omnibus operationibus, quæ fieri possunt, vel tarde, vel cito, sed solum sermonem habet de his, quæ aut tarde, aut cito fieri necesse est, ita vt celeritatem, vel tarditatem cum necessitate connectat: Cito fieri ea necesse est, in quibus tardare malum, quale est medicari in valde acutis, si materia turgeat: hoc enim eadem die peragendum est: quale etiam est in puerperis, secundas quamprimum educere, & purgationes menstruas suppressas prouo-

prouocare, quale etiam est, luxatos articulos statim, antequam inflammentur, reponere, animo delinquentes excitare, à syncope detentos reuocare, intestina in scrotum ob herniam descendentia in proprium locum restituere, cardiacos firmare, diaphoreticos sudores sistere, abortum imminentem prohibere, habitum in summo bonum, qualem athleticum, soluere, à venenatis feris percussos curare, lethalia venena haurientes iuuare, similiaque alia plurima, quorum procrastinata curatio mortem, aut insigne detrimentum ægrotanti infert, facere. Talia igitur sunt ea, quæ citò fieri necesse esse, debet medicus cognoscere. Tarde autem ea fieri necesse est, quæ cito non sine maximo ægrotantis detrimento fieri possunt. Tale est, corpora longo tempore extenuata statim reficere, luxatos iam diu articulos restituere, ossa olim fracta, sed male composita callo iam contracto in suam sedem reponere, in suppuratis pus, & in hydropicis, cum secantur, aquam educere, & talia plura, quæ non affatim, nec cito à medico perpetranda sunt, sed tarde, & ideo necesse esse hæc tarde fieri dicuntur. Hinc autem monet Hippocrates, ne in illis, in quibus necesse est curationem cito administrari, Medicus velit eam procrastinare, quoniam hinc vel mors, vel magnum ægrotantis detrimentum expectandum erit: & ne in his, in quibus necesse est, curationem tarde administrari, statim medicus ad opus consumandum se accingat: multa enim præmeditatio, & multum temporis requiritur in his, quæ tarde fieri necesse est, quorum si vtrumque absit, in maximum incidunt ægrotantes discrimen. Quare cognoscat, & optime animaduertat medicus ea, quæ aut tarde, aut cito ad hunc sensum fieri necesse est. Non enim est, quod intelligas, Hippocratem loqui de celeritate, aut de tarditate operationis, quoniam celeritas in omni operatione est prompta, & laudabilis, & communis est cuicunq; Medici præceptio: nam tenetur ipse medicus in omni opere faciundo, quamprimum illud absoluere, quantum sit ex parte eius. Si quid autem tarditatis, & temporis intercedat, hoc contingat vel ratione morbi, vel ratione exteriorum, non autem ratione Medici. Vnde cum in communi præcepto habetur, Medicum debere tuto, cito, & sine dolore curare, illa dictio, cito, refertur ad operationem, non ad operandum: multi enim sunt casus, in quibus non licet medico statim aggredi curationem, sed multa requiritur præmeditatio, & multa præmittenda sunt, sicuti in luxatione antiqua, & male reposita. Non enim statim repositio tentanda est, quoniam tunc temporis esset impossibilis, & non sine maximo cruciatu tentari posset: sed multa laxantia, & multa emollientia præmittenda sunt, ad hoc, vt articulus dimoueri, & in propriam sedem restitui queat. Hoc idem in fractura male restituta, & antiquata euenit: nam antequam tentetur restitutio, callus prius emolliendus, & laxandæ partes circumstantes sunt, vt postea sine magno discrimine ossa in parte iam læsa iterum abrumpi, & postea in proprium locum reponi possint, quæ tamen articuli restitutio, & fracti ossis repositio, vbi ad eam se accingat medicus, eamque opere aggrediatur, quamprimum fieri poterit, celerrime absoluenda venit. Quare illa dictio, cito, hic in loco non de tempore operationis, sed de tempore ad operandum intelligatur.

Aut recte, aut non recte.

HÆc etiam sententia regulatur per eadem verba, quæ paulo inferius subdentur, inquit, fieri necesse est, ita vt is sit sensus, quod Hippocrates moneat à medico ea animaduertenda esse, quæ necesse est fieri aut recte, aut non recte in ipso curandi opere. Nam cum multa occurrant ipsis medicis in actu practico facienda, quæ prima fronte peragenda nequaquam esse videntur, licet rectum, & ex arte sit ea facere, multaque alia offerantur, quæ primo aspectu administranda censentur, licet nec rectum sit, nec ex arte ea facere, monet Hippocrates hæc ab inuicem distinguenda, & cognoscenda esse, vt nec in opere ipso, nec in dicendo, aut respondendo Medicus delinquat. Ea, quæ prima fronte non videntur facienda, licet ex arte, & recte ea facere conueniat, sunt talia, neruum integre secare, venam per transuersum præcidere, animi deliquium inducere, luxatos articulos, & repositos iterum laxare, fracta ossa reposita iterum commouere, omentum excedens amputare, adolescentes carnosos, & tetanicos aqua frigida perfundere: hæc enim & his similia nequaquam videntur recte agi posse, cum ex neruo secto mutilentur membra amisso sensu & motu, ex vena præcisa nutrimentum parti nutriendæ surripiatur, ex animi deliquio periculum immineat, ne deficiant ægrotantes: ex luxatione repositorum articulorum deformitas, mala formatio, & dolor sequatur; ex ossium fractorum, sed iam restitutorum dimotione mala succedat conformatio, & cruciatus ingens: ex perfusione aquæ frigidæ in tetano, cum frigidum sit neruis inimicum, maior timeatur conuulsio, quæ tamen omnia recte peraguntur, si ex nerui affectione conuulsio impendat, si ex vena aperta succedat ingens sanguinis fluxus, si ex animi deliquio tentandum est sanguinem fluentem firmare, si ex repositione articulorum spasmus, cum sit cum vlcere, vel cum inflammatione immineat, si fracta ossa reposita carnem pungant, & lacerent, si omentum putridum fieri expectandum est, si ex perfusione aquæ frigidæ caloris innati reuocatio expectanda sit. Hæc igitur, & similia sunt ea, quæ necesse est, recte fieri, licet non rectum videatur ea facere. Ea autem, quæ primo aspectu facienda videntur, cum tamen nequaquam ex arte, nec recte sit ea facere, sunt, quale est articulos luxatos cum vlcere, vel sine vlcere, inflammatos statim reponere, fracturas cũ ossis detectione, & eminentia simpliciter restituere, incipiente in visceribus inflammatione statim pharmacum exhibere, in contusionib. capitis cute integra existente cranium omnino

aperire

aperire: in fluxionib. ventris medicaméntis adstringentib. solum vti: in vomitu vomitum sistentibus tantummodo administrare. Hæc enim & his similia videntur prima facie ex arte facienda esse, quoniam luxati articuli indicant de se statim reponendos, sicuti & ossa fracta simpliciter restituenda esse. Inflammatio incipiens indicat materiæ fluentis renouationem, quæ pharmaco administrari potest. Cerebri actiones læsæ indicant cerebrum affectum, quod non videtur curari posse, nisi cranio aperto. Ventris fluxus indicat, vt sistatur, quod fit adstringentibus, vomitus pariter eandem videtur indicare curationem, quæ tamen omnia nec recte, nec ex arte peraguntur, quoniam ex repositione luxatorum articulorum cum vlcere, vel cum inflammatione, imminet, & rimenda est conuulsio, & mors, sicuti lib. 5. epid. in filio Harpali legimus factum fuisse, qui tertia die peremptus est, ex ossis luxati, cui inflammatio superuenerat, repositione. In fracturis detecto & prominente osse sæpius ossis fragmentum supereminens est præcidendum. Inflammatis visceribus pharmacum à principio non euacuat à parte affecta, sed materia existente cruda fit maior agitatio, indeque partium sanarum colliquatio, ex quo languidior æger, validior redditur morbus. In concussione cerebri non facta tanta ossium depressione, vt cerebri ventriculos comprimant, non aperiendum est cranium, sed exterioribus medicamentis res tutius peragenda est. In fluxionibus ventris multa, & mala abundante materia potius est purgandum, quam adstringendum: quod idem pariter in vomitu obseruandum est: nam cum hic à materia causabitur, potius vomitu, quam adstringentibus sedabitur. Hæc igitur sunt ea, quæ monet Hippocrates animaduertenda à medico, scilicet, vt agnoscat, quæ necesse est fieri aut recte, aut non recte, id est, quæ necessario facienda sunt in curatione ipsa recte, cum non recte, nec ex arte videantur agenda esse, & quæ necessario fieri debeant non recte, cum recte, & ex arte appareant facienda, & hoc, vt non modo in agendis non decipiatur medicus, sed nec etiam, vt in dicendo, aut respondendo aberret.

26 *Et quod malum supra malum fieri, necesse est.*

DICTORVM vltima hæc est conclusio, per quam monet Hippocrates à medico animaduertendum esse, quæ mala supra alia mala necessario fiant, id est, qui affectus supra alios affectus superueniant ex necessitate. Vt exempli gratia, vulnerato capite, & exciso osse necessario concidit æger. Cerebro concusso, & abrupto, necessario sequitur stupor, obmutescentia, & casus. Confosso thorace imminuitur vox. Hepate valde inflammato sequitur singultus. Cōpatiente ventriculo, abscisso osse, cartilagine, neruo, aut alia parte seminali, non datur restauratio. Corde quamminime vulnerato mors certissima sequitur. Iecore autem, cerebro, ventriculo, & intestinis tenuioribus discissis, id est, magnis vulneribus affectis, & vsque ad cauitatem internam incisis, mors pariter certa succedet. Tabe confirmata, & ad exitum procedente capilli ex capite defluunt, & quandoque alui profluuium superuenit: suppuratis in quadraginta diebus non expurgatis tabes superuenit. Ebrietate in attonitis non soluta ea hora, qua solui crapulæ consueuerunt, febre non superueniente, mors vna cum conuulsione succedit. Doloribus circa vmbilicum, & lumbos nulli medicamentorum generi cedentib. hydrops tympanitis subsequitur. Restituta luxatione cum vlcere, vel cum inflammatione conuulsio superuenit. Inflammatis tenuibus intestinis vomitus materierum humorosarum, & cibi, & tandem fæcum accedit. Inflammato cerebro, vel membranis, deliria & furores sequuntur. Hæc, & plurima alia consimilia tenetur nouisse medicus, vt optime, ac summa cum ratione dicere, & respondere de morbo curando queat, videlicet, an huic alia mala superuentura, aut non superuentura, & hæc ex necessitate existant: qui enim morbi alteri superueniunt, sed non ea necessitate, vt cum anginæ peripneumonia, cum pleuritidi peripneumonia, cum peripneumoniæ phrenitis, cum sanguinis sputo puris sputum, cum pleuritidi empyma, cum apoplexiæ paralysis, aliique similes similibus, vel qui aillis in morbi superueniunt, vel quia illi in hos permutentur, succedunt, non concluduntur sub hoc præcepto, cum hic sermo tantum de his malis habeatur, quæ ex necessitate ratione præcedentium malorum succedere, aut superuenire debent.

27 *Hæc animo versantem obseruare oportet in sermonibus, quantum quis ab his delinquat, aut in dicendo, aut percunctando, aut respondendo.*

CVM multa docuerit Hippocrates animaduertenda esse à Medico, qui gloriose hanc artem exercere cupiat: nunc explicat, in quem vsum ei hæc futura sint, dicens, quod vbi medicus hæc nouerit, diligenter obseruet, quantum ægri, & astantes in sermonibus coram eo hinc inde habitis à vera dictorum præceptorum cognitione deuiantes, delinquant, tum in dicendo, tum in interrogando, tum in respondendo, subintelligens, quod medicus deinceps in omnibus, & ægrotanti, & astantibus plene satisfacere debeat, tum dicens, tum respondens, tum vbi falsa, & ab eis male intellecta audiat, contradicens: ita enim poterit sibi gloriam, ægrotanti vtilitatem comparare.

28 *Et an qua multa sint, pauca dicat, & an qua impossibilia sunt, possibilia esse asserat. Et quicquid sane etiam aliud dixerit, ac aberrarit, hac ratione obseruare oportebit, & in contradictione aggredi, & impetere.*

EXEMPLIFICAT Hippocrates, in quibus astantes dum alloquantur medicum, errare possint, dicens, animaduertendum esse ab eo, an asseran-

asserant ea, quæ multa sunt in ægrotante, pauca esse, vtputa, si pluribus detineatur morbis, dicat vnicum esse: vel si plura impendant discrimina, affirment esse pauciora: vel si plura præsidiorum genera requirantur, dicant pauca sufficere. Præterea si affirment ægrotantem sanari posse, cum neutiquam possibile sit, vt sanetur, vti si sit tabidus, si sit marasmatus, si detineatur phrenitide hectica, si laboret apoplexia fortissima, si sit angu nosus cum febre ardenti, si sit tetanicus vel febre ardenti, vel nulla detentus, aliaque similia desperata mala patiatur: in omnibus enim his aberrantes, corrigantur à medico, qui eos in hisce rebus contradicat, vt omni culpa vacet in moribundo ægro, & vt propriam, & artis medicæ gloriam tueatur, ac defendat, quod non agunt illi medici, qui ægrotanti, ac astantibus in omnibus applaudentes, generosam non audent, vel nesciunt proferre sententiam: Et hæc de his, quæ in prima huius libri parte summatim, & per typum exarata continentur.

SECTIO SECVNDA.

Textvs I.

Morbi quidem igitur vniuersi fiunt, ex his quidem quæ in corpore insunt, tum à bile, tum à pituita.

Absolvta prima libri parte, in qua Hippocrates quæsita quædam vniuersalia à medico animaduertenda & cognoscenda in genere, ac summatim proposuerat, nunc ad secundam descendit, in qua de quæsitis illis vniuersalibus particulariter agens per particularia exempla ea declarat. Primum autem vniuersale quæsitum animaduertendum erat illud, à quibus causis in hominibus omnes fiant morbi, quod nunc explicare intendit, hac præsupposita distinctione, quod morborum omnium causæ aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Per causas autem hoc in loco non tantum intelligit immediatas, & coniunctas, sed etiam præcedentes & antecedentes, quæ omnes ad duo prædicta genera rediguntur, scil. ad internas, & externas. Internæ sunt illæ, quæ intra corpus existunt; externæ autem, quæ non intra corpus sunt, sed exterius corpori, siue per ipsum corpus, siue per rem extraneam à corpore, adueniunt. Præsupposita igitur hac morborum distinctione, incipit Hippocrates ab explicatione causarum internarum, pro qua duo notanda sunt. Primum, quod licet hic liber ab Hippocrate fuerit compositus, & quasi per typum conscriptus, imperfectus tamen remansit, cum eum postea nec perpoliuerit, nec exornauerit, vt apparet ex mutilis & imperfectis sententiis adductis, tum etiam ex ordine explicandorum, ac ex eorundem quoque numero, cum in hac secunda sectione, nec eum ordinem, quem in explicandis quæsitis vniuersalibus habuit, seruauerit, nec etiam declarationes, ac explicationes numero eorundẽ pares exposuerit: non enim omnia ea quæsita, quæ in prima parte proposuit, in hac secunda explicauit: nec eo ordine, quo fuerunt in prima sectione proposita, in hac altera sectione illa eadem exposuit. Quæ duo indicant opus imperfectum & mutilum, non reuisum, aut perpolitum fuisse. Secundum notandum est, quod ea non est Hippocratis intentio, vt in hac secunda sectione exquisite declaret ea quæsita vniuersalia, sed solum quodam pacto per quædam exempla, quæ tum ad declarandam eius intentionem sufficerent, tum etiam pro typo eorum, quæ si opus perfecisset, ab eo explicanda erant, sibi futura essent. Quare non est vt in his declarationibus absolutam omnium prædictorum quæsitorum explicationem expectemus: plura enim desiderantur tum ob imperfectionem opis, tum quia in exemplis sat fuit authori aliqua proposuisse, quæ pro typo ipsi inseruientia eius mentem declararent, quod præcipue animaduertatur in explicatione primi quæsiti: nam cum in hoc textu agens de causis internis dicit quod morbi vniuersi fiant ex his, quæ in corpore insunt, tum à bile, tum à pituita, est ac si dixisset: Ex morbis vniuersis alij fiunt à causis, quæ intra corpus ipsum existunt, qualia sunt bilis, ac pituita, sub nomine bilis omne humoris calidi, sub nomine pituitæ omne humoris frigidi genus intelligendo. Non enim intentio est Hippocratis, quod omnes causæ internæ concludantur sub pituita, & bile, ita vt bilis & pituita ex omnibus humoribus soli inter causas internas recensendi sint; sed enumerauit ex causis internis, solam bilem, & pituitam, cum quoniã hæc sibi pro exemplo sufficiebant per has tam calidos, quam frigidos humores complectens; tum quoniam hi duo humores ex omnibus sæpius, & manifestius morbos causare consueuere. Sed dicamus quoque per bilem vtramque bilem, scilic. & flauã, & nigram intellexisse, indistincte enim & nulla apposita conditione eam nominauit, quæ duo bilis genera vna cum pituita, siue sint ex humoribus naturalibus intra venas existentibus, siue sint non naturales, seu excrementitij, ac à naturalibus decisi omnium fere morborum soboles & origo sunt. Et ideo iure pro exemplo causarum internarum proposita sunt. Quibus si adderentur sanguis, & ichores, forsitan haberemus cumulum sufficientem causarum internarum. Sed sanguis nec sine his tribus humoribus abundare, nec sine his aliquid agere potest, cum sanguis nunquam denudetur à permixtione trium horum humorum. Ichores autem communes sunt omni humorum generi, & vbi excrementitij sint, & non naturales, semper quodam modo naturam alicuius ex prædictis humoribus sequuntur. Quare in speciem vel bilis, vel pituitæ referri possunt. Vnde liqueat exemplum hoc de causis internis sufficiens esse ad declarandam authoris mentem, simulque non omnino imperfectam, nec ex toto mutilam esse, licet maiori, & clariori explicatione ad maiorem, & clariorem declarationem indiguisset.

2 *Ab externis verò, à laboribus, & vulneribus, sed à calido, & supercalefaciente, & à frigido ac superfrigefaciente, & sicco, ac supersiccante, & ab humido ac superhumectante.*

Expli-

EXPLICATIS internis causis ad externas descendit, dicens, morbos ab externis causis produci triplici ratione, scilicet, vel per labores, vel per vulnera, vel per alterantia: sub quibus tribus omne externarum causarum genus includere intendit. Nam per labores non tantum corporis, sed & animi labores, omnesque animi passiones, & affectus intelligit: & per labores corporis non tantum motus, & exercitationes immodicas, sed etiam omnia ea, quæ laborem, id est, passionem corpori inferũt audit, qualia sunt mali cibi, & potus, immoderata eorum quantitas, medicamenta importuna, venena hausta, virulentarum bestiarum ictus, veneris vsus immodicus, somnus, ac vigilia supra modum aliáque plura his similia. Per vulnera autem intelligit omnia ea, quæ exterius occurrentia corpus lacerant, vel continui solutionem excitant, qualia sunt attritiones, contusiones, casus, percussiones, animalium morsus, & propriè dictæ vulnerationes. Per alterantia autem audit omnia ea, quæ corpus intemperatum reddere possunt, siue sint calefacientia, siue refrigerantia, siue siccantia, siue humectantia: qualia sunt aeris omnis immoderata intemperies, potus, & cibaria in qualitate excedentia, æstuaria, balnea vel naturalia, vel arte facta, medicamenta intemperata importune admota. Hæc enim omnia, & eis similia apta sunt ab extrinsecus morbos causare, quæ inter causas externas recensentur, quia intra corpus nõ sunt, sed corpori exterius adueniunt: & hoc vel per corpus ipsum, vt in animi perturbationibus, in somno, in vigilia, in veneris vsu, & in exercitationibus ipsis contingit, cum omnia hæc fiant per corpus ipsum, vel per rem extrinsecam aduenientem, vt fit in vulneribus, in veneno propinato, in virulentarum bestiarum ictu, in aere intemperato, similibúsque alijs causis morbificis. Quare hæ erunt morborum omnium causæ externæ, quæ intra corpus non existentes, sed vel per corpus ipsum, vel per rem externam, extrinsecus aduenientes morbum inducant, quæ in tria capita redacta, omnia ad labores, ad vulnera, & ad alterantia reducuntur. Sed cur alterantia recensens non dixit simpliciter morbos causari à calido, frigido, humido, & sicco, sed addidit calido, & supercalefaciente, frigido frigefaciente, humido superhumectante, & sicco superficcante? quoniam non tantum modũ, sed etiam excessum, cuius merito morbi à primis qualitatibus generantur, exprimere voluit: nam omnes hæ qualitates, videlicet, tam actiue, quàm passiue, dum non excedunt, alterant quidem corpora, non tamen morbos in eis pariunt, nisi in gradu intensæ excessũ quendam acquisierint, quo casu immoderationem consequutæ, & inde secundum propriam naturam agentes, adeò corpora humana alterant, vt in ea morbosam dispositionem inuehere apta sint, quod innuere volens, nõ simpliciter dixit à calido, sed addidit supercalefaciente, & à frigido frigefaciente, & sic de reliquis, morbos causari.

3 *Et bilis quidem, ac pituita vnà cum nascentibus gignũtur, & sunt in corpore aut plus, aut minus.*

DECLARATIS causis externis ad declarationem internarũ redit, & hoc, quia hæ non ita sensui patent, vt illæ: externæ enim etiam vulgaribus patent, at non ita internæ. Vt igitur harum internarum causarum ortus, & occasiones gignendi morbos innotescant, inquit Hipp. quod bilis, ac pituita, id est, quod omnes corporis humani humores tam calidi, quàm frigidi, siue illi naturales, & nutritioni apti, siue excrementitij ab illis decisi, & nutritioni inhabiles sint, in nascentibus gignuntur, id est, ab ortu nobis connascuntur, & connaturales sunt: cum enim ex iisdem nutriamur, ex quibus constituimur, non est dubium, quin ex humoribus illis corpus formetur, & nutriatur, etenim ex quatuor elementis sumus constituti, ad quorum proportionem in nobis quatuor generantur humores, ex quibus corpus etiam nutriri debet, & hoc pro ratione diuersitatis membrorum, ac eorum temperaturæ. Ex his autem humoribus, ex quibus nutrimur, alij deciduntur, qui inhabiles nutritioni existunt, & per propria vasa expurgantur, qualis est flaua bilis per folliculũ fellis, bilis atra per meatum à liene ad ventriculum, pituita autem per omnia vasa. Quapropter dictũ est ab Hippocrate, quod hi humores in nascentibus gignuntur, quoniam ortum hominis, & omnem eius progressum concomitantur, cum semper in homine continuè generentur. Ex quibus innuit Hipp. has causas internas nos semper concomitari: nam si in nascentibus gignuntur, necessariò in omni vita præsto sunt, & cum præstò sint, quemadmodum vbi intra naturalis termini statum continentur, nos nutriunt, & sanitatis habitum manutenent, & cõseruant, ita pariter vbi extra naturales terminos existunt, nos lædunt, & sanitatem exterminant, ac destruunt. Hoc autem euenit, sicuti in secunda textus parte inquit Hipp. cum hi humores sunt in corpore aut plus, aut minus, id est, quando erunt incommoderati aut qualitate, aut quantitate, non seruantes propriam virtutem, aut copiam: etenim si in quantitate sit lapsus, ita vt in minori aut maiori, quam debeant esse, sint copia, vel si in qualitate sit peccatum, ita vt intemperata existãt, hinc morborum causæ euadunt. Quapropter iure merito ab Hipp. ad ostendendam harum internarum causarum necessitatem, & ortum in nobis, & ad declarandum, quando hæ in nobis morborum sint occasiones, duo in hoc textu de his afferuit, alterum est, quòd hi humores in nobis nascentibus gignũtur, alterum, quod iidem humores quandoque in nobis sunt aut plus, aut minus.

3 *Morbos autem exhibent partim à cibis, & potibus, partim à calido supercalefaciente, & frigido superfrigefaciente.*

CVM dictum sit humores, qui morborum causæ internæ sunt, nobis congenitos esse, nósque, dum viuimus, semper concomitari, declaratúmque sit, hos, dum naturalem retinent statum, facere ad sanitatis, & vitæ conseruationem: dum autem extra limites naturales existunt vel in quantitate, vel in qualitate incommoderati, facere mor-

bos, & sanitatem profligare, ac destruere, nunc Hipp. explicat, vnde hi humores, cum in qualitate, aut in quantitate peccarum conceperint, morbificæ causæ euadant, dicens hoc fieri vel per interius assumpta, vel per exterius admota. Omnia interius assumpta intelligit per cibum, & potum, exteriora autem omnia intelligit per calida calefacientia, & frigida frigefacientia, ex his autem duabus causis humores corporis nostri vel in quantitate, vel in qualitate immutantur, dum ex his, vel copia augētur, aut imminuuntur, vel intemperata redduntur, cum autem talia fuerint, tunc morbos causare apti sunt, cum inde morbificæ causæ euadant. Inquit igitur Hipp. quòd humores in corpore nostro contenti morbos exhibent partim à cibis, & potibus; id est, partim ab interius assumptis; & partim à calido supercalefaciente, & frigido superfrigefaciente, id est, partim ab exterioribus admotis, & superuenientibus, quoniam & per interius assumpta, & per exterius admota, tam in quantitate, quam in qualitate redduntur incommoderati, & inde ad causandos morbos apti. Nam sicuti per vina potētia, per vsum aromatum, herbarum, & radicum calidiorum, per carnes assas; & per alia consimilia non solum bilis quantitate abundantior redditur, verum etiam calidior euadit, & inde magis aduritur, ita etiam per exercitia violenta, per vigilias lōgiores, per æstatem calidiorem, per consuetudinem balneorum naturalium calidorum, per moram sub sole, per habitationem in aere feruido, & per alias consimiles res exteriores bilis, & copia augetur, & intemperantior in qualitate propria redditur. Licet autem tam interius assumpta, quam extrinsecus aduenientia hæc eadem pariter facere apta sint, nihilominus hęc distinctè explicauit Hip. non modo, vt vtriusque rationem exponeret, sed etiam vt doceret humores corporis nostri, licet qualitate, aut quantitate peccantes, non semper morbos causare, sed solum cum à causis vel internis, vel externis excitatur, & ad hoc prouocentur: cuius merito dixit hos humores exhibere morbos à potibus, aut cibis, id est, cum ab interius assumptis, vel à calido supercalefaciente, & à frigido superfrigefaciente, id est, ab extrinsecus aduenientibus alterantur. Etenim vbi corporis nostri humores aut copia, aut temperatura sint incommoderati, non statim morbos generant: quiescunt enim in corpore tales quandoque ad plurimum tempus, qui tamen, vbi postea ab interius assumptis, vel ab extrinsecus aduenientibus alterentur, & excitentur, statim arrepta occasione morbos pariunt, & generant. Quapropter ex hac Hippocratis sententia duo habeamus, alterum quòd humores corporis nostri & in quantitate, & in qualitate, tum ab internis assumptis, tum ab exterius admotis incommoderari redduntur, alterum, quod iidem humores, vbi aut qualitate, aut quantitate peccauerint, tunc morbos exhibent, ac pariunt, eum vel ab interioribus, vel exterioribus alterantibus excitantur, aut commouentur.

5 *Necessitatem autem talia habent, vt fiant hæc cum ipsa fiunt, veluti, verbi causa, in vulneribus eos, qui crassos neruos sauciatos habent, necesse est claudos fieri.*

HÆc explicatio correspondet vltimo ex quæsitis vniuersalibus, de quo in prima sectione tex. 16. hæc habentur. Et quod malum supra malum fieri necesse est. Quæ inordinatio nobis demonstrat, opus hoc licet ab Hipp. exaratum, & per tabulas quasdam descriptum, non tamen ab eo postea reuisum, aut emendatum, aut perpolitum fuisse, nam si hoc egisset, non ita quæsitorum propositorum explicationes inordinatè exposuisset, sed, ordinem explicationum ordini quæsitorum correspondentem obseruasset. Explicans igitur quæsitum illud vltimum, hoc exemplificat in vulneribus neruorum, & capitum musculorum, dicens. Ea mala, cum fiunt, necessitatem habent, vt hæc fiant, id est, ad ea mala necessario ea mala sequuntur; qualis solet sequi claudicatio ad neruos crassos sauciatos, nam his sectis (per sauciatos enim intelligit per transuersum sectos) non amplius defertur vis animalis, qua deficiente deficit motus, & sensus, & inde claudicatio succedit. Dixit autem neruos crassos, quia per tenuiores ad cutem potius defertur sensus, quam motus; per crassiores autem qui magis profundi latent, potius motus, quam sensus. Et sane iure merito hi crassiores, illi tenuiores existunt, quia ad motum maius requiritur robur, ad sensationem autem minus, cū illud sit potius agere, hoc autem potius pati. Per claudicationem vero intelligit omnem motus amissionem, siue hoc in partibus inferioribus, siue in superioribus contingat, vbicunque enim motus deperdatur, siue in pede, siue in manu, dicitur communi, & improprio nomine ab Hipp: claudicatio, & ideo hæc sententia generaliter verificatur, quod ex sectione neruorum crassorum claudi euadunt patientes, quia his sectis motus deperditur, & inde corporis partes hac ratione affectæ claudicant, id est, ad motum inualidæ, & impotentes euadunt.

6 *Itemque si musculorum capita saucia sint, præsertim eorum, qui in femoribus sunt.*

MVSCVLI artus mouentes tres habent partes, scilicet caput, medium, & finem. Caput est musculi exortus, quem habet ab osse superiori, & in eo inferuntur ligamentum, & neruus; medium est pars magis carnosa ipsius musculi: finis vero est multo neruosior capite, & in tendonem desinit. Inquit igitur Hipp. si capita musculorum saucia sint, id est, præsecta fuerint, similiter de necessitate sequitur claudicatio, & hoc præsertim, si capita eorum musculorum, qui sunt in femoribus præcidantur: memorauit autem capita musculorum, & non alias partes, licet etiam aliis partibus præsectis sequatur pariter claudicatio, tum quoniam secto capite totus musculus manifestius separatur ab osse, à quo incipit motus, tum quoniam in capite musculi inseritur neruus, qui facit ad motum, & qui secto capite musculi necessario cum eo secatur, eo autem sectu motus aufertur. Dixit vero hoc præsertim fieri vulneratis capitibus eorum

rum musculotum, qui suot in fœmoribus, vt declararet, licet proprie fiat claudicatio his sectis, tameo etiam hoc idem in aliis contingere partibus: proprie aotem fit clodicario læsis fæmorum musculis, quoniam cros inde claudicationem patitur; si vero cruris musculi, & noo fœmoris secentur, pes inde claudicaret, non cros ipsum. Hoc vnico exemplo cum sibi satis hoc io loco fecisset Hippocrates ad memoriam aliorum in hac materia, oon vltra progressus est, remittens se ad alia loca, vbi ea tradidisset, sicuti ad locum inferius exponendum, & ad alia eius volnmina, io qoibus eaplicantur illa, quæ à me enomerata sunt in prima sectione com. 26. Illis autem hæc adiicias: Morbo incipiente, si atra bilis vel supra, vel infra exierit, lethale. Quibus atra bilis, veluti sanguis niger, desoptus exierit in morbis acutis, aut diuturnis, aut ex vulneribus, vel quomodolibet extenuatis, postridie moriuntur. Dysenteria si ab atra bile inceperit, lethalis est. Si in dysenteria veluti carunculæ exeant, lethale est. Strangulatio superueniens febricitanti, nullo apparente in faucibus tumore, lethale est, si febricitans deuorare oon potest cum colli peruersione, sine vllo tumore, lethale est. Io febre continua si partes exteriores frigeant, interiores autem vrantur, lethale est. In febre cootioua debili existeote ægro, si pars aliqua faciei peruertatur, vel visus, vel auditus deperdatur, mors in proximo est. Quibus in febribus morbus regius ante septimam diem accedit, in his alia mala expectare oportet. Si conuulsio cootingat ei, qui elleborum assompsit, de morte coniectãdum est. Pariter si ex vulnere, aut ex nimia, & superflua purgatione contingat, idem eueotus expectetur. Si erysipelas ab exterioribus ad interiora vertatur, alia mala eapectaoda sunt. In ascyte, & empymate, vbi vrantur, vel secéotur, si pus, aut aqua vniuersim effluat, de morte periclitantur. Hæc & consimilia sunt ea, quæ mala ab alio malo ex necessitate expectanda sunt: pro quorum declaratione vnicum hoc in loco proposuit Hippocrates exemplum, scilicet, claudicationem, quæ necessario superuenit neruis crassis, vel capitibus musculorum præcisis, reseruans se inferius textu decimonono iterum consimilem seotentiam explicaturum. Hæc autem sententia de claudicatione, non tantum facit ad declaranda, quæ mala aliis malis necessario superueniant, sed etiam spectat ad declarationem eorum morborum, qui corpus mutilant, aut tollunt.

7 *Morietur autem, si quis cerebro sauciatus fuerit, vel spinali medulla, aut hepate, aut præcordijs, siue septo transuerso, aut vesica, aut vena sanguiflua, aut corde.*

TERTIVM ex qoæsitis vniuersalibus erat, qui morbi sint lethales, aut oon lethales. Hoc nũc explicaturus Hippocrates, cum oosceret alios morbos ab extriosecus aduenieotibus, alios à causis internis causari, de vtrisque hoc idem intentio eius est declarare. Incipiens vero ab his, quæ à causis extrinsecus aduenientibus, sicuti à caso, à percussione, à gladio, & ab omni alia simili causa eueniunt, inquit, quod si quis vulneretur in cerebro, in spinali medulla, in hepate, in præcordiis, io septo transuerso, io vesica, in vena sanguiflua, id est, magna vena (per quam etiam iotelligit magnam arteriam, antiquiores enim nomine veoarum etiam arterias intelligebant) & in corde, morietur. Sed qua ratione harum partium vulnera aut sunt, aut dicuotur lethalia? Ratione præstantiæ partis læsæ: nam ea prænarratis partibus aliæ soot principales, qoale est cor, cerebrum, & hepar: aliæ partibus principalibos immediate inseruiunt, qualea sunt spinalis medolla, arteria, & magna vena: aliæ necessariom vsum præstant, quales sunt ventriculus, intestina tenuia, septum transoersom, & vesica. Quaptopter qooriescunque ex his partibus aliqua sancietur, semper propter eius præstantiam periculom imminet mortis: quandoque quidem ineuitabiliter, vt fit corde, & arteria magna, & vena magna, vuloeratis licet simplicissimo vulnere tactis, aut reliqois ex prædictis partibus insigniter, & vsque ad caoitatem sauciatis, cuius ratiooẽ dicebat Hippocrates libro sexto Aphorismo decimooctauo. Vesica descissa, aut eerebro aut corde, aut septo, aut aliqoo ex intestinis tenuioribus, aut ventriculo, aut iecore, lethale est: quandoqne aotem non ioeuitabiliter, cum omnia illa prætercor, venam, & arteriam magnam, noo discissa, sed simpliciter vulnerata sunt. Quæ singula cum vnica conclusisset Hippocrates periodo, simplici sermooe vtens inquit: Moritur autem, si quis cerebro sauciatus fuerit, aut spinali medulla, aut hepate, aut præcordiis, siue septo transuerso, aut vesica, aot vena sanguiflua, aut corde. Notanter enim dixit simpliciter, moritur, non dicens ex oecessitate moritur, quia cum morbi lethales duplici ratiooe tales dicantur, scilicet, vel quis ex oecessitate sunt tales, cum ex his nequeat releuari æger, vel quia vt plurimum tales, cum fere semper, & ex sui ratione patieotes perdant; & simul morbos vtriosque generis copulasset, eos videlicet, qui necessario lethales, & eos, qui fere semper tales sunt, ideo dixit simpliciter moritur: nam vulnera omnia in prædictis partibus sunt lethalia, non tamen cuncta eodem modo, etenim vulnera cordis, & venæ magnæ, & atteriæ magnæ, licet simplicissima, & minima, suot ex absoluta necessitate lethalia, cerebri autem non ita, cum in eo vulneta magna quandoque sanentur, vt Galenos testatur libr. octauo de vso partium capite decimo & libro sexto aphorismo. commentar. 18. de illo iouene Smyrnæo in Ionia factum fuisse. Verum oon tantum simpliciter, ac iosigniter vulnerata, sed aliquando etiam eius aliqua parte abscissa, & separata sanantur, vt vidi ego in curatione magni vulneris factum, io quo abscissa cerebri portione ad quantitatem dimidietatis oucis

ponticæ salus subsequuta est, adhuc viuente ipso patiente. Iecoris etiam vulnera, si superficialia sint, nec dissectum sit aliquod vas, sanari possunt. Sicuti & vulnera ventriculi, quem sub præcordiis intelligit, ac comprehendit, si in fundo (quoniam ibi est carnosæ substantiæ) & non penetrantia existant. Pariter etiam septi transuersi ad latera in parte carnosa curari queunt. Spinalis etiam medulla si per longum, non per transuersum vulneretur, sanari potest, sicuti & vesica, si non discissa vsque ad cauitatem fuerit. Hæc autem prædicta vulnera, licet sanatu possibilia existant, tamen vtplurimum patientes perdunt: Quare licet non ex necessitate lethalia, tamen vtplurimum lethalia dicuntur. Quoniam vero hæc cum illis, scilicet, cordis, & venæ, ac arteriæ magnæ connectit, ideo simpliciter loquens inquit, moritur vulneratus in cerebro, aut iecore, aut spinali medulla, aut præcordiis, aut septo transuerso, aut vesica, aut sanguiflua vena, aut corde. Et hoc cum indeterminare de illis loquutus sit: si enim sicuti in Aphorismis loco citato dicebat, hæc ex vulneribus descissa, id est, magno, & profundo vulnere sauciata essent, omnino ineuitabiliter omnia hæc mortem inferrent, vnde ex necessitate lethalia pariter essent. Hoc autem in loco tenuia prætermisit intestina (nisi forsan hæc sub præcordiis comprehendat) quorum tamen iure merito in aphorismis meminit, quoniam tenuium intestinorum vulnera, si sint penetrantia, sunt omnino insanabilia.

8 *Non moritur autem vulneratus in his partibus, in quibus hæc membra non insunt, sed ab his longissime absunt.*

DOCVIT, qui morbi, cum à causis extrinsecus aduenientibus producuntur, mortem inferant, id est, quæ vulnera ex sui natura sint lethalia: Nunc autem ex aduerso monet, quæ non sint lethalia, dicens, ex illis vulneribus non perire ægrotantes, in quibus & membra prædicta sauciata non sunt, & partes vulneratæ ab illis longissime distant. Tales autem sunt artus, & membra extrema, in quibus vulnera ex se sunt sanabilia: nam cum hæ partes longe distent à membris principalibus, nec immediate eis inseruiant, nec vsum ad vitæ necessitatem præstent, vbi vulnerentur, eorum vulnera ex se non erunt lethalia, ex se inquam, id est, ratione partis læsæ. Etenim cum ad præsagiendum, quod quis ex vulnere sit periturus, vel euasurus, consideranda veniat partis sauciatæ præstantia, & vsus, illæ, quæ aut non sunt præstantes, seu principales, nec vsum necessarium vitæ præstent, quales sunt artus extremi, sine quibus plures viuere videmus, quantum sit huius ratione, si saucientur, vulnera ex se sanabilia patientur, nisi tamen quid mali superaddatur. Malum erit si vulnus in his artubus extremis factum sit in articulis, aut neruis, vel sit cum sectione alicuius venæ, aut arteriæ insignis. Nam hinc sæpe succedit mors, subsequente conuulsione, ac febre ingenti ex neruosis partibus affectis, vel hæmorragia maxima, ex apertione venarum, & arteriarum. Malum erit, si vulnus in propria essentia fuerit admodum magnum, quoniam inflammatio, & læsio ingens ex vulneris magnitudine succedit. Malum erit, si vulnus malignitatem annexam habuerit, vtputa, si sit factum à venenato telo. Malum erit, si vulneratus sit vitiosi habitus, si facile animo delinquat, si curis, & mœrore confectus existat, si ex propriis imbecillitate langueat, si morbo graui, vel acuto, vtputa, febre ingenti detentus sit, si epilepsiam, aliaque similia grauia mala patiatur. Malum erit, si mala aeris qualitas, vt sub pestilenti cælo euenire solet, vel insignis intemperies, qualis est sub canicularibus diebus, adiungatur. Malum erit tandem, vt in summa omnia complectar, si vulneribus hisce alia ingentia, siue præsentia, siue imminentia mala superaddantur. Quæ tamen omnia non tollunt, quin vulnera facta in membris, quæ nec sint primaria, nec primariis inseruiant, nec vsum ad vitæ necessitatem præstent, sint ex se sanabilia, cum illæ circumstantiæ & conditiones superadditæ non partem læsam, sed alias conditiones, & circumstantias respiciant.

9 *Ex morbis vero tales necessitatem habent, vt ab ipsis perimantur, cum fiant, tabes, aqua inter cutem, ac subter carnem nascens.*

DECLARATIS lethalibus, aut non lethalibus morbis, qui ex causis exterius aduenientibus, id est, ex casu, plagis, percussionibus, vulneribus, & similibus ortum habent, nunc descendit ad explicationem morborum lethalium, aut non lethalium, qui fiant à causis internis. Inter lethales autem primo enumerat tabem, secundo hydropem, dicens hos non simpliciter, sed necessario lethales esse: inquit enim, quod ex morbis, qui necessario perimunt ægrotantes, sunt tabes, & hydrops. At per tabem nunc audiamus phthisim, quæ est totius corporis extenuatio cum parua febre, ex vlcere pulmonum proueniente. Per aquam vero inter cutem intelligamus ascitem, sicuti per aquam subter carnem nascentem, leucophlegmatiam, seu anasarcam. Sed cur non meminit de tympanite, quæ forsan difficilius cæteris hydropum speciebus curatur? Tympanitis licet à superabundanti fiat à flatu, nihilominus ille flatus nunquam synce-

syncerus est, sed semper aquæ mixtionem habet. Quare sub nomine, aquæ, inter cutem audiamus tam ascitem, quam tympanitem, quas omnes species sub nomine hydropis comprehendamus. At phtisis, & hydrops sunt ne semper morbi ita ex necessitate lethales, vt nullus æger ex his euadat? At hoc sciendum est, quod phtisis à principio curata quandoque sanatur, quemadmodum & hydrops, imo profiteor ego me plurimos ab hisce morbis liberasse, eos præcipue, qui se mihi à principio commiserunt. Progressos autem hos morbos, & antiquatos, sicuti nunquam fere sanatos vidi, ita cum Hippocrate censeo insanabiles esse, nec curationem recipere. Quare, cum ait Hippocrates, tales morbos necessitatem habere, vt ab ipsis perimantur patientes, cum fiunt, interpretor hæc vltima verba, cum fiunt, id est, cum perficiuntur, & antiquantur, non autem, cum incipiunt, cum incipientes hi morbi sæpe sanentur; qui vbi perficiantur, & antiquentur, curationem amplius recipere non est possibile. Et forsan, quod phtisis à principio non est dicenda absolute phtisis; cum tunc temporis non adsit illa corporis extenuatio, quæ in progressu superuenit, & ex parte dat formam huic morbo. Pariter Hippocrates forsitan per hydropem non intelligit eam, quæ incipit, cum hæc potius habeat naturam cachexiæ, quam hydropis: sed intelligit per phtisim & hydropem, eam hydropem, & phtisim; quæ confirmata est. Si autem quandoque aliqua confirmata hydrops, vt alio in loco notabo, soluitur, hoc naturæ beneficio, non arti adscribatur, cum per spontaneas potius, quam per artē factas euacuationes hæ tollantur. Quod non tollit veritatem sententiæ iam explicatæ, cum rari casus regulas medicinales non destruant.

§ *Et si mulierem in vtero habentem peripneumonia corripiat, aut febris ardens, aut pleuritis, aut phrenitis, aut erysipelas in vtero fiat.*

EXEMPLIFICANS de morbis necessario ægrotantes perimentibus, vltra tabem & hydropem ennumerat etiam morbos acutos vtero gerentem mulierem apprehendentes, dicens pariter, vbi in prægnante vterus erysipelate laboret, morbum omnino lethalem esse. Quo autem ad primam sententiam, notandum acutos morbos alios esse cum febre, alios sine febre. Cum febre, quæ semper est continua in acutis, sunt pleuritis, peripneumonia, phrenitis, & febris ardens, quorum meminit Hippocrates. Sed vltra prædictos est & angina, & lethargus, & ventriculi, & hepatis, omniumque viscerum inflammationes magnæ, ac ileos ex intestinorum vel erysipelate, vel phlegmone. Sine febre autem sunt apoplexia, epilepsia, spasmus, tetanos, cholera, & similes affectus, quorum hic nequaquam Hippocrates meminit. Omnes tamen hi acuti morbi, siue illi, qui cum febre, siue illi sint, qui sine febre eueniunt, si vtero gerentem corripiant, sunt lethales, tum propter magnitudinem eorum, tum propter acutiem; tum propter victus rationem, quæ cum tenuis admodum instituenda sit, fœtum perdens abortum causat. Quæ si sit crassior in his, qui sunt cum febre, febrem continuam augens matrem occidit. Quam sententiam tam morbis acutis cum febre, quam acutis sine febre communem, ac vniuersaliter veram censens Hippocrates, absolute in Aphorismis dicebat: Mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale esse. Quemadmodum & ibidem alteram affirmans sententiam dicebat, si mulieri grauidæ in vtero fiat erysipelas, lethale est: quod an verificetur de inflammatione, dubitat Galenus, cum tamen liqueat hinc etiam mortem impendere ex febribus, quæ tunc fiunt, acutis. Dixi autem signanter mortem impendere, non mori, quoniam licet mors ineuitabiliter ex erysipelate vteri in prægnantibus succedat, non tamen par est casus inflammationis, cum inflammatio erysipelate mitior sit affectus. Animaduertens etiam illam dictionem, lethale esse, appositam in Aphorismis, dicere periculum ingens imminentis mortis, non autem absolutam necessitatem, cum experientia compertum sit plurimas mulieres vtero gerentes à morbis acutis detentas liberari. Quot enim ego curaui pleuriticas, aut febre ardenti detentas, aut alio simili morbo acuto deprehensas, quæ, nec abortum facientes, à morbo vindicatæ sunt? Vidi etiam alias epilepticas, quæ fœtum vsque ad naturale pariendi tempus gestantes puerperium superuixerunt. Quare illa dictio, lethale esse, denotet manifestum periculum, non mortem ineuitabilem. Sed vltra prænarratos morbos alij sunt; qui in vnoquoque sexu, & in vnaquaque sunt omnino lethales. Sicuti apoplexia fortis; dysenteria ab atra bile, conuulsio ex vulnere; ex ellebоro, & alia similia, quæ vel in sui essentia sint ingentia, vel malignitatem, & prauam qualitatem adiunctam habeant. Quæ singula hoc in loco non recenset Hippocrates, quoniam sat erat ei adducere aliqua exempla, non omnia ad declarationem propositi quæsiti. At quoniam diximus ex morbis acutis, alios esse cum febre, alios sine febre, moneo ad hoc, vt qualis naturæ sint illi, qui cum febre fiunt, pateat, animaduertendam esse Hippocratis sententiam libro primo Epid. sectione tertia, textu tertio, positam, in qua hæc habentur: Sunt autem acutissimi, maximi, grauissimi morbi, ac præ cæteris omnibus lethales in continua febre. Hæc autem sententia nos docet, eos acutos morbos qui fiunt cum febre continua, esse præ cæteris omnibus lethales. Lethales autem, non quia semper

C 3 patien-

patientes interimant, sed quia in aliorum morborum comparatione magis, quam cæteri sint apti mortem patientibus inferre. Sed cur hos morbos, qui cum febre fiunt continua, & quos præ cæteris lethales appellat, vocat acutissimos, maximos, & grauissimos? Ratio est, quoniam hi ex acutie ad statum properant, ex magnitudine valde affligunt, ex grauitate cum periculo vexant. Quo ad magnitudinem autem hoc notetur, quod ex magnitudine symptomatum habemus quidem morbum præsentem esse magnum, qui sit magnus in suo genere, non tamen hic morbus simpliciter vocandus est magnus, nisi magnitudinem habeat ex aliqua earum trium conditionum, quas explicanit Gale. libro quarto Meth. capite sexto, videlicet, vel ex præstantia partis læsæ, vel ex affectus magnitudine, (quæ conditio non coincidit cum prædicta ex quantitate symptomatum) vel ex cacoetheia. Ex prædicta autem Hippocratis sententia animaduertatur distingui inter se morbos acutos, magnos & graues, non enim pluralitate verborum vti consueuit Hippocrates ad elegantiam, sed ad sententiarum diuersitatem. Distinctio autem hinc pendet, quoniam acuties pendet ex properatione ad statum, cum acuti morbi breui tempore decernant. Magnitudo autem pendet ex validitate ægrotationis, quæ habetur à symptomatibus proprium morbum insequentibus, vt habetur libro tertio, de crisi. capite quarto, quæ symptomata si magna fiut, magnitudinem arguunt, cum ex horum non qualitate, sed quantitate magnitudo habeatur. Grauitas vero morbi pendet ex periculo quod morbo adiunctum est. Hoc autem periculum deprehenditur ex accidentibus, morbo superuenientibus, vt habet Galenus loco citato de more morbi sermonem habens, qui mos malus deprehensus ex dictis accidentibus, morbi grauitatem denotat. Cum igitur alia sit ratio morbi acuti, alia magni, alia grauis, inte Hippocrates loquens de morbis, qui fiunt cum continua febre dicebat, hos esse acutissimos, maximos, & grauissimos. Si autem hi acutissimi, maximi, & grauissimi sunt, etiam præ cæteris omnibus erunt maxime lethales, quoniam ab acutie celeritatem & breuitatem, à magnitudine ægrotationis validitatem, à grauitate periculum habentes necessario erunt quam maxime lethales, Id est, quam maxime apti ad patientium internecionem, non autem necessario, & simpliciter lethales, cum non tales sint omnes acuti morbi, sed qui ex eis sunt deterrimi, quales nonnullos enumerauimus. Hi autem acuti morbi sunt ij præcipue, qui ex loco particulariter affecto, non ex sparsa pendent materia. Verum de omnibus, qui cum febre fiunt, morbis acutis, hoc animaduertito, quod licet dixerit Hippocrates & libro primo, reg. acut. textu septimo, horum febres prorsus continuas patientes perimere, & libro primo Epid. section. tertia, textu tertio, illos maxime esse lethales, qui fiunt cum continua febre, non tamen hinc arguendum esse, febres in morbis acutis semper concomitari vsque ad finem patientes, quasi nunquam intermittant, quoniam non dicuntur hæ febres continuæ, quia nunquam intermittant, sed quia sunt de natura continuarum, quæ tamen aliquam intermissionem, si non semper, & ordinata periodo, quandoque tamen sine vllo circuitu, qui naturam febrium intermittentium redoleat, habere possunt. Experientia enim testatur in morbis acutis aliquando febris intermissionem dari, nullam tamen periodum seruantis. Quemadmodum etiam ex historiis ab Hippocrate in Epidemiis narratis clare habetur, vt apparet in Hermphoute libro primo, Epidem. section. tertia, textu decimonono, in quo febris intermisit à die nona ad decimam quartam. In muliere, quæ decumbebat in litore trimestri fœtu grauida, textu vigesimonono, in qua à septima ad vndecimam intermisit. In Melida textu trigesimo, in pari termino intermisit. In Hermocrate, libro tertio, section. prima, textu octauo, in quo à decimaquarta die vsque ad decimam septimam intermisit. In Cherione libro tertio, section. secunda, text. secundo, in quo à septima ad nonam intermisit. In virgine, in Abdera, libro tertio, section. tertia, textu octuagesimo, in qua à vigesima ad vigesimam quartam intermisit. In Anaxione textu octuagesimoprimo, in quo à vigesima vsque ad vigesimam septimam intermisit. Quapropter liqueat febres in acutis posse intermittere, easque appellari continuas, vel quia continue affligant, vel quia nunquam naturam intermittentium, licet intermiserint, recipiant, non autem quia de necessitate continuæ fiut. Has autem intermissiones obseruaui ego præcipue fieri in illis acutis morbis, qui vel non summam habent acutiem, vel eam remittentes in acutos ex decidentia conuertuntur, quales sunt nonnulli ex Hippocrate citati.

11 *Dubii autem morbi, vt & perdant, & non, tales sunt peripneumonia, febris ardens, phrenitis, pleuritis, angina, vua, hepatitis, splenitis, dysenteria, in muliere fluxus sanguinolentus.*

MORBORUM alij sunt sua natura lethales, alij sua natura salubres, alij nec lethales, nec salubres, sed indifferentes, ac dubij, cum hi nonnunquam ad mortem, nonnunquam ad salutem terminentur. De his vltimis hoc in loco agit Hippocrates, recensens præsertim morbos acutos ex dubiis, qualis est peripneumonia, pleuritis, phrenitis, angina, febris ardens, ac cæteri ab eo enumerati, non enim ab his semper patientes necantur, sicut nec semper ex his subleuantur. His additur vua. Sed quid per vuam intelligit Hippocrates? Intelligit affectum columellæ. Columella

mella autem, seu gurgulio dupliciter affici consueuit, alias enim in magnitudine excrescit, alias reuellitur. Magnitudinis causa est aut destillatio copia irruens, & eam extendens, qualis ex aeris frigidioris intemperie sæpius fieri solet, aut inflammatio ex sanguinis in eam fluxione pendens. Reuulsionis vero causa est destillatio acris, & salsa, cuius merito columella exiccata, corrugata, exasperata, & ad paruitatem redacta reuellitur. Talem columellam inspicere solemus in his, qui ex destillationibus salsis & prauis in phtisim procedunt, qualem etiam narrat Hippocrates libro tertio, Epidem. section. secunda, textu tertio, fuisse ex simili causa in Euryanactis filia. Cum autem columella his afficiatur modis, quæ ex his dicitur vua? non quæ reuulsa est, sed quæ pendula tumet, ad longioris vuæ, qualis est zib lus dictus, similitudinem formata. Hæc ab antiquioribus vocabatur vua, siue talis fieret ex sola destillatione, siue ex inflammatione: magis tamen proprie eam, quæ est cum inflammatione, vuam appellabant. Hippocrates vero nec hanc, nec illam adhuc magis proprie vuam, sed eam tantum, quæ ex prægressa, & soluta inflammatione pendula, & in summitate maior, & orbiculata maneret, appellabat. Hanc tamen proprietatem hoc in loco tanquam à primordiis eius conscripto, non obseruans, per vuam intelligit columellam inflammatam. At qua ratione enumerauit vuam in hoc sensu sumptam inter morbos dubios, cum pars affecta non sit momentanea, nec videatur ex se apta patientem perimere? Hoc duabus factum est rationibus: primo, quia vua (quæ est columellæ, seu gurgulionis proprius; & particularis affectus, per quem pendet, & tumet) si sit cum inflammatione partium gurgulioni, ac maxillis adhærentium, apta est suffocationem, claudendo meatum ad asperam arteriam, & hoc præcipue in pueris, causare. Secundo quia columella tumens, & pendula, quam impropriè antiquiores appellabant vuam, sicuti & columellam laxatam, vuam laxatam vocabat Archigenes, consueuerat secari ab illis, vt docet Author libri secundi, de morbis, ad quam sectionem inflammatio subsequens in partibus circumstantibus sæpe suffocationem inferebat. Quod male actum censens Hippocrates monebat libro Prognosti. tertio, textu vigesimotertio, non prius secandam esse columellam, quam in proprium affectum, vuam dictum, affectio declinasset, tunc temporis autem tuto secari posse, præmissa corporis purgatione, docet. Quoniam igitur præsente vua, & inflammatis partibus adhærentibus suffocationis est periculum, sicuti etiam erit, si intempestiue columella, impropriè quandoque ab antiquioribus dicta vua, secetur: ideo iure recensetur inter morbos dubios. Inter hos etiam recensetur hepatis, spleniris, & nephritis, per quæ intelligimus iecoris, splenis, & renum inflammationes: aliæ enim harum partium affectiones vel non sunt aptæ mortem causare, vel mediantibus aliis morbis hoc facere, non immediate possunt. Per dysenteriam autem intelligamus omnia fluxus genera: nam licet dysenteria omnium fluxuum sit periculosissima, attamen & cæteri fluxus inter dubios etiam morbos recenseri possunt, quoniam si non sistantur, sæpe solent ægrotantes, si non cito, saltem tarde perimere, dysenteriæ autem nomine præsertim vsus est, quoniam hæc inter omnes fluxus est molestissima, & breuissima. Pariter per sanguinolentum fluxum in muliere audiamus omnes sanguinis tam in maribus, quam in fœminis superfluas euacuationes, siue ex naribus, siue ex hæmorrhoidibus, siue ex vtero, siue ex alis qualibet corporis p. rte fiant. Meminit autem specialiter de fluxu sanguinolento muliebri, quoniam hic frequentior est, & euidentiorem habet causam. Sed vltra enarratos morbos alij etiam sunt dubij, quales sunt plures morbi non acuti, sed longi, quales sunt febres diuturnæ, hæmitritæi quidam, nonnullæ errantes febres, destillationes vel copia, vel qualitate peccantes, asthmata, Bulimos, ileos ex fæcum retentione, aliique consimiles morbi, qui inter dubios recenseri debent, quoniam aut ad mortem, aut ad salutem indifferenter terminantur.

12 *Tales vero non lethales sunt nisi quid ipsis accidat, affectiones fluida circa articulos, atra bilis, podagra, coxendicum morbus, tenesmus, qui est voluntas egerendi ineuitabilis, quartana, tertiana, strangulatus vrinæ, lippitudo, lepra, impetigo, morbus articularis.*

ID, quod ego superius ex propria natura, dicebam, nunc Hippocrates explicat per ea verba, nisi quid ipsis accidat, dicens eos morbos ex propria natura non esse lethales, qui nequaquam apti sint mortem inferre, nisi quid extra propriam naturam ipsis acciderit, id est, nisi alius morbus, vel alius affectus ipsis complicetur: tunc enim fieri posset id, quod ex primo, & salubri per se fieri non poterat, vt si podagræ febris continua connecteretur, mors hinc succedere non erit impossibile, imo admodum facile. Pariter si eum virtute debili symptomata vehementia complicentur, dubitandum erit de morte, vt si in corpore languido fiat tenesmus, aut stranguria, aut morbus articularis cum summis doloribus. Hoc igitur est, quod ait Hippocrates, videlicet, quod morbi ab eo enumerati non sunt lethales ex propria natura, nisi aliquis morbus, vel accidens aliquod verendum eis connectatur. Inter hos autem primo numerat affectiones fluidas circa articulos. Quid vero per has fluidas affectiones intelligat, non ita clarum est, nam & podagra, & ischias, & arthritis ipsa videntur pariter dicendæ fluidæ affectiones circa articulos, cum ex fluxu materiæ decurrentis, & in articulorum cauita-

tibus receptæ censentur. At cum distinctè has fluidas affectiones recenseat, simulque & podagram, & ischiadicum affectum, & arthritidem enumeret, liquet Hippocratem per has ad articulos fluidas affectiones aliud à podagra, & ischiade, & arthritide intellexisse. Quæ igitur erunt hæ fluidæ affectiones? Erunt illæ, quæ articulos male afficiunt, quas Hippocrates libro sexto Epid. sectione quinta, textu vigesimosecundo, oedmata, sicuti & hoc in loco appellabat, nec tamen sint aut podagra, aut arthritis, aut arthritidis aliqua species. Hæ autem triplici ratione fieri possunt: etenim sciendum est primo, quod cum articuli nutriantur naturaliter humiditate quadam glutinosa, si hæc humiditas demandata ad articulorum nutritionem fuerit aut nimis copiosa, aut etiam aquosa, hinc laxantur articuli, & inepti ad motum redduntur, & non tantum ad motum inualidi euadunt, sed etiam ex proprio loco excidunt, & luxantur, vt narratur ab Hippocrate præcipue de osse coxendicis, & humeri. Talis est igitur prima species harum fluidarum affectionum. Altera hæc erit: Cruditatibus abundantibus quandoque transmittitur materia ad articulos, qui ea hoc intumescentes, & dolentes speciem præbent arthritidis, cum tamen nequaquam vera arthritis sit. Et hoc est illud, quod li. 6. Aph. com. 30. dicebat Ga. de pueris, monens in his quandoque genuum, & manuum articulus intumescere in morbi articularis modum, ob plenitudinem ex multis cruditatibus coaceruatam. Quod idem docuerat Hippocrates in libro Prædictionum, vbi docens, quo pacto in articulis quandoque fiant dolores & tumores non podagrico modo, dicebat, in his viscera magna esse, & in eorundem vrina albam subsidentiam apparere, eosdemque in nocte plurimum sudare, & quandoque praui coloris esse. Quæ omnia denotant cruditatem magnam & ingentem eius copiam: viscerum enim magnitudo indicat tumorem, obstructionem, tensionem, & debilitatem eorundem, quorum merito coctio impeditur: subsidentia autem illa alba nil aliud denotat, quam copiam crudi humoris: sudor vero nocturnus arguit, corpus bisce cruditatibus abundare, & inde purgatione egere: prauitas autem coloris pendet ea abundantia illorum crudorum succorum, qui colorem viuidum tollunt. Ex hac igitur cruditatum abundantia fiunt quandoque tumores, & dolores in articulis, non podagrico modo, id est, non existentes secundum formam arthritidis facti. Sicuti autem fiunt quandoque hæ fluidæ affectiones prædicto modo ex cruditatum abundantia, ita pariter tertio pacto ex destillationibus crudioribus, & tenuioribus ad articulos decumbentibus causari possunt. Qui casus est satis frequens, sicuti superiores sunt rariores, quorum nullus cum arthritide coincidit: sed per quæ ab inuicem distinguuntur? In vera arthritide recipitur materia tantummodo in cauitatibus partium earum, quæ articulos constituunt, & inde motus impeditur: quod si patientes moueantur, dolore notabili affliguntur, & cruciantur. In non vera autem arthritide, quam Hippocrates fluidam affectionem circa articulos nuncupat; materia recipitur in porositatibus membrorum, vel in cauitatibus exterioribus, non interioribus, cuius merito vel non impeditur motus, vel cum magno tumore paruum est impedimentum. Per atram bilem intelligit melancholicum affectum, per quem homines mœrent, & sine ratione timent, quæ licet ex se non sit lethalis, tamen ex ea nouimus aliquos periisse, qui existimantes se animam egisse, & mortuos esse, indeque praue imaginantes nec cibo, nec potu, vt necegent mortui, se indigere, nullo alimento assumpto tandem petiere. Quartana item inter morbos non lethales nunc enumeratur, quam alias diaerat esse securissimam, ex qua nihilominus vidi decrepitos interiisse, cum tamen simplici quartana laborarent: quare à morbis non lethalibus excipiatur quartana in valde senibus facta. Quo ad tertianam animaduertito, hoc de simplici tertiana, & quæ nullam prauam qualitatem adiunctam habeat, intelligendum esse: nam cum tertiana simplex possit etiam esse pestilens, vt alias docui, hæc non veniat numeranda inter morbos non lethales. Et hæc de fluidis illis affectionibus, de atra bile, de quartana, & tertiana. De cæteris autem morbis ab Hippocrate enumeratis, nil dicam, cum liqueat eos esse non lethales, nisi quid eis extra proptiam naturam acciderit. Hoc vnum tamen moneo, videlicet Hippocratem per podagram, per ischiadem, & per morbum articularem omnes affectus artuum extremorum, qui potissimum fiant à crudis succis, intellexisse. Per tenesmum omnem alui fluxionem non ratione vlceris, aut ratione colliquationis, sed ratione fluxionis stimulantis, quæ nec praua peccet qualitate, nec copia superfluat, audire. Per stranguriam vero omnem vrinæ, præter ischutiam, & omnimodam eius impressionem, cum ab hac mors sæpius succedat, accipere. Per lippitudinem autem capitis exteriorum partium morbos, ex quibus tamen aurium inflammationes excipio, cum ab his vel ex mala curatione, vt alias scripsi, vel ex morbo ipso plurimi interimantur: pueri quidem, vt habetur libro tertio Prognost. textu decimosexto, vel in septima, vel citius: nati vero maiores multo tardius. Fallax enim hic locus est, vt ibidem textu decimoquinto narratur: etenim videretur ex tali parte affecta, cum extra cranium locata sit, non posse mortem succedere, quæ tamen nonnunquam succedit morbo fæuiente, eoque ob viciniam cerebrum in consensum ducente, imo eius aliquando tanta est sæuities, vt intra primum quaternarium interimat,

mat, quod non tantum experientia vidi factum, verum etiam id animaduerti obseruatum fuisse ab Hippocrate, qui libro sexto Epid. sectione sexta, textu decimoquinto dicebat: Propter aures, & ex auribus sæpe moriuntur tertia die. Hic autem euentus non intra tertiam contingit, quoniam vt inferius ex Hippocrate notabitur, primus dies ex imparibus, qui sit iudicatorius, est tertius, ex paribus autem quartus, vnde cum ante tertiam non sit dies indicatoria, iure tertia dies tanquam breuissimum tempus assignatum est ab Hippocrate. Per lepram autem, & per impetiginem intelligit omnes affectus cutaneos, sicuti pruritum, vitiliginem, scabiem, pustulas, aliosque similes morbos, qui cutim vel in colore, vel in substantia immuteot, aut lædant. Sed sunt mealij morbi præter narratos ab Hippocrate non lethales? plurimi, & plurimi supersunt, quos omnes sub hac norma recenseas. Quicunque morbi, qui nec in sua essentia sint magni, nec sint cacoæthes, nec membra principalia occupauerint, vel eis propinqua, aut communicantia, non sunt ex se lethales

13 *Multi autem frequenter ab his mutili fiunt, syderanturque manibus, ac pedibus, & linguæ impotentes redduntur, & ab atra bile quidam leuiter syderantur. Claudi vero à coxendicum morbo fiunt. Oculi autem, & auditus mutilantur à pituita obfirmata.*

Quoniam ex morbis, ab Hippocrate inter non lethales enumeratis, nonnulli sunt, qui inualescentes adeo graues euadunt, vt si non vitam, saltem sanitatem perdant, membra mutilantes, & ea à proprio opere impedientes: ideo notat Hippocrates (quod spectat ad quartum quæsitum vniuersale) frequenter hoc ex nonnullis prædictis morbis contingere, dicens, quod ab his multis syderantur manibus, & pedibus, & linguæ impotentes redduntur. Quis autem sit ille morbus ex enumeratis, à quo manuum & pedum syderatio, ac linguæ impotentia causetur, declarat per infrascripta verba, dicens: Et ab atra bile quidam leuiter syderantur, quasi dicat, hæc linguæ impotentia, & ista syderatio, licet sit leuis, causatur à morbo, qui dictus est atra bilis. Linguæ impotentia dicitur, vel cum ita infirma redditur, vt non possit integre dearticulate vocem, vel cum in totum resoluitur, & inde vel extra dentes prominens, vel immobilis facta, inepta est ad loquelam. Syderatio autem proprie ea dicitur affectio, in qua membra motu, & sensu destituuntur, cuius ratione apoplexia dicta est à nonnullis syderatio. Hoc autem in loco, cum inquit Hippocrates ab atra bile talem syderationem leuem esse, per syderationem leuem non omnimoda sensus, & motus priuatio, sed stupor intelligendus est, ex quo pars elanguens non omnino, sed pro parte resoluta sit. Iam autem linguæ impotentia, quam syderatio ista leuis ab humore melancholico causatur, cum hic descendens ad neruos, eos aliqualiter obstruit, quod fit, cum descendit ad neruos septimi paris, eorundem partem linguæ inseruientem obstruens, vel cum eandem obstructionem causat in aliis neruis, aliis membris inseruientibus: sicuti enim pituita hasce obstructiones causare apta est, pariter & succus melancholicus ob sui crassitiem idoneus est. Et ideo iure dictum est, ab atra bile & linguæ impotentiam, & membrorum syderationem, licet leuem, causari, quam sententiam recipiens, & comprobans Hippocrates, eam ex hoc loco in Aphorismos, licet per alia verba, transcripsit, dicens: Si lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis strepote langueat, tale est melancholicum, id est, ab atra bile, (per quam nunc intelligimus succum melancholicum adustionem non perpessum) causatur. Quam sententiam licet suspectam habeat Galenus, cum non solum à melancholico, verum etiam à pituitoso succo hæc causari apta pariter sint: tamen vbi affectus melancholia dictus præcedat, clarum est has affectiones à succo melancholico, nō à pituitoso ortum habere. In quo sensu hæc intelliguntur ab Hippocrate, cum iam loquutus sit de atra bile nunc vulgariter melancholia nuncupata, secundum quam intentionem etiam traducta sunt hæc verba inter Aphorismos, & ex eis vniuersalis sententia formata est, quę licet de incontinentia linguæ, & de aliquarum corporis partium stupore tantummodo sermonem habeat, non est tamen, quod non etiam verificetur de integra aut linguæ, aut aliarum partium paralysi. Quoniam sicuti succus melancholicus aliqualiter obstruens, potest illa producere, poterit pariter ob propriam crassitiem, vbi integram, & totalem pariat obstructionem, hanc integre causare. Verum quoniam linguæ incontinentia, & stupor partium sæpius, quam perfecta paralysis à succo melancholico producitur, ideo potius loquutus est de imperfecta, quam de totali aut paralysi, aut syderatione, ad quem sensum & ista hoc in loco, & illa in Aphorismis enunciata sunt. Cum autem in hoc eodem textu subiungit Hippocrates: Claudi vero à coxendicum morbo fiunt, explicat mutilationem, quæ solet ex graui arthritide subsequi. Exemplificauit autem tantum in Ischiade, quoniam in hac aliquando manifeste excidit coxa, qua excidente, sequitur claudicatio impedito motu, & læsa articulatione. Sed & superintelligatur idem de podagra tophacea, ac nodosa, & pariter de chytagra, ac de omni arthritidis, quæ huiusmodi existat, specie, facta enim hinc ancylosi, & læsa articulatione, motus naturalis deperditur, ex quo ea membra mutilata, quia opus proprium exercere nequeunt, dicuntur. Ea autem verba: Oculi autem, & auditus mutilantur à pituita obfirmata: dicta sunt, vt indicaret quo ad oculos, (lippitudinis enim meminerat

rat in recensendis morbis non lethalibus) aliquando succedere cæcitates, per quas oculi mutilati dicuntur. Hoc autem fieri monet pituita obfirmata, id est, vbi lippitudo causata à sanguine pituitoso pupillam occæcauerit, quod fit firmata ipsa pituita, & obdurescente ante pupillam. Vel per pituitam obfirmatam alludit ad suffusiones, per quas humor pituitosus concrescens in humore aqueo pupillam obcæcat. Vel per hanc pituitam obfirmatam audiamus obstructiones neruorum opticorum, cum in his obstructiones fiant, cum materia pituitosa ibi firmatur. Quoniam autem ad horum similitudinem à pituita pariter potest occæcari vel meatus auditorius, vel neruus sensum auditus deferens, ex quo sensus auditus dependatur, ideo quod dixit de oculis, idem affirmauit de auditu, dicens ambas has partes pituita obfirmata mutilari. Sed vti dictum est linguæ incontinentiam, & sydcrationem membrorum non tantum à succo melancholico, sed etiam à pituitoso causari posse, eodem pariter modo asserendum est, non tantum à pituita, sed etiam à succo melancholico oculorum, & auditus mutilationes induci posse, cum pariter vtrique succi ad obstruendum idonei existant. Quod pro confesso assumens Hippocrates in aphorismis libro sexto, aphorismo. 57. habebat. In morbis melancholicis, vbi periculosi decubitus fiant, significari vltra conuulsionem, & furorem, vel corporis stuporem, vel cæcitatem: si autem cæcitas in his, etiam surditas eadem ratione superuenire poterit, de qua eo loci non meminerat Hippocrates, quia non de omni læsione, quæ à succo melancholico causari queat, sed de iis tantum, quæ ex malo patientis decubitu præsagiri possint, loquebatur. Nam eius aphorismi hic est sensus: si quis melancholicus decubitum periculosum habeat, id est, decumbat adeo male, vt ex eo decubitu casus, aut illisionis, aut præcipitij periculum immineat, significat vel corporis stuporem, cum ex stupore corpus langueat, nec inde locum inconuenientem mutare possit, vel conuulsionem, cum conuulsio sit motus inuoluntarius, & violentus, ex quo partes inuito patiente male situantur, & locantur, vel furorem, cum furor (per furorem intelligas omne delirij genus) non solum faciat hominem male decumbere, sed etiam, cum hinc patientes mente capti sint, nec pericula cognoscant, se ipsos aliquando præcipitare, ac sæpe sibi ipsis mortem consciscere, vel cæcitatem. quoniam vbi nullus prædictorum affectuum adsit, aut immineat, signum est, quod cum hi periculose decumbunt, non cognoscant, quia non videant præsens, ac imminens periculum, cuius merito de cæcitate suspicandum erit. Talis autem cæcitas superueniet facta permutatione melancholici humoris, seu transmissione eiusdem à cerebro ad oculos, quod sicuti oculis, ita pariter auribus superuenire poterit, huius non meminit Hippocrates quia ex malo decubitu super auditus, sicuti super visus læsionem arguere non possumus, non autem, quod ab eadem causa impediri nequeant.

14 *Longos autem necesse est esse tabem, dysenteriam, podagram affectiones fluidas circa articulos, pituitam albam, coxendicum morbum, vrinæ strangulatum: in senioribus vero nephritim, mulieribus vero fluxum sanguinolentum, hæmorrhoidas ani, fistulas.*

SECVNDVM ex quæsitis vniuersalibus erat, qui morbi sint longi, & qui sint breues, ad quod declarandum nunc se accingit, explicans in hoc textu, qui ex morbis sint longi. Horum autem morborum longitudinis cognitio Medico valde proficua est, cum ad duo, & plurimum conferant. Nam facit & ad prognosticum, ne dicat eum ægrotantem cito conualiturum, qui longo tempore à morbo detineri debet, & ad victus rationem recte instituendam, cum in breuibus, & acutis tennis victus, aut tenuissimus conueniat, qui in longis haud quaquã præscribendus est, quoniam ex hoc vires vsque ad morbi solutionem non manutenerentur. Longi autem morbi ab acutis in hoc distinguuntur, quod acuti cum periculo breuis terminationis sunt: longi autem sine periculo vsque ad progressum morbi, licet in fine quandoque sint lethales, & tarde iudicantur, & tarde etiam mouentur. Tarde autem moueri morbos longos dupliciter contingit, scilicet, vel quia habeant continue motum tardum, sicuti habet tabes, & hydrops: vel quod tardum habeant motum quo ad vniuersum morbum, cum diutius pertrahatur, licet quandoque acutissimas habeat accessiones, vt contingit in asthmate, epilepsia, & cephalæa: hi enim morbi sunt longi, si respicias vniuersum morbi tempus, habent tamen per interualla quædam acutissimas accessiones quarum merito videntur esse morbi acuti, cum tamen tales non existant. Longorum igitur morborum explicationem aggrediens Hippocrates, descendit pro exemplo ad quorundam specialem enarrationem, inter quos primam recenset tabem, de qua hoc sciendum est, quod omnis quidem tabes est longa, sed non eodem pariter modo, quæ enim tabes succedit morbis acutis, licet in se longa, est cæteris longe breuior: hæc enim ad tres, aut quatuor, aut ad summum ad sex potest perdurare menses: at quæ vel ex distillatione, vel ex vena aperta, vel ex propria ad tabem vergentem natura, ortum habent, solent longe diutius perseuerare, aliquæ enim non dixerim ad annum, sed ad annos pertrahuntur. Vidi ego nonnullos tabidos pus, & saniem expuentes, & emaciatos perdurasse ad tres, & quatuor, & quinque annos. Hippocratis libr. secundo de morbis, numer. 47. monet quosdam etiam vsque ad septimum, & quosdam ad nonum annum perduci. Sub hac autem tabidorum sententia intelligas etiam suppuratos, cum suppurationi, si non purgetur, aut debito tempore non sanetur, tabes succedat: qui suppurati eodem ratione, & termino perire solent, nam suppuratio-

rationes ex morbis acutis perimuot ægrotantes superinducta tabe, aut tertio, aot quarto, aut sexto ad summum mense. Quæ autem alia ratione succedũt ad annos pertrahuntur, nisi æger aote soppuratio-nem debilis fuerit, ac imbecillus, etenim si suppuratio subiecto imbecillo superueniat, noo continetur pertransire terminum earum, qoæ fiunt ex acutis morbis, vt clarissimo exemplo habemus libr. 5. epid. historia. 24. in virgine Larissæa, qro loci narratur, eam ex sanguinis vomitu suppuratam tertio mense periisse. Ne videretur autem hoc præter rationem actum esse, cum tales suppurationes multo tardius patientes interimere consueuerint, ae decbeant, addit in fioe. Verum ante sanguinis vomitũ debilis erat. Quoad dysenteriam autem sciendum est, dysenteriam propie dictam, quę ex acrimm humorum influxu intestioa vlcerante causatur, sæpius esse morbum acutum, vel saltem potius breuem, quam lõgum. Quare per dysenteriam intelligamus impropie, & communi nomine dysenteriam dictã, eam sc. in qua sanguis vel aquosus, vel niger effluit, quæ noo aliud est, quam fluxus hepaticus, qui non tantum ad menses, verum etiam ad annos perdurans longissimus esse consocuit. Podagra à principio non est continuus morbus, sed habet per interpolata quædam spatia proprias accessiones, in progresso autem, & hoc præsertim in bis, qui indiscriminatim viuunt, solet fere continue affligere ægrotantes, & tamdiu, vt commoriantur cũ ea. Talis autem solet ea, quę ab humoribus erudio, ribos peodet: qoæ autem à calidioribus generatur, ex Hipp. lib. 6. aph. 49. qoadraginta diebus soluta inflammatione terminari consueuit, qui terminus ei, qui à sanguinea fluxione pendet, præscriptus est: nam si à tenuissimo vel sangoine, vel humore, qualis est bilis fiat, acutissimas accessiones habet, quarum solutio breui, non se ad septimanas extendens fioitur. Affectinnes fluidæ eirca articulos nollas habent accessiones, sed vbi causantur, d.utius pertrahuntur, & hoc cum ratione materiæ, tum ratione habitus frigidioris, quorum merito breui tempore materia peccans discuti nequaqoam potest, & hoc præsertim, cum sit in artubus longe à fonte caloris innati distantibus. Pituita alba intelligitur pro nõ leucophlegmaria, seu an.sarea dicta (nam alias quid proprie sit pituita alba, declarabo) & sub hoc nomine audiamus etiam omnia hydropum genera: hæc enim omnia pari ratione & modo morbi longi existunt. Coxendicũ morbus, vt plurimum est longus, non tamen semper: nonnulli enim in principio recte curati facile, potissimum si ex sanguinea fluxione causetur, sanationem recipiunt: quoniam tamen hoc rarum est, ideo potios dicitur longus, qoam breois morbus, in multis enim antiquatur, & diutissime affligit. Stranguria n si sit ex causa manifesta, solet esse admodum longa, & molesta. Nephritis in senioribus recensetur inter morbos longos, & inte, cum alias dictũ sit ab Hipp. Renum & vesicæ vitia in seniorib. d ffic olter sanari. Fluxus sanguinnlentus in mulieribus inter longos etiam enumeratur. Sed quid per fluxum sanguinnlẽtum intelligimus? num muliebrem superpurgationem? at hæc necessario non solet esse ex morbis loogis, cum oisi sistatur vel naturę, vel artis ope, cito vires tollat, maiorumque malorum origo in posterum fiat. Quare ego per fluxum sanguioolentum intelligo eum, qui fit per vteri venas ad eius ceruicem sitas, & in figuram hæmorrhoidum formatas: ex his enim talis fluxus, qui diuturnos, & mulieribus valde infeosus esse consueuit, pendere solet. Dictus est autem fluxus sangoinolẽtus, & nõ sanguiois fluxus, quia fluxus sanguinis io muliere proprie est superpurgatio, fluxus autem sanguinolentus dicitur vere de illo saoguinis floore, qui ex vteri hæmorrhoidibus fluit. Sed vltra sangoinolẽtum bunc fluxum adsunt & alij muliebres fluxus, qoi admodum longi esse solent, qualis est vteri profluuium vel album, vel rubrum, alteriusve coloris, quorum omniom forsan meminisse voluit Hippocrates sub exemplo sanguinoienti fluxus: Hæmorrhoides Ani inter morbos loogos recensentur, non quandocunque, aut quomodolibet affectæ, sed cum dcoeniunt ad proprium dictum hæmorrhoidum affectum, per quem ob cõtinuatom sanguiois fluxom quasi callum in modum ferc fistularum contrahcotes furmaotur, tales enim proprie dicuntur hæmorrhoides, & per bas facile sanguis erumpit, & difficulter sistitur; oisi io totum, vel pro maiori parte tollantur medicamentis, aut ferro abscindantur, aut igne exurantur, & ideo bæ recensentur inter eos morbos, qui ex necessitate sont lungi. De fistulis autem qnid dicam? cum non solum ex se sint longi morbi, sed etiam vel difficulter, vel nullo modo, præcipue si ad articulos desinant, vel sint peoetrantes, aut in thorace, aut io sede, tollantur à medicis. Hi igitur sunt Morbi illi, quos recenset Hipp. inter eos, qui necessario sunt longi. Sed & vltra bos sunt nonnulli alij, vt Elephantiasis, lepra, omne genus cancri, scyrri, & præcipue partium internarum, mula in molieribus, vteri vlcera, lapis in vesiea, vesicæ scabies, & vlcera, asthma, epilepsia, cephalea, scotomia, paralysis, melancholia, quartana febris, aliique similes plurimi Morbi.

15 *At vero febris ardens, phrenitis, peripneumonia, angina, vua, pleuritis, cito decernunt.*

SECVNDVM ex quæsitis vniuersalibus erat, qui morbi sint longi, & qui breues? ad quod respondens in superiori textu exemplificauit de longis, in hoc autem de breuibus. Breues autem morbi cum sint duplices, alij enim simpliciter breues existunt, sicuti sunt diariæ febres, aliique similes omni periculo careotes, alij autem breoes, sed periculum adiunctum habentes, quales fuot morbi acuti, non de illis primis, sed de secundis boc in loco agit, & ideo iure merito dixit, hos cito decernere, quoniam crisis, & iudiciom proprie & primo dicitor de motatione facta in morbis acutis, secundario autem de cæteris, vt puta de lungis. Morbos igitur cito decernentes, id est, qui sunt cum periculo, & celeritate breues, recensens, primo inter eos ennmerat febrem ardentem. Cum autem febris ardens non solum fiat à bile io magnis vasibus vna

cum

cum sanguine putrescente, sed etiam vbi in pulmonis, aut ventris, aut iecoris, aut alterius ex visceribus venis efferuescat, ideo non modo per febrem ardentem intelligamus eam, quæ à sparsa sit materia, verum etiam eam, quæ à biliosa materia in visceribus conculcata causatur. Vnde sub febre ardenti com prehendemus etiam viscerum inflammationes, & erysipelata: sicuti etiam intelligere debemus alterum ardentis febris genus, à pituita salsa causatum, quod licet nothum dicatur, tamen etiam acutum est. A bile autem cerebrum, & eius menynges occupante causatur phrenitis, morbus admodum acutus, & qui raro à principio inuadat, sæpius enim tertia, aut quarta morbi, quam prima inuadit die, & aliquando etiam in septima succedit, sicuti experientia testatur, & Hipp. lib. p. Epid. sect. 2. tex. 77. factum fuisse narrat. Ab hac non ratione loci, sed ratione materiæ distinguitur lethargus, qui pariter recensendus venit inter morbos acutos ratione partis læsæ, licet coniunctam non habeat febrem acutam: à materia enim quæ lethargum facit, frigida existente (nam est pituita) non potest fieri acuta febris, licet fiat morbus, qui ratione partis affectæ est acutus. Peripneumonia raro transcendit septimam, & hoc præcipue, vbi sit à feruidiori sanguine. Anginæ ab humore bilioso crescunt species, quarum prima, vel primo, vel secundo, vel tertio, vel ad summum quarto interimit die, valde dolorosa, & spirandi eam, quæ non fit nisi recta ceruice, difficultatem habens. Secunda species paulo est longior. Tertia autem adhuc magis longę, sed non tantum, vt diem septimam transcendat. Vbi autem fiat ab humore pituitoso, longior prædictis esse potest, aliquando autem facile discutitur & cito soluitur, quæ tamen non est morbus acutus. Vua an possit esse acuta, & breuis temporis fine mala administrata curatione, ignoro, præterquam in pueris, in quibus solet aliquando esse adeo lethalis, vt inde suffocentur, vel vbi simul cum columella pendente, & tumida partes etiam circumstantes sint inflammatæ; tunc enim est affectus anginæ proximus, ac ei valde similis. De pleuritide autem non est dubitandum, cum reuera acuta sit, & pro exemplo morbi acuti ab Hipp. lib. regiminis acutorum, dum eorum rectam victus rationem præscribere intendit, proponatur: si autem aliquando longius, quam sit terminus morbi acuti, vt in anaxione contingit, pertrahatur, hoc fit ex decidentia, non ex propria natura, quod idem in aliis speciebus morborum acutorum sæpius euenire liquet, qui casus nō tollunt, quin acuti fuerint, & ex propria natura tales sint. His autem breuibus & acutis morbis adnumeretur apoplexia, cholera, ileos, tetanos, opisthotonos, emprosthotomos, cæterique similes, qui omnes acuti morbi, siue sint ij, qui cum febre, siue illi, qui sine febre eueniunt, hoc vnum commune habent, vt sint breues, & cito decernant, id est, vt intra terminum, vel in termino acutorum morborum iudicentur. Hic terminus constituitur ab Hipp. lib. 2. aph. 23. dies decima quarta, vltra quam non iudicantur, nisi vel acutiem non à principio, sed in progressu morbi, vt supra monui de phrenitide, receperint, vel ex ea acutie deciderint, vnde non simpliciter, sed ex decidentia acuti in posterum appellantur. Dum autem in termino, vel intra terminum acutorum hi iudicantur, si crisis simpliciter ad salutem futura est, semper iudicium in die aliquo legitimo, id est, qui sit vel indicatorius, vel indicatorius, contingit. Quod si accidat in die non legitimo, erit iudicium vel difficile, vel imperfectum, ad quod recidiua succedet, vel malum ad pernitiem terminans, difficile existet, cum fiat cum prauis symptomatibus merito reluctantis, & forsan crudioris materiæ, imperfectum cum materia non erit in totum decocta, nec ornatum, aut coctionem perfectam receperit, natura que impotens, ac languidior, euacuationem integram moliri nequeat, malum vero erit, si non tantum cum cruditate, sed etiam cum prauitatis signis natura succumbente fiat. Hoc autem malum iudicium, quod in ægrotantis pernitiem futurum dixi, non tantum fieri potest die non legitimo, verum etiā legitimo, siue indicatorio, siue indicatorio, quoniam vt habet Hip. li. 3. prog. tex. 2. ex iisdem numero dictus, ex quibus superfunt, & saluantur patientes, intereunt etiam. Interius tamen, & salus ægrotantium non ita sibi inuicem in numero dierum conformantur, vt semper per eosdem salus, & interitus sequatur: nam crisis bona, & in salutem ægrotantium futura non potest intra tertiam diem regulariter fieri, cum ex Hipp. lib. prim. Epid. sect. 3. tex. 14. inter dies decretorios quartus sit primus ex paribus, tertius autem primus ex imparibus existat. Ratio hæc est, quoniam cum ad crisim perfectā requiratur alteratio, coctio, & separatio humoris peccantis, nec, ista intra tertiū diem regulariter fieri possint, nec etiam perfecta crisis ante tertiam, & nec salus ex morbo acuto ante hūc terminum contingit: interitus autem, quoniam nihil tale requirit, cum ad eum causandum sufficiat violentia morbi vel ex copia, vel ex prauitate materiæ, vel ex ingenti fluxione, vel ex magnitudine affectus, vel ex præstantia loci insigniter affecti causata, quacunque die cōtingere potest, ideo ex angina grauissima ante tertiam, & quartam diem, vt habet Hipp. lib. 3. Prognost. 18. non tantum in secunda, verum etiam in prima potest æger succumbere. Eiusdem rei habemus exemplum in Critone libro primo, Epid. sect. 3. tex. 20. qui ex morbo acutissimo in secunda die periit. Hoc idem habemus lib. 3. epid. sect. 2. tex. 27. in sorore Coi, quæ secunda die ex hepatis ingentissima inflammatione, quam splenico modo, id est, cum ingenti magnitudine, & cum ingenti duritie factam dicebat, mortua est, aliaque plura similia leguntur, & videntur, quæ manifeste indicant in morbis acutis salutem, & crisim non ante tertiam fieri, certamque diem legitimam desiderare, interitum autem quacunque die, id est, & intra tertiam diem & in omni legitimo, aut illegitimo die contingere posse. Qui omnes dies per decimam quartam diem in acutis terminantur, vtpote quæ statum, & formam omnium morborum acutorum contineat, vti docuit Hippocr. loco citato, nisi acutiem

post principium assumpserint, aut acutiem in progressu morbi amiserint. Talia autem terminus est ille, intra quem hoc in loco intelligit Hipp. morbos acutos cito decernere, tanquam omnis crisis hoc tẽpore facta, cito facta dicatur; quæ autẽ vltra hunc terminum, nõ amplius cito facta dicenda sit.

16 *Transitus autem fit in his, ex pleuritide in febrem ardentem, ex phrenitide in peripneumoniam.*

HÆc sententia correspondet sexto quæsito vniuersali, per quod animaduertendum erat, à quib. morbis ad quales morbos transitus fiant. Huius autem rei cognitio ad id spectat, q dum medicus in curatione morbi acuti (tales enim præsertim sunt, qui ad inuicem facile permutari cõsueuerũt) laborat, si videat indicia, & præludia alterius futuri morbi acuti, ad quem præcedens permutari solitus sit, hunc prædicere, & præcauere debet. Nam quæcunq; morborum acutorum permutationes in alios acutos solẽt esse lethales. Si autẽ permutatio nõ fit ad morbũ acutum, sed ad alterum minus momẽtaneum, tunc illum motum nõ impedire, sed adiuuare debet, quoniã materia traducitur à partibus momentaneis ad non momentaneas, & inde introducitur morbus leuior, & minus periculosus, per quẽ & à priori morbo, & ab interitu liberari patiens poterit. Morbi autẽ illi ad inuicem facile permutantur, qui communicãt in aliquib. videl. vt vel ob familiaritatem materiæ, vel ob familiaritatem consensus partiũ, vel ob familiaritatẽ viarum, per quas ab vna parte ad aliã materia traduci potest: & morbi hi quãdoq; male, & lethaliter terminantur, vt quando ex acuto in acutũ fit pmutatio, aut bene aut salubriter, vt quãdo ex acuto ad longũ, & minus momẽtaneũ pmutatur, quæ permutationes fiunt quãdoq; sola naturæ opera, vt fit sæpe ab angina ad peripneumoniã, quãdoq; autẽ fit casu, & ex errore, vt quando fit permutatio pleuritidis ad phrenitidẽ ex vini potu, vel ratione alterius errati, quandoq; vero fit ope medica, vt cum in patiẽte morbũ acutum medicamentis, frictionib. ligaturis, inunctionib. balneis, aliisq; consimilib. actionib. prouocamus arthritidẽ, vel podagram consuetam, sed intermittentem. De his omnib. permutationib. non agit Hipp. sed de his tantum, quæ fiunt ope naturę, vel ob familiaritatem materiæ, vel ob familiaritatẽ consensus, vel ob familiaritatem viarum, & primã ex his recenset eam, quæ fit ex pleuritide in febrem ardentem, secundam eam, quæ fit ex phrenitide in peripneumoniam. Vtraq; autem permutatio est ex illis, quæ fiunt ob familiaritatem materiæ: nam ea pleuritis, quæ permutatur ad febrem ardẽtem, cõsueuit fieri à sanguine bilioso, qui retrocedens ad venas magnas, intra easq; putrescens, febrem ardentem causat. Pariter phrenitis fit à sanguine bilioso irruente in cerebrum, potissimum autem in eius membranas, qui si descenderet ad thoracis partes, pituitæque portionis admistionem reciperet (talis enim facile adhærescit visceri, biliosior vero, quia tenuior, facile dilabitur) pulmonem ingrediatur, peripneumoniam causat, quæ vtraque permutatio mala est & lethalis, quia natura fatigata ex primo morbo succumbet ex secundo. qui ad pristinam sanitatem recuperandam viribus fortioribus pro discussione egeret. Sed vltra has pleuritidis in febrem ardentem, & phrenitidis in peripneumoniam, sunt nonnullæ aliæ satis familiares, & consuetæ, quarum primam dicam eam, quæ fit ex angina in peripneumoniam, quæ facile tum ob familiaritatem consensus partium, quia ad idem opus, sc. ad respirãdum, constructa instrumenta ambæ affligunt; tum ob familiaritatem viarum, quia patent meatus à trachæa arteria ad pulmones, causatur. Et hæc (quæ sæpe solet deludere patientes, & medicos, qui soluta difficultate circa fauces, credunt morbum integre solutum esse) consueuit intra septimam occidere. Si autem hi præterierant dies, in suppurationem vertitur, ex qua æger, si omnia ad bonum inclinent, superesse potest. Permutatur insuper pleuritis in peripneumoniam, & ob familiaritatem consensus partium, cũ sint admodum vicinæ inter se, & ob familiaritatem materiæ, vbi fiat ab humore bilioso. Permutatur etiam peripneumonia ad phrenitim propter eam rationem, quæ dicta est de permutatione phrenitidis ad peripneumoniam. Permutatur etiam febris ardens in aliquam partium principalium, vt puta cerebri, iecoris, ventris, & similium, vel inflammationem erysipelatodem, vel in erysipelas ipsum ob familiaritatem materiæ & viarum, transmissa enim ardentem febrem causans ad cerebrum, & eius membranas inducit phrenitim, cui licet connectatur febris, quæ potius phrenitidis est accidens necessario consequens, non tamen in ea permutatione perseuerat, quæ præcedebat, febris ardens, quoniam materia non amplius sparsa in venis, sed in vno loco conculcata putrescit. Quod idem fieri censendum est in inflammato iecore, aut ventre, aut alio ex viscerib. Tales igitur sunt, & tali ratione fiunt permutationes morborum acutorum ad inuicem, quę sæpe sunt periculosæ, vt plurimum autem lethales existunt. Nam rarissimum est, quod ex permutatione morbi acuti in alium morbum acutum euadat.

17 *Verum ex peripneumonia febris ardens non.*

QVONIAM dixerat pleuritidis fieri transitum ad febrem ardentem, addideratq; phrenitim quandoq; permutari in peripneumoniã, ne quis censeat, quod quemadmodũ fit permutatio pleuritidis ad febrem ardentem, pariter etiam fiat peripneumoniæ ad eandem, clare hanc permutationem excludens, inquit: ex peripneumonia non fit transitus ad febrem ardentem. Sed quæ est ratio? Pulmo est viscus laxum, & molle, & vndequaque peruium, ac cauum, cuius ratione fit, vt à sanguine bilioso & tenuiori, cum hic facile fluat, nec cum viscere vlla ratione cohærescere queat, inflammari non possit. Vbi autem inflammetur, requiritur, vt sanguis, licet calidus, sit tamen crassior, & hoc ob aliquam pituitæ admixtionem: ita enim poterit poros pulmonis replendo ipsis cohærere, & inde phlegmonem causare. Facta autem hac in isto viscere inflammatione, si mixta ea sit, & pauca fuerit

in materia, omnis tenuius humor facile per sputũ expurgabitur. Si autẽ multa sit materia, & inflãmatio ingens, materia eam sit valde conculcata, tum quia copiosa, tum quia crassa, non est apta regredi ad venas, & vbi regrediatur, non est apta causare febrẽ ardentem. Hæc enim vbi sit exquisita, de qua intentio est Hipp. loqui, causatur à bile, non à sanguine pituitoso, & crassiori intra venas magnas putrescente. Relinquitur ergo, quod à peripneumonia ob rationes prædictas non fiat transitus ad febrem ardentem, sicuti fit à pleuritide, quoniam pleuritis potius fit à bile, & à sanguine tenuiore, cum hic facilius membranas, quæ sui natura densæ sunt, ingrediatur, quam crassior. Et ideo hic facilius potest recurrere ad venas ob sui tenuitatem, & ob sui qualitatẽ calidam aptus est causare febrem ardentẽ in eis putrescens. Quã permutationem maxime aduertant medici, quoniam facta tali permutatione, curatio etiã permutanda est, nec perseuerandũ est in medicamentis, quæ pro curãda pleuritide administrabantur. Talia enim febrem ardẽtem exasperant, & inde ægrotantes in præcipitẽ mortẽ deducunt, q cum viderim aliquando factũ, non potui tamen persuadere medicis pleuritidem, quæ à principio omnia signa pathognomonica, & sui demonstratiua habens, vere pleuritidem esse: in progressu autem iis euanescentibus non esse demonstrabat, solutã fuisse facta permutatione ad febrem ardentem, & inde non in iisdem insistendum esse remedijs, sed ad febris ardentis curationem, omnem dirigendam esse intentionem. Sed male audiunt, qui res, & rerum causas ignorant. Quod autem dixi de permutanda curatione in permutatione pleuritidis ad febrem ardentem, idem intelligatur in omni permutatione: nam soluto primo morbo ex facta ad alium morbum permutatione, nõ amplius ei debetur curatio, q̃ in pcedenti administrabatur.

18 *Ad dysenteriam tenesmus transit, & à dysenteria lienteria, siue leuitas intestinorũ sequitur. Ex lienteria in aquam inter cutem fit transitus. Ex pituita alba in aquã inter cutẽ, & ex pleuritide, ac peripneumonia in pectoris suppurationẽ.*

EXPLICATIS permutationibus hinc inde factis in morbis acutis, reliquum erat, vt ageret de his, q̃ fiunt inter morbos nõ acutos; talis est tenesmi ad dysenteriam permutatio, dysenteriæ in lienteriã, lienteriæ in aquã inter cutem, pituitæ albæ in eandem. Sed qua ratione fiunt tales permutationes & transitus? Tenesmus à multiplici pducitur causa: nam à flatu, à bile mordicãte, à pituita & potissimũ salsa, à fęcib. & ab vlcere causatur. Hæ autem causæ nõ omnes sunt aptæ ad dysenterã inducendã: nam flatus & fæces ad hoc ineptæ sunt, bilis autẽ, & pituita salsa, vbi earũ fluxus ad rectũ intestinum intercipiatur, idoneæ sunt ad exulceranda intestina, cuius ratione à tenesmo ad dysenteriã fieri potest transitus, cũ materia, q̃ prius affligebat intestinũ rectũ, nũc intestina supiora male afficiat. Hoc idẽ de vlcere asserendũ est: nam vbi tenesmus sit ex vlcere, ab hoc ad dysenteriã fieri potest trãsitus, vel quia vlcus sit serpens, & inde ab intestino recto ad supiora ascendat, vel quia vlceris intestini recti causa, i. materia ipsa acris fluẽs, anteq̃ ad intestinũ rectũ descendat, firmetur in superiorib. vel pterlabẽs ea exulceret, vnde à tenesmo ad dysenteriã fiat trãsitus. A dysenteria autẽ ad lientẽriam fit permutatio duplici ratione, sc. vel quia materia dysenteriã causans in ventriculo firmata, vel ad eum demandata, illum exulcerat, ex quo ab assumpto cibo molestata natura, & insurgẽte ad expulsionem, statim reijcitur cibus per inferiora, vel quia ex longa dysenteria, quæ plurima tormina, & plures euacuationes vel superfluas, vel violẽtas pduxerit, labefactatus, & languidior redditus vẽtriculus, onus assumptorum ciborũ non perferens, ad illos excernendos & deponendos statim insurgat: nihil n. magis robur ventriculi dissoluit, q̃ dolores vehementes, ac superfluæ euacuationes. A lienteria vero ad aquam inter cutem fit transitus, quoniã ex lienteria non sufficienter nutrito corpore, & inde languente calido innato, cõmunicataq; intẽperie frigida à ventriculo tandem ad hepar, sanguificationis munus intercidit, indeq; aqua inter cutẽ succedit. A pituita v. alba ad aquam inter cutem, id est, à leucophlegmatia, seu anasarca ad ascitẽ fit permutatio, cũ adeo labefactatur ex priori morbo iecur, vt nõ amplius pituitosum sanguinẽ, sed aquam tantum generet. Leuior enim est anasarca, q̃ ascitis, & in ascite intẽsior est iecoris intemperies, & imbecillitas, quã sit in anasarca. Cum autẽ subdit, quod ex pleuritide, & peripneumonia quandoq; fit transitus in pectoris suppurationem, declarat, quando ex morbis simpliciter acutis in alios vel acutos ex decidentia, vel nõ acutos, sed longos permutatio fiat. Talis autem euenit, cũ aut peripneumonia, aut pleuritis nõ soluuntur, vel p eductionẽ materiæ peccantis, vel per discussionẽ, sed per suppurationẽ, vt cũ fiat empyma ex pcedentib. Hæ sunt permutationes, quas exempli causa recẽset Hip. At plures aliæ possunt fieri, vt quæ fiunt per abscessus, siue per abscessus intelligas materiæ transpositionẽ ad membra ignobilia, vt fit in podagra, in arthritide, & in similib. affectib. siue p abscessus audias peccãtis materiæ effluxum, vt cum morbus per fluxum sanguinis è naribus, vel ex sede, vel per menses, vel per alui fluxionem, siue sit dysenteria, siue sit dyarrhæa, vel per vrinæ excretionem, genita inde nonnunq̃ stranguria, soluitur. Tales enim sæpe fieri consueuere morborum permutationes vel naturę solius opera, vel medico irritante, aut cooperante. At de talibus permutationibus hoc in loco agendum non erat ab Hipp. quoniam p hęc non determinati morbi, sed indistincte plures, & diuersi morbi solui possunt. Hipp. autem intentio erat agere de his, qui determinate ad determinatum morbum permutari consueuerunt.

19 *Mala vero super mala fieri necesse est, veluti si rigor corripuerit, ardor igneus superuenit, & si neruus dissectus fuerit, conuulsionẽ facit, & vt dissectus neq; coalescat, & fortiter inflãmetur.*

HÆc declaratio, & hæc exemplificatio pertinet ad vigesimũ quartũ quęsitum vniuersale, de quo egit in 26. tex. primæ sect. per q monebatur medi-

medicus animaduertere, quod malum supra malum fieri necesse est: quo in loco notaui, hæc intelligenda esse de his, quæ simpliciter superueniunt. Quo autem ad mala supra alia mala ex necessitate succedentia, primum exemplum est de rigore, quo posito, ex necessitate, inquit, ardor igneus, id est, calor febrilis superuenit. Huius autem necessitatis hæc est ratio: Rigores, qui non fiunt à causa externa, vel animi affectu, fiunt commota materia mordaci, aut acri per loca corporis sentientia. Hæc autem materia erit aut bilis, aut atra bilis, quib. putrescentib. ac à venis ad extra venas prodeuntib. & per loca sentientia permeantib. maxima fit corporis, & caloris innati agitatio, & cõcussio (horũ causæ inferius in sect. 3. patebunt) ex quo totũ corpus concutitur cũ sensu, à bile, ac si corpus ab acutissimis, tenuibusq; sagittis transfigeretur, ab atra autẽ bile, ac si corpus iter per loca admodũ frigida pergeret, frigusq; vsq; ad ossa penetraret. Huic motui qui non aliter fieri consueuit, q̄ occasione putredinis incipientis, & naturã imitantis, cuius merito à venis ad extra venas per loca sentientia materia acris, & mordax putrescens transfertur, necessario calor febrilis superuenit, quoniã accẽsa putredine, accenditur calor, accenso antẽ calore, quoniã hinc calor innatus igneã naturã cõsequitur, ardor igneus, q nil aliud est, q̄ febrilis calor, & febris ipsa succedit. Hoc Hippocratis & antiquorum temporib. erat adeo vulgare, ac tritum, vt non dubitauerint hanc vniuersalẽ de rigore proferre sententiam, sc. ꝙ rigori ex necessitate superueniat calor febrilis. At cum post illa secula homines veneri valde incumberent, gulæq; admodũ, vt nostris fit temporib. indulgerent, factum est, vt ex plurib. eruditatib. præcedentib. pituitæ acidæ copia, quæ ex vsu ciborum crudorum, & fructuum immaturorum, ac ex ociosa vita accumulatur, in multis abundaret, quæ p loca sentientia delata, non tamẽ putrescens, quoniã pituita acida mordacitatem habet, potuit rigorem nulla succedẽte febre causare. Qui rigor, sicuti Galeno innotuit, ita nostris temporib. frequens est, ꝙ non contigit Hipp. seculo, quoniã ætas illa nec ociose viuebat, nec praua victus ratione vtebatur. Et hæc de rigore pro primo exemplo sufficiant. Secũdum autẽ erat tale, sc. quod neruus si dissectus fuerit, conuulsionẽ parit, nec coalescit, sed vehementer inflammatur, id est, neruo dissecto cõuulsio superuenit, nec neruus ita dissectus amplius coalescit, sed vehementer inflammatur. Horũ ratio est, quoniã si quæ pars est sensitiua, & acutissimi sensus, & si quæ est quæ male affecta summos dolores inducat, hæc vna est neruus, & ideo his (nõ in totũ, sed pro parte, non per longũ, sed per transuersum) sectis, solẽt sæuissimi dolores superuenire: quorũ dolorũ ratione multa attrahitur materia ad locũ dolentem, qui inde inflammatur: inflammatus autem, ac dolens cõuulsionem causat repleto neruo ex ichorib. attractis, ac eo cõtracto ex violentia doloris, ac ex mordicatione materiæ. Nec hic neruus coalescit, id est, non sanatur per agglutinationẽ, quoniã fibræ sectę ad inuicem amplius vniri, & agglutinari nequeũt, sed curatur per sysarcosim, id est, per carnem adnascentem, quæ, quantũ fieri potest, neruo assimilatur. Dolor autẽ, inflãmatio, & cõuulsio, licet ratione partis affectæ, & ratione affectionis ex necessitate neruorũ sectioni supuenire debeant, nõ tamẽ necessario hęc semp succedũt, si enim medicus curans perit⁹ existat, medicamẽtaq; opportuna in tali casu debito tẽpore & modo administret, dolorẽ tollet, & simul inflãmationẽ, ac cõuulsionẽ pcauebit.

20 *Et si cerebrum concussum fuerit, ac doluerit, eum, qui percussus sit, necesse est è vestigio mutũ fieri, & neq; videre, neq; audire. Si vero sauciatum fuerit, febrẽ necesse est superuenire, & bilis vomitum, & aliquam corporis partem syderatam fieri, ac perire.*

ADhuc perseuerat Hip. in exemplificatione eorum malorũ, quæ supra alia mala fieri necesse est, & hoc de plagis cerebri. Cũ enim cerebrum ex plaga vel concutiatur, sicut euenit ex ingenti percussione, & ex casu ab alto, vel vulneretur, sicuti à gladio & ense, qd & ad concussionem, & ad vulnerationẽ eius necessario sequatur, exponit, dicens de concussione: Quod si concusũ fuerit cerebrum, & doluerit, eũ, qui percussus fuerit, necesse est subito mutũ fieri, nec audire, nec videre. De vulneratione autem inquit: quod si cerebrum fuerit vulneratũ, necesse est febrem superuenire, & bilis vomitum, & aliquã corporis partem syderatã fieri, ac perire. Horum ratio est, quoniã ex concussione cerebri, siue hoc contigerit ex ingenti percussione, siue ex casu ab alto, cerebrũ in propria cauitate caluariæ hincinde, & ad vtrãq; partem ad os collidit, in qua collisione euenit, vt vis animalis in sese in talib. dispositionib. à motu periculoso molestata, spiritibus omnib. ad inuicem confusis, & inde eius cunctis vel exinanitis, vel sublatis facultatib. quiescat. In tali autem virtutis animalis quiete omnia eius munia intercidunt: quare necessario sequitur, vt patiens nec videat, nec audiat, nec loquatur, omnibusq; aliis functionib. careat. Quoniã autem in tota cerebri concussione, dum ad vnum latus colliditur, ab altero latere cerebrum distrahitur, duorum alterum hinc sequi necesse est. Nam ex hac distractione vel quædã partes circa cerebrũ, & ab eo exortæ, aut circa membranas abrumpuntur, vel ipsũ cerebrum auelli, aut aliquando eius partẽ conuelli aut distrahi cõtingit. In primo casu restituuntur ægrotantes, quoniã non patiente cerebro ipso, spiritus & facultates omnes recuperantur: in secundo autem nequaquã, quoniam patitur cerebrum cõtinui solutionem in propria substantia, propria eiusdem substantia hinciude distracta, ex quo spiritus euanescunt, & estinguntur: quapropter necessario pereunt, licet hoc non statim, nec subito fiat. Nõnullos enim ego vidi perplures dies sine loquela, sine voce, & sine vlla functione animali, ac si apoplectici cecidissent, perdurasse. Vbi autem non cerebrũ, sed partes vel circa cerebrũ, vel circa mẽbranas ex cõcussione patiuntur, restituuntur ęgrotantes recuperatis facultatib. & regeneratis spiritib. restituti autem paulo post ob affectionẽ internam in dictis partib. causatam dolent, cui affectio-

ni, & dolori, nisi statim succurratur, subsequitur inflammatio, qua succedente lethalis fit casus, qui non esse lethalis potest, si medicus per conuenientia dolori & affectioni admota præsidia inflāmmationē præcauerit. Et ideo ad hunc sensum exponendus est Hipp. videl. quod si concussum cerebrū fuerit, ac doluerit, necesse est eū, qui percussus sit, mutū fieri, neq; audire neq; videre, id est, necesse est, mutū è vestigio fieri, neq; audire, neq; videre eum, qui concussionē cerebri passus fuerit, ac postea doluerit. Dolor enim à concussione statim nō præsentitur, quia tunc virib. & facultatib. cūctis destitutus est patiens, quib. recuperatis postea dolet. Quare sententia hæc tantummodo intelligenda est de distractione partiū circa cerebrū, vel circa membranas existentiū: non autem de distractione cerebri, quoniā hi, cum amissis cunctis animalibus facultatib. non amplius restituuntur, amplius dolere non possunt. Hæc autē vel cerebri auulsio, vel partium ab eo, aut a membranis exorientiū distractio, potissimū fit in his, in quib. plurimū vacui est intra caluam, eam cerebro in totū non implente. Talis autē status solet fere in omnib. hominib. esse tēpore coitus lunæ, cum cerebrū, sicuti conchilia, sequatur augmentū, & decrementū lunæ, specialiter autē omni tempore in senib. esse consueuit, cū ætatis decursu in eis cerebrū inarescat & imminuatur, vnde nec caluam in his attingere potest. Et hæc de cōcussione. Quo autē ad cerebri vulnerationē, cur dictum sit ab Hipp. febrē superuenire, & bilis vomitū succedere, & aliquā corporis partē syderatam fieri, & perire, ratio hæc est: Cerebrū vnū est ex principalissimis nostri corporis membris, quare eo vulnerato nō potest non subsequi febris, & hoc pcipue cū ex vulnere Inflāmatur. Cōmune enim est omnib. membris principalib. inflammationē patientib. subsequi febrem. Subsequitur autē similiter (non post vulnerationem) in vulneratione cerebri vomitus bilis, tum quoniā in vulneratione ipsa maxima fit humorū concētratio, & cōmotio ad interiora, vnde facile bilis, quia est omniū humorū tenuissima & leuissima, cōmota & agitata, ad os ventriculi fluit, quod cōpatiens eū cerebro ob neruorum effatu dignam coniugationem ad ipsum à cerebro transmissam, & facile recipit bilem effusam, & facile eam reiicit. Subdit autē Hipp. ad cerebrū sauciatum vltra prædicta succedere alicuius corporis membri syderationem, & inde mortem; quæ verba arguunt Hipp. non loqui de quocunq; cerebri vulnere, sed insigni, ac valido, & quale ab eo in aphorismis dictum est discissum, ac lethale simul esse. Etenim mors ad cerebrū discissum, id est, vsq; ad ventriculos sauciatum, necessario sequitur, mortem autē præcedit partium è directo vulneris existentium resolutio, quam nunc nomine syderationis appellat. Dixit autē aliquam corporis partem, & non totum corpus, syderationem pati, quia in vulnerib. cerebri lethalib. vna tantum corporis pars, id est, vel dextra, vel sinistra, ea videlicet, quæ è regione vulneris sita est, resolutionem, seu syderationem patiatur, qua superueniente, mors in proximo est. Has ambas de cerebro ex plaga seu ob concussionē, seu ob vulnerationem patiente sententias, tanquam proprias transposuit Hipp. inter aphorismos, sed simplicioribus verbis. De concussione enim loquens dicebat lib. 7. aph. 59. Quib. cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit, necesse est, mutos fieri, per mutum fieri, omnem omnium virtutū animaliū ablationem intelligens. Sed cur potius dixit mutum fieri, q̄ non videre, nō audire, aut non intelligere? ratio hæc est, quoniā in omni percussione, & casu violento clamant homines: si autem quis percussus, aut ex alto cadens non loquatur, sed tanq̄ mutus reddatur, signū est, q ex tali casu nec videt, nec audit, nec quid intelligit, aut deprehendit patiens; si enim quid intelligeret, doleret, & dolendo conquereretur: cuius ratione Hipp. omnib. aliis conditionib. suppressis mentionem facit de hoc tantum, q muti fiant, id est, sine loquela, sine voce, & sine intelligentia. Quæ sententia in aphorismis recitata tam communis est his, qui circa partes, à cerebro ortas, & circa membranas passi sunt, quam illis, in quib. cerebrum ipsum passum est. Omnibus enim est commune, q à concussione muti fiant, licet illi releuentur, & restituantur, hi autē nequaq̄. De vulneratione autem dicebat lib. 6. apho. 50. Quibuscunq; præciditur cerebrū, iis necesse febrem, & bilis vomitum superuenire. Quæ sententia cuicunq; cerebri vulnerationi est cōmunis. Nam licet quamminime sauciētur cerebrum, attamen hæc de necessitate superuenire solēt, quæ etiam in sola membranarum vulneratione cōtingere consueuerunt. Nam illis vulneratis, & febris, & bilis vomitus superuenire solet, quæ eo magis contingunt, vbi profunde cerebrum sauciatur. Nō meminit autem in aphorismo de syderatione, & morte; quoniam sententiam vniuersalem omnib. cerebri vulnerib. cōmunem, nō particularē de solis profundis, & necessario lethalib. vulnerib. pferre intendebat. Hinc autē pateat ob cōmunionē sententiarum cum iis, q̄ in aphorismis registratæ sunt, librum hunc editum quidem ab Hipp. sed vel nec postea reuisum, nec absolutum, vel ab eo, dum iunior esset, artisq; nostræ vniuersalia omnia documenta in summā non redegisset, conditum fuisse: quæ n. de cerebri vel vulneratione, vel concussione hoc in volumine sunt dicta, eadem paucis mutatis verbis ab eo in aphorismis transscripta sunt. At de concussione cerebri hoc vnum moneo, videlic. non per hanc omnem capitis percussionem, aut illisionē quamcunq; intelligendā esse: nam sæpe percutitur, aut illiditur, aut ex casu ab alto ad lapidē, aut ad aliā rem durā ipsum caput alliditur, nulla facta cerebri cōcussione, q fieri potest, vel cum grauis nō est ictus, vel graui existēte ictu, vacuus locus intra caluā non datur. Cōcussio enim ista non caluæ, sed ipsius cerebri, dum intra caluā hinc inde alliditur, est affectio, quæ grauis admodū, ac semp piculosa, in nōnullis autē omnino lethalis existit: talis autē nō omnis percussio, aut illisio capitis est: nā sæpe etiā grauiter aut pcutitur, aut alliditur nullo malo subsequēte symptomate, cum tunc tēporis nulla fiat cerebri cōcussio. Verū nō solū hoc quandoq; cōtingit, vt nullū hinc insigne succedat malū,

sed

sed etiam, vt cum salute ægrotantis eueniat. Hinc vidi nonnullos epilepticos, & nonnullos vertiginosos ex capitis insigni percussione à ꝓpriis morbis liberatos fuisse, cum ex ea vasib. apertis notabilis facta fuerit hæmorrhagia, non tantum per nares, verum etiam per os, & per aures, & in aliquib. per oculos. Hinc enim subleuato cerebro, facile pomere ægrotantes à propriis morbis liberari, nõ tantum ob euacuationem factam, verum etiã, quia ex percussione fuit facta quędam cerebri ad explodenda noxia irritatio, & excitatio. Consimilem his casum habemus lib. 5. epid. historia 23. Nã eo loci exponitur Eumelum puerum ætatis suæ duudecimum, aut tertiumdecimum agentem annum, cum sedens supinus cecidisset, & caput ad lapidem fortiter allisisset, indeq; vertiginē tenebricosam passus esset, paulo post surrexisse sanũ ex morbo, qui eum trib. aut quatuor mensibus detinnerat. Nam hic patiens mixtum ex paralysi, & conuulsione affectum, ex quo membra rigida, & ad motum adeo impotentia habebat, vt nullum membrum vel vsq; ad maxillas aut flectere, aut extendere, nisi alius flecteret, aut extenderet, & maxillas aut diduceret, aut adduceret, posset, ex ea capitis ad lapidem allisione ab eo morbo subleuatus, & sanatus fuit: & hoc non sine ratione. Nam cum à flatu, & vapore, potissimum crassiori, vt alias etiam notaui, possit & conuulsio, & paralysis causari, cumq; in hoc ægrotante Ita à crassiori, & vaporoso flatu, qui à cerebro poterat ad inferiora membra transmitti, eadem membra motui inseruientia, adeo replera, & imbuta forent, vt ratione conuulsionis, imperfectæ tamen, rigida fierent, ratione autem paralysis ad motum impotentia redderentur, ex allisione illa ad lapidem facta fuit tum caloris innati concentratio, tum facultatis animalis excitatio, per eamque validius insurgente calore innato, & per hanc excitata cerebri virtute, illinc vaporosus flatus in membris existens discussus fuit. Hinc autem cerebrum irritatum, quod in eo erat præter naturam, ex cõmotione illa absumpsit, indeque puer sanus euasit, licet quædam reliquiæ circa articulos, qui tempore somni ligari, per vigiliam autẽ laxari videbatur, remansissent, quorum solutio eadem ratione, qua prædicta explicata sunt, contingebat, enim ex somno virtutes animales sopiantur, per vigiliam autem ad opus suum obeundum excitentur.

21 *Si vero omentum exciderit, necesse est putrefieri. Et si sanguis ex vulnere aut vena effluxerit in supernum ventriculum, necesse est ipsum in pus conuerti.*

PERSEVERANS adhuc in exemplificatione eorum malorum, quæ supra alia mala necesse est fieri, duas ad huc explicat pertinentes sententias, quæ ambæ inter aphorismos ab eo registratæ sunt, altera simpliciter ad literam, altera paucis mutatis verbis. Prima hæc est lib. 6. apho. 57. posita, si omentum exciderit, necesse est, putrefieri. Altera hæc est: Si sanguis ex vulnere, aut vena in supernũ effluxerit ventriculum, necesse est, ipsum in pus conuerti. Quoad primam sciendum est, omentum eius esse naturæ, vt cum membranosum, & adiposum sit, quæ duæ partes ex propria & innata temperie sunt frigidæ, facile ab ambientis frigiditate alteretur, indeque vel liueat, vel denigretur, quo superueniente casu necessario putrescit. Et ideo iure dictum est, quod omentum si exciderit, etiam necessario putrescit. Quoniam tamen ad hec, quod ab ambiente patiatur, & inde vel exiccatum, vel liuens, vel denigratum putrefiat, requiritur notabile spatium temporis, ideo hæc sententia ad hunc sensum est intelligenda, quod vbi omentum egressum sit, & ibi etiam aliquantisper manserit, & quo diutius extra manserit, etiam magis patiatur. Etenim vbi recens existat vulnus, & albedo omenti non sit aliquid passa, nec ipsum sit mutatum, nec exiccatum, nec liuens, aut denigratum, reponi tuto potest, nec vllum est periculum, quod putrefiat. Quoad secundam sciendum est, sanguinem è vena eiectum, in quacunque colligatur cauitate, statim grumescere: sed hac habita differentia, quod vbi prauus halitus exhalare non potest, statim accidētia similia his, quæ à lethali veneno causantur, pariaut, & ideo defectus animi, syncopes, refrigerationes, & alia his similia mala superueniunt. Vbi autem exhalare potest, haudquaquã aptus est huiuscemodi accidentia patere, licet multa mala inde eueniant, vt contingere solet, vbi colliguntur grumi in vulneribus magnis, vel in cauitate thoracis, ex quibus locis cum facile praui euaporationes inde eleuari possint, nec praui illi habitus intus retineantur, non possunt ex grumis illis collectis supradicta mala symptomata causari: tamen cum hi grumi diu retineantur in dictis locis, nec à natura xegantur, conuertuntur in pus superante natura, & domante grumos illos. Et ideo in confossis ex collectis grumis sæpius succedit empyma, sicuti & suppuratio, & corruptio in magnis vulnerib. Hoc igitur est id, quod inquit Hippoc. videlicet quod si sanguis ex vulnere, vt fit in confossis, vel ex vena, vt fit in sputo sanguinis, ea vlcerata, & aperta, in supernum ventriculum, id est, in thoracem effluxerit, necesse est, ipsum in pus conuerti. Quæ sententia transposita fuit inter aphorismos lib. 6. aph. 20. per hæc verba: Si in ventrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari. Quæ sententia quoniam non fuit intellecta ad verum sensum, nec ad mentem Hipp. à Galeno, ideo ipse fuit dubius de veritate, & de authore huius sententiæ. At per ventrem intelligit Hipp. superiorem, id est, thoracem, vt hoc in loco clare expressit; in quo thorace sanguis concrescens, & ibi manens tandem in pus conuertitur. Vel per ventrem intellexit Hippocrat. omnem insignem cauitatem, ex qua possent grumi prauos halitus extra prodere: quemadmodum non solum in thorace, sed etiam in vulneribus magnis contingere consueuit, & hoc, vt quod particulariter in particulari casu in hoc de morbis libro docuerat, hoc idem in aphorismorum libris vniuersaliter & in vniuersis casibus doceret euenire.

22 *Temporum autem occasiones, vt in summa dicam, multæ sunt, & variæ in arte, quemadmodum*

modum etiam morbi, & affectiones, & horum curationes.

QVAESITVM decimum octauum vniuersale cognoscendum & animaduertendum à medico erat, quod opportunitas, & quod intempestiuitas esset medendi, ad quod præsens Hipp. explicatio pertinet. Nam & hæc incipit declarare, quę opportune, & quæ intempestiue fiant à medico. Opportune ea fiunt, quæ data occasione fiunt, quare ad cognitionem opportunitatis occasionis cognitio requiritur. Occasio autē dicitur occasio tēporis, cuius ratione ea tempestiue facta, quæ opportune acta sunt, dicuntur, vnde temporis cognitio ad hoc etiam desideratur. Tempus tripliciter in significato sumitur à medicis. Primo modo sumitur pro integro & toto morbi spatio, cuius merito vocant illos morbos breues, qui breui temporis curriculo pertransceunt, eos autē longos, qui longo tēporis spatio terminantur. Secundo modo sumitur pro distincta parte spatii ipsius morbi, & inde, quoniā morborū quatuor sunt tēpora vniuersalia, sc. principium, augmentum, status, & declinatio (quæ tēpora pariter in vnaquaq; particulari accessione, loquendo de morbis salubrib. particularia reperiūt: lethales n. in vnoquoq; dictorū temporū prærerquā in declinatione vniuersali terminari possunt) ideo principium, augmentū, status, & declinatio dicuntur pariter tēpora morborū, & vnumquodq; horū singulariter tēpus morbi dicitur. Tertio modo sumitur tempus pro eo tempore, in quo à medico tēpestiue, ac opportune aliquid fieri debeat: vt cū dicitur, nūc est tēpus secandi venam, nūc est tempus exhibendi pharmacū, nūc est tempus aperiendi abscessum, nūc est tempus prouocandi mēses, aliaq; plura similia, in quo sensu sumptū tempus coincidit cum occasione agendorū. Tempus igitur cum penes medicos triplex habeat significata in pñti explicatione, nec secundo modo, nec tertio sumi debet, quoniam nec vt pars morbi, nec vt agēdorū occasio accipitur: quare relinquitur, vt eius primū significatum sit recipiendum. Nam si Hipp. inquit: quod temporum occasiones multæ sunt: igitur occasio est pars temporis, & non huius, aut illius determinati temporis, sc. aut principii, aut augmenti, aut status, aut declinationis, sed indeterminati, & hoc, quoniā in omni tempore morbi, id est, in totius temporis morbi spatio, potest esse hęc occasio: sicuti etiam aliquando non contingit, nisi in puncto. Quare cum occasio constituenda sit pars temporis, tempus sumendum erit in primo significato, & erit illud breue spatium temporis totius morbi, in quo se offert occasio agendorum. Et ideo iure dictum est, in principio libri Præceptionum, quod tempus est, in quo occasio est; occasio vero, in qua tempus non multum: quasi dicat, tempus est illud spatium temporis morbi, in quo agendorum occasio se offert. Occasio vero est illius temporis breuissimum spatium, in quo agenda executioni mandanda sunt. Et ideo non abs re dixit, quod in occasione non est multum temporis, quoniam occasionis tempus est breuissimum: fugax enim est occasio, & valde præceps in multis morbis, vt lib. 1. aph. 1. habetur. Inquit igitur Hipp. temporū occasiones multæ sunt, & variæ in arte, id est, opportunitas administrandorum medicamentorū, quæ non consistit, nisi in rationabili occasione, oblata in aliquo morbi temporis spatio (dixit autem temporum, respiciens diuersa temporis spatia) sunt multæ, & variæ in arte: multæ quidem numero, variæ autem specie, prout diuersa, & diuersimode agenda offeruntur. Subdit, quemadmodum etiam morbi, affectiones, & curationes. Nam vt occasiones numero multæ, specie autem variæ sunt, ita & morbi multi numero sunt, specie vero diuersi, quod idē de symptomatib. q per affectiones audiebat, & dē curationib. verificatur: nā omnia hæc numero multa, specie autē & forma varia & diuersa existunt.

23 *Maxime vero repentinæ sunt in his, quib. animo defectis opitulari oportet; & qui neque vrinā, neq; stercus egerere possunt, & qui suffocantur, & si mulierem parientem, aut facientem liberare oportet, & quæcunq; eiusce modi.*

LICET varietas in specie includat multitudinem in numero, nihilominus multitudo in numero, nequaquam includit varietatem in specie, in diuidua enim vnius speciei numero plura sunt, cū tamen varia in specie non existant: cuius ratione factum est, vt cum Hipp. dixerit: occasiones in arte multas, & varias esse, nec descendat ad declarandā eorum multitudinem generalem, & eorundem varietatem specialem: numero enim plures sunt occasiones, quia numero plurimæ se offerunt, specie autem sunt diuersæ, quia aliquæ repentinæ sunt, aliquæ non repentinæ. Repentinæ sunt illæ, quæ subitam & repentinam agendorum administrationem requirunt: Non repentinę autem, quæ agendorum longum spatium ad commoditatem subministrant, quod spatium, & quæ commoditas consistit aut in vna diei parte, aut in integra die, aut protrahitur ad mediam, vel ad integrā hebdomadam, vel etiam ad mensem, vel ad plures menses: quare vt plurimæ sunt numero occasiones, ita etiā diuersæ sunt specie. Inc piena autem Hipp. ab exemplificatione earum occasionum, quę sunt repentinæ, inquit: quod maxime repentinæ sunt in his, quibus animo defectis opitulari oportet. Repentinæ autem sunt tales occasiones, cum quoniam repentine eueniunt, tum quoniam repētinam requirunt curationem. Animi enim defectus, siue sit lypothymia, siue sit syncope, est affectus, qui de repente euenit, & qui cum sit naturæ grauis, & via ad mortem tendens (consistit enim in virium dissolutione, & caloris naturalis dissipatione, ab aliqua causa vel interna, vel externa causata) repentinam etiam requirit curationem; alias ægrotantes succumberent, & vitam inde cum morte commutarent. Hoc idem de his, qui neque vrinam, neque stercus egerere possunt, (illud in ischuria, hoc in ileo euenit) dicendum est. Nam suppressa derepente vrina, vehementium symptomatum est causa, cui nisi repente succurratur,

ægri

ægri de vita periclitantur. Suppressis autem fæcibus in ileo, & potissimum in eo, qui ex intestinorũ inflammatione causatur, nisi statim remedia admoneantur opportuna, intestinorum facile corruptio, & gangręna succedēt, & inde mors ineuitabilis subsequetur: quare repentina horum est occasio, sed adhuc magis repentina est in his, qui suffocantur, siue suffocatio fit à causa externa, siue sit ab interna, vt fit in destillatione, vel angina præfocante. Hi autem si destituantur præsidiis, nec repentinam sit medici auxiliũ, paulo post breui pereuntes facile docent, repentinam fuisse medendi occasionem. Mulieribus autem in partu periclitantibus quid magis repentinũ, & repentiuo auxilio quid magis indignum? partus enim hora est repentina, & dum in partu periclitantur mulieres, non est procrastinandum de auxiliis, quia hinc vel fœtus, vel matris, vel vtriusq; interitus impendet. Sed quid per sauciatam mulierem intelligit Hippocrates? nam vnaquęque mulier potest quidem repente sauciari, sed non vnumquodque mulieris vulnus repentinam requirit curationem, cum in pluribus tardare non sit malum. Ar sciendum est, Hippocratem loqui de vtero gerentibus, quibus in vltimis mensibus existentibus vel partus difficilis, ac periculosus superueniat, vel vulnus infligatur. De partu iam loquuti sumus: de vulnere autē nunc loquens dico, vbi vulnus insigne, vel alicuius momenti extiterit, repentinam hinc offerri occasionem: nisi enim medicus statim manus admoueat, ex sanguinis profluuio abortus, ex dolore inflammatio, & febris superueniet: quorum vtrumq; periculosum est. Et ideo iure dictum est ab Hipp. repentinam dari occasionem in muliere sauciata, id est, in muliere vtero gerente, quæ vulnerata fuerit, cum eam liberare ex imminenti ob vulnus periculo medicum oporteat. Subiungit autem prædictis, & quęcunque eiusmodi, vt declararet, non in solis enarratis casibus consistere has repentinas occasiones, sed superesse plures alias, in quibus offerantur: sicuti est mederi in valde acutis eadem die, si materia turgeat, quoniā tardare in his malum est, nam repentina in his offertur occasio, quæ arripi, non pręterriri à medico debet. Quę occasio pari ratione datur in omni veneno hausto, vel eiaculato, antequā altius processerit, virusq; suum effuderit: sicuti & datur in sanguinis sputo à substantia pulmonum exeunte, eo enim à principio neglecto, & nō curato, de necessitate succedit inflammatio, & inde phthisis. Talis etiam datur in diaphoreticis sudoribus, in cardiaca affectione, in pluribusque aliis similibus affectibus. Hæc & alia his similia monet Hipp. animaduertēda esse à medico, vt cognoscat, in quibus casibus repentinæ offerantur occasiones, & in quibus repentinæ debeantur medicationes.

24 *Et hæ quidem repentinæ occasiones sunt, & paulo posterius non sufficiunt: plerią, enim paulo posterius pereunt.*

ENARRATIS morbis, in quibus repentinę occasiones eueniunt, nunc declarat qua de causa hæ repentinę sint, dicens hoc inde esse, quia repentinam, nō autem tardam, & procrastinatam requirunt in morbo curationem: nam si statim arrepta occasione nō curentur, paulo post tardata curatio non sufficit ad tollendum morbum: pleriq; enim paulo posterius pereunt, id est, multi ex prænarratis morbis, vbi in ea temporis occasione medica administranda remedia non fuerint admota, paulo posterius, id est, trāsacta occasione, pereunt. Qui propter si transacta occasione pereunt, igitur causa occasione curandi erant: & ideo tam repentina debet esse curatio, quā repentina fuerit occasio. Dixit autem significanter, plerią; pereunt, quia non omnes ex illis morbis in prædictis occasionibus pereunt: multi enim naturæ, non artis beneficio subleuantur. Cuius merito plurimos videmus animo deficientes nullo admoto remedio p se ipsos releuari: sicuti & in partu plurimæ periclitantur mulieres, quæ nullo admoto medico auxilio per se ipsas euadunt, quod idem in prædictis, ac similibus casibus euenire quotidiana comprobat experientia.

25 *Occasio vero est, si horum aliquid perpetiatur homo, & quis, antequam animam efflet, opituletur, hoc totum ex occasione opitulatur.*

QVEMADMODVM superius declaratum est, quæ fiant repentinæ occasiones, argumento sumpto à damno subsequente: ita hoc in loco idem declaratur argumento sumpto ab vtilitate concomitante. Dicebatur autem repentinas in enumeratis morbis occasiones dari, quia si medicus in ea occasione non admoneat manus, paulo posterius inutilis, & intempestiua erit eius curatio, cum tunc temporis ea non sufficiat ad releuandum ægrum, qui ob neglectā occasionem paulo posterius peribit. Nunc vero inquit, quod ea vere est medendi occasio, scilicet repentina, & quod vere tunc medicus ex occasione tempestiue opitulatur, cum antequam æger ex narratis morbis in deterius labatur, & in mortem præcipiti ex eis ducatur cursu, præsidia medica administrando ægrotanti manus admouebit: animaduertendum enim est ab omnibus, quod quemadmodum hęc tempestiue facere, & in repentina occasione non procrastinare decet medicum, ita turpe est, ac artem nostram, quæ diligentia, charitate, & misericordia debet abundare, dedecet, in repentinis occasionib. tardare ea auxilia, quæ proficua ægrotanti eum à morte vindicare queant. Ad hoc enim natus est medicus, & tota ars medica ad hoc dirigitur.

26 *Est quidem igitur ferme hæc occasio etiā in omnibus aliis morbis: semper enim in quocunq; sane quis tēpore opituletur, ex occasione opitulatur.*

AMPLIFICAT superiorem sententiam de repentinis occasionibus, dicens, quod eiusmodi occasiones non solum sunt in morbis, & casibus illis repentinis, & qui sunt adeo præcipites, vt inde ægrotantes, nisi arte medica statim subleuentur, breui perituri sint, sed etiam in omnibus aliis grauibus morbis, licet non ita repentinis. Dantur enim quandoque in his repentinæ hæ occa-

casiones, quæ neglectæ à medico possunt ęgrotantem tollere: si autem illis non neglectis, sed arreptis, secundum datam occasionem, id est, tempestiue agat medicus, salutis erunt occasiones. Nam vt exemplu res declaretur, sæpe medicus ęgrotantem hora matutina inuisens, viribus adhue valentibus, & vigente ætate occasioně in morbo acuto secandi venam habet: qua operatione in data occasione nun facta, si quod accidens, quod venæ sectionem dehortetur, superueniat, nec vespertina hora, nec diebus sequentibus amplius huiuscemodi actionis erit opportunitas. Vnde si data sectionis venæ occasiune, & dato tempore huius actionis opportuno sanguinem mittat, ex occasione, id est, tempestiue opitulari dicitur. Hoc autem nequaquã peracto, aliquo vero missionis sanguinis succedente impedimento, dicitur non egisse ex occasione, id est, non tempestiue tempestiua egisse. Quo exemplo patet etiam quandoque in aliis prærer repentinos morbis repentinas dari occasiones, in quibus recte, ac proficue agens medicus ex occasione, id est, tempestiue, & vtiliter egisse dicatur: nam quotiescunque in præstandis auxiliis proficit medicus, arguitur eum recte, & secundum datam occasioně egisse. Ad quem sensum diriguntur verba præsentis, & superioris textus: nam cum in 24. dixisset eas esse repentinas occasiones, in quibus, si haudquaquam medicus in admouendis opportunis auxiliis præsto existat, paulo posterius nec occasio, nec curatio sufficiunt pro salute ęgrotantium, quia paulo posterius pereunt, vt declararet, quid sit ex occasione curare, monebat in sequenti occasionem medendi esse, quando medicus auxiliari ęgrotantibus, antequam pereant, potest: vnde tunc dicitur ex occasione mederi, quando auxilium, & iuuamen præstat.

27 *Quicunq. vero morbi, aut vulnera non ad mortem tendunt, sed periculosi sunt, doloresque in ipsis fiunt, verum possibile est, vt cessent, si quis recte medeatur, his sane non prosunt auxilia à medico adhibita, cum adhibeantur: nam & non præsente medico vtiq. cessassent.*

MORBOS distinguit à vulneribus, non quia sentiat vulnera non esse morbos, sed quia per morbos intelligit eos affectus præter naturam, qui pro fomite causam internam habent, per vulnera autem, qui causam externam pro fomite habuerunt: quorum primi ab intemperie, vel simplici, vel cum materia, secundi autem à solutione continuitatis formam recipiant. De his autem communiter loquens ait, quod si non sint lethales, sed periculosi tantum, vbi in his superueniant dolores, occasio est anceps: quoniam & per auxilia medica possunt iuuari, & quandoq; naturæ beneficio spõtanee soluuntur: vt contingit in euacuationibus, & symptomatibus criticis, vel in permutationibus morborum, per quas sæpe tolluntur dolores, & plurima alia superuenientia accidentia mala, per dolores enim omne accidens præter naturam audiamus. Occasio igitur est anceps, quoniam siue auxilietur, siue nõ auxilietur medicus, dolores cessant, quibus cessantibus non omnino si agat medicus, videtur ex occasiune egisse, quoniam licet ipse medicus manum nequaquam admouisset, tamen sponte, & naturæ beneficio per se dolores cessassent.

28 *Alii vero morbi sunt, quibus occasio est, vt curentur matutina diei hora, nihil autem refert, an valde mane, aut paulo posterius. Alii morbi sunt, quibus occasio est, vt semel in die curentur, nec refert, quo tempore hoc fiat. Alii per tertium, aut quartum diem curantur, & alii semel per mensem, & alii per tertium mensem, nec refert, an id ipsum tertii augmento, aut fine fiat.*

QVEMADMODVM quidã morbi sunt, in quibus repentinæ dantur occasiones, ob repentinum aduenientem casum, quæ & quo ad diem, & quo ad horam diei incertæ existunt: Alii autẽ dantur, in quibus occasiones sunt ancipites, quia siue operetur, & auxilia admoueat medicus, siue non, dolores soluuntur: ita alii dantur morbi, in quibus occasiones ex aliqua parte sunt certæ, ex altera autem incertæ. Nam sunt quidam morbi, in quibus certa est occasio ratione vnius partis diei, non tamen est certa ratione horæ illius diei: sicuti cum secandæ venæ datur occasio in mane, certa est occasio ratione partis diei, est autem incerta ratione horæ, quoniam non refert, an matutina hora, an paulo posterius secetur vena. Quidam etiam sunt morbi, qui habent occasionem medendi semel in die, vt contingit sæpe in vulneratis, quibus cum semel in die quandoque mederi sufficiat, tamen quo ad horam nil refert, an hac hora, vel illa, & an mane, vel ad vesperas medeamur. Quidam alii sunt, qui certas occasiones ad certas dies pro curatione habent, licet incertas quo ad horas illius diei, vt fit in fracturis ossium, in quibus soluimus, & ligamus vnoquoque tertio, vel quarto die, nulla habita differentia partis diei. Alii vero sunt, qui certas habent occasiones ad certos menses, non tamen certas ad certos illius mensis dies, cum nihil referat, an in principio, vel in progressu, seu in fine mensis medela adhibeatur, vt in quibusdã longis, & diuturnis morbis contingit, in quibus veniunt purgandi, & curandi ægrotantes singulo quoq; mense, nihil referente, an vna, vel altera illius mensis die hoc fiat: & sicuti contingere consueuit in quibusdam rebellibus, & cõtumacibus morbis, cuiuscemodi est epilepsia, in qua vno quoq; tertio mense ipsam curamus: nam & primo vere, & accedente æstate, & in autumno, & aduentante hyeme ipsi validis reluctamur præsidiis. Quod est id, quod dicit per tertium mensem, respiciens eam anni diuisionem, quę vnicuiq; anni parti tres attribuit menses: in qua tamen curatione singulo quoque tertio mense peragenda, nil refert, an in hac, vel illa mẽsis parte hæc peragantur. Ex quibus liquet, quam variæ specie sint occasiones, quæ in morbis offeruntur: cum aliæ sint adeo repentinæ, & præcipi-

tes

tes, vt nisi medicus his datis auxilietur, ægri vel in deterius labantur, vel pereant: aliæ sunt, quæ sunt ancipites, id est, tales, vt eis datis medicus operari proficue possit, in quibus tamen si nihil operetur, ægri nihilominus non pereuntes saluari possunt: aliæ autem sunt certæ quo ad vnam partem, quo ad alteram sunt incertæ, vt quæ de die sunt certæ, sed quo ad horam incertæ, & vt quæ de mense sunt certæ, sed quo ad diem sunt incertę: in quibus omnibus si medicus ex arte, & cum ratione operetur, dicetur ex occasione operari. Si autem his datis, quoniam oppositorum oppositæ sunt rationes, non operetur, non ex occasione, sed male, & præter rationem egisse dicetur, quoniam data occasione administranda medicamenta nõ administrauit.

29 *Tales itaque occasiones sunt, in quibus non aliam, quam hanc certitudinem habent.*

HÆc sententia refertur ad proxime dicta: inquit enim quod in occasionibus prædictis nõ aliam habent certitudinem medici, quam eam explicatam, quoniam in primis habent certitudinem diei, sed non horæ, in secundis autem mensis, sed non diei, quæ certitudo non est in repentinis occasionibus, quoniam in his nihil certi est, cum repentina non habeant certum mensem, aut certum diem, aut certam horam, nec etiam ista certitudo reperitur in ancipiti occasione, quoniã etiam si certe non operetur medicus, symptomata ex se sunt solubilia. At si in prædictis morborum, qui certam habent temporis vel ad diem, licet non ad horam, vel ad mensem, licet non ad diem occasionem, iam narratis occasionibus est certitudo, vel quo ad diem, vel quo ad mensem, non videntur hæ dicendæ occasiones, cum occasio, vt dictum est ex lib. de Præceptionibus, sit ea, in qua non multum temporis inest: multum autem est in die, & plurimum in mense. Ad hoc sciendum, quod occasio proprie, & stricte dicta intelligitur de repentina, & de ea, quæ fugax est, & breui spatio temporis comprehenditur: cuius ratione dicta est in primo Aphorismo ab Hippocrate pręceps, cum id, cuius vel hac die, vel hac hora agendi ratio dabatur, sequenti die, vel hora non amplius executioni demandari possit: quoniam immutato ægrotantis, & ægritudinis statu ex decurrente temporis spatio, id, quod hac die, vel hora agendum iudicabatur, sequenti die, vel hora non amplius indicatur: & inde auxilium in occasione data non admissum, non amplius cum morbi alleuiatione, aut ægrotantis salute administrari potest. Et ideo iure dictum est, occasionem eam esse, in qua non multum temporis inest, cum non multum temporis spatium sit illud, in quo ex arte agendum erat. Occasio autem non ita proprie, sed largiori modo sumpta non tantum de repentinis, sed etiam de quibuscunq; aliis occasionibus dicitur, dummodo agendorum recta ratio indicetur. Nam in quocunq; tempore opituletur medicus, semper ex occasione opitulari dicitur: quæ tamen occasio si consideretur, quo ad morbos illos, qui habent certitudinem quo ad diem, incertitudinem autem quo ad horam, vel quo ad illos, qui habent certitudinem quo ad mensem, incertitudinem quo ad diem, semper ea occasio talis erit, vt in ea non multum temporis insit, habito respectu ad totum morbi spatium, quod cum sit amplũ, habet medendi occasionẽ in parte tempori morbi determinata: & ideo nec in hac negandum erit, quod non multũ temporis insit: licet hoc simpliciter falsum, verum autem comparatiue existat. Et hęc de occasionibus temporũ dicta sunt ab Hipp. vt decimum octauũ quæsitum innoteat, per quod quærebatur, ꝙ sit opportunitas in morbis: opportunitas n. ex occasione iudicatur, cum non opportune agat medicus, nisi quando ex occasione agit, & qui ex occasione agit, opportune egisse dicatur.

30 *Intempestiuitas autem hæc est, si quæ mane curari oportebat, in meridie curentur: propterea vero intempestiue curantur, quia inclinationem ad peius habent, propter curationem non in tempore factam.*

OPPORTVNITATI intempestiuitas opponitur: vnde cum de opportunitate sub nomine occasionis actum sit, reliquũ erat agere de intempestiuitate, cuius cognitio pertinet etiam ad decimum octauum quæsitum, per ꝙ monebatur medicus aduertere, quod sit opportunitas, & quod sit intempestiuitas: quoniã autem oppositorum oppositæ sunt rationes, inde est, quod cum opportune agere, sit ex data occasione agere, ideo intempestiue agere, sit ex data occasione non agere, ac præter occasionem agere: quare intempestiuitas erit, cum medicus non in tempore occasionis agit, sed extra occasionis tempus: vt puta, si quæ mane curari oportebat, in meridie curentur. Etenim si quis in matutina hora, vel ex ingenti aliqua euacuatione, vel ex immani aliquo dolore, vel ex praua alia dispositione, animo delinquat, opportune agit medicus, si statim opituletur. Si autem vel negligentia, vel ignorantia ductus curationem ad meridiem protrahat, intempestiua erit actio illa: ratio hæc est, quoniam adeo in peius inclinauit status ægrotantis, vt non amplius sit aptus recipere præsieuam curationẽ. Vel enim vires inde succumbẽtes nõ amplius tolerant medicationẽ, vel status morbi adeo in deterius cõmutatus est, vt non amplius fieri queat, vt inde pristina salus recuperari possit.

31 *Quæcunq; etiam citius, siue in meridie, siue vespere, siue noctu curentur, intempestiue curantur: & si vere curari oporteat, curentur autem hyeme, & si hyeme oporteat, curentur æstate.*

INTEMPESTIVITAS agendi est, quando quis non in debito, & curationi accommodato, & proportionato tempore agit. Tempus autem hoc; quod curationi nec est opportunum, nec accõmodatum, est illud, in quo medicus curat vel post elapsam occasionem, vel eam anticipando. Occasio vero nil aliud est, quam tempus illud curationi opportunum, & accommodatum: vnde quando medicus extra occasionem siue postponendo, siue anticipando occasionem ipsam medetur, curare intem-

intempestiue dicitur. Quæ intempestiuitas cum duplex sit, vt dictum est, scilicet ratione vel postpositæ, vel anticipatæ curationis, de postposita cum pro parte superius egerit, nunc de eadē agere perseuerans inquit, quod quicunque morbi valde cito curari debent: si tardata ad meridiem curatione, vel ad vesperas, vel etiam ad noctem curentur, dicuntur curati intempestiue, & hoc, quoniam postposita occasione, & elapso iam tempore agendi opportuno, curatio tentatur. Quod intelligitur de morbis grauibus, perniciosis, & valde acutis, in quibus occasio agendórum valde præceps esse cōsueuit; & adeo repentina, vt semel data non amplius offeratur. Quoniam autem non in omnibus morbis datur occasio repentina, & præceps, sed in quibusdam est certa ad certum tempus (nam quidam morbi, sicuti qui habent certas periodos, & certa interualla, habent certa tempora eorum curationi destinata, & opportuna,) ideo subiungit, quod pariter intempestiua est ea curatio, quæ in tempore illo opportuno haudquaquam tractatur. Per tempus autem non intelligo anni partes illas principales, scilicet ver, æstatem, autumnum, & hyemem: morbi enim quidam longi habent ex temporibus anni determinatam partem, in quibus curari debite, & merito possunt: extra quam anni partem si curentur, intempestiue curantur: vt si quæ vere curare oporteat, anticipata curatione in hyeme curentur: quemadmodum comitiali morbo, & articulari, & Melancholiæ, lepræ, scabiei, similibusque est aliis morbis datum: hi enim vere, non hyeme curandi sunt, si autem hyeme curentur, intempestiua erit eorum curatio. Nec hi, qui vere curandi veniunt, eadem veris parte curandi veniunt: nam qui ex crassis, & frigidioribus pendent humoribus, qualis est epilepsia, arthritis, melancholia, elephas, aliique similes, primo vere curari debent; qui autem ex calidioribus, & tenuioribus humoribus, quales sunt pruriginosi affectus, scabies, biliosi morbi, aliiq; à bile pendentes morbi infestantur, vltimo vere, eoque decedente, vel ad calorem æstatis propetante curandi sunt: quare si illos in vltima, hos in prima veris parte curaueris, intempestiuam curationem administrabis. Aliis autem morbis datum est, vt in hyeme, id est, frigore superueniente curentur conuenienter: per hyemem vero nunc intelligit tempus illud, per quod calores terminantur. Talis autem potest esse autumnus, non in primis eius temporibus, dum adhuc æstatis calores reseruat, sed in postremis, cum tempora frigida superueniunt: quo tempore conuenit curationem dictorum morborum, non media sequiente hyeme, quæ omni curationi infesta est, ac reluctatur, aggredi: quæ tamen curatio si anticipetur in æstate, intempestiua erit, vt puta, si gallicam luem in subiecto calido & sicco, media æstate curet medicus, dicitur intempestiue agere, quoniam certa occasio, & opportunum medendi tempus est hyems, id est, tempus illud, in quo cessantibus caloribus frigora superueniunt. Hæc autem, quæ certum habent tempus, quemadmodum si secundum opportunam, & proportionatam occasionem curentur, intempestiue curata dicuntur, ita pariter intempestiue curata dici debent, si elapsa occasione, & post debitum, & accommodatum curationi tempus in aliud differantur, vt id, quod vere curandum sit, ad æstatem, & quod æstate ad hyemem differatur. Pariter enim & anticipata, & postposita occasione tentatæ curationes omnes, & omnino intempestiuæ dicuntur.

32 *Aut si quod iam curari oporteat, idipsum differatur: aut quod differre oportet, idipsum iam curetur: talia omnia intempestiue curantur.*

IN summa inquit Hipp. omnis ea curatio intempestiua est, quæ in debito, & accommodato tempore non adhibetur, siue anticipata, siue postposita curatione. Et ideo tam intempestiue curat ille medicus, qui curationem vltra occasionem differt, quam ille, qui curationem, quam differre debebat, ante debitum tempus administrat. Quo in errore sicuti multi versantur medici, dum vocati vel properant curationes indebite, vel ex ignorata aut morbi, aut curationis specie eas differunt: ita monuco in huius quæsiti notitia diligentes debere esse eos medicos, qui hanc artem nec calumniose, nec noxie exercere cupiant.

33 *Recte porro, & non recte in ipsa hæc fiunt.*

VNDECIMUM quæsitum vniuersale animaduertendum à medico erat, quæ recta, & quæ non recta dicuntur, aut fiunt in arte, ad quod præsens explicatio correspondet, quæ maxime consideranda est, quoniam ille medicus, qui hæc nouerit, & qui rectum à non recto distinguere exacte poterit, tum iudex optimus in arte medica, tum artifex perfectus erit. Sicuti enim in distinguendo à veritate non aberrabit, ita nec in operando errata perpetrabit, (sententia enim operi, & opus sententiæ correspondere debet,) illa quidem rationabiliter præmissa, hac autem summa cum ratione subsequente. Quæ duo cum ab inuicem distincta sint in proponēdis quæsitis vniuersalibus, dicebat, dicuntur aut fiunt: per dicta intelligens ea, quæ ex medici sententia, per facta autem ea, quæ ex opere prodeunt. Hic autem simpliciter dixit, fiunt, per facta vtraque intelligens, & quæ circa sententiam, & quæ circa operationem recte, vel non recte fiunt.

34 *Non recte quidem fit, si morbum altum existentem, altum esse pronunties, & paruum existentem magnum dicas, & vicissim magnum paruum: & si superuicturum non superuicturum pronunties, & periturum non periturum.*

CVM circa recte, aut non recte in arte facta cōtingat medicum vel sententia, vel opere rem ipsam, ac veritatem consequi, vel non consequi, incipit Hipp. explicationem ab his, quæ circa sententiam in non recte factis eueniunt: dicens, & exponens ea, quæ quoad morbi, & eius conditionum cognitionem non recte apprehenduntur à medico. Nam quamprimum medicus ad ægrotantem accedit, præmissis debitis interrogationibus, & habitis requisitis responsionibus, ex symptomatibus

vel

vel visis, vel auditis, primo debet iudicare de essentia morbi, certam sibi proponens eius ideam, ac formam. Habita morbi notitia ex qualitate symptomatum, & accidentium, considerata simul ipsius morbi essentia, debet perspicere, an morbus sit magnus, vel paruus, an acutus vel non acutus, an breuis, vel longus. Hoc habito, debet comparato morbo ad virtutē animaduertere, an morbus virtuti, an virtus morbo succumbere sit coniectandū, ex quo prognosticari poterit, an æger ex morbo periturus, vel nō periturus sit. Quibus habitis quid de morbo sentiendum, exacte poterit explicare. Hæc omnia sunt ea, quæ ad sententiam pro cognitione morbi, & eius conditionum pertinēt, in quibus aberrans medicus non recte sentire dicitur. Et ideo in his exemplificans Hipp. inquit, quod nō recte fit à medico, dum vnum morbum pro alio dicit, vt si peripneumoniā dicat pleuritidem, si pleuritidem hepatis inflammmationem vocet, si carum dicat esse lethargum, aliaque huiuscemodi ratione similitudinis deceptus dicat. Non recte etiam fit, dum morbus est acutus, & magnus, illum paruum, & leuem esse sentiat, vt si lethargum, qui morbus, licet febrem lentam ratione materiei peccantis cōiunctam habeat, est tamen acutus, & magnus ratione membri affecti, vocet morbum paruum, quia in eo sit parua febris: vel, si morbus sit leuis, & paruus, dicat eum magnum esse, vt puta, si febrem ex cruditate in subiecto ventriculum imbecillum habente dicat magnam, aut acutam. Non recte pariter fit, si ægrotantem, qui euanescentibus prauis symptomatibus virtute iam fatigata, & prostrata, videtur melius habere, superuicturum dicat, vel eum, qui consectatur à decretoriis signis imminente bona crisi, quoniam male ab eis torquetur, periturum sentiat. Non recte igitur fit à medico, id est, circa sententiā medicus nō recte sentit, dū decipitur in cognitione essentię morbi, & in cognoscēda eius magnitudine vel paruitate, & eius longitudine, vel breuitate, & dum pariter in ꝓgnostico deceptus vitā ꝓ morte, vel mortē pro vita ꝓnunciat.

35 *Et si suppuratum existentem non cognoscas.*

QVæ non recte sentiantur à medico, vniuersali themate superius declarauit. Nunc autem ad particularia descendens particularib. vtitur exemplis: primo dicens: Et si suppuratum existentem non cognoscas, quo particulari exemplo vsus est pro vniuersali superius enarrato, cū dixerit, si morbum alium existentem alium esse dicas: quasi dixerit, si suppuratum non cognoscas, pariter ac si dixisset, si pleuriticum, si peripneumonicum, si phreniticum, si lethargicum, si dysentericū, si quemlibet alium affectum non cognoueris, male in arte senties. Suppuratorum autem potius meminit, q̃ aliorum, duplici de causa. Primo quidem, quia nō tantum morborum, qui primo aggrediuntur, sed etiam eorum, qui ex aliorum permutatione fiunt, verba faceret. Talis autem est suppuratio, quæ semper insequitur ad alios morbos, ex quorū permutatione succedit. Secundo quia de suppuratis particularis, & distinctus ad hoc ipsi erat futurus sermo, in quo & de causis, & de progressu, & de signis suppuratorum tanq̃ de difficillimo morbo tractabitur.

36 *Nec morbum magnū in corpore nutriri cognoscas.*

SICVTI esca & cibus est corpori viuenti alimentum, ita mala membrorū in partibus similarib. temperies. In organicis autem mala dispositio, & prauorū succorum generatio, & soboles, morborū inde generandorū, & factorū per metaphoram, & p similitudinem quandam nutrimentum dicitur. Quemadmodū enim per alimentum corpora viuentia ab ortu vsq; ad mortē in vita cōseruantur & manutenentur, pariter morbi ex dictis ortū, & ꝓgressum suum, indeq; durationē, & conseruationē habent. Quoniā autem corpora quędā habent membrorū in partibus similarib. intemperies, in organicis autē prauas dispositiones non momentaneas, & parū duraturas, quales habent morbi acuti, & breues, sed habituales, & fixas, ac perseuerātes, ideo in his ratione dictarū causarū, cū sint stabiles, & fixæ, dicuntur cōnutriri morbi, qui parui sunt, vel magni ꝓ ratione magnitudinis, vel paruitatis causarū. Hos morbos lib. 6 Epid. sect. 5. text. 6 connutritos appellabat, hosq; docebat in senecta triplici ratione hominē relinquere, scilicet vel p concoctionē, vel p solutionē, vel p rarefactionē. Tales autē morbi intelligantur nō frigidi, quoniā hi in valde senibus nō concoquuntur, sed calidi, q cum ex intemperie calida patientis, & ab humoribus calidis pendeant, ac generentur, superueniente senectute, quę cum sit ætas frigida, omnia calida vel contemperare, vel absumere potest. tolluntur vel p concoctionem, quia calidiora frigido cōtemperantur, vel persolutionē, quia materia aggregata tēporis diuturnitate, & maxime stante recta victus ratione, qua magis viuunt homines in senectute, q̃ in iuuentute, dilabitur, & resoluitur, vel per rarefactionē, quia magis apta est euaporare omnis materia in senib. quoniā corpora eorū sunt magis rara, cum propter extenuatū habitum, & propter male nutritā cutim ampliores meatus euaserint. Quotiescunq; igitur in corpore adsit mala membrorum in partib. similaribus temperies, aut mala in organicis dispositio, indeq; prauorū succorū abundantia prodeat, à quibus, vbi ingentes sint prædictæ causæ, morbus magnus vel immineat, vel foueatur iam factus, nec cognoscat medicus hinc morbū magnum in huiuscemodi corpore nutriri, id est, in tali corpore talē esse affectū præter naturam, vt hinc immineat morbus magnus, vel si factus sit, foueatur, tunc medicus nō recte sentire dicitur; quod in medico magnum est erratum. Nam vbi hoc cognouerit, ab imminenti morbo ægrotantē præseruare, præsentē autem curare rationabiliter poterit. Vbi autem hoc non cognoscat, neutrum agens patientes propria perdet ignorantia. Qui in similes quoq; crebro labuntur morbos ex mala victus ratione, & ex vsu ciborum praui succi, qui vbi in venis collectus ac cumulatus fuerit, postea (vt inquit Gal. lib. 2. de alim. facul. cap. 6.) exiguā ad putrendū occasionem nactus febres malignas accendit. Quo casu, cum ad intra corpus morbi malefici soboles nutriatur, debet id medicus nouisse, & ante morbi ortum id prævidisse.

37 *Et si medicamento, aut potione quis opus habeat, quo ipsi opus sit, non cognoscas.*

Pars

PARS curatiua perficitur auxiliis aut interius exhibitis, aut exterius admotis: quæ vtraque cognoscenda sunt à medico, non modo quo ad qualitatem, verum etiam quo ad quantitatem, & quo ad modum, & quo ad tempus. Si autem medicus præsidia admouenda, nec qualia esse debeant, nec quanta, nec qua forma, aut modo, nec quo tempore administranda sint cognoscat, non rite, nec recte sentire dicitur, cum opportuna præsidia, & opportunum eorum vsum ignoret. Hoc explicans Hipp. inquit, si medicamento, aut potione, id est, si præsidiis exterius admouendis, aut interius exhibendis, (per medicamentum enim intelligit exterius admouenda, per potionem vero interius exhibenda) æger opus habeat, & medicus non cognoscat, quo auxilio egeat, male sentire dicitur: tenetur enim scire, & quo auxilio, & quanto, & quo modo, & quo tempore eo egeat. Vel medicamento, aut potione inquit Hipp. respiciens in morbis tam humorum peccantium alteratione, & coctionem, quam eorundē euacuationem: medicamentum enim proprie dicitur de euacuantibus præsidiis, potiones autem de alterantibus: quæ vtraque nouisse debet medicus morbum curaturus, nam & quibus ante euacuationem alterantibus, & quibus post alterationem euacuantibus vti conueniat, præcnoscendum est.

38 *Et si quæ sanari possunt, non sanes, & quæ curatu impossibilia sunt, te curaturum recipias.*

DIXERAT medicum non recte sentire, si ægrotantem superuicturum non superuicturum pronuntiet, & si periturum non periturum dicat: ex quo errore alter subsequitur error, nō eo minori calumnia, & vituperatione dignus. Etenim medicus, qui ægrotantem superuicturum non superuicturum iudicabit, tali nō audebit ægrotanti manum admouere, existimans, se lusurum esse opera, si huius curationi se accingat: & qui periturum nō periturum fore sentiet, audebit non tantum curationem tentare, verum etiam futurum esse saluum ægrotantem, eiusque salutem promittet. Ex quibus duo notabilia damna emergunt: alterum est, quod ægrotans, qui saluari potest propria, & debita curatione, defraudabitur, ac priuabitur: alterum erit, quod æger ille, qui saluari non potest, inde bis cruciabitur medicamentis. Hoc igitur est id, quod monet Hipp. videlicet quod male sentiet ille medicus, qui sanabilia non audeat curare, & qui sanatu impossibilia sanaturum se esse promittat. Animaduertendum est autem, quod Hipp. damnat medicum, non qui curet morbum impossibilem sanatu, sed qui morbum sanatu impossibilem se esse sanaturum recipiat, quoniam Hipp. respicit sententiam, non opus. An autem malum sit curare morbos curatu impossibiles, cum hinc ægrotantiū, vel potius pereuntium cruciatus inutiles, & medicamentorum calumnia impendat, nō ita liquet, cum desperatos superuixisse sæpius viderimus, & desperatam ægrotantium salutem multoties recuperatam conspexerimus. Quare sentio in grauissimis morbis, & qui lethalia habent adiuncta signa, ex quibus potius desperandum, quam sperandum de ægrotantis salute sit, non esse omnino destituendos ægros, sed esse cum protestatione curandos: ita enim se immunem ab omni culpa, morte superueniente, medicus custodiet, maximam vero, si inde subleuetur æger, sibi gloriam comparabit, & hoc maxime, vbi ardua, & notabilia medicamenta admouebit. Nec cruciatus ægrotantium debent terrere medicum, aut destinere ab opere, quoniam in desperatis casibus aliqua etiam tentanda sunt, & potissimum ea, quæ ex ratione conferre debent. Et hæc in ancipiti, & quam periculosissimo casu tentanda veniunt: quod si æger non tantum ægre habeat, sed ad mortem præcipiti ducatur cursu, tutius est ab omni valido abstinere medicamento, tum quoniam ista mortem accelerarent, tum quoniam apud cæteros admota præsidia calumniosa fierent.

39 *Atq; hæc quidem circa sententiam non recte fiunt.*

CONCLVDIT Hipp. omnia prædicta exempla pertinere ad sententiam medici, in his, quæ non recte fiunt. id est, in his, quæ non recte sentiuntur: etenim facta, & opera hinc excluduntur. Et ideo notaret dixi superius, Hippoc. damnare, non eos, qui morbos curatu impossibiles audent curare, sed eos, qui curantes huiuscemodi morbos, se eos sanaturos fore promittunt: cum hoc fit in sententia, illud in opere errare.

40 *Circa chirurgiam vero hæc: Pus in vlcere, aut tuberculo existens nō cognoscere, & fracturas, ac luxationes non cognoscere, & specillo admoto ad caput non cognoscere, an os fractum sit, & fistulam in vesicam demittere non posse: & lapidem in vesica existentem non cognoscere: & suppuratum existentem ex concussione non dignoscere: & secando, aut vrendo, aut à profunditate, aut à longitudine aberrare, aut vrere, & secare, quæ non oportet: & hæc quidem non recte.*

POSITIS exemplis eorum, quę circa sententiā non recte fiunt, nunc ad ea descendit, quæ circa opus nec recte fiant. Opus autem medicum duplex est, alterum chirurgicum, alterum non chirurgicum, sed physicum, id est, quod non manu medicus perpetratur. De chirurgico hic exemplificat, de physico antem inferius text. 42. Quoad chirurgicum autem inquit, nō recte fieri à medico, cum ipse vlcus, aut tuberculum contrectans, pus in eo existens nō cognoscit: sæpe enim vulnera inflammata suppurant, sicuti & multoties alii tumores, in quibus vbi pus collectum est, non est id à medico ignorandū, quoniam adaperiri locus id continens debet, & puri via ad excretionem danda, ne ibidem diutius detentum putrescens loca circumstantia male afficiat, simulq; sinus, ac cuniculus hinc inde efficiat. Pus autem in suppurata parte cognoscitur, præcipue ex inundatione materiæ ad compressionē loci affecti, quod idem attestatur tumoris remissio, & quo ad magnitudinem, & quo ad tensionē, & quo

ad ac-

ad accidentia, ac eiusdem in mucronem acuminata prominentia, & color ad album vergens, vel saltem præcedentis inflammationis color remissus, quæ omnia animaduertenda sunt à medico, vt de pure in suppurata parte existente rectè diiudicare queat. Nonnunquam tamen hoc medico non innotescit, licet vere contineatur in affecta parte, ob crassitudinem vel puris, vel loci: pus enim crassum non inundat, loci autem crassities est in causa, vt nullam, vel minimam mutationem recipiat à contento pure, cuius merito nec in colore, nec in magnitudine, nec in forma immutatur. Vnde euenit, vt non innotescat, quo casu non tactus, aut visus, sed solæ coniecturæ sumptæ à præcedentibus symptomatibus, ac subsequentibus, facere debent ad pus indicandum, nulla existente certa scientia, ad quem sensum non loquitur Hipp. sed ad alterum, videlicet quando visu, aut tactu discerni potest. Alterum opus chirurgicum, quod nō rectè fiat à medico, subdit esse, cum fracturas, & luxationes non cognoscat, scilicet ad tactum, & contrectationem partis affectæ; hoc enim eius opus proprium est, scilicet vt fracturas, & luxationes curet, quas vbi non nouerit, nec rectè curare potest. Non solum autem ad rectā curationem debet fracturā ipsam, & luxationem cognoscere, sed etiam cuius speciei sit fractura, & luxatio ipsa: varietas enim in his varietatem curandi indicat. Quare cum fracturarum aliæ sint per longitudinem, vel fractura integra, vel scissura tantū facta, aliæ per transuersum vel æqualiter factæ, caulides dictæ, vel inæqualiter, raphanides appellatæ, vel pro parte in extremitatibus in plura frustula comminutæ, farinales vocatæ, non modo debet medicus fracturam nouisse, verum etiam an sit per longum, an per transuersum facta, & si per transuersum, an sit caulides, an raphanides, an farinales. Luxationum autem pariter cum plures sint species, nam aliæ sunt, in quibus integre alterum os ab altero osse diductum extra proprium locum manet, exarthrima à Græcis, à nostris exarticu'atio dicta: aliæ sunt, in quibus non ex toto labitur os ab altero osse, à Græcis pararthrima, ab Arabibus declinatio, vel torsio vocata: aliæ sunt, in quibus os è sua sede non dimouetur, verum ad aliquod latus pertruditur, & dehiscit, à Græcis diastasis physeos, à nostris distantia commissuræ, vel laxatio commissuræ vocatur, debet medicus non tantum luxationem, verum etiam cuius speciei sit ipsa luxatio agnoscere, alias ab eo non rectè hæc iudicantur, aut perpetrantur. Quod autem inquit, non rectè etiam fieri, cum admoto specillo ad caput, nō cognoscit, an fractum os existat, intelligendū est, vbi in osse teli sedes remanserit, nam rimæ, & contusiones cranei specillo haudquaquam, sed visu tantum deprehenduntur. Fistulam autem immissam in vesicam demittere non posse, id est, syringā immissam non posse vsq; ad vesicæ cauitatē transmittere, est ex his, quæ nō rectè fiunt in opere chyrurgico. Illud autem, non posse, intelligatur non ex parte meatus, scilicet quia sit aut obstructus, aut constipatus, & angustiatus, cuius merito fistula admitti intus nequeat, cum talis impossibilitas nō arguat medicum haud rectè operantem, sed ex parte medici, qui nesciat syringam intro immittere, nam non recta immittitur syringa in vesicam, sed cum deuenit ad vesicæ collū, inuerti debet, quod multi ignorantes, aut cū difficultate, & ægrotantis noxa, aut nequaquam immittunt syringam intra vesicā, & inde, ꝑprio, & desiderato fine frustrantur. Quare per illam dictionem, non posse, audiamus, nescire, vt sit sensus, non rectè operatur medicus ille, qui fistulam immissam nescit in vesicam demittere, vt pariter male operatur ille, qui postquam in vesicam fistulā demisit, lapidem in vesica existentem non deprehendit. De hoc enim sæpe queritur, nihilominus qui ad amussim, ac perfectè artem nō assequuntur, raro lapidem, & hoc præcipue vbi sit paruus, adesse deprehendunt. Addit Hipp. & suppuratum existentem ex concussione non cognoscere. At si in his, quæ circa sententiam non rectè fiunt, posuit suppuratum existentem non cognoscere, cur in his, quę circa opus non rectè fiunt, iterum suppuratum non agnoscere apposuit? Differunt hæc duo ab inuicem, & differentia in hoc cōsistit, quod cognitio illa non rectè facta in his, quæ circa sententiam eueniunt, tota in coiecturis, & signis exterius deprehensis, de quibus lib. 2. Progn. agitur, consistit. At hæc, de qua nunc loquimur, cognitio, per opus inquiritur, & ex opere medici, quod est ægrotantis concussio, habetur. Vbi enim in thorace pus collectū abundauerit, quale in suppuratis accumulatur, si concutiatur æger, persentitur inundatio, quam si nō deprehendat chyrurgus concutiens, non rectè ab eo actio hæc perpetratur? Verū tamen hoc aduertatur, quod quandoque tanta est puris aut copia, aut crassities, vt nequaquam talis inundatio aut fieri, aut deprehendi possit, in quo casu summa est difficultas anhelitus, summaque grauitas thoracis inest. Quare non semper ad concussionem suppuratum cognoscere possumus, sed tantūmodo quando pus non est ita copiosum, vt omnes thoracis cauitates repleat, nec ita est crassum, vt motum & fluxibilitatem nō habeat. Quoniam autem suppurati quandoq; secantur, aut vruntur, vt in tertia huius libri sectione declarabitur, siue suppurati sint ventre superiore, id est, thorace, siue inferiori, id est, abdomine, ideo subiungit Hipp. ꝙ non rectè fit in tali opere, cum aut vrendo, aut secando aberrat medicus aut à profunditate, aut à longitudine, id est, quando medicus vrens, aut secans, vel non ita profunde, vt pus assequatur, vel nō ita longe, vt debitam longitudinis loci quantitatem attingat, vrit, aut secat: nam medicus hoc aut illud agens, debet ita ꝓfunde agere, vt cauitatem, in qua pus continetur, attingat, & ita ꝑ longitudinem operari, vt conuenientem excretioni puris meatum præparet, quam metā, vbi non attigerit, nō rectè egisse d'cetur. Sicuti & non rectè agit, vbi vrat, aut secet, quæ aut vrere, aut secare non oportebat. Suppurantur enim aliquando tumores in partibus neruosis, in articulis circa magna vasa, qualia sunt arteriæ, aut venæ magnæ, in quibus nec sectio, nec vstio conuenit. Quod si hæ actiones in prædictis casibus administrentur, multa mala superuenire solent: nam mutilationes mēbrorum, cōuulsiones, hæmorrhagiæ, dolores atroces,

ces, febres acutæ, quas vocabat Hipp. libr. 2. de frac. text. 23. & lib. 3. tex. 47. singultuosas, similiaq; alia praua accidentia superueniunt, ad quæ vitanda vitari etiam debet in enumeratis locis tum sectio, tũ vstio, nisi forsan putredines, & ingentes corruptiones ad has suppurationes sequantur, quo casu caustica, & ignita conuenire præsidia possunt ad domandam vi ignis putredinem, & corruptionem, alias mors inde ineuitabilis sequeretur. Et hæc quidem sunt ea, concludit Hipp. quæ non recte fiunt in opere chirurgico, nõ quidem sola, cum alia plurima, & plurima errata, vltra enarrata à chirurgo patrari possint, sed sufficiant ea, quæ dicta sunt, pro exemplificatione eorum, quæ in tali arte non recte, id est, non ex ratione, aut ex methodo fiunt.

41 *Recte autem fiunt hæc, morbos cognoscere, qui sint, & à quibus, & qui ipsorum longi, aut breues, & lethales, & nõ lethales, & qui transmutantur, & qui augescunt, & qui minuuntur, & qui magni, quiq; parui, & dum curas possibiles quidem curare, impossibiles vero scire, cur curatu sint impossibiles, & dum curas eos, qui tales habent, ꝑ curationẽ quantũ possibile est, opitulari.*

DECLARAVIT, quæ recte non fiant vel circa sententiam, vel circa opus chirurgicum, quare reliquum est, vt declaret (quoniam opposita iuxta se posita magis elucescunt) quæ recte fiant vel circa sententiam, vel circa opus idem chirurgicum. De hoc vltimo nihil agit, vel quia, cum primã tantum huic operi manum imposuerit, non omnia integre explicauit, vel quia per regulam contrariorum declaratis his, quæ circa sententiam recte fiunt, liquet, quę sint ea, quę circa opus chirurgicum recte fiant: illa enim his, quæ non recte fiunt, opponuntur, & hæc similiter his, quæ de opere chirurgico non recte operato superius notata sunt. Quare exemplo eorum, quæ circa sentẽtiam recte fiunt, patet, quæ sint ea, quæ circa opus chirurgicum recte fiant, quale erit cognoscere pus in suppuratis abscessibus, & fracturas, & luxationes, ac eorum varias species tam in cranio, quam in reliquis ossibus dignoscere, & scire fistulam vsque ad vesicam demittere, & lapidem in vesica existentem syringa immissa cognoscere, & suppuratos ex concussione, & contrectatione dignoscere, eosdemq; apposite vrere, aut secare, vrereque aut secare quæ tantum oporteat, abstinendo ab his, quæ aut secare, aut vrere non oporteat. Talia, & his similia, id est, ea, in quibus operando nullum admittit medicus errorem, sunt illa, quæ recte circa opus chirurgicum fiunt. Quoniam autem vltra opus chirurgicum adest & opus physicum, ideo nunc ad declarationem eorum quæsitorum, quæ circa sententiam in opere physico fiunt, descendit. Talia autem sunt ea, quæ opposita sunt his, quæ nõ recte fiunt. Hæc autem sunt, morbos cognoscere, qui sint, nam de eorum essentia non est à medico, qui curationem aggredi velit, dubitandum, alias in curando hæsitaret, & à quibus causis pendeant, quoniam hæ nos in cognitionẽ essentię morbi manuducunt, & qui sint longi, & qui sint breues, vt rectam victus rationem medicus præscribere possit, & qui lethales, & qui nõ lethales, vt vel salutem, vel periculum prænunciare queat, & qui in alios morbos transmutãtur, vt & morbi permutationem, & tam præcedentem, q̃ subsequentẽ rationabili coniectura morbũ cognoscere possit, & qui leuia, & debilia principia habentes, postea inualescunt, indiesq; augescunt, ne morbum incipientem dicat leuem, qui grauissimus futurus est. Talis solet esse vt plurimum epilepsia, quæ à leuiorib. accessionib. incipiens deludẽs patientem & astantes, postmodũ aucta, & cum validiorib. accessionibus ingrauescens, in dies magis excruciat patientẽ, & qui à principio cum grauissimis symptomatibus incipientes ex propria natura semper decrescunt, quales sunt synochæ febres cũ putredine coniunctæ, & qui magni, quales sunt omnes acuti, & q parui, quales sunt illi, in quib. nec læsio est ingens, nec sunt cacoethes, nec in mẽbro insident principali. Quibus additur, recte etiã fieri ex sententia, dum medicus sanabiles morbos curat ea intentione, vt curari possint; insanabiles autem curãs ea ratione curat, vt quantũ fieri possit, ægrotanti in eis opituletur, ea tamen sentẽtia & iudicio, vt cognoscat eos esse impossibiles curatu, simul cognoscens, ex quibus causis talis impossibilitas pendeat: debet enim medicus, dum curat morbos insanabiles, eorum sanationis impossibilitatem, & eiusdẽ causas cognoscere, & in eis curandis omni conatu eniti, vt ex admotis præsidiis, quantum fieri possit, ægrotanti iuuamentum, non detrimentũ præstet. Et hæc sunt ea, quæ circa sententiam recte fiunt, quibus adnumerentur cætera omnia, in quibus nec error, nec ignorantia, tum in iudicando, tum in agendo admisceatur.

42 *Quæ vero offerũtur ægrotis, ea sic obseruare oportet, rectene, an secus fiant, veluti si quis, quæ siccare oporteat, humectet, aut si crassefacere oporteat, non exhibeat, à quibus crassitudo inducitur, aut si quæ attenuare oportet, non attenuet, quæ frigefacere, non frigefaciat, quæ calefacere, nõ calefaciat, quæ putrefacere, non putrefaciat, & reliqua iuxta eandem rationem.*

DVPLEX esse opus medicũ constat, alterũ chirurgicũ, alterum non chirurgicum, sed physicum. De his, quæ circa opus chirurgicum nõ recte fiunt, egit text. 40. de his autem, quæ circa opus nõ chirurgicum nõ recte fiunt, agit in præsenti, dicens in his, quæ offeruntur ægrotantibus, debere medicum obseruare, rectene, an secus, id est, non recte, fiant. Quæ autem offeruntur ægrotantibus, vocantur à medicis oblata, per quę tam designãtur cibus, & potus, & medicamenta per interius sumenda, vt lib. 2. Aphor. 33. sumpsit Hipp. quam medicamenta exterius admouenda, sicuti libr. 3. Epid. sect. 3. text. 78. in caluo illo, qui Larissæ decũbens crure dolebat. Hæc autem oblata in ægris obseruare oportet, an recte, an secus fiant, respiciendo alterationes, quæ in ægrotantibus ex ipsis oblatis resultant, non enim cibus & potus ad nutriendum tantummodo ægris exhibetur, verum & ad alterandum pro ratione qualitatis, & intemperiei peccantis, & excedentis, sicuti & cætera omnia medicamẽta tã inte-

rius

rius sumenda, quam exterius admouenda administrantur. Nam hæc pro ratione affectus præter naturam contrariis agentia qualitatibus, corpus ad debitum temperamētum traducere debent. Qualitates autem istæ, quibus oblata tam quæ interius, quam quæ exterius admonentur, agunt, in triplici sunt differentia: aliæ enim sunt primæ, aliæ secundæ: aliæ tertiæ. Oblata illa agunt per primas qualitates, quæ per calidum, frigidum, humidum, & siccum operantur, siue hæc simplicia, siue ad inuicem composita sint. Quæ autem agunt per secundas, sunt illa, quæ habent vim molliendi, indurandi, digerendi, incrassandi, attenuandi, attrahendi, repercutiendi, coquēdi, detergendi, illinendi, exedendi, rarefaciendi, condensandi, laxandi, contendendi, infarciendi, infarcta liberandi, ora reserandi, ea contrahendi, putrefaciendi, vrendi, crustas inducendi, erodendi, similiaque alia, quæ mediantibus primis qualitatib. cum proportionata eorundē substantiis aguntur, faciendi. Quæ vero agunt per tertias sunt ea, quæ habent vim vlcera glutinandi, cicatrizandi, carnem generandi, sudores, vrinam, lac, semen, & menses prouocandi, & alia similia faciendi, quæ per primas, & per secundas concurrentes qualitates efficiuntur: nam hinc qualitates hæ dicuntur tertiæ, quoniam videlicet ad harum actionem primarum, & secundarum qualitatum actiones requiruntur. His possent addi, & connumerari ea, quæ nec per primas, nec per secundas, nec per tertias agunt qualitates, sed vt nonnulli aiunt, per quartas: quæ quartæ dicuntur, quonism nullis ex prædictis qualitatibus mediantibus, sed tantum ex propria natura, & substantia agunt, qualia sunt qualitates venenatæ, antidoti, multa amuleta, aliaq; plura, quæ tantum agunt à propria substantia, non à qualitate vlla: de quibus tamen cum nulla mentio fiat ab Hipp. nec eas in hoc loco recensui. Primarum autem, secundarum, & tertiarum memini, quoniam de primis agere intendit, dum docet non recte fieri, cum medicus, quæ siccate oporteat, humectet, & quæ frigefacere oportet, non frigefaciat, & quæ calefacere opus est, nō calefaciat. Differunt autem hæc ab inuicem, videlicet humectare siccanda, & non frigefacere frigefacienda, quoniam primum est agere id, quod non debet, secundum est non facere, & omittere id, quod debet, quorum vtrumque maximum affert detrimentum in curando; Licet horum deterius sit peccantem qualitatem intendere, quam eandem non remittere. De secundis vero meminit, cum inquit, non recte fieri, dum, si crassefacere oporteat, non exhibet ea, quæ vim crassefaciendi habent: aut dum attenuare oportet, non exhibet ea, quæ attenuare valent: aut si putrefacere opus est, putrefacientia non admoueat, quorum exemplo de omnibus, quæ per secundas agunt qualitates, cgisse intendit. De tertiis autem per ea verba, & reliqua iuxta eandem rationē, subintelligit, induens in his non recte fieri, vt si sudor, vrina, aut menses euocandi sint, eorum prouocatiua non exhibeantur, & alia his consimilia facienda omittantur, vel ex aduerso his medicus operetur, vt cum sudor, vrina, aut menses conueniat prouocare, ea exhibeantur, vel admoueantur ea, quæ sudorem sistere, vrinam firmare, & menses supprimere possunt: quæ duo mala non decet medicum patrare, quia ex primo non iuuat, ex secundo ægrotantes manifeste lædit. Quemadmodum autem hinc liquet, quando per oblata non recte circa ægrotantes fiat, cum oppositorum opposita sint rationes, hinc etiam liqueat, quando per eadem recte operetur medicus, quod erit, dum in triplici dictarum qualitatum genere non tantum non omittat facienda, sed etiā ex aduerso reluctans morbo ex diametro, & per contrarias qualitates ei repugnat.

43 *Talia autem sua sponte, ac casu hominib. in morbis fiunt tum bona, tum mala.*

PER septimum quæsitum vniuersale monebat Hipp. animaduertere, quæ tum bona, tum mala per fortuitum successum medici in ægris curandis faciunt. Hoc nunc declaraturus, antequam id exponat, prius explicat, quæ casu ægrotantibus in morbis eueniant, & hoc iure merito: cum enim casus, ac fortuna sint causæ per accidens, ambo; consimilis sint naturæ, iure si de fortuitis successibus agendum erat, primo de his, quæ casu eueniunt, agere debebat: casus enim in plus est, quam fortuna, cum omnia, quæ sunt à fortuna, sint etiam à casu, non autem omnia, quæ sunt a casu, sunt etiam à fortuna: nam conueniunt in hoc, quod ambæ sint causæ per accidens in his, quæ raro eueniunt; differunt autem in hoc, quod casus proprie dicitur de his, quæ naturaliter eueniunt, fortuna autem proprie dicitur in his, quæ per electionem, & per voluntatem fiunt. Et ideo quoniam quæ fiunt à medico, fiunt per eius electionem, & voluntatem, ea propter quæ raro eueniunt, & per accidens ex facto medici, dicuntur euenire per fortuitum successum: quæ autem contingunt in morbis raro, & per accidens præter opus medici, quoniam contingunt ex morbo, & naturę opera præter operationem cum electione factam, ideo dicuntur casu euenire. De his igitur, antequam descendat ad declarationem eorum, quæ per fortuitum successum operante medico fiunt, prius agere intendit, explicans, quæ casu ægrotantibus in morbis eueniant; quæ dicuntur casu euenire, non quia non habeant causam determinatam, quoniam in his, quæ casu eueniunt, etiam est causa determinata, cum omnis causa per accidens reducatur ad causam per se, & determinatam, sed quia cum hęc nec semper, nec vt plurimum, sed raro accidunt, ideo in his, in quibus hæc eueniunt, dicuntur casu accidisse. Casu autem proprie, & nō à fortuna hæc accidunt, quoniam hæc præter opus medici ex electione, & voluntate agentis ratione morbi eueniunt: cuius merito hæc eadem dicuntur, sua sponte fieri, cum ex opere naturæ, non ex opere voluntario hæc in morbo prodeant, quæ si in salutem ægrotantis redundent, bona, si in perniciem, mala appellantur.

44 *Febrienti, ac bilioso in tempore foras dispersabilis, bonum: diffusa vero ac dispersa sub cutem tot-*

leratu leuior est habenti, & curatu facilior sananti: diffusa autem, ac dispersa, & ad vnam aliquam corporis partem allapsa, malum.

NVNc incipit proponere exempla eorum, quę ægrotantibus in morbis eueniunt à casu, docens hoc primo exemplo à bile mota, quę vbi putrescat in venis, aliquando cum moueatur ad cutim, aliquando aũt ad aliquod determinatũ membrum irruit, qui motus dicuntur casu euenire, quoniam nec semper, nec vtplurimum in similib. febribus similes eueniunt motus, sed raro, & non ex opere Medici. Hic aũt motus bilis cum est ad cutim, si tẽpore opportuno contingat, id est, vltra sextã diem præcedente coctione accidat, bonũ est, & in salutẽ ægrotantis redundat, quoniam fit talis motus purgatis partibus internis, & transmissa materia ad externas, & nõ momentaneas. Si autem nõ ad cutim, sed ad aliquã determinatam partem, & potissimũ, si hæc pars sit ex principalibus, & momentaneis, fiat hic motus, malũ est, & in perniciem ægrotantis redundat, nam binc gignitur erysipelas, cum quo febris intensior & grauior euadit. Hoc igitur monet Hipp. dicens, si febrienti, ac bilioso, id est, si quis febriat ex bile ad intra vasa putrescente, vt in febre ardenti contingit, & bilis in tempore, id est, non ante septimam, & præcedentibus coctionis signis, ac pure critice ad cutim effundatur, bonum est. Bonum aũt est hoc tum ex parte ægrotantis, tũ ex parte medici curãtis. Illud, quoniã bilis effusa ad cutim purgatis partib. internis minus noxia est, q̃ dum in venis putrescens ibidem continetur, & ideo ægrotanti tolerabilior: hoc aũt, quoniã Medicus minus laborat in discutiendo bilẽ in cute existentem, q̃ in venis putrescẽtem, quare facilius curatur. In febre autem ex bile in vasis putrescente, si ipsa bilis ad aliquam irruat partem, & potissimum nobilem, & principalem, malũ est, quoniã hinc febris augetur superinducto erysipelate, & inde supradicto acutiori morbo. Dixit autẽ notanter febrienti, ac bilioso, nõ tantum, quia hic casus est pprius febtibus ex bile in vasis putrescente causatis, quales sunt ardẽtes, sed ẽt vt hunc ictertitiæ casum à febrib. non ex bile procedentibus, quoniã in his talis motus vel non fit, vel nõ proficue fit, reseruata in venis adhuc materia à prædominio peccante, & vt pariter excluderet ictertitias extra febrẽ causatas, quales sunt eæ, quæ gignũtur vel ratione durorum tumorum, vel ratione obstructionum iecoris, aut vasorum eius purgationi inseruientium, vel ratione superfluę calefactionis totius corporis, vel ratione venenatę qualitatis. In his enim talis motus nõ est proficuus, sed solũ est indicium vel prauę dispositionis, vel abundantiæ bilis. At in febre biliosa, cuiusmodi potissimum sunt ardentes, talis motus vtilis erit, si in tempore opportuno, id est, vltra sextã euenerit: nam si ante septimã hoc fieret, nõ amplius in tempore opportuno hoc diceretur factum, cum bilem indicatorie effundi ante septimam impossibile existat, cuius merito Hipp. lib. 4. aph 64. dicebat: Quibus in febribus morbus regius ante septimã diem accidit, malum, sed si bilis ante septimam in enarratis iam febribus non potest proficue effundi ad cutim, num effusio antea facta est semper mala, vel itã mala, vt sit lethalis? Præterea si bilis in septima iudicatorie effundi potest, num facta in septima tali effusione, vel etiam post septimam morbus regius supetueniens erit semper vtilis, ac proficuus, ita vt nunquam periculo vacet? Ad primum dico, quod morbus regius ante septimã factus semper est malus, quia fit materia adhuc cruda existente, ex quo vel difficile fit iudicium, vel non firmum, ad quod recidiua succedit, vel in longum tempus morbus prottahetur. Non tamen, si est simpliciter malus, necessario est lethalis, quoniam natura ex facta hac irregulari, & indebita effusione potest per aliam euacuationem crisim perficere, cuius rei manifestissimum exemplum habemus, lib. p. Epid. sect. 2. tex. 65. quo in loco declaratur, ictericos sexta die factos fuisse saluatos supplente natura euacuationẽ, vel purgatione per vesicam, vel excretione per aluum, vel sanguinis è naribus profluuio, vel omnibus his simul factis. Eos autem, qui nihil tale habuerunt, cum per nullam viam bilis excerneretur, periisse. Quare morbus regius ante septimam est malus, non autem lethalis, si natura huic imperfectæ, ac indebitæ crisi per aliam notabilem suppleat euacuationem. Ad secundum autem dico, quod si febris à sparsa fiat materia, semper talis motus erit proficuus, quoniam fit bile cocta existente: at si cum febre sit hepatis particularis affectus, vt puta obstructio, vel inflammatio, non semper eiusce modi bilis effusio erit proficua, imo erit aliquando periculosa, cum sequatur ad hepatis pravam dispositionem, quæ ex se potest esse periculosa.

45 *Aluus turbata in pleuritico, aut peripneumonico, aut suppurato, malum.*

IN pleuriticis, & peripneumonicis si affectus ad intra thoracem in solis membris spiritualibus terminetur, nec partibus naturalibus ob sui magnitudinem communicetur, alui profluuium superueniens, & potissimum, si signa coctionis adsint, proficuum esse potest, tum ratione euacuationis superfluitatum, & crementorum in corpore abundantium, tum etiam ratione deriuationis, quia hinc materia, quæ ad locum affectum fluere poterat, ad oppositam, id est, ad inferiorem deriuatur, quod per quotidianam comprobatur experientiam. Si autem adeo ingens affectus sit, vt hepate, aut ventriculo, aut cæteris nutritoriis organis etiam communicetur, indeque vel cibariis corruptis, vel non attracto ad hepar præ impotentia alimento, vel ex communicato affectu superfluentibus excrementis alui profluuium succedat, cum hæc omnia mala existant, aptaque sint virtutem dissoluere, nihilque proficere possint, cum materiam in thorace peccantem euacuare nequeant, malum erit. Qua ratione ductus Hippocrat. inquit, aluus turbata in pleuritico, aut peripneumonico, malum, quam eandem sententiam ex hoc loco in Aphorismos transponens, aliis verbis, & clatiore sermone explicauit, lib.

lib. 6. aph. 16. dicens. A morbo laterali, & pulmonia habito alui profluuiũ adueniens malum, nam per illud verbum, habito, denotauit hominem ab his morbis vexatum, affectumque, quo affligitur, ingentem esse, & ideo in his alui superuenientem fluxum malum esse. Quo autem ad suppuratos, nõ alia etiam ratione in his fluxus alui superuenit, nisi quia partes naturales simul cum his, quæ respirationi inseruiunt, sunt male affectæ: & ideo inter suppuratorum mala signa in prognosticis recensebat vrinas, deiectiones, & sudores malos: deiectiones autem malæ, & non naturales sunt in fluxibus, quę vbi sint naturales, & laudabiles, quoniam tales indicant quę ad ventrem spectant, sana esse, in suppuratis ibidem dicebat bona, & inter signa salutaria connumeranda fore, quoniã ex his liquet partes naturales bene valere, nec eas affectibus præcedentibus compati.

46 *Febrienti, aut vulnerato aluus relaxata, malum.*

IN omnibus morbis partes, quæ ad ventrem spectant, sanas, & robustas esse, bonum est, quoniã in his vis naturalis, à qua coctiones, & maturationes morborum fiunt, residet, & fontem, ac originem habet, indeque cæteris, ac remotis communicatur membris. Vbi autem sanæ, & robustæ sunt hæ partes, nec in his fiunt fluxus, vt dicebatur fieri in pleuriticis, peripneumonicis, & suppuratis, quæ malum erat, nec in his excrementa retinentur, sed pro ratione, & quantitate cibi, & consuetudinis excernuntur: quapropter in omni morbo resiccata, & adstricta aluus est malum, quia ad omnem morbum robur partium naturalium necessarium, & proficuum est. Earundem autẽ imbecillitas noxia est, siue ex his superflua succedat excrementorum euacuatio, siue eorundem excretio supprimatur. Horum autem suppressio in omni morbo est quidem mala, sed deterior videtur esse in febricitantibus, & in vulnera notabilia, præcipue autem in capite patientibus. In illis, quoniam excrementa retenta calorem præter naturam, & putredinem, indeque febrem fouent: in his autem, quoniã à fluxiones hinc percitantur, & augentur. Dixit autẽ Hippocrat. in febrientibus, & vulneratis aluum suppressam malum esse, non in eu significato, quod pro malo lethale intelligendum sit, quoniam talis suppressio nequaquam lethalis est, licet sit noxia, sed in eo sensu, quod pro malo noxium, & vtilitate carens audiamus: etenim præter id, quod in his inutiliter aluus supprimitur, etiam talis suppressio noxia ob subsequentem excrementorum, à quibus plura mala succedunt, retentionem existit.

47 *Subaquoso, ac lienoso ab alba pituita detento, aluus fortiter turbata, bonum.*

TRES sunt hydropis species, videlicet Ascitis, Anasarca, & tympanitis. Prima dicta est Ascitis ab vtre, quoniam in ea continetur aqua in ventre, tanquam in vtre, quæ sumpto nomine ab aqua contenta vocatur etiam aqua inter cutem: non quidem, quod intra cutem contineatur, sed quia infra cutaneas partes retenta est, & ideo in hac in ventre ad compressionem non remanet fouea, nec vllum digitorum in comprimendo vestigium recipit, aut reseruat. Secunda dicta est Anasarca à materia, quæ carni in toto corporis ambitu adhæret, sed nequaquam assimilatur: quæ materia, quoniam est pituitæ soboles, ideo quandoque hic morbus dictus est leucophlegmatia, quasi dicas, pituita alba, quę alba dicta est, tum quia pituita sui natura talis est coloris, tum quia hinc corpus viuidum deperdens colorem pallescit, & albescit, in hac autem quoniam materia adhæret, & non assimilatur, nec transmutatur in partis substantiam, ideo ad compressionem cedit, & hinc fouea, & digitorum vestigium ex compressione reseruatur. Tertia dicta est tympanitis, quoniam ad percussionem ventris redditur tympani sonitus: & hoc, quoniam materia in ventre contenta, quę hunc affectum parit, à prædomin o est flatus. De hac vltima specie non loquitur Hippoc. quia hæc potius discutientibus, & roborantibus, quam euacuantibus curatur, sed de prima, & secunda tantum sermonem habet. De prima sub illo nomine, subaquoso, de qua libr. 6. Aph. 14. dicebat: Ab aqua inter cutem habita, si aqua è venis in ventrem defluxerit, soluitur morbus. De secũda vero sub illo nomine lienoso ab alba pituita, intellexit, de qua lib. 7. Aphorism. 29. dicebat: Qui alba pituita detinetur, si fortis ventris fluxio superuenerit, à morbo liberatur. Hoc autem in loco vtraq; sub vna sententia comprehendens inquit: subaquoso, ac lienoso ab alba pituita detento aluus fortiter turbata bonum. Sed cur hic dixit lienoso ab alba pituita detento, quasi quod leucophlegmatia non fiat, nisi in lienosis? Apposuit Hipp. lienoso, quoniam talis affectio, non quidem semper, sed vt plurimum occasionem habet ex lienis vel scirro, vel obstructione, vel imbecillitate, quorum merito traducatur hepar ad intemperiem frigidam. At si hæc leucophlegmatia habet ortum, & occasionem à liene, quomodo denominatur alba, cum ab ipso liene affectus dependẽtes colorem ad nigrum in patientibus immutent? In omni leucophlegmatia ob superabundantẽ pituitosum succum color est albus, verum in his, qui habent ortum, & fiunt hepate primario affecto, color ille albus in subcandidum vergit: in illis vero, qui primario affecto liene gignuntur, non in subcandidum, sed ad subnigrum reddunt colorem. Hoc docebat Hipp. lib. 2. Epid. sect. p. text. 20. monens & hydropes, & ictericias ab hepate primario affecto laborante pendentes causari colorem p lidum cum albo coniunctum; si autem h c color pallidus cum nigro sit admistus, & ad nigrum vergat, has hydropes, & ictericias fieri, & causari liene primario affecto. Eius autem hæc sunt verba: Quibus quod est inter abdomen, & cutem inflatũ est, & non subsidet, & color qualis valde pallidus, is, qui ex albo colore, ab hepate totum, quod huiusmodi, & ab hoc hepatici morbi in his, & icteri ab hepate in subcandidum, & aqua inter cutem laborantes, & leucophlegmatici: qui autem à splene nigriores & hydropes, & icteri Hæc Hipp. At quo ad

sententiam hoc in loco positam, & quo ad eas, quæ ad huius conformitatem in Aphorismos transcriptę sunt, animaduertito, has non ita simpliciter recipiendas esse, nam plurimos hydropicos ex nimia alui fluxione vidimus exanimatos, habemusque sententiam in principio lib. 2 Progno. docentem, quod in aqua inter cutem ex morbo acuto ortam, quæ ex inani parte, & lumbis principium habeat, alui fluor diuturnus subsequitur neque dolorem, partes dictas affligentem, exoluens, neq; ventrem molliens, & in summa nihil iuuans: si autem hoc, ergo in his aluus fortiter turbata, non semper bonum est. At ad hoc distinguendum, scilicet quando per dictas alui fluxiones vel morbus soluatur, vel æger in maius deducatur periculum, & tandem morti succumbat, hæc vniuersalis assumatur regula ab ipso Hipp. explicata, videlicet, quod in omni morbo, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, id est, si ea, quæ purgare oportet, quia vel faciunt, vel fouent morbum, purgentur, & euacuentur cum omnibus requisitis conditionibus, videlicet natura superante, & deuicta materia, inde ægri iuuantur. Si vero non sint talia, id est, si purgentur ea, quæ morbum vel non faciunt, vel non fouent, & purgentur non prædominante natura, sed symptomatis vice, talis euacuatio nō modo nō confert, verum etiam sæpius est noxia. Hæc norma determinandum est de alui fluxu, in hydrope superueniente, siue sit ascitis, siue anasarca: si enim materiæ facientes morbum, & eundem fouentes, euacuentur in his per alui fluxum, hinc vtilitas ægrotanti, & solutio morbi succedere potest, nam in ascite educta aqua, in anasarca autem alba illa pituitosa materia exiens potest morbum soluere, & hoc præcipue, vbi hoc vi superantis naturæ contigerit. Si autem in his alui fluxus superueniat, non educta materia peccante, aut morbum faciente, sed quia languente calore innato, vis contentiua labefactetur, vel quia cibus in ventriculo corrumpatur, & alimenta non concoquātur, vel quia chylus ab hepate non attrahatur, vel quia plurima in morbo fiat excrementorū generatio, sicut in aqua inter cutem ex morbo acuto, quæ ortum habeat à lumbis, & inani parte, tales fluxus non tantum non prosunt, verum etiam lædunt. Sed cur dictum est ab Hipp. loquente de ascite: Ab aqua inter cutem habito, si aqua è venis in ventrem defluxerit, soluitur morbus, si materia aquosa, vt dictum est, continetur in abdominis cauitate, non autem in venis? Ad hoc sciendum est, aquam in ascite vere contineri in cauitate ventris intra peritonęum, ad quem locum sicuti exudat à iecore per cæca, & occulta spiracula, ita si ab eo debet ad ventrem descendere, per similia spiracula ad venas mesęraicas, per quas patens, & clarum habet ad intestina transitum, transmeare debet. Quoniam autem per has venas, si per secessum excernenda est hæc materia, necessario à cauitate abdominis ad cauitatem intestinorū transire debet, ideo dixit Hipp. quod si in ægrotante ab aqua inter cutem detento, id est, ab ascite aqua defluxerit è venis, id est, per venas mesęraicas in ventrem, id est, in cauitatem intestinorum, (intestina enim vocantur ab antiquis inferior venter) soluitur morbus. Animaduertendū tamen est, quod licet ascitis appelletur aqua inter cutē, & dicatur in ascite aquam tam generari, quam intra abdominis spatium contineri, nihilominus materia hæc, quæ aquosa quidem ratione fluxibilitatis dici potest, & quæ vtplurimum tenuis, & aquosæ substantiæ existens lotium æmulatur, quandoque est adeo crassa, vt non tantum lactis substantiam repræsentet, verum etiam quandoq; superet, lac pariter in colore repræsentans. Talem vidi ego quandoque materiam excretam in ascite facta euacuatione spontanea, & solo naturæ motu, & hac non modo per ventrem demissa, sed etiā quandoq; per lotium excreta morbū solutum animaduerti. Specialiter autē in moniali diu ab hoc morbo detenta, & inde vsq; quaq; præterq̄ in ventre, qui tumidissimus erat, emaciata vidi hunc morbum solutū per solā purgationē, per lotium factam. Lotiū autē, & substantia, & colore pariter lac æmulabatur, & quotidie copiosum excernebatur, qua euacuatione p plures dies, & vsq; ad duos fere menses quotidianis excretionibus perseuerantibus protracta, factū est, vt non tantū ventris tumor detumesceret, verū etiam seruata victus, & medicamentorū optima ratione, morbus in totū solutus fuerit, hincq; sana vixerit, adhucq; in totū sana viuat. Nec in hac magis laboraui, quā in restituendo abdomine ad propriam, & debitā formam, cum excreta illa materia cutis, & pars abdominis musculosa tota reddita fuerit tanquam marsupium vacuum, vnde summa, & notabilis huius quantitas hinc inde superfluens, & modo ad hanc partem, modo ad illam protracta, & corrugata valde illi molesta erat. Factum autē tandem est, vt sicuti à morbo in totum libera euasit, ita etiam ad ppriam figurā restitutū sit abdomen. Hęc autē narrasse volui, cum vt notū sit, hanc materiam non semper substantia, licet fluxibilitate, aquosam esse, tum vt innotescat id, q sancitur ab Hippo. de huius morbi per alui fluxionem solutione, verificari etiam de excretione per lotium. Quæ excretio quomodo fieri possit, cum nulla videatur communicatio vasorum à cauitate ventris ad vreteres, satis dubitari posset? At cum plura sint spiracula naturæ nota, nobis ignota, per quæ totum corpus ad inuicem, & vicissim conspirabile, & transpirabile est, cui erit dubium naturam posse traducere hanc materiam in cauitate abdominis existentem ad emulgentes venas, & inde ad vasa vrinæ inseruientia? Nisi dicamus hanc materiam à cauitate ventris per eadem cæca spiracula, per quæ à iecore exudauit, remeare ad iecur, & inde ad venam cauam, à qua vel transmissa, vel attracta ad emulgentes venas per renes ipsos, inde postea per lotium excernatur, quæ via sicuti non est improbabilis, vigente & dominante natura, ita non est certa, cum demonstratiuam huius affectus scientiam nō habeamus. Hac eadem per lotium euacuatione nō solum ascitē, sed & leucophlegmatiā solui posse statuendum est, cum in hac cōsensus patentior ob venarū, & vasorū communicantiā adsit, cum tamē materia iam extra venas transmissa in hoc morbo existat,

maioq;

maior etiam naturæ conatus in hoc, quam in dicto aſcitis caſu, requiritur, cuius merito dictum eſt ab Hipp. fortem debere eſſe fluxum ventris, qui morbum huuc ſoluere queat, cum inquit: Qui alba pituita detinetur, ſi fortis fluxus ventris ſuperuenerit, à morbo liberatur. Etenim leuis naturæ motus non poteſt materiam iam adhærentem, licet non aſſimilatam, excernere. Sed maior requiritur conatus, & ideo ad huius morbi ſolutionem fortis ventris fluxio debetur, quemadmodum pariter debetur, ſi per lotium ſolui debet fortis per vrinam excretio: quapropter in huiuſcemodi caſu virtus fortis, & potens requiritur, alias vel materia non agitabitur, vel ſi commouetur, virtus ad morbi ſolutionem non ſufficiet.

48 *Eryſipelas ſi extra diffuſum introuertatur, malum. Si vero intro diffuſum foras vertatur, bonum.*

HÆc ſententia licet ſit ſingularis, & de ſolo eryſipelate verba faciat, nihilominus de omni verificatur morbo: quare pro exemplo vniuerſalis ſententiæ recipiatur. Nam in omni morbo transmutari malum à partibus intimis ad cutaneas, bonum eſt, ſicuti ex aduerſo à partibus cutaneis ad intimas verti, malum eſt. Ad quẽ ſenſum tranſcripta ab hoc loco eſt hæc ſententia ad verbum in aphoriſmos lib. 6. aph. 25. vt in com. Gal teſtatus eſt. Talis autem caſus vel iſt ille, in quo ab exteriorib. ad interiora, vel ille, in quo ab interiorib. ad exteriora fit morbi tranſmutatio, ſunt vere caſus, quia tales tranſmutationes non fiunt ex opere medici, ſed ſolo naturæ ductu, & ſunt de his, quæ raro eueniunt, & quæ non ex ratione morbi fiunt: quia ſi hæc ratione morbi fierent, non raro, ſed vel ſemper, vel vt plurimum euenirent: quare ſimpliciter ſunt caſus. Exemplum autem de eryſipelate potius, quam de alio morbo exemplo propoſitum eſt, tum, quoniam hic caſus cæteris eſt frequentior, tũ quoniam ratione tenuitatis, & caliditatis materiæ in eo peccantis eſt facilior. Si autem frequentior, & facilior exiſtit, iure tanquam aliorum morborum exemplar, & idea propoſitus fuit.

49 *A profluuio alui forti correpto vomitus ſuperueniens, bonum.*

QVod in diarrhæa vehementi vomitus ſuperueniat, duplex poteſt eſſe ratio, ſcilic. vel quia copioſa exiſtente materia, non tantum ad inteſtina fiat effuſio, ſed etiam quis ad ventriculum eius pars demandetur, cuius merito vomitus cauſetur: vel quia materia poſtquam per alui fluxionem, pro maiori parte expurgata & imminuta fuerit, opere naturæ ad ſuperiora, & inde ad ventriculum, cuius ratione fiat vomitus, retrahatur. In primo caſu vomitus ille non eſt bonus, ſed potius malus, quia materiæ copiam, & ſuperabundantiam, affectum choleræ ſimilem cauſantem, ſimulq; ventriculum, & inteſtina labefactantem indicat. Qui autem in ſecundo caſu ſuperuenit, bonus eſt, cum vtilitas retractionis ratione inde perueniat. Natura enim potius materiam à partibus inferioribus ad ſuperiora retrahit, hincq; facile ſiſtitur aluus, tum quoniam materia iam pro maioris parte eſt imminuta, tum quia ab inteſtinis ad ventriculum eſt retracta. Et quoniam hæc ſententia ad huuc ſenſum, ſi recte explicanda venit, eſt intelligenda, ideo Hipp. ad clariorem doctrinam quibuſdam mutatis verbis, hanc inter aphoriſmos lib. 6. apho. 15. regiſtrauit, dicens: A longo alui profluuio habito ſpõtaneus vomitus ſuperueniens morbum ſoluit. Porro dixit in longo alui profluuio hoc contingere, quoniam in recenti, & qui parum durauit, plurima poteſt peccare materia, quæ ex ſuperabundanti copia fluens, per inteſtina poteſt pro parte etiam tranſmitti ad ventriculum, & inde vomitum inutiliter cauſare. In longo autem neceſſario pro maiori parte expurgata eſt, & imminuta, qua re tracta ad ventriculum facile ſiſtitur fluxus, & ideo cum in præſenti ait: A forti alui profluuio, non audiamus pro forti, profluuium illud, quod eſt vehemens ratione ſymptomatum, ſed illud, quod inceſſanter longo tempore afflixit, & per vomitum intelligamus non eũ, qui arte procuratur, ſed ſpontaneũ, ita in aphoriſmis vocatũ, & ſolo naturæ motu factũ.

50 *Mulieri ſanguinem vomenti menſes erumpere, bonum, à fluxione vero infeſtata ad nares, aut os fluxionem tranſire, bonum.*

VTILITATIS ad hos duos caſus ſubſequentis cauſa eſt retractio, pari ratione, ac dicebatur eſſe in ſuperiori caſu: nam vbi in muliere, ſanguine ſuperfluo ac copioſo abundante, eiuſdem ſanguinis fiat euacuatio per vomitum, cui dubium, ſi facta retractione ad inferiora, ſanguis ad naturalem excretionem deriuetur, indeq; menſes erumpant, quod bonum erit. Pariter etiam erit proficuum, vbi vel menſes immodice, ac ſuperflue eant, vel aliud vteri profluuium adſit, ſi facta humorum ad ſuperiora retractione, ſanguinis aut per nares, aut per os ſuperueniat excretio. Etenim hinc moles ſanguinea imminuitur, ſimulq; ad ſuperiora facta deriuatione ſuperflua, ac immodica, vteri purgatio ſiſtetur. Primum caſum regiſtrauit li. 5. aph. 32. ſimpliciter dicens: Mulieri ſanguinem euomenti, menſibus erumpentibus, ſolutio. Secundi autem explicite non meminit: at quoniam contrariorũ contrariæ ſunt rationes, ideo hũc caſum ſub enarrato apho. argumento ab oppoſita ſententia ſumpto, includi intelligendum eſt. Qui duo euentus cum nunquam accidant, nec hoc fiat vel ab arte, vel ab alia determinata cauſa, ſed ſola operante natura per aliquod accidens, ideo vere hi dicuntur à caſu fieri, & caſu contingere. Nam talia præter expectationem, ac operationem, & præter intentionem medici curantis eueniunt, & ideo caſualia ſunt: ſicuti & caſu quandoq; accidit, vt (quemadmodum lib. 6. aph. 33. habetur) Menſtruis deficientibus ſanguis ex naribus erumpens, bonum ſit. Hoc autem non ratione retractionis, ſed ratione euacuationis ſanguinis ſuperflui, & ſuperabundantis ob ſuppreſſos menſes: vndecunq; enim ſuppreſſis menſibus fluat ſanguis, ſemper bonum eſt. Bonum quidem, quia quantitas ſuperflua

immoritur, licet non sit simpliciter bonum, cum per viam naturalem non fiat excretio, & euacuatio ex præscripto naturæ naturalis.

51 *Mulieri à conuulsione pressa ex partu febrem superuenire, bonum.*

HOc existit exemplum particulare eorum, quæ vniuersaliter enuntiantur in aphorismis. Is his autem lib.2.apho.26. dicebat, febrem conuulsioni superuenire bonum, per conuulsionem eam intelligens, quæ à repletione meri o humorum frigidorum causatur, cui superueniens febris, ea ratione vtilis esse potest, quoniam hinc calefieri, extenuari, & dissolui possunt humores illi, nisi febris esset adeo ingens, vt non tantum humores præternaturales, sed etiam naturales ac partes solidas dissoluat, cuiuscemodi sunt febres acutæ, & ardentes. Talis autem conuulsio, sc. quæ ex plenitudine ab humoribus frigidis & crassis pendente generatur, cum quandoq; superueniat puerperis, transmissa humorum frigidorum non purgatorum mole ad neruos, in hac quoq; vtilis erit febris superueniens, quoniam hæc poterit calefacere, extenuare, & dissoluere humores neruos occupantes & replentes, nisi febris sit, vel ardens, vel acuta, vel insequens ad aliquam partium internarum, & potissimum vteri inflammationem, ad quam subsequi solent febres synochæ, & ingentes. Euiuscemodi autem febres essent noxiæ, quoniam ex altera parte aptæ sunt tollere puerperas. Cum igitur in his consimilis non superuentat febris, sed quæ tolerabilior existat, vbi deprehensa fuerit à conuulsione, bonum erit, bonum sane ratione aptitudinis, quam habet ad dissoluendos, & discutiendos humores conuulsionem causantes, licet in se non simpliciter bona, sed mala existat.

52 *Et tetano, & conuulsione occupante, igneum ardorem superuenire, bonum.*

CONVVLSIONVM corpus totum occupantium tres sunt species, sc. emprosthotonos, opisthothonos & tetanus, ex quibus grauior est tetanus, quoniam ex primis illis duab. speciebus, quæ in se sunt graues morbi, componitur, & constituitur. Nam cum in prima specie ad anteriora, in secunda ad posteriora conuellatur corpus, in hac tertia facta tam ad anteriora, quam ad posteriora pariter conuulsione, corpus nec in hanc, nec in illam declinat partem, sed rectum manens æqualiter a d vtrasq; partes conuulsum remanet. Huius igitur exemplo docet, febrem in his superuenientem prodesse posse rationibus superius enarratis, dicens: Tetano ac conuulsione occupante igneum ardorem superuenire, bonum. Tetano autem subdit, conuulsione, vt quod in tetano dixerat, in omni conuulsionis specie verificari doceret. Dixit autem ardorem igneum, non per hunc febrem ardentem intelligens, quia hinc perirent citius ægrotantes, quam ex solo tetano, cum ob ardorem internum diurentē, tum ob difficultatem respirationis, cuius maxima requiritur necessitas in eiuscemodi febre, superuenientem: sed per igneum ardorem audit calorem præter naturam, notabilem sane, vt discussioni humorum sufficere possit, talē tamen, qui per se non sit grauis, nec necare ægrotantem aptus. Et ideo iure merito libr.4. apho.57. simpliciter hanc sententiā registrauit, dicens: Qui à conuulsione, aut distentione neruorum tenetur, febre superueniente liberatur. Dixit autem simpliciter, febre, non febre ardente & acuta, quia hæc mala, illa bona.

53 *Talia enim per nullam medicorum ignorantiam, aut scientiam fiunt, & non fiunt, sed sua sponte, ac fortuito casu contingentia & prosunt, & nocent, iuxta eandem rationem.*

CVR euentus superius enarrati, quorum plura proposuit exempla, casu euenire dicantur, nunc explicat, dicens, hæc casu fieri, quia hæc accidentaliter in morbo eueniunt, nulla concurrente aut ignorantia, aut scientiā, aut negligentia, sed nec opere medici, quę eadem dicuntur, vel sunt aut bona aut mala, prout vel prosunt, vel nocent. Etenim si illi euentus faciunt ad ægrotantis salutem, dicuntur bona, si ad perniciem, & malum, appellantur mala. Dixit autem iuxta eandem rationem, quia sicut fiunt, & non fiunt per nullam medici aut ignorantiam, aut scientiam, ita etiam prosunt, & nocent non per vllum medicum opus, sed ex sepsis, & ideo dicuntur tam casu euenire, quam casu aut prodesse, aut nocere. Et hæc de his, quæ ad septimum spectant quæsitum, quoad partem eorum quæ casu fiunt, & non fiunt. De his vero, quę ad idem quæsitum pertinent, quoad partem eorum, quæ à fortuna accedunt, in sequenti acturus ita incipit:

54 *Cæterum medici talia per fortuitum successum bona in curatione faciunt, nimirum si medicamento seorsum purgante dato, & sursum & deorsum probe purgant.*

EXPLICATIS his, quę casu in morbis fiunt, nunc explicat ea, quæ à fortuna eueniunt. Ea autem sunt, quæ operante medico præter eius tum intentionem, tum expectationem contingunt: quale hoc est, si quis pluribus abundans excrementis, in pluribusque partibus scil. tam infernis, quam supernis existentibus purgandus sit, medicusque ei pharmacum per superiora tantum purgans exhibeat, indeq; purgetur æger non tantum per superiora, sed etiam per inferiora, ita vt non tantum per vomitum, verum etiam per secessum euacuetur, hic euentus dicitur fortuitus, & non tantum fortuitus, sed etiam bonus dicendus erit, quia in ægri salutem, hinc integre toto corpore expurgato, redundat. At vnde fit, vt propinato medicamento deorsum purgante, non solum deorsum, verum etiam sursum purgetur æger? hoc inde fit, vel quia portio materię expurgandę in ventriculo, & circa primas venas continetur, quæ ex agitatione pharmaci commota potius ex commoditate loci, & irritatione facta ad os ventriculi educitur per superiora, quam per inferiora: cuius ratione videmus sæpe ægrotantes non tantum eas materias exhi-

exhibito pharmaco euomere : verum etiam creberrime ipsummet pharmacum per os reiicere, & hoc præcipue vbi pituitosi humores os ventriculi, & partes eius superiores obsederint. Hi enim ex pharmaci tum calore, tum irritatione commoti ad superiora motum capiunt, & inde sæpe cum pharmaco euomuntur. Vel quia biliosa materia abundante ob sui tenuitatem & leuitatem ex pharmaci irritatione, & attractione ad os ventriculi aut sublevata, aut attracta simul, & per superiora vomitu, & per inferiora secessu euacuatur.

55 *Et si mulieri medicamento dato quod bilem aut pituitam deorsum purgat, menses alias non fluentes erumpat.*

EORVM, quæ per fortuitum successum eueniunt, alia ad vtilitatem, alia ad detrimentum ægrotantium eueniunt. Quę ad vtilitatem, dicuntur bona, quæ ad detrimentum, dicuntur mala. facta à medico, & hoc quoniam ex facto medici, licet per accidens, ac præter eius intentionem & expectationé, vtilitas illa, vel damnum illud resultat. Cũ igitur alia sint bona, alia auté mala, incepit superius Hipp. ab exemplificatione bonorum, in quibus enumerandis adhuc perseuerans ait: si mulier expurganda veniat, in qua, bile aut pituita peccante, hic humor, aut ille sit euacuandus, cuius merito exhibeatur bilem, aut pituitam purgans, mulierq; ista suppressionem patiatur mensium, indeq; fiat, vt purgato corpore erumpant menses, eruptio hæc mensium bona sane est, quoniam naturalis & necessaria est euacuatio, fortuita vero, quoniam præter medici intentionem, qui vltra purgationem nil aliud intendit, cum tamen ex medici opere contingat, euenit. Talis auté mensium eruptio huic purgationi succedit : quoniam vel hinc materia obstruens tollitur, vel quia hinc purgato sanguine, & fluido facto natura alleuiata, reliquias sanguinis ad destinata loca propellit, & inde menses, qui prius supprimebantur, fluunt, vel quia ex irritatione à pharmaco hinc commoto sanguine, & humoribus agitatis ad vterum natura sanguinem transmittat.

56 *Et si lienem suppuratum habenti medicamentum dederint, quod bilem, aut pituitam deorsum purget, & sic pus deorsum à liene expurgent, & a morbo liberent.*

LIEN sanguine terrestri, crasso, ac melancholico nutritur, cuius ratione sæpius scirros patitur, raro autem inflammatur, si tamen inflammetur, talis inflammatio ob sanguinis crassitiem difficulter discutitur, ex qua difficultate sæpius succedit, vt ad suppurationem veniat, quo facto nulla est via ad hoc pus excernendum, prçterquam per secessum. Quæ enim per vrinam fit euacuatio, nullam habet cum hoc viscere communicationem: quæ autem per vomitum, nec huic est opportuna, nisi fiat ab intestinis ad ventriculum materiæ peccantis regurgitatio, sicuti quandoque vidi factum in suppurato liene. In eiusmodi igitur suppuratione, si medicus ad expurgandum corpus exhibeat pharmacum bilem, aut pituitam ducens, eoque exhibitu erumpat pus per secessum, & inde liberetur æger, talis puris eruptio est fortuita, quia ex opere medici prodit, licet præter eius intentionem, ac expectationem procedat, & præter id, quod sit fortuita, etiam bona exist.t, cum ægrum à morbo releuet. Ad eiusmodi autem pharmaci exhibitionem hæc puris eruptio subsequitur, quoniam agitato corpore ex medicamenti acrimonia, disrumpitur abscessus, & inde pus exit. Sed cur dictum est, euacuationem per lotium nullam cum hoc viscere communicationem habere, cum Bion, de quo lib. 2. Epid. sect. 2. text. 28. habẽs splen in gibberũ elatum durum, superstes à morbo fuerit, concurrente cum sanguinis ex sinistra nare fluxione etiam copiosa vrinæ excretione? Materia præcedens, & quæ morbum in liene factum fouere, & augere posset, cum in venis, & vasibus abundet, potest per lotium excerni in lienis affecti vtilitatem. At quæ coniuncta est, & in loco affecto continetur, cum lien vasa communicantia cum vasibus vrinæ inseruientibus communia non habeat, nequaquam per lotium educi potest. Illa erat in Bione, & ideo illa excretio vtilis fuit, non tamen soluit morbum, quia per eam non poterat euacuari materia coniuncta, quæ cum superesset in illa crisi, ideo inre recidiua in eo facta est. Hæc autem est in casu suppurantis lienis, cum in eo materia contineatur, quę non vrinariis vasib. sed deiectoriis communicatur.

57 *Et si medicamento exhibito calculoso, calculum in vrinarium meatum, præ pharmaci violentia protrudant, vt per vrinam eiiciatur.*

EX calculis, qui in membris lotio inseruientib. generantur, alii in renibus, alii in vesica fiunt. De his nequaquã, sed de illis loquitur, qui calculi renes vel grauantes, vel dolore cruciantes, sæpe pharmaco purganti exhibito, & hoc præcipue, si medicamentum acre & validum existat, extrudatur à proprio loco, & inde ad vreteres, & postea ad vesicam protruduntur, & tandem per lotium excernuntur. Hoc à fortuna quandoque euenit, vt nonnunquam in his, qui nullam calculi suspicionem haberent, ab exhibito pharmaco excreuisse lapides viderim. Dixit autem Hipp. præ pharmaci violentia contingere, non audiens eam violentiam, & vehementiam, quæ vel ob auctam dosim, vel ob incorrectionem apta sit superpurgationem petimere, sed eã, per quã medicamentum acre, & validum existens potest irritare, & materias contentas commouere: quæ enim debilia, & leuia sunt, lapides ex proprio loco exturbare nequeunt.

58 *Et si medicamentum dederint, quod pituitam sursum purgat, et, qui pus in superiore ventriculo in tuberculo habet, non scientes, quod habet, isque pus vomat, ac sanus fiat.*

CIRCA pulmonem, & circa thoracis cauitaté, aggenerantur, & adnascuntur nõnunq̃ tumores quidã, quorum alii fiunt per fluxionem, alii per aggregationem. Per fluxioné factos voco eos, qui confluentibus fiunt aliunde humorib. quomodo gignun-

gignuntur inflammationes, erysipelata, cæterique huiusce classis tumores. Per aggregationem voco illos, qui à materia ex parte illa secreta, siue sint excrementa, siue humores eodem transmissa, & illic aggregata generantur: eiusce modi sunt tubercula, & vomicæ dictæ. Hæc autem tubercula sunt duplicia: alia enim à cruda illic aggregata generantur materia, quę etiam cruda tubercula vocantur, quia non suppurant, sed diuturno tempore permanentia & indies aucta alteram dispneæ, & asthmatis differentiam à crudo tuberculo causatam inducūt, & tandem, nisi medicamentis validioribus discutiatur, suffocant. Alia autem fiunt vel à sanguine ex aperta, exesa, aut rupta ob aliquam violentiam vena, in paruam quandam pulmonis partem secedente, illicque putrescente, vel à copiosis eiusdem partis excrementis illic collectis, & aggregatis: hæcque duo tuberculorum genera habent duo peculiaria, alterum, quod in collectione, & aggregatione illius materię proprium sibi formant folliculum, in quo aggregata continetur materia: alterum, quod sæpius suppurant materiæ in his contentæ. Et hæc suppuratio fine dolore, sine febre, & sine vllo patientis sensu perficitur. Ratio est, quoniam materia putrescens continetur, & includitur in proprio folliculo, cui is merito, cum densum sit, nulla à materia contenta fit euaporatio, & inde nullus est morbi sensus, sicuti nec dolor, quoniam affectus est circa membrum non sentiens, & in materia, quæ in parte solida non continetur. De his igitur tuberculis, quæ adnascuntur pulmoni, aut thoraci, & fiunt per aggregationem ex materia, quæ tandem putrescat, loquitur Hipp. dicens: Si medicus pharmacum per superiora purgans, cuiuscemodi est ellebori albi radix, exhibeat ægrotanti, qui tale tuberculum iam suppuratum habeat circa pulmonem, idque adesse ignoret, cum nulla eius appareant indicia, hincautem succedat, vt ex violēto vomitu folliculus disrumpatur, indeq; pus erumpat, & euacuetur, ex quo sanus æger euadat, talem euentum fortuitum, seu à fortuna esse monet Hipp. & hoc, quoniam licet ex opere medici, non tamen secundum eius propositum, ac intentionem causatur. Etenim qui medicus in eiusmodi casu elleborum exhibet, habet sane indicia malæ affectionis ægrotantis, superioraq; laborare censet, & inde medicamentum per superiora purgans propinat, non tamen vlla coniectura consequitur, tuberculū suppuratum adesse, aut pus in affecta parte contineri. Talia autem suppurata tubercula non tantum ex vehementi vomitu disrupto folliculo, & membrana apetiuntur, verū etiam ex violenta tussi, ex violentis motibus, & casibus, cuius ratione nonnullos per tussim frequentem, & violentam eiusce modi vomicas excreuisse vel solo pure exeunte, vel simul eum pure folliculo excretos vidimus. Quod idem inspeximus in nonnullis factum ex vehementi, & valida exercitatione, cum tamen prius nullum aut tuberculi, aut suppurationis inditium manifestum adesset, licet non belle habere hi vel ex colore faciei immutato, vel ex aliis læsis actionib. deprehenderentur. Hoc idem possit fieri ex grauioris ponderis eleuatione, aut sustētatione censendum est, sicuti In Agasis filia, de qua lib. 6. epid. sect. 4. tex. 4. meminit Hipp. ex Galeni mēte successiu, cum in ea graue onus sustentante in pectore quid concrepuisset, & inde tuberculum disruptum fuisset.

59 *Et si eum, qui ex medicamento sursum purgante suppurgatur, sua sponto aluo subter erumpente à vomitu sanum faciat.*

SVPERPVRGATIO ex violentia pharmaci causata, tam ob administrata inferne purgantia, quam ob superne euacuantia medicamenta succedere potest. Talis violentia causatur vel ab immodica exhibiti pharmaci quantitate, quapropter aduertant iuniores dosim medicamentorum conuenientem, ne quantitatem duplicantes superpurgationem inducant: vel à qualitate medicamenti, ꝙ sui natura validum existens, naturæq; humanæ ex aliqua parte infensum, & inde correctionem, & temperamentum desiderans non fuerit correctū. Si igitur tale exhibeatur medicamentum ad supernam purgationem, quod quia, vel in nimia extiterit quantitate, vel non fuerit correctum, superpurgationem inducat, vbi spontaneo naturæ motu aluus erumpat, tunc superfluus vomitus sistitur, & superpurgatio firmatur, quæ suppurgationis solutio fortuita dicitur, quoniam ille naturæ motus ad inferiora factus, dum æger, ac medicus trepidant de futuro euentu, præter medici propositum, ac expectationem superuenit, à quo salus, & vita ægrotantis dependet, sicuti à superpurgatione mors ac interitus imminebat. De superpurgatione autem animaduertito eam pari ratione nequaquam fieri à deiectorio, & vomitorio pharmaco. Nam in his, qui vomitorium medicamentum sumpserunt, à principio deteriora, & acriora exerementa euomuntur, in fine autem, si regulata est operatio, pituitosiora, & crassiora. Si autem non sit regulata, sed mala, & in superpurgationem tendens, prius pituitosa, & crassa, demum acriora, & biliosiora educuntur, quo casu non tantum noxia est hæc euacuatio ratione copiæ, verum etiam ratione qualitatis exerementorum exeuntium, cum facta eorum sit mutatio in deterius, ex quo conuulsiones, syncopes, & alia lethalia accidentia superuenire solent, quam rem animaduertens Hipp. libr. 2. epid. sect. 2. text. 2. dicebat: Mutationes iuuant, nisi ad malum mutentur, veluti à pharmacis vomentibus febrium causa, finis in meraciora putrefactionem significant, vt Dexippo. Etenim in superpurgationibus per vomitum meraciora excrementa in fine educuntur, quę sicuti valde noxia sunt, ita etiam putrefactionem, id est, humorum ingentē corruptionem indicant. Abusiue enim vsus hac putrefactionis voce per eam corruptionem significans, sicuti è conuerso aliquando corruptionis voce abusiue vtitur, per eam putrefactionem intelligens. Quantum autem ab inuicem corruptio & putrefactio differant, alias notaui. Et hæc de his, quæ à pharmaco vomitorio educuntur. In his vero qui pharmacum deiectorium sumpserunt, dum euacuatio

euatio est regulata, & intra debitos limites consistens, opposito modo procedit, nam in his à principio leuiora, minus praua, & minus noxia excrementa, in processu autem, ac in fine deteriora educuntur. Quod si superpurgatio superueniat, synceri quidẽ humores, non tamen mali, ac praui, vt illi, qui in superpurgatione à vomitorio pharmaco exeunt, educuntur: cuius merito superpurgatio à vomitorio pharmaco causata est, ea, quæ à deiectorio causatur, non tantum deterior ratione symptomatum, verum etiam citius interimit, quoniam est passio magis acuta, & magis ac velocius membris principalibus magna inferens nocumenta.

60 *At vero mala operantur medici præ infortunio hæc, si pharmaco bilis, aut pituita sursum ducti uo dato, venam in pectore præ vomitu rumpãt ei, qui prius nullum manifestum dolorem in pectore habuit, atq; sic fiat morbus.*

ENVMERATIS bonis, quæ ex opere medici à fortuna euenlũt, incipit exẽplificare de malis, quæ à fortuna pariter ex medici operatione succedunt. Dicuntur autẽ talia mala, quia sicut illa dicebantur bona, quoniam in vtilitatem ægrotantium resultabant, ex aduerso ista vocantur mala, quia in eorum perniciem redundant. Quale esset si elleboro dato, vel alio simili, quod sursum purget, medicamento, ex violentia vomitus vena in pectore disrumpatur, cuius disruptionis ratione sputum sanguinis subsequatur, à quo phth sis succedere creberrime solet. Talis autem vena in pectore potest esse vel ex venis pulmonis, vel ex venis thoracis. Quæ ex pulmone sunt, curatu difficiliores existunt, & maius periculum minantur: quæ vero ex thorace, sanãtur facilius, & minus periculum prænunciant. De his autem videtur loqui Hipp. cũ dicat, si vena rumpatur in eo, qui nullum prius in pectore manifestum habuerit dolorem: Nam dolor thoracis in his, qui sunt angusti, vel male formati, & languidioris thoracis, aliquam venarum disruptionem prænunciare potest, quod nequaquam in pulmone contingere non est possibile, cum hic omni sensu careat, indeq; nulli dolori subiaceat, vel si communem vtrisq; venis sententiã hanc obaudire volumus, per dolorẽ pectoris intelligamus omnem malã thoracis affectionem, sub quo sensu comprehendentur etiã pulmonis vel prauæ dispositiones, vel suspectæ læsiones. Veruntamen hic casus de disruptione venæ pariter fit ex pulmonis, ac ex thoracis vasibus, huncq; ex vtrisq; factum obseruaui. Quare, vt alias scripsi, eiusce generis medicamenta cauenda sunt in his, qui sunt angusti thoracis, & qui circa spiritus organa quid patiuntur.

61 *Et si mulieri in vtero habenti medicamentum superne purgans exhibeat, aluus autem inferne erumpens fætum expellat.*

ERAT Hippocratis ætate magis, quã nostra consuetum exhibere medicamenta superne purgãtia, cuius ratione sæpius in morborũ curationib. eorũ meminit, tantaq; erat in eo tempore horum medicamentorum consuetudo, vt ratione familiaritatis eorum, hæc etiam auderent vtero gerentibus propinare, credo tamen leuiora in hunc vsum ab eis recepta fuisse, quæ non erant multum nocumenti allatura, tum quia ætas illa vomitui assueta erat, tum quia vomitus, quem prouocatura erant talia medicamenta, est satis familiaris mulieri[illegible] prægnantibus: validiora autem cauebant [illegible] ingentem agitationem ligamenta fœtus [illegible] rentur. Qua consuetudine, & quo vsu [illegible] inquit Hip. si medicus vtero gerenti exhibe[illegible] dicamentũ superne purgans, & inde non tan[illegible] superiora, verum etiã per inferiora purgetur, cu[illegible] ratione succedat abortus, hũc casum esse à fortuna. A fortuna sane, quia præter medici propositũ p inferiꝰ purgatur, cũ ab exhibito pharmaco purgationem per superiora tantũ expectaret, ꝙ clarum est indicium aliquos ad hũc vsum tantũmodo debilia medicamenta recepisse: validiora n. semper simul cũ vomitu etiã per aluum aliquid euacuant. An autem nostris temporibus talia conueniant in vtero gerentibus exhibere, clarum sit ex eo, quod vomitus validus valide agitat corpus, vnde ligamentorũ disruptio imminet, quæ in nostris mulierib. promptior est, quam fuerit in illis antiquiorib. quoniam nostræ sunt molliores, & delicatius viuunt, quam illæ vixerint. Quapropter detestor omne medicamenti per superiora purgantis genus, solumq; aliqua abstergentia, & laxantia in necessitate prouocandi vomitũ probo, cum nedum vi medicamenti, sed etiam ex spontaneo vomitu, qui validus & vehemens fuerit, abortum subsequutum viderim. At ex aduerso Lyciæ casus, cuius historiam Hip. lib. 2. epid. sect. 2. narrat, videtur significare in vtero gerente Hippocratem elleboro albo, eoque [illegible] ter, cum dicat, quod Lycia, quæ ante partum ex [illegible] nis inflammatione postea obiit, ellebori p[illegible] sanabatur, vsum fuisse. At censeo ego [illegible] Hippocrate in principio huius historiæ, [illegible] nari ellebori potione, non quia hoc me[illegible] vsa sit, dum vtero gereret, sed ad o[illegible] hanc mulierem consuetudinem huius [illegible] menti, ex quo à consueto morbo subleuaba[illegible] habuisse, vt ex ea consuetudine, & vsu, ac ex vtilitate inde succedente argueret in ea humorem melancholicum facile accumulari consueuisse, qui postea tempore conceptus retentus, & in lienem cum sanguine receptus, potuit ingentem lienis inflammationem, ex qua perempta est hæc mulier, parere. Ingens autem fuit inflammatio tum ex procliuitate mulieris ad affectum melancholicum, tum ex copia humoris, qui ex retentis mensibus ob prægnationem duplicabatur. Magnitudinem autem inflammationis indicabat lienis magnitudo tanta, vt in dextram vsq; partem pertenderetur, dolor insignis febris vehemens, vasa in cubito sinistro pulsantia, spiritus duplicatus, & paruus, delirium, & omnium excrementorũ retentio. Tanta autem existente hac inflãmatione quid mirum, si ex hac mulier vtero gerens perempta est? quare de ellebori potione narratum est, non quia exhibita fuerit in hoc morbo, vel in altero hunc, dũ

vtero

vteto gereret, præcedente, sed ad declarandā humoris in hac muliere peccantis & speciem & copiam.

62 *Et qui suppuratum curat, si aluus proflua fiat, ipsum perdit. Et qui oculos curat, ac sublinit, si dolores incidant acutiores, & si ita contingat, rumpantur oculi, & destruantur, accusant medicum, quod oculos sublinit.*

IN suppuratis deiectiones naturales esse iam Inter bona inditia enunciari diximus: quapropter si aluus fluida fiat, & alui fluxus superueniat, malum erit, cum quia delectiones in tali casu non sunt naturales, tum quia virtus hinc fatigatur, & debilitatur corpus nō facta ꝓ ratione morbi euacuatione. Quæ enim per aluum fit euacuatio, cum thoracis morbis & vasibus parum communicat, quod intelligatur de materia, & de excrementis, quæ per aluum euacuari solent. Nam ex thorace ipso sæpius etiam pus ipsum per aluum euacuatur, sicuti experientia me pluries docuit, & talis fluxio vtilis est, cum hinc materia peccans educatur. At de huiuscemodi fluxione non est sermo Hipp. sed de iam dictis, quæ in suppuratis malæ sunt. Circa oculos vero plura collyriorum genera administrabant antiquiores. hisque oculos ipsos sublinire consueuerant in eorum morbis, quorum collyriorum forma erat vtplurimum ad vnguenti similitudinem, & hoc, cum per aliquem liquorem diluerentur collyria siccata. His igitur, Inquit, si quis in lippitudine, aut in alio simili morbo sublinat oculos, & inde dolores ecutiores fiant, & oculi rumpantur, id est, vlcerentur, accusatur medicus, quod oculos subliniuit, quod factum malum erit ex opere medici, licet non secundum eius propositum. Ego tamen hunc casum non fortuitum, licet malum, dixerim, quoniam quamuis tale nocumentum extra medici intentionem, ec pręter eius expectationem succedat, nihilominus potius ex errore ipsius, quā ex aliquo fortuito casu succedit. Nam si linimentum pro ratione curati morbi sit opportunum, medicusque morbum, & eius curatiuas nouerit indicationes vlcus succedere nequaquam debet, nisi forsan ex violentia morbi, qui medicamento opportuno non cedit, hoc subsequatur. Sed in tali casu euentus non erit fortuitus, quia ratione morbi, non ex opere medici factus est, licet indebite medicus accusetur, qui fecit, quod in se fuit, cum tamen morbum superare non potuerit.

63 *Et si puerperæ in ventris dolore medicus aliquid det, & male habeat, aut pereat, medicus in culpa est.*

VIDETVR recensere Hipp. non tantum hæc mala, quæ in perniciem ægrotantis redundēt, sed etiam quia hinc ex malo euentu culpetur medicus: talis fuit casus superior, & talis est præsens. Etenim vbi in puerpera sit ventris dolor, & medicus ad hunc sanandum vocatus aliquod exhibeat medicamentum, quo dato ea vel deterius habeat, vel pereat, huius euentus culpa medico adscribetur, licet hoc non vi medicamenti factum fuerit. Malum autem hoc fortuitum tantummodo dicitur ex insperato euentu, & ex parte intentionis medici, non ex eius opere, quoniam per illud opus nihil mali subsequitur, licet ab astantibus in illud opus culpa reiiciatur. Tales casus solent esse frequentes, & inde fortunati illi medici, quibus talia non obueniunt, Infortunati autem illi, quib. contingunt, dicuntur. Quapropter in his sit oculatus medicus, omniaq; cum protestatione, licet cum summa ratione facta, & recta methodo indicata, agat, ne eius aut ignorantia, aut negligentia, aut audecia, morte superueniente, aut aliquo alio casu verendo culpetur.

64 *Ferme autem quæcunq; necessitatem habent, vt fiant in morbis, ac vulneribus mala supra mala, ea vbi fiunt, in medicum culpam reiiciunt, & necessitatem talia fieri cogentem non agnoscūt.*

AD excusandum medicum, ne ex superuenientibus malis, quæ vel necessario, vel ex morborū violentia superueniunt, culpetur, facit recta prognosticandi ratio, ac pręcognitio eorum accidentium, quę ex necessitate vel morbos concomitantur, vel eis superueniunt. Nam vbi medicus ea astantibus prænunciet, omni culpa vacabit. Qui autem hæc non nouerit, omniaque sibi plana, & facilia promittit, sæpe ad hunc scopulum allidet, sæpiusque culpa, quam laude dignus erit. Ratio autem huius hic assignatur ab Hipp. dum inquit: quod vulgares, qui eorum symptomatum, quæ morbis superueniunt, necessitatem nō agnoscunt, horum culpam in medicum curantem referunt: quapropter vt hac culpa vacet, debet hæc agnoscere, & eadem astantibus prænunciare.

65 *Et si ad febricitantem, aut vulnus habentem ingressus admotis quamprimum remediis non opituletur, sed postera die æger peius habeat, medicum accusant. Si vero opituletur, non æqualiter laudant. Oportere enim ipsum perpeti putant, vlceraq; inflammari, & in morbis quibusdam dolores fieri oportere, neq; tales esse, vt non fiant.*

CVR medicus culpetur ob superuenientia morbis (siue febres, siue vulnera sint: per hæc enim omne morborum genus comprehēdit) symptomata, explicat, dicens: hoc inde superuenire, quoniam vulgares existimant mala, & accidentia illa oportere quidem morbis superuenire, non tamen ea ratione, vt ab arte medica sint insuperabilia, cuius merito si tollantur, vel præcaueniur à medico, medicum ipsum non laudant, cum eius sit munus hæc superare. Cumq; hęc ex se non sint insuperabilia. Ex aduerso autem si non tollantur, vel non præcaueantur à medico, medicum accusant, vtpote, quē oporteat, & ad quem pertineat hæc tollere, & præcauere, non aduertentes hæc mala, & accidentia multoties nō culpa medici, sed vel ex necessitate, vel ex violentia morbi superuenire.

66 *Neruus præcisus, ac dissectus nō coalescit, neq; vesica, neq; aliquid ex tenuibus intestinis, neque vena sanguiflua, neque tenuis genæ pars, neq; pudendi pellicula:*

DIXERAT

DIXERAT Hippocr. vulgares exiſtimare, mala ſuperuenientia talia ſemper eſſe, vt prohiberi poſſint, ne fiant. Hanc opinionem per huius textus ſententiam excludere,& improbare intendit, cum hinc pateat aliqua accidentia ſuperuenientia nullo modo prohiberi, aut tolli poſſe. Eiuſcemodi autem clare apparent in vulneribus neruorum veſicæ,tenuium inteſtinorum, venæ magnæ, genarum partis tenuis,& præputii, nam ad hæc vocatus medicus, quamuis omni diligentia curans, hæc per agglutinationem, quam poſſibilem vulgares, ac idiotæ cenſent, ſanare non poteſt, non enim neruus per tranſuerſum præciſus coaleſcit,ſicut nec tenue inteſtinum, nec vena magna, ſimulque cum ea arteria, nec genarum partes tenues,nec præputium. Etenim hęc,& quia neruoſa ſunt, & quia diſtrahuntur febre, cuius merito vulneris labra maxime hiant, coaleſcere nequeunt. Hanc ſententiam pro parte libr.6. Aph. 19.regiſtrauit,dicens, neruum, genæ particulam tenuem,& præputium neque augeri, neque coaleſcere,quibus addit,& os,& cartilaginem, vt pote, quæ pariter ſint partes ſeminales omni carne nudatę. Ibidem autem non meminit de inteſt nis, quoniam dixerat in ſuperiori Aphoriſmo hæc diſciſſa mortem inferre, & ideo hæc pariter vt illa nec poſſunt coaleſcere. De vena autem ſanguiflua, cuius loco citato eademmet ratione mentionem non fecit,hic agens,per eam intelligit venam magnam, quæ ſicuti ſecta & pręciſa lethalem facit caſum,ita pariter non coaleſcit:nam cum ob ſanguinem,qui ſiſti non poteſt, inde fluentem mors ſuperuenit,ideo nec coaleſcēdi tempus datur. Quod autem dictum eſt dę hac vena,idem de arteria magna intelligatur, at non tantum non coaleſcit hæc maior arteria,ſed nec minores, niſi forſan in puerulis hoc fieri ob mollitiem habitus poſſit. Ex quibus liqueat, aliqua in morbis eſſe mala neceſſario ſuperuenientia (quæ cognita facere poſſunt ad vigeſimum quartum quæſitum vniuerſale) quibus medicus obuiare nequeat, & hinc immerito ab aſtantibus calumniari pateat.

67 *Porro principium ſanationis demonſtratum quidem non eſt,quod ſane recte principium ſit vniuerſæ artis, neque ſecundum aliquod,neque medium, neque finis, ſed incipimus ab ea aliquando dicentes,aliquando operantes, & deſinimus eodem modo. Et neque dicentes ex iiſdē ſermonibus incipimus, neque ſi de iiſdem dicamus, neque in iiſdem deſinimus, & operantes iuxta eandem rationem,neq; ex iiſdem operari incipimus,neque in iiſdem deſinimus.*

HÆc omnia correſpondent ad quęſitum duodecimum, per quod quærebatur, quod ſit in arte principium, aut finis, aut medium; & an tale quid ſit, & quod rectum exiſtat, vt in ipſa ſit, aut non ſit? Quid autem per principium, medium & finem intelligat Hippocrates, iam in prima ſectione declaraui, ſimul explicās, per artem actum ipſum practicum, & ipſam curandi rationem adhibendam eſſe intelligēdam,quibus hæc addo, videlicet, Hippocratem loco artis nunc ſanationem dicere,vt ipſum medendi actum clare exprimeret, in qua ſanatione, & medendi actu inquit nullum commune eſſe principium in vniuerſa arte,neque medium,neque finem, quoniam nec vlla curatio particularis eſt communia omnibus morbis,nam fere omnes particulares morbi particularem, non communem habent curationem, & ſicut communem curationem nequaquam habent, ita nec commune curandi principium. In his enim incipimus ab euacuatione,& euacuantes qñq; euacuamus per ſanguinis miſſionē, quādoq; per pharmacum ſubtus ducens, quandoq; per vomitum, quādoq; per aliam rationē,in illis autē incipimus ab alterantibus,in aliis vero aliquā euacuationē ſupprimentes,in aliis diuertentes,in aliis reuellentes,in aliis alia agētes. Quare non datur omnibus morbis vnum curationis principiū, ſicuti autē nō datur cōmune principiū, nec datur pariter commune medium, aut communis finis. Sed nec iſtud principium, quod eſt medicationis initium, eſt eiuſdem rationis, vt ſcilicet medicus ſemper incipiat ab opere, ſicut nec ſemper per opus curationem perficit, quod eſt eius finis, nam vt inquit Hippocrates, quandoque dicentes, quandoque operantes curationem aggredimur. Operantes, cum aliqua auxilia medica adminiſtramus: dicentes autem,cum nihil operantes, ſed ſolam victus rationem inſtituentes, ab omni opere medico abſtinemus, quod fieri opportunum eſt,vel cum morbus nobis nondum integre notus eſt, vel cum rem totam naturæ committendam eſſe arbitramur. Quod ſicuti ſæpe in principio ſeruandum eſt,ita pariter quandoque in fine, vel etiam in medio ſeruari debet, & hoc vel in toto morbo eandem curandi rationem ſeruando, quandoque oppoſito modo. Nam quandoque in principio ab omni opere abſtinentes, & rem naturæ committentes per totum morbum hanc curandi rationem ſeruamus,aliquando autem à principio operantes,per totum morbi decurſum vſque in finem operamur: Ex aduerſo autem aliquando à principio rem naturæ committentes ſolam victus rationem inſtituimus,in progreſſu autē morbi,& in fine medica auxilia adminiſtramus, vel à principio hæc adminiſtrātes,in progreſſu, & in fine morborū ſola victus ratione contenti rē naturæ perficiēdā relinquimus. Et hoc eſt id,quod docet Hipp. dū inquit,quod aliquādo incipimus dicentes, aliquādo operantes,& deſinimus dicēdo, ſi dicēdo incipimus,& deſinimus operando, ſi operādo incipimus,ſed & quando incipimus dicendo nō ſemper ex iiſdē ſermonibus incipimus.i. ex iiſdem præceptis,nā in aliquibus dicentes inediā iniūgimus, in aliis autē victū tenuē,in aliis craſſum, in aliis craſſiorē: in his vigiliam,in illis ſomnum, in his quietem, in illis motū, in his hæc,in illis illa pręſcribimus,nec,ſi in quibuſdam morbis eadem incipientes præcipimus, eadē deinceps in fine ordinamus, quod idem de opere intelligimus, nam ab opere incipientes nec ſemper ab iiſdem operibus inci-

pimus, nec si ab iisdem incipimus, cũ eisdem desinimus, ex qoibus liqueat, nõ omniũ morborũ vnũ esse medicationis principiũ, vel mediũ, vel finem, sed diuersũ, & diuersæ rationis existere. Quoniam autẽ meminit Hip. de curationis principio, medio, & fine, in quibus nihil operãtes, solũmodo autem dicẽtes ægris auxiliamur, hic animadoerto prudẽtia, & ęgregij esse medici cognoscere, quãdo rẽ totã naturæ committere debeat, oe, vt ex pluribus ad moris pręsidis excellẽter egisse videatur, plura superflua administret, & forsan nocua medicamẽta, in qua actione plurima perpetrantur à vulgaribus medicis errata, qui ex copia medicamẽtorũ administrãdorũ rẽtant vulgi opinioọẽ captare. At tutius est, vbi natura per se potest morbos superare, à potentibus, & magnis auxiliis abstinere, solaq; recta victus ratione instituta antiquiores Græcos imitari, qui paucis cõreoti morbos curare tentabãt. Casus autem, in quibus ab auailiis medicis abstinere debemus, sunt illi, in quibus vel dubii sumus de essentia morbi, vel in quibus natura ex se morbos superare valet, dũ potenter supra materiã morbũ facientem operatur, quo casu nec sit irritanda, nec à proprio opere distrahẽoda, vt fit in erisibus à natura rectę directis, in quibus tutius est rẽ totã naturę dimittere, quam illam io proprio opere auxiliis, & remediis, licet opportuna videantur, molestare.

68 *At vero facilitas, & promptitudo in his est, cum quis secans, aut vrens, neque neruum secat, neque venam, & si suppuratum vrat pus consequatur, & si secet, eodem modo; & fracturas rectę componere, & si qua pars corporis ex natura excidat, vt ipsam recte ad naturam retrudat. Item apprehendere fortiter, quæ oportet, & apprehendendo premere, & apprehendere leuiter ea, quæ oportet, & apprehendendo non premere, & in obligando tortuosa non facere ex rectis neque premere, quæ non oportet, & in contactu, vbicunque tandem contigerit, dolorem ex superfluo non exhibere. Hæc quidem igitur facilitatis, & promptitudinis existunt.*

HÆc sententia spectat ad decimum quæsitum vniuersale, per quod monebatur medicus animaduertere, quæ exacte fiant, aut dicantur in arte, id est, quæ in curandi actu perfecte à medico executioni demandeotur, dum rei gerendæ meram attingens in nihilo à recto deuiat tramite, & dum eleganter opus suum molitur, nusquam, nullaque in parte ęgrotantem lædens. Haoc curandi perfectionem, & actionis elegantiam vocat facilitatem, & promptitudinem, quooiam quæ ex arte ab artifice perito, ac experto recte peraguntur, faciliter & prompte, nulloque admisso errore peraguntur. Talium autem plura adducens exempla exemplificat tantummodo in his, quæ ad chyrurgicum opus pertinent, tum quoniam in tali opere actiones medicæ siue vtiles, siue noxiæ, sensui facilius patent, tum quoniam ad instar horum, quæ per physicum opus exercentur, siue commoda, siue incommoda, deprehendi vlla absque difficultate queunt: nam si hæc sine vlla ægrotantis noxa, & cum ægrotantis perfecta sanatione fiunt, dicuntur exacte facta, quæ autem non ita fiunt, non exacte facta dicuntur. Quo autem ad chyrurgicum opus, exempla data sunt tantum de his, quæ exacte id est, prompte, ac faciliter, nulloque admisso errore fiunt, non autem de his, quæ non exacte, id est, imperfecte, aut male fiunt, tum quoniam ad hoc quæsitum declarandum, quæ exacte fiũt sufficiunt ad declarationem eorum, quæ exacte non fiunt, cum rectum sit norma obliqui, tum etiam, quoniam eorum, quæ non exacte, id est, male fiunt, infinitus & incertus est numerus ac modus, cum errandi multiplex sit via. In his igitur, quæ exacte fiunt, exemplificans, incipit ab ea medici operatione, per quam vrit, aut secat aliquam corporis partem, in qua operatione cum cõmunissimum sit præceptum, quod cum neruosæ partes ignem & adustionem non tollerent, nec igne, nec adurentibus medicamentis sint tractandæ, & cum venarum sectio, præsertim si sint maiores, alicuiusue momenti (quod idem de arteriis, sed cum maiori discrimine censendum est) hæmorrhagias causare consueuerit, in secandis partibus venæ non sint ferro attingendæ. Si medicus in moliendo hoc opere, & eo magis, si pars vrenda aut secanda partes habeat neruosas, aut venas insignes, & vrens, aut secans nec vrat quid neruosi, nec secet venas, aut alia vasa, tunc medicus dicitur exacte fecisse. Si pariter suppuratum aut vrere, aut secare debeat, cum sæpe incertum sit, qua in parte, & quousque pus contineatur, & vrendo, aut secando pus commode consequatur, exacte opus hoc perpetratum esse erit censendum, siue vsserit, siue secuerit. Si etiam aliqua corporis pars ex natura excidat, id est, ex proprio loco, & situ dimoueatur, indeqoe conformationem naturalem amittat (etenim per naturam propriam, & naturalem partium cõformationem intelligit) & hanc partem medicus retrudat ad naturam, id est, ad naturalem membri formationem restituat, quod non est aliud quam exarticulationem, aut fracturam ossis emendare ac recte componere, exacte pariter fecisse dicendus erit. Quoniam autem in componendis, & emendandis ossium vel exarticulationibus, vel fracturis offeruntur alia subiecta mollia, alia duriora, alia acuti, alia hebeti sensus, alia multum à naturali statu egressa, alia parum, nec in omnibus eadem seruanda est agendi ratio, cum mollia, quales sunt pueri, & mulieres, & qui acuti sunt sensus, lenius, duriora autem, quales sunt viri adulti, & qui exercitationibus, vel artibus corpus indurant, maiori vehementia contrectanda sunt, quoniam in pueris ossa adhuc quasi cerea sunt, & in mulieribus, præcipue autem in iunioribus non sunt duriora, in adultis autẽ sunt dura facta, & si exercitiis vehementioribus sint assueta, vel artibus laboriosis sint dedita, adhuc duriora euaserunt. Quapropter si in pueris, vel mulieribus iunioribus ossa vel

exarti-

exarticulentur, vel frangantur, ea leniter apprehendere, & leniter contrectare medicus debet: si autem talia in adultis euenerint, vel in agrestibus corporibus acciderint, valde & fortiter omnia agẽda erunt, & hoc maxime, si ossa multũ à naturali statu egressa fuerint. Quod si parũ dimota, & parũ passa sint, minus valide, & minus fortiter agendum erit, semper pro ratione status preter naturalis ex aduerso obuiãdo. Si igitur medicus in cõtrectatione, in extensione, in repositione, & in cõpositione ossiũ apprehendat fortiter ea, quę fortiter apprehẽdenda sunt, & leniter apprehendenda leniter, & suauiter apprehendat, & semper pro ratione subiecti, & passionis agat, exacte agere dicitur. Compositis autem ossibus dum fit deligatio, & fasciatio, quoniam non omnia ossa sunt pariter recta, aut obstippa, sed quædam sunt recta, vt ossa tibiæ, quædã obstippa sicuti femur, quod in anteriorem & exteriorem partem magis obstippum est, quã in interiorẽ & posteriorẽ, ideo nec pari ratiõe omnia ossa sunt fascia, aut liganda, aut obuoluenda: quare qui in deligatione iuxta ossium formam deligat, nec ex rectis tortuosa, nec recta ex tortuosa facit, exacte deligasse, & fasciasse dicetur. Tortuosa autem ille facit ex rectis, qui fasciando premit ex parte, & contorquet os rectum: recta autem ex tortuosis facit, cum ex ea parte, qua premere non debet, comprimit, vnde os ex natura propria tortuosum rectum reddit. Hæc autem non sunt peragenda, cum æqualia æqualiter, inæqualia autem inæqualiter deliganda sint. Et quoniam fasciæ innitendo, non comprimendo debent circum male affecta ossa circũagi, peracta fasciatione vero debet æger se compressũ quidem, leniter tamen dicere, ideo ne ex superfluo. i. vel nimis innitendo, vel nimis cõprimendo, vel nimium ex fasciarum copia grauando medicus dolorem inducat, cauere debet. Quorum si nullum fecerit exacte fecisse dicetur: etenim violentia doloris in omni actione vitanda est, & in omni contractu, & in omni contrectatione, quiscunque sit casus, semper suspectus est dolorificus contactus, & dolorifica contrectatio. Quare hæc etiam cauenda, & omnia, quantum fieri possit, leniter, suauiter, & molliter peragenda sũt, & qui ista hac exequitur ratione, exacte peregisse dicetur. Et hæc sint exempla eorum, quæ exacte fieri possunt in arte, ad quorum instar considerentur, & aduertantur ea quæ non per opus chyrurgicum, sed physicum fiunt, hæc enim eadem ratione ista exacte facta dicuntur, scilicet, quando nullo admisso errore integre, & perfecte medicus suo munere in sanatione ipsa fungitur. Quæ autem opposito modo fiunt, non exacte facta dicuntur, eiuscemodi autem ea sunt, in quibus aut meta in operando non attingitur, vel errata in ægri aut detrimentum, aut perniciem committuntur.

69 *At vero digitis decenter attingere, aut probe, aut non probe, aut longis, aut breuibus, aut probe deligare omnes deligationes, non ad artem pertinere iudicatur de facilitate, ac promptitudine, sed seorsim.*

DELIGATIONIS, vt docet Hippocrates libro secundo, de iis, quæ in medicatr. fiunt, textu primo, duæ sunt species, scilicet operata, & operans. Operata dicitur illa, quæ post medici operationem, & deligationem remanet facta: operans autẽ ea vocatur, quæ habet esse in fieri, & durat cũ actione medici. Porro operata est ea, quæ curat, & per quã ossa in naturalem conformationẽ cõposita cõseruantur: operãs autem est huius operatę generatio, & actio, tamdiu enim operans dicitur, quam diu per medicum agitur, & quam diu in deligando medici operatio durat. Quoniam vero ea, quæ exacte fiunt in arte, dum ossa male affecta curamus, fiunt per deligationem operatam, in operante autem plura sunt, quæ potius ad elegantiam, & concinnitatam operandi, quam ad ægri vtilitatem faciunt, ideo Hippocrates hoc in loco declarare intendit, quod ea, quæ ad hanc elegantiam, & concinnitatẽ pertinent, non spectent ad quæsitũ illud de facilitate, & prõptitudine, quoniã per hęc intelligimus opus factũ, per illa autẽ nõ opus factũ sed oparionẽ, & actionẽ audimus. Et ideo inquit, quod in deligando probe omnes deligationes peragere, & digitis decenter omnia tam intrumẽta chyrurgica, quam membra male affecta attingere, & hæc probe, id est, eleganter, & concinne, aut non probe, id est, non eleganter, nec concinne, & aut hæc eadem vel breuibus, vel longis digitis attingere, aliaque similia facere, non pertinẽt ad quæsitum de facilitate, & promptitudine, de quibus superius loquutus est, dum per facilitatem, & promptitudinem eam agendi rationem, per quam exacte, ac integre fiunt operationes medicæ, intelligebat. Et hæc de his, quæ in secunda sectione ab Hippocrate, ad declarationem eorum quæsitorum, quæ in prima sectione fuerunt proposita, explicata sunt.

Sed duo quærenda videntur de his, quæ in hac secunda sectione tractata sunt, alterum est, cur duodecim, cum viginti quinque quæsita in prima sectione fuerint proposita, in secunda tantum explicata sint, alterum, cur eodem ordine, quo quæsita fuerunt in prima sectione proposita, non fuerint in secunda pertractata? Nam ad primum in primo quidem textu satisfecit, sed ad secundum in decimoquarto, ad tertium in septimo, ad quartum in decimotertio, ad quintum in vndecimo, ad sextum in decimosexto, ad septimum in quadragesimotertio, & quinquagesimoquarto, ad decimum in sexagesimo octauo, ad vndecimum in trigesimotertio, ad duodecimum in sexagesimo septimo, ad decimumoctauum in vigesimo secundo, ad vigesimumquintum in quinto, & decimonono respondet. At si librum hunc ab Hippocrate scriptum quidem fuisse (quod veritas sententiarum, vtilitas doctrinæ, syncetitas scripturæ, multaque ab hoc volumine mutuata, & inter Aphorismos transposita, & transcripta testantur) non tamen ab eo aut editum, aut perpolitum nouerimus (vel hoc fuerit morte interueniente, vel alia causa eum impediente, quin extremam manum huic operi imposuerit) non mirabimur, aut quod integre omnibus quæsitis non satisfecerit, aut

quod ordinem propositionis in explicatione non seruauerit, nam in prima voluminum compositione non omnia perfecte tractantur, nec omnia debito ordine explicantur, nam quasi typus quidam rerum explicandarum, non integrum, & perfectum est opus prima compositio, quoniam currenti calamo authores in prima compositione decurrentes multa rudi, ac impolito eum stylo, tum ord ne scribunt, designantes plurima deinde maturiori studio perfectiora reddituros fore, cuius rei si otium non detur, nec operi s integritas, nec ordo exquisitus in eo habentur, qualia adesse in præsenti libro perspicimus, etenim in hoc nec libri adest integritas, nec ordo requisitus seruatur, quæ omnia corrigenda erant, si author operi extremam imposuisset manum. Sed quid de illis quæsitis, quorum explicatio desideratur? nam plura proposita fuere, quam quæ fuerint explicata. Hæc pro parte iam à me declarata, & explicata sunt, pro parteque declarabuntur, & explicabuntur.

Quoad octauum quæsitum, quod est primum in ordine eorum, quæ ab Hippocrate prætermissa sunt, in quo quæritur, quæ mala, aut bona ægrotantes in morbis perpetiantur, sciendum est, vt superius in proprio loco dictum est, Hippocratem non de assidentibus, & pathognomicis affectibus, aut passionibus loqui, quoniam hæ semper malæ sunt, cum semper præsentem, & affligentem morbum adesse referantur, sed de superuenientibus aut signis, aut passionibus, quæ bona sunt, si similiter in ægrotante appareant, sique eius salutem pronunciant, mala autem, si inutiliter superueniant, & ægri vel detrimentum, vel mortem præsagiant. Eiusce modi bonam, aut malam conditionem indicant virtutis vel naturalis, vel animalis, vel vitalis. Naturalis virtutis bona conditio habetur ex excrementis, vtpote, vrinis, deiectionibus, sputis, vomitibus, sudoribus, naturaliter & rite peruenientibus, ex statu corporis, & ex statu faciei, reliquarumque partium, & præsertim viscerum naturali simili, vel parum immutato, ex sanguineis fluxionibus, ex abscessibus, ex suppurationibus rite, & secundum naturæ dominium factis, ac rite erumpentibus. Mala autem huius conditio habetur ex iisdem excrementis vel non naturalibus, vel male, & mala ratione exeuntibus, ex faciei, & corporis, præcipue antem viscerum à naturali statu notabili mutatione, ex sanguineis eruptionibus, ex abscessibus, ex suppurationibus male, & non secundum naturæ dominium factis, vel ex iisdem quidem, licet rite quodammodo factis, male tamen erumpentibus. Animalis autem virtutis bona conditio habetur ex rectricium virtutum integritate, ex sensuum organis nequaquam vel leuissime affectis, ex decubitu ægrotantis naturali, ex agilitate motus, ex spiratione laudabili, ex somno, hora & modo conuenienti facto, ex robore partium animalium in excernendis excrementis per eas excernendis, & quæ huiusce sunt qualitatis. Mala autem habetur ex rectricium virtutum læsione, & sensuum organis prane affectis, præcipue autem oculis, tanquam partibus maxime cerebro communicantibus, & cerebri læsiones participantibus, ex prauo decubitu, ex impotētia ad motum, ex corporis grauitate, ex dentium stridore, ex spiratione non naturali, ex somno, hora & modo inconuenienti facto, ex neruoso corporis genere male affecto, ex conuulsionibus superuenientibus, & ex imbecillitate partium animalium ad excernenda corporis excrementa destinatarum. Vitalis vero virtutis bona conditio habetur, vbi partes, & membra respirationi inseruientia nequaquam læsa sint, & vbi ex arteriarum motu, ac pulsatione virtus valida deprehendatur. Mala autem vbi ea membra adeo sint læsa, vt cordi passionem communicent, & vbi ex languido arteriarum motu virtus debilis significetur. Ex his poterit habere medicus, quæ bona, & quæ mala in morbis patiantur ægrotantes, id est, quæ sint ea, quæ in ægrotantibus supetuenientia harum virtutum vel bonam, vel malam conditionem indicantia malum, aut bonū, id est pernitiem, aut salutem ægrotantis prænunciant. Quæ autem ista sint, si hoc in loco ea singulariter explicare voluisset Hippocrates, integer ad hoc liber Prognosticorum, multaque ex Aphorismis deducenda erant, in quibus locis borum bonorum, & malorum perfecta, & integra facta est designatio: quare fortasse hoc quæsitum inexplicatum dimisit, referens se ad prædicta volumina, præcipue autem ad Prog. librum, quem perfecturus erat, & in quo tractanda erant ea, quæ ad hanc pertinent partem, nam in eo docet, quæ de faciei mutatione aduertenda sunt, quæ de oculis, quæ de decubitu, quæ de stridure dentium, quæ de vlceribus, quæ de manuum gesticulatione, quæ de spiratione, quæ de sudore, quæ de hypochondriis, quæ de nonnullis superuenientibus morbis, quæ de vnguibus, digitis, genitalibus, quæ de somno, q̄ de deiectionibus, quæ de vrinis, quę de vomitibus, quæ de sputis, quæ de supputatis, quæ de abscessibus, quæ de febrium diebus, quæ de affectibus capitis, otis, faciei, quæ de vel vomitum, vel sanguinis è naribus fluxum denotantibus, & quæ de quibusdam aliis scitu dignis aduertenda sunt, prout vel mala, vel bona sunt, & prout malum, aut bonum prognosticantur. Et hæc de octauo quæsito.

Quoad nonum quæsitum, per quod quærebatur, quæ importune aut dicuntur, aut fiunt à medico ad ægrotū, aut ab ægroto ad medicum, animaduertendum est, hoc non includi in decimooctauo quæsito, per quod declarandum erat, quod sit opportunitas, & quod sit intempestiuitas, nam opportunitati, de qua in decimooctauo quæsito agitur, non opponitur importunitas, de qua hoc in nono quæsito loquitur, nec eadem est importunitas cum intempestiuitate, de qua in 18. loquuturus erat, nam cum in huius explicatione iam declaratum sit, opportune agere esse ex data occasione agere, & intempestiue agere esse non solum ex data occasione non agere, sed etiam extra datam occasionem agere, occasio autem cum sit temporis occasio, liquet hanc opportunitatem, &

in-

intempestiuitatē respicere tempus agendi determinatum, quod non aliud est, quam respicere occasionem ipsam. At hæc importunitas, de qua in præsenti quæsito agitur, non respicit tempus ad actionem determinatum, nec tempora occasionem, quoniam ista nullo tempore conueniunt, & ideo hæc importunitas nil aliud denotat, quam inconuenientiam, ita vt sensus sit talis, videlicet, quod per hoc quæsitum quæramus, quæ inconuenienter aut dicuntur, aut fiunt à Medico ad ægrotum, aut ab ægroto ad Medicum. Ista autem sunt ea, quæ præter rationem, citraque discretionem, & iudicium facta, aut dicta in ægrotantis damnum redundantia, nullo tempore conueniunt. Tale est ex parte Medici, timido ægrotanti periculosum esse morbum declarare, morigeratum obiurgare, temerario omnia cōdonare, indebiti certam salutem promittere, sitienti, & æstuanti, dum crudus existit morbus, frigidam propinare, vtero gerenti menses prouocantia exhibere, sudores, vomitus, deiectiones, sanguinis fluores, & alios criticos motus sistere, abscessus dolentes, & non suppuratos aperire, in languidis venam secare, neruosas partes inurere, pharmacum vel cruda existēte materia, vel in principio inflammationum interorum administrare, in puratos validis medicamentis purgantibus euacuare, in suppuratis, ac hydropicis facta sectione pus, & aquam affatim educere, vertiginosos motibus validioribus agitare, ac circumagere, oculos vlceratos, suppuratos, lippientes, fluxionem acrem patientes, vuam babentes, ad lucem eurare, puerperas statim à partu replere, aliaque plura similia facere, aut dicere, quæ omnia importune dicta, aut facta appellantur, quoniam inconuenienter aut fiunt, aut dicuntur, non autem quia extra occasionem fuerint vel facta vel dicta, cum nulla horum vsquā sit occasio. Et hæc de his, quæ à medico importune erga ægrotantem aut fiunt, aut dicuntur. Quo autem ad ea, quæ ab ægrotante erga medicum importune aut dicuntur, aut fiunt, ea sunt, quæ præter rationem, & aduersus propriam vtilitatem facta, aut dicta fuerint ab ægrotante erga medicum, tale est, inutilia petere, damnosa perquirere, præceptis vilibus contradicere, medicum non honorare, eundem illudere, victum hora conuenienti non assumere, pharmaca opportuna non admittere, medicamenta vtilia tenere, potui indulgere, cibaria incommoda accipere, similiaque alia aut dicere, aut perpetrare, quę omnia importune dicta, aut facta dicuntur, non quia extra datam occasionem (cum nulla vnquam horum commoda sit occasio) sed quia inconuenienter facta, aut dicta sunt, & adeo inconuenienter, vt nunquam conuenienter fieri, aut dici queant.

Ex omissis decimumtertium in ordine sequebatur, per quod quæritur, quæ sint parua, & magna in arte. Circa quod vltra notata in prima sectione, aduertito, quod non tantum dicitur paruitas, & magnitudo de morbis, sed etiam de causis, & symptomatibus, nec tantum dicitur de curandi ratione, verum etiam de præsidiis administrandis; nam omnia hæc à medico animaduertenda, & cognoscenda sunt. Qui morbi sint magni, & qui sint parui, & ex quibus eorundem aut magnitudo, aut paruitas deprehendatur, iam dictum est, quæ autem sint causæ, & quæ symptomata aut magna, aut parua, nunc declaro. Causæ illæ sunt magnæ, ex quibus ob sui vehementiam coniectatam morbi magni facere possumus, sicuti paruæ sunt eæ, quæ ob sui imbecillitatem morbum magnum introducere nequaquam aptæ sont, cuius ratione in capitis vulneribus à robore percutientis, à grauitate teli, ab acutie gladii, à loco supereminenti, vulnus magnum cum ossis fractura arguimus: ex aduerso autem à debilitate percutientis, à leuitate teli, & ab humili loco vulnus paruum, & sine ossis fractura esse coniicimus. Pariter in casu, eum, qui ab alto, & in solum durius, & asperum, deciderit habere censendum est, quam qui ex humili loco, & in solum non durum, & planum ceciderit. Simili ac pari ratione ex duobus ægris ex iisdem causis febricitantibus, qui ex vehementiori ægrotauerit causa, magis laborare indicandus erit: nam causæ egentes pro ratione suæ efficaciæ proportionaliter agunt: quare illæ erunt magnæ, quæ cum sint validæ, morbum magnum introducere aptæ sunt, paruæ autem, quæ debiles existentes vel nullum, vel paruum causare queunt. Vnde magnæ erunt causæ, quæ magnam vnitatis solutionem, quæ magnam alterationem, & quæ in summa magnam in partibus similaribus intemperiem, aut magnam in membris organicis disconuenientiam causare possunt: paruæ autem, quæ opposito modo. Et hæc de causis. Symptomata autem illa magna sunt, quæ virtutem labefactare, & dissoluere apta sunt, qualia sont dolores ingentes, animi vehementes, & subiti, aut diuturni & graues affectus, vigiliæ superfluæ, motus immoderati, euacuationes immodicæ, aliaque his similia: parua autem sunt ea, quæ nihil tale agere possunt. Horum autem omnium videlicet, tam morborum, quam causarum, & symptomatum cognitio valde medico est proficua, quoniam ex causis magnis magnos futuros esse morbos prænuntiare potest, & in magnis morbis ad magna deuenit auxilia, in magnis autem symptomatibus eis reluctari, quantum fieri potest, conatur, non tamen neglecto morbo: Ex paruis autem causis, nisi praua admodum esset ad morbum ægrotantis dispositio, morbum fore paruum arguit: in paruo autem morbo leuioribus contentus ad valida, quia nequaquam sunt necessaria, non deuenit auxilia, & in paruis symptomatibus, non iis sed morbo, à quo illa dependent, recta medendi methodo, & curatione resistit. Et hæc de causis, morbis, symptomatibus magnis, vel paruis. Quo autem ad curandi rationem, & quo ad præsidia admouenda, iam pro parte dictum est, quæ in curandi ratione aut magna, aut parua dici debeant: de præsidiis autem admouendis nunc dico. Ea præsidia magna sont, quæ magnum motum, & magnam commotionem agunt in corpore, & quæ vires concutere apta sunt, aut subitam alterationem introducere.

Talia sunt venæ sectio, pharmacia, abortus prouocatio, inustio, gelidæ aquæ potio, membrorum amputatio, hydropicorum, & suppuratorum apertio, aliaque omnis similis actio. Parua sunt, quæ corpus nec agitant, nec vires labefactare possunt, talia sunt alterantia, maturantia, suppurantia, adstringentia, repellentia, euocantia, exasperantia, poros purgantia, aperientia, vrinam, sudorem, menses, lac & semen prouocantia, tussim lenientia, aliaque plurima his similia, quæ omnia parua dicuntur, quoniam corpus exagitare, viresque inde dissoluere nequeunt.

Decimumquartum quæsitum ex omissis erat, quæ multa, & quæ pauca existant. Multa in prima sectione esse dixi, cum plures sunt affectus præter naturam, id est, cum plures morbi in vno ægrotante reperiuntur: pauca autem, cum vnicus est morbus, sed plures adsunt causæ, & plura adsunt symptomata consideratione digna. Nam quandoq; sunt plures morbi ab vnica pendentes causa, vt in cæcitate ex cicatrice in cornea ante pupillam facta: etenim vnica hic est causa, scilicet, cicatrix illa, & plures hinc succedunt morbi, nam adest corneæ affectus, pupillæ obstructio, & spiritus visiui interceptio, quæ omnia morbi sunt cæcitatem causantes, & ab vna sola cicatrice pendentes. Quandoque autem vnicus est morbus à pluribus dependens causis, vt febris putrida à putredine, ab obstructione, à copia, & à visciditate, & à crassitie materiæ peccantis, quæ dicuntur multa non ratione morbi, sed ratione causarum, sicuti & multa dici possunt respectu symptomatum, vt si in dicta putrida febre adsit capitis dolor, vigilia, sitis, lumborum ardor, inquietudo, oris amaror, aliaque similia accidentia inde peruenientia. Quandoque autem cum pluribus causis, & cum pluribus symptomatibus plures sunt morbi, quæ omnia pariter multa dicuntur. Pauca autem erunt ea, in quibus non tantum vnicus est morbus, sed etiam ea, in quibus cum vnico morbo vnica est causa, & symptoma vnicum consideratione dignum, licet plura alia adsint, sed nequaquam consideranda. Pauca etiam erunt ea, in quibus absente causa vnicus est morbus, quales sunt præcipue vehementes, & insignes ab extrinseca causa introductæ intemperies. Et hæc quoad morbos. Quoad curationes autem, multa dixi esse, cum in vnico morbo multa præsidiorum genera requiruntur, pauca vero cum paucis morbus sanari potest. His addo, multa dici, cum ad vnicam intentionem plura possunt adaptari remedia, vt puta, cum sanguis imminuendus est, ad hanc indicationem faciunt venæ sectio, scarificatio, cucurbitularum appositio, mensium & hæmorrhoidum prouocatio, sanguinis è naribus percitatio, hirudinum applicatio, aliaque similia. Pauca autem dicuntur, cum ad vnicam intentionem pauca, aut vnicum facit præsidium, vt puta, si euacuandæ bili sola administranda sit pharmacia, vel simul cum pharmacia aut vrinā, aut sudorē prouocantia.

Per quæsitum decimumquintum aduertendum erat à medico, quod omne in arte ipsa vnum est, & omnia, quod vnum. Explicauimus per hoc quæsitum moneri medicum, quod sit illud præsidium in actu practico, quod singulare existens sit vnum, & omnia. Vnum quidem, quia vnicum est: omnia autem, quoniam in eo summa curationis consistit, cum ab eo omnia principaliter indicata habeantur, & ideo ad hoc principalis medici intentio dirigenda venit. His addo, per hoc quæsitum, per quod aduertendum est, quod sit illud omne in arte, quod sit vnum, & quod sit illud vnum, quod sit omnia, non solum intelligendum esse de præsidiis, sed etiam de indicatis. Nam cum in vnoquoque fere morbo sit vnum semper principaliter indicatum, ex quo tanquam à principali pendet curatio, Hippocrates monet, à medico hoc in curandi ratione designandum esse, tanquam id, in quo summa curationis consistat, cum hoc sit vnum, quoniam vnicum est, omnia autem, quoniam hinc tota pendet curatio, & hinc ex eius indicatione omnia præter naturam tolluntur, vt puta, in curatione febris putridæ plura sunt indicata. Nam cum hæc pendeat ex humorum putredine, putredo autem ab obstructione causetur, obstructio vero producatur à copia, crassitie, & visciditate materiæ, plura indicantur, videlicet copiæ imminutio, crassorum humorum attenuatio, viscidorum abstersio, obstruentium eobstructio, putrescentium euentatio, & tandem febris ipsius, id est, humorum feruentium refrigeratio: attamen ex his indicatis vnicum est principale indicatum, ad quod principaliter curandi ratio dirigenda est, tanquam ad id, per quod summa curationis perficitur. Talis erit exobstructio, nam hinc euentantur euentanda, putredo tollitur, & calor præter naturam soluitur, & materiæ copia imminuta, crassities attenuata, visciditas abstersa præsupponitur: quapropter hoc indicatum erit vnum, & omnia. Vnum, quatenus singulare est: omnia autem, quatenus hinc cætera indicata habentur, & erit illud omne, id est, totum illud, quod est vnum propter singularitatem: & erit illud vnum, quod est omnia, propter multiplicem vtilitatem, & curationis integritatem, ac perfectionem. Talia indicata in morbis summa cum diligentia debent perscrutari à medicis, vt his inuentis noscant, quorsum erit intentio, & curationis summa dirigenda sit: nam his integre habitis, omni conatu, & diligentia his satisfacere intendat, quoniam hinc perfecta, ac integra morbi curatio, & sanatio pendet. Sed num talia indicata sint paria, & pariter in omnibus morbis? nequaquam. Nam in illis morbis, quorum causa iam desiit, indicatio non à causa sed à morbo desumitur: in eis autem, quorum causæ perseuerant cum morbo, non semper eadem est ratio principalis indicati. Etenim vbi vnica est causa, quandoque principalior est indicatio, sumpta à morbo, quam à causa, si morbus magis vrgeat, quam causa illum foueat, quandoque est è conuerso, vbi vehementia morbi à vehementia causæ dependeat. Vbi autem plures concurrant causæ ad vnicum

gene-

generandum morbum, quandoque principalis indicatio desumitur à proxima, & continenti causa, si ea principaliter morbum faciat; quandoque autem non ab hac, sed ab eis, quæ proximum, & antecedentem præcedunt, si ab iisdem causa proxima ita dependeat, vt sine illarum ablatione hæc remoueri nequeat. Quæ omnia, cum sint adeo inter se diuersa, diuersisque rationibus consideranda, non potest statui vel certo à morbis, vel certo à causis tale primum indicatum desumendum esse. Quod tamen hac regula dignoscendum erit, videlicet, quod ab eo, quod magis vrget, & quod habet rationem principalis causæ, sine qua non, morbus nec tolli, nec curatio perfici potest, hoc primum indicatum desumatur, quod vnum est, & omnia. Vnum quidem ratione vnitatis, & excellentiæ: omnia autem, quoniam hoc habito reliqua omnia habentur.

Circa decimumsextum quæsitum, quod erat sextum ex his, quæ non explicauit Hippocrates, vltra ea, quæ iam in prima sectione per huius declarationem exposui, animaduerto hoc quæsitum, per quod quæritur, quæ fieri possunt, intelligere, ac dicere, & si opus sit, neque intelligere, neque dicere, neque facere, alia ratione explicari posse, videlicet, quod per hoc moneatur medicus animaduertere, quæ in morbis possibilia accidentia nouisse, & prædicere debeat, & quæ in morbis nec nouisse, nec prædicere, nec facere debeat. Illa enim intelligere, ac dicere, id est, nouisse & prædicere debet, quæ ratione morbi eueniunt, vt si in febre ardenti ex ascensu bilis ad superiora delirii, & vigiliarum immineat periculum. Hæc medicus tum intelligere, tum prædicere debet: intelligere ad perfectam agendorum rationem; prædicere ad tollendam sui ipsius culpam, & calomniam. Ea autem nec nouisse, nec prædicere, nec facere debet, quæ non ratione morbi eueniunt, id est, ea, quæ ob violentiam quidem morbi superueniunt, sed non sunt propria accidentia morbi, vt si ex febre ardenti immineat periculum abortus non ratione febris, sed ratione remediorum adhibendorum, vtputa, vel sectionis venæ, vel pharmaciæ. Talia medicus nec debet nouisse, quoniam talium administratio est nocua, nec prædicere, quoniam melius est ab his abstinere, quam ex iisdem futurum malum prædicere, nec facere, quoniam procurare abortum in morbo acuto est lethalem casum magis reddere, cum hinc malum malo superaddatur. Talia igitur, quæ fieri possunt, id est, quæ ratione morbi superuentura sunt, intelligere ac dicere, id est, cognoscere ac prædicere debet, ea autem quæ fieri quidem possunt, sed non ratione morbi, at ratione alicuius accessorii superuentura sunt, vbi opus sit, id est, vbi ex agendis hæc sint superuentura, nec debet intelligere, quatenus sint ex intentis à medico, nec prędicere, quatenus ratione morbi superuenire debeant, nec facere, quatenus hæc à medico non agenda, aut procuranda.

Septimum quæsitum non explicatum ab Hippocrate, erat illud, quod facilitas in ipsa arte sit, & quod sit difficultas. Vnde pendeat agendi vel difficultas, vel facilitas, iam declaratum est, sed in quibus morbis sit hæc aut difficultas, aut facilitas nondum dictum est. Facilitas & difficultas pendet ex consequutione finis, quoniam in difficultate difficulter aut nequaquam, in facilitate faciliter finem consequimur. Facilitas autem & difficultas ista pendet ex modo agendi, quoniam in quibusdam morbis facilis est actio medici, in quibusdam autem difficilis, id est, laboriosa, & non sine discrimine curatio existit. Illorum morborum curatio dicitur facilis, qui sunt simplices, & qui simplicem, & ordinatam requirunt curationem; illorum autem dicitur difficilis, qui sunt complicati vel ratione diuersorum morborum, vel ratione diuersarum causarum, vel ratione diuersorũ ac vrgentiũ symptomatum, quorũ merito diuersæ, & aliquãdo oppositę dẽtur indicationes. In primis est facilitas curandi, non ex parte finis, quia etiam in lethalibus morbis quandoque reperitur ista facilitas, nec etiam ex parte temporis, quia facilis curatio dicat curandi breuitatem, quoniam plures morbi longi non breui, sed longo tempore facile curantur, vt patet de quartana, quam Hippocrates libro primo Epid. section. tertia, text. 4. facillimam curatu, licet longissimam dicebat. Aliud enim est esse breuem, aliud esse facilem curationem, sed ex parte medici operantis est ista facilitas, quoniam omnia recta methodo administrans ab ordinata curandi ratione à nulla re præter naturam distrahitur. In secundis est difficultas, quoniam non simplici, & ordinata curatione vti potest, cum modo à complicato morbo, modo à causarum diuersitate, modo à vehementia symptomatum ad diuersa, & ad opposita agenda distrahatur, nec ei inde liceat simplici, & ordinata methodo in curando procedere. Quare curandi facilitas erit in simplicibus morbis, difficultas autem in complicatis, & qui diuersas, aut oppositas habeant indicationes.

Poterat Hippocrat. octauum quæsitum ex omissis, quod est decimumnonum in ordine, facile explicare, docens artem medicam his artibus similem esse, quæ refectrices sunt, eiusce modi sunt, quæ ædificia, naues, calciamenta, & vestes resarciunt, ac restaurant, vtpote, quæ non simpliciter factiuæ sunt, qualis est ædificatoria, nauefactoria, sutoria, & sartoria, cum medicina non hominem sanum faciat, sed tantum sanitatem deperditam restituat, illis autem esse dissimilem, quæ nihil actionis post se actu subsistens relinquat, qualis est saltatoria, cantatoria, cytharistria, & tybicinia, cum medica ars post suam actionem opus permanens, ac stabile (talis enim est sanitas, cum sit dispositio stabilis) relinquat, attamen hoc siue in curia, siue etiam ex proposito fuerit omissum, non erat difficile declarare.

Circa vigesimum quæsitum, quod est nonum in ordine ex prætermissis ab Hippocrat. per quod

habetur aduertendum esse à Medico de corpore, quod calidum sit, aut frigidum, aut siccum, aut humidum, & quod forte, aut debile, aut densum, aut rarum, scieodum est, cum tria hæc, videlicet, temperamentum, forma, & materia, subiecti curandi sint à medico, vt curationes indicatiuas rectè eliere queat, cognoscenda, pro horum explicatione multa erant ab Hippocrate exponenda, totque sunt ista, vt integra volumina ad hæc declaranda requirantur, cuiuscemodi sunt, quales sunt lib. de Elementis, & de Temperamentis à Galeno editi, & pars librorũ de simplicium mo. fa. lib. de nat. facu. pluresq; alii loci, in quibus quę ad temperamentorum, & facultatum, & ad materiæ, ac subiecti cognitionem faciunt, declarantur. Talia autem, aut his consimilia, si hæc explicanda forent ab Hippocrate, erant in hunc librum transferenda, ad quæ pro trium dictorum cognitione relegandus est æger.

In explicatione vigesimiprimi quæsiti declaratum est, ex quibus conicere debeat medicus, an in peius, an in melius redundare debeant ea medicamenta, quæ ex moltis in pauca rediguntur. Sed cum nunquam à medicis plura non tantum medicamenta ad pauca, & validiora redigantur, verumetiam quandoque oppositum agant, pauca medicamenta valida in plura multiplicantes, considerandum quoque est à medico, an id in peius, vel in melius redundare queat, vtputa si febris synocha sine putredine sit curanda, cum medicus ad hoc pauca habeat valida remedia, scilicet sanguinis missionem, & frigidæ potum, & hæc dimittens ea in plura multiplicare velit, curationem per victum tenuem, per alterantia tum exterius, tum interius admouenda, per euacuantia vel sensibiliter vel insensibiliter teotans, perseruari debet medicus, an hæc in peius, vel in melius, id est, an in emolumentum, an in pernitiem ægrotantis futuræ sint. Hoc autem nouisse poterit exactè, ex magnitudine morbi, ex motus velocitate, ex virtutis robore, aliisque similiter requisitis: nam vbi febris sit ingens, acutus morbus velociter moueatur, & vires valeant, tutius est ad maiora præsidia descendere, quam ab his quiescere, & leuia administrare, extremis enim morbis extrema conueniunt remedia, cum remedia morbo proportionari debeant. Quod non considerantes multi, qui commoditer medicinam faciunt, sæpius in morbis magnis validiora relinquunt præsidia, & ad leniora, quæ tutiora ipsi existimant, descendunt, multa sane facientes, & pauca illa vitantes, sed in pernitiem ægrotantium operantes. Hæc igitur aduertant medici, vt iudicare ritè queant, quando pauca in multa sint redigenda, vel non redigenda præsidia. Hæc autem tunc agere licebit, cum vires maiora non tolerant præsidia, morbusque det inducias.

Quo vero ad tria illa vltima quæsita, ab Hippocrate non explicata, per quæ adnectenda erant à Medico, quæ necesse sit fieri aut honeste, aut turpiter, & quæ aut tarde aut cito, & quæ aut rectè aut non rectè, non aliam addo expositionem, quoniam censeo ea sufficienter ex his, quæ à me in prima sectiõn. pro eorum declaratione enarrata sunt, explicata, & manifestis exemplis declarata fuisse, quare ad ea loca lectorem relego, cui pro explicatione quæsitorum, quæ ab Hippocrate omissa non fuere declarata, ea, quæ tum in prima sectiõn. in propositione dictorum quæsitorum exposui, tum ea, quæ ad maiorem, & ampliorem declarationem hoc in libro addidi, & explicaui, commẽdo. Et hoc quo ad secundam sectionem, nunc ad tertiam descendo.

Finis secundæ sectionis.

SECTIO TERTIA.

TEXTVS I.

Quicunque suppurati sunt pulmone, aut superiore, vel inferiore ventre.

EXPOSITIA in genere, ac enarratis iam in prima sectione vniuersalibus, & ad medicam artem pertinentibus quæsitis, ac eisdem in secunda sectione pro maiori parte per simplicia exempla declaratis, reliquum erat, vt Hippocrates hæc eadem non amplius simplici sententia, sed diffuso sermone, ac ad amussim explicaret, recensens sigillatim omnia, quæ ad prædictorum quæsitorum exactam faciunt cognitionem, quam prouinciam exequuturus, incipiens à primo quæsito, per quod quærebatur, à quibus causis morbi generentur, descendit ad enarrationem quorundam particularium morborum, vt particulariter eorum causas, generationem, & progressum doceat. Hæc autem vel tanquam exemplar reliquorum particularium morborum adduxerat, vel his paucis contentus volumen hoc mutilatum, ac imperfectum reliquit, censens opus hoc in immensum augendum, & crescendum fore, si quod in secunda sectione per simplices sententias, & per vniuersales aut particulares responsiones ad proposita in prima sectione quæsita docuerat, in tertia huius voluminis parte ad prædicta omnia quæsita per particularia exempla in particularibus morbis per particulares responsiones ac declarationes explicanda satis facere voluisset. Cum igitur in sectione prima docuisset, primum quæsitum à medico considerandum, & cognoscendum, illud esse, à quibus causis morbi generentur, & in secunda sectiõn. à primo text. vsque ad 5. vniuersales omnium morborum causas exposuisset, nunc in hac tertia, & vltima parte, sciens perfectam artis medicæ scientiam consistere non in vniuersalibus, sed in particularium morborum exercitatione, descendit ad quosdam particulares morbos, vt eorum particulares exponens causas doceat, quæ ad horum particularium generationem faciant, per hæc monens, medicos vniuersalium quidem præceptorũ non debere esse immemores, sed nec singularia ab eis esse prætereunda, cum ars medica non in sola speculatione, sed etiam in actione, ac in singularium rerum exercitatione, sine qua inutilis

forte,

foret, omnino perfecta consistat. Horum igitur merito ad particularem exercitationem descendens Hipp. & de suppuratis in exemplum eorum, quæ in vniuersali proposita sunt, agens, eorum differentias, & causas hac in tertia sectione explicat, nonnulla etiam de eorum curatione ad maiorem exercitationem apponẽs. Verum quoniam in suppuratis pus iam in eis generatum esse præsupponitur, de huius generatione hæc præmittenda erunt. Corpus nostrum dum recte munia sua obit, à quatuor facultatibus naturalibus regitur, quarum merito proprium alimentum omnia membra attrahunt, retinent, concoquunt, ac in sui substantiam proprie transmittunt, & quoniam in omni coctione sempet aliqua deciduntur excrementa, per easdem hæc expellunt, ac excernunt. Quod si membra materiam vel quantitate superfluam, vel qualitate alienam aut attrahant, aut recipiant, aut retineant, hinc morbosi succedunt affectus, susceptta materia vel ad intra corporis cauitates patentes, & sensibiles, vel ad intra porositates inconspicuas, & insensibiles, vel ad vtrasque simul. Hæc autem materia ad intra corporis vel cauitates vel porositates suscepta quandoque deuincitur à natura, quandoq; non deuincitur. Non deuincitur, quando vel ita quantitate superfluit, vt omnes membri porositates adeo obstruat, vt hinc suffocatis illius partis spiritibus caloris naturalis extinctio sequatur, vel ita qualitate aliena existit, ac vitiata adeo est, vt vis ea, cui coquendi officium demandatum est, nullam possit facere in ea transmutationem, quod idem sequitur, si vis concoctrix admodum sit imbecilla, licet materia non sit maxime vitiata. Ex primo casu sequuntur gangrænæ, parte ipsa emoriente: ex secundo fiunt putredines prauæ non domita materia à calore innato, sed alterata ab extraneo, eodemmet vincente, ac superante. Deuincitur autem à natura vel per expulsionem, vel per alteratioñe. Per expulsioñe, qñ natura vel à copia, vel à qualitate materiei irritata, eã ex loco in quo collecta & conculcata erat, propellit: per alteratioñe autẽ, cum eam concoquat. At coctio ista non est vniformis, materia enim vel quantitate superflua, vel qualitate aliena, vbi in alieno loco conculcata fuerit, solet cõcipere calorem extraneum, quo innalescente compages humoris fluxi dissoluitur, inde euagãte humiditate, ex quo sequitur putredo. Putrescens autem hæc materia, vbi sit benignior, & calor natiuus potens, ac validus, ac nullus in curatione admittatur error, discutitur, & per solã difflatioñe resoluitur. si autem materia sit magis vitiata, licet calor naturalis sit validus, nihilominus per solam difflationem resolui nequit, sed necessario natura aliam tentat alterationem, quę alteratio quamuis fiat à calido innato, tamen quia materia non est apta nec discussioni, nec nutritioni, cum sit extraneo calore dotata, fit tertia quędam actio, per quam materia hæc ob putredinem praua deuincitur à natura per coctionem, calore quidem ingenito superante, sed non plane vincente, non enim eam euincit, cum in alimentum ipsam transmutare nequeat, sed superat, cũ putredinem sistat. Putredine autem firmata, materia peccans, licet rubicundissima, alteriusue coloris extiterit, dealbatur, quoniam calor natiuus residens in partibus solidis seminalibus, agens, eandem materiam in proprium dictarum partium seminalium colorem transmutat, quæ quoniam sunt albæ, ideo etiam talis materia dealbatur, quæ materia dealbata, & à calore natiuo deuicta, dicitur pus. Color autem iste modo est magis, modo est minus albus, prout maius est dominium caloris innati, vel minus, vbi enim magis polleat, magis dealbat, vbi minus, minus materiam ad albedinem immutat, quæ tamen albedo non est syncera albedo, imo talis est mala, quando admodum est intensa, cum cruditatem humoris pituitosi indicet, sed habet quendam liuorem admixtum, cuius ratio est, quoniam licet hoc fiat à calore ingenito, dominante & agente vi partium seminalium, cuius merito insigniter album deberet esse, non tamẽ generatur ex maxima simpliciter benigna, & animantis naturæ familiari, ex quali generatur lac & semen, sed quæ habeat partes præter naturam, & à calore extraneo alteratas. Huic alterationi in colore proportionatur mutatio, & variatio in odore, nam cum omnia putrida male oleant, si materia putrida à calore innato deuincitur, malus etiam odor pari ratione, vt substantia corrigitur, & pro maiori, & minori correctione, ac dominio, maior etiam sequitur, aut minor contemperantia in odore. Vnde in maiori dominio, quam minime fœtidum erit pus, in minori autem magis fœtet, nunquam autem bene olet propter admixtionem partium præter naturam, quæ putredinem insignem à calore extraneo passæ sunt. Quod autem dictum est de odore & colore, idem intelligatur de substantia, nam si à calore ingenito perfecte fuerit domata, & euicta materia peccans, pus erit æquale, minus autem erit æquale, vbi dominium naturæ minus erit, si autem adhuc multo minus, erit potius inæquale. Cum igitur & colore, & odore, & substantia variet pus, ideo nec vniformis erit hæc actio (vt iam dictum est) per quam generatur, & à natura deuincitur prædicta materia, quæ vbi sit benigna, per solam alterationem discuti, & resolui poterit. Dum pus istud fit, dicuntur suppurari partes, ac membra, in quibus generatur, & actio illa, seu coctio, per quam generatur, dicitur suppuratio, à qua postea illi suppurati appellantur, in quibus talis materia per suppurationem est genita. Quamuis autem tale pus proprie dicatur generari ex materia in particulari loco collecta, & conculcata: non est tamen, quod alia quoque non fiat, ac generetur ratione, nam in vlceribus, ac in vulneribus pariter generari consueuit. Fluente sanguine ad nutritionem partis affectæ, eoque inde alterato gignitur excrementum purulentum, quod varium est pro ratione varietatis materiæ fluentis, & pro ratione temperiei partis affectæ, etenim si materia fluens sit ichorosa, gignitur excrementum tenue, & aquosum, si crassa, fit sordes, si temperata, bonum inde fit pus,

si vero pars affecta sit intemperata, pro ratione intemperiei variat, vnde in frigida fit excrementum crudum, in calidiori vel adurirur, & est crassior sordes, quæ est mordicans, vel eliquatur sanguis fluens, & inde fit tenue, & ichorosum excrementum, quod pro ratione vel cruditatis, vel coctionis modo dicitur crudum, modo aliqualiter coctum: si vero temperata sit pars affecta, & sanguis fluens fit substantia benignus, & copia moderatus, pus laudabile gignitur, quod eo minus laudabile erit in parte temperata, quo sanguis, qui fluxerit erit minus, aut in substantia benignus, aut in quantitate moderatus, ita enim variabit (vt iā dictū est) in colore, in odore, & in substantia, p varietate causarū. In cuius puris generatione pariter, ac in superiori casu, dicimus partem affectam, seu vlceratam, seu vulneratam suppurari, & talem actionem suppurationem appellamus, illosque ac hos pariter suppuratos vocamus: nihilominus suppuratio magis proprie dicitur de generatione puris ex materia in loco particulari collecta, & conculcata, quam de generatione puris ex vlcere, vel vulnere, facti. Et quamuis in omni corporis nostri parte tam externa quam interna, præterquam in corde, posset hæc suppuratio fieri, & inde omnia membra talem actionem perpessa, suppurata dici queant: sciendum tamen est, penes Hippocratem, ac antiquiores medicos suppurationem, ac suppuratum esse, tantum proprie dici de pure genito, aut contento vel in inferiori, vel in superiori ventre, imo potius, ac magis proprie, & antonomastice ab Hippocrate, ac cæteris antiquis dici de superiori, quam de inferiori ventre. Nam simpliciter loquens Hippocrates de suppuratis, semper intelligit de his, qui thorace suppurati sunt, cum autem de suppuratis inferiori ventre loquitur, semper ad rei declarationem quid, quod rem ipsam designare possit, addit. Cuius merito cum de vtrisque hoc in loco acturus esset, distincte loquens, inquit: Quicunque suppura i pulmone, aut superiori, aut inferiori ventre. Alia autem suppurationum genera, & præcipue ea, quæ partes externas occupant, omisit, tum quoniam hæc sensui patientia sunt, tum etiam quoniā facile medicamentis externis tractari queunt, tum etiam quoniam causas manifestas habent, scilicet, vel casum, vel percussionem, vel fluxionem, vel abscessum, vel aliam similem causam: at quæ internæ sunt, difficiliores tum cognitu, tum curatu existunt. Sed vltra suppurationes, quæ vel in thorace, vel abdomine, vel in artubus externis contingunt, aliæ sunt admodum momentaneæ, quales sunt eæ, quæ fiunt in cerebro, & in capite: etenim sicut ad inflammationes, tumores, & abscessus prædictarum partium sæpius suppurationes succedunt: ita quandoque etiam ad cerebri, & membranarum affectus inflammatorios, eorundemque abscessus, ac tumores solent sequi suppurationes, à natura vel per resolutionem, vel per excretionem non deuicta materia, euius exemplum habemus in li. 3 de morbis, quo in loco docemur lethargum quandoque per suppurationem terminari, quod idem in lib. de Coac. prænot. sect. 1 de lethargicis legitur. Huius etiam rei exemplum habemus lib. 5. Epid. text. 47. in virgine illa pulchra Nerei, in qua facta est suppuratio in cerebro ex percussione, facta ab amica secum ludente, & lata manu sinciput percutiente. Magis autem generalem huius rei habemus sententiam lib. 6. Aph. 10. quo in loco Hipp. dicens: Caput dolenti, & circum dolenti pus vel aqua, vel sanguis fluens per nares, aut os, aut aures, morbum soluit, mouet nos cerebri affectus non nunquam per suppurationem solui. Huius autem suppurationis hoc in loco nec meminit Hipp. quoniam ea non erumpente, nullum eius habet medicus indicium, erupta autem nullā de se indicat curationem, quoniam per eam præcedentis morbi fit solutio, vnde potius ipsa est curatio præcedentis morbi, quam quod ipse per se aliquam curationem indicet. Prætermissis igitur summa cum ratione tam suppurationibus iis, quæ circa extremos fiunt artus, quam quæ circa cerebrum, & ad intra craniū contingunt, solū de iis, quę vel in thorace, vel in abdomine eueniūt, agit, per suppurationē non tantum pus in cauitate collectionē, verū etiam eruptionē intelligens: pariter. n. eos, in quibus aliqua in cauitate collectum est pus, ac illos quibus aliquo modo excernitur, suppuratos appellat. De suppuratis autē sub hac ratione agens, ante alia eorū differentias exponit, quarū aliæ sumuntur à loco, aliæ à causis. Quę sumuntur à loco, explicat, earū ponens tres differētias, dicens, quicunq; suppurati fiunt. pulmone aut superiore, vel inferiore ventre, id est, suppuratorū alii suppurātur pulmone, alij superiori vētre, alij inferiore. Sed cur Hipp. cū duæ sint tantum partes, in quibus fiūt tales suppurationes. sci. thorax, & abdomen, thoracis partis in duas. scil. in pulmonē, & cauitatem thoracis distinxit. non autem abdomen quod in multo plures distingui poterat? Hoc sane factū est, quia in thorace sūt duę amplę cauitates: etenim pulmo est per se satis cauernosus, multa ampla possidēs vasa, vt inde aptus sit in se multā recedere materiā, & inter thoracē quoq; & pulmonē est capedo, & locus ad idē idoneus, cuius ratione in vtrisq; partibus copiosū pus colligi potest, quod nō est in abdomine, cū membra in eo cōtenta cauitates amplas nō habeāt præter ventriculū, intestina, vesicā, & vterū, in quorum tamen cauitatibus tales suppurationes fieri nō possunt, nā in eis nō potest fieri suppuratio ex materię congestione, sed solū ex conculcatione, vel vlcere, quorū par est casus in cæteris abdominis partibus: quare si ab omnibus differētiæ à loco sumerentur, tot ponēdæ essent, quot sunt mēbra intra abdomē cōtenta, cū omnia pariter vlcerari, & suppurari ex cōculcata materia possint. Tres igitur erūt differētię principales à loco desūptę, f. quod ex suppuratis alii suppurati sunt pulmone, alii suppurati sunt superiori ventre, alii suppurati sunt ventre inferiori.

a *Aut tubercula habent siue in superiori ventre, siue in inferiore, siue in pulmone, aut vlcera intrinsecus, aut sanguinem vomunt, vel spuunt, aut dolorem aliquē vel in pectore, vel in dorso.*

ENARRATIS suppurationum differentiis à loco, nunc ponit & explicat differentias à causis, dicens, quod suppuratorum alii tales euaserunt, vel quia habuerint tubercula aut ad intra pulmonem, aut ad intra thoracem, aut ad intra abdomen, quæ tubercula cum à natura nec discussa, nec soluta fuerint, tandem in pus conuersa suppurarint: alij autem suppurati euaserunt, quia vlcera intrinsecus passi fuerunt, quæ vlcera siue à causa interna, siue ab externa causata, & haudquaquam vel male curata, tandem purulenta facta suppurationum occasiones extiterint (per vlcera autem hoc in loco non tantum vlcera proprie dicta, sed etiam vulnera, & omne aliud solutionis continuitatis genus, qualia sunt spasmata, diuulsiones, distractiones, ruptiones, & similia alia solutæ continuitatis genera intelligimus) alij vero suppurati facti sunt, quia cum sanguinem aut euomuerint, aut extussierint, non sanato affectu, cuius occasione factus fuerit sanguinis vel vomitus, vel screatus, in loco affecto suppuratio successerit: alij tandem suppurati redduntur, quia aliquem vel in pectore, vel in dorso, vel (hoc superintelligo) in abdomine habuerint dolorem, qui diuturnus existens, nullisque remediis (quoniam qui cedunt, fiunt dolores vel à flatu, vel à materia mordicante, vbi opportune, & recta methodo curentur) cesserit, tandem suppurauerit, quod indicat vel affectum inflammatorium, vel alicuius rebellis materiæ in loco affecto collectionem præfuisse. Qua ratione autem ex inflammatorio affectu, vel ex collecta & adhærente in prædictis locis materia succedat suppuratio, inferius declarabitur. Et hæc sunt suppuratorum differentiæ à causis desumptæ, quæ tanquam generales includunt omnes particulares, de quibus in sequentibus tractabitur.

3 *Hæc omnia habent ex his quidem, quæ in corpore insunt, à bile, & pituita, ab externis vero ab aere insito, calore admixto, sed & à laboribus, & vulneribus.*

DOCVERAT Hippocrates in secunda sectione, morbos vniuersos à duplici causarum genere procreari, scilicet & ab internis, & ab externis causis; internæ sunt corporis nostri humores, externæ sunt labores, vulnera, & alterantia: etenim ab his omnes morbosi affectus dependent, illis quidem vel quantitate, vel qualitate, vel situ, & loco peccantibus, his vero naturam nostram à naturali statu immutantibus. Quam eandem sententiam hoc in loco assumens, & ad suppuratorum causas adaptans, inquit, quod suppurati omnia prædicta, videlicet, tubercula, vlcera, sanguinis vomitus, & screatus, dolorificos, & molestos illos affectus habuere ratione causarum vel internarum, vel externarum: internarum quidem ratione bilis, aut pituitæ peccantis, externarum vero, ratione vel aeris ambientis, vel laborum vel vulnerum. Quid per bilem, & pituitam, quid per labores, & vulnera intelligendum sit, non est quod repetam, cum superius hæc abunde declarata sint. Sed quid per aerem calori insito admixtum hoc in loco intelligit? Nulli dubium est, quod aer circumquaque corpus nostrum ambiens, nos, quousque calorem insitum non immutet, nequaquam alterare potest: si enim sub sole ambulantes non eodem modo semper incalescimus, ratio est, quia in partibus corporis nostri non semper ab aere ambiente eadem fit actio, non ratione agentis, sed ratione patientis subiecti. Nam cum non immutauerit corporis nostri calorem, non incalescimus, vbi autem illum alterauerit, calorem pro ratione dispositionis concipimus. Hac eadem ratione sub hyberno, & gelido aere degentes non pariter refrigeramur, non enim ad frigidum alteramur, nisi quousque calorem nostrum deuicerit, in qua actione quo maius erit dominium, & alteratio, eo maior etiam erit refrigeratio, quod idem in omni alia aeris actione verificatur. Vnde patet, cur Hippocrates dixerit aerem calori nostro admisceri, vt ab eo corpus nostrum alteretur, etenim videtur misceri calori nostro aer, dum ab eo alteramur, quoniam ex vtrisque vna resultat actio, non tamen vera, aut propria est mixtio, sed abusiue, & per similitudinem tantum dicta. Nam refrigeramur ab eo, dum ab aere frigido calor noster deuincitur, incalescimus autem ab ambiente calido, dum calorem nostrum accendit; quod sicuti fit ab aere, pari ratione fit ab omnibus alterantibus exterius admotis, siue actualiter, siue potentialiter agant: illa enim actu, & immediate alterant calorem nostrum, hæc autem mediate, & prius perpessa ab eodemmet calore, in quod reagentes corpus nostrum alterant. Eiuscemodi autem omnia sub aere, vt cuncta extrinsecus alterantia hic comprehendantur, audiamus: quapropter concludamus suppurationum in suppuratis causas remotas ex internis esse corporis nostri humores, ex externis autem alterantia, labores & vulnera. Harum autem remotarum causarum cognitio nequaquam inutilis existit, cum faciat & ad præseruationem à suppuratione, & ad curationem pariter; ad præseruationem quidem, si prædicta, vt sunt naturalia, conseruentur, vt autem sunt præternaturalia, amoueantur, vel corrigantur; ad curationem autem, quoniam vbi peccauerint corporis nostri humores, erit vel euacuandi, vel temperandi: vbi autem causæ externæ morbum foueant, erunt amouendæ, vel corrigendæ.

4 *Et quicunque quidem pulmone suppurati fiunt, ab his fiunt.*

QVONIAM vniuersalia dogmata non sufficiunt ad perficiendam artem medicam, nisi ea particularibus morbis, & particularibus casibus adaptentur, ideo Hipp: positis tribus suppuratorũ differẽtijs à loco desumptis & eorundẽ vniuersalibus causis explicatis, descẽdit ad particulares causas declarandas, & cũ prima suppuratorũ differẽtia sit eorũ, qui pulmone suppurati sunt, ab hac incipiens,

piens, & ad declarandas talis suppurationis particulares causas deueniens, inquit:

5 *Si peripneumonia correptus in iudicatoriis diebus non purgetur, sed relinquatur in pulmone sputum ac pituita, suppuratus fit.*

PVLMO est membrum ratione vasorum adeo fistulosum & cauernosum, ratione substantiæ adeo molle & laxum, vt in defluxionibus recipiendis paratissimus existat, quas eo facilius recipit, quo è directo substratus est cerebro omnium membrorum excrementosissimo, à quo per tracheam arteriam, vas amplum, & magnum, & quod constringi, aut conniuere nequaquam potest, destillationum varia recipit genera, sicuti autem à superioribus partibus per asperam materiā his destillationibus est obnoxius, ita à reliquo corpore, præcipue autem à corde per venam arteriosam ex dextro cordis sinu prodeuntem, & in sinistrum pulmonis parietem inhærentem recipit alia excrementorum genera, qualia in sanguinis massa abundāt, vel ei commista, vel separata, quorum omnium occasione diuersas, & varias patitur morborum species. Ex illis patitur obstructiones, dypnæas, abrasiones, vlcerationes, ex istis tubercula, inflammationes, erysipelata, venarum apertiones, corrosiones, communiter autem ex vtrisque suppurationes, putredines, & tabes. Hæ autem suppurationes, putredines & tabes ex vtrisque causis occasionem & ortum recipientes, non immediate fiunt in pulmone, sed prius ex illis nonnulla præcedunt, videlicet, vel destillatio, quæ in eodem putruerit, vel vlcus non sanatum, vel tumor, vel tuberculum non discussum, nec solutum: ex his enim ea sequuntur, iis nequaquam sublatis, aut sanatis. Nec tamen hinc arguendum, est omnem purulentum pulmonis affectum, ac omnē tabem ex prædictis deriuare causis, quoniam non omnis tabes, nec omnis suppuratio ab illis pendet. Vidimus enim plures suppuratos, ac tabidos nulla præcedente destillatione, nulla præcedente vlceratione, nullo præcedente inflammatorio affectu, nullaque præcedente fluxione factos, quod firmum, ac indubitatum sit argumentum, non omnem suppurationem, nec omnem tabem ex his pendere. At vnde fit, vt hi nullis præcedentibus manifestis causis suppurentur, aut tabescant? Ratio & experientia me docuit, vltra prænarratas adesse duas suppurati & tabidi pulmonis abditas causas, altera est membri languor, & imbecillitas, altera est nutrimenti prauitas, quæ duæ causæ si in homine concurrant, facile sine destillatione, sine vlcere, ac sine præcedenti alio particulari affectu suppuratur, ac tabescit. Hic languor, & hæc imbecillitas contrahitur à parentibus, & non per intemperiem vllam, sed ob vitiatam substantiam, quæ facilior facta à natura, facile etiam putredinem, & corruptionem concipit, cuius ratione nusquam fere vidimus suppurationem, aut tabem sine præcedentibus enarratis causis succedere, nisi in his, qui ex parentibus, qui similia passi fuerint, sint oriundi, & ideo ab eis hos affectus, tanquam hæreditarios morbos contraxerint. Hi tamen nunquam suppurantur, nec tabescunt, priusquam adoleuerint, quoniam vsque ad eam ætatem sanguine benigniori, miti, humidiori, ac dulci aluntur: in eis enim abundat calor innatus, qui quantitate plurimus, qualitate suauissimus existens, quantitate & qualitate parem generat, & perficit nutritionem. At vbi hi adoleuerint, & iuuentutem ingressi fuerint, incipiente calore innato fieri subacri, & minus blando, similis in his generatur sanguis, qui quo magis procedit ætas, magis etiam fit acris, & infestus, simili etiam cadente calore ipsis innato, tandemque in his sanguis hic qualitatem acquirit vel subsalsam, vel salsam, vel acrem, ex qua factus indebitum alimentum, ac prauum, deueniens ad pulmonis, qui ex propria natura corruptioni ob imbecillitatem ab ortu contractam factus est obnoxius, nutritionem, male cum nutrit, ac corruptioni disponit, vnde in his, decisis prauo ex hac praua nutritione excremento, incipiunt quædam tussiculæ cum screatu quandoque materiei pallidæ, quandoque liuidæ, quandoque subflauæ, quæ omnia sunt indicia incipientis in viscere putredinis, ac corruptionis, quam subsequentes quædam febriculæ paruæ ac leues, tandem hominem suppuratum ac tabidum manifestant, in fine succedente purulento, ac sanioso sputo. Ex quibus arguo, solam visceris natiuam imbecillitatem non sufficere ad causandam vel suppurationem, vel tabem, sed necessariam quoque esse nutrimenti prauitatem, alias, si illa sufficeret, etiam ante iuuentutem suppurarentur, & tabescerent, quod nec experientia, nec ratio testatur. Huius fidem indubitatam, & testimonium nusquam improbandum mihi fecere euentus, quos in præseruandis, accurandis his, qui ex parentibus talem indispositionem contraxere, ac tabidis factis oriundi, fratres ac sorores ex eodem morbo defunctas conspicerent, præludiaque eiusdem morbi in se ipsis præsentirent, me sibi commiserunt, vt ab his morbis, si fieri posset, eos præseruarem, ex quibus nonnulli à me curati & præseruati, adhuc incolumes sine vlla huius morbi suspitione viuunt. Curatio autem à me tētata & perfecta fuit per ea, quæ sanguinē corrigere, ac blandum & mitem reddere, ac habituosum & suauē facere, omnē eius acrimoniam, & salsedinem, ac prauam qualitatem remittere, ac in totum corrigere potuerunt, qualia sunt aquarum dulcium balnea, lactis potus, cibaria consimilis naturæ, inunctiones temperatæ, & humectantes, Cynæ radicis decoctum, & alia huiusce qualitatis, cum quibus ea etiam adhibui, quæ putredini, corruptioni & flacciditati visceris resisterent, & quæ potissimum pulmonem respicerent. Ad hancautē præ cæteris tanquam singulare, & præstantissimū (quod ea ratione sub silentio prętereundū nequaquam sentio) medicamentum administraui, cuius ope non solum in curatione tabis vel instantis, vel incipientis, sed etiam in destillationibus salsis, præcipue autem tenuibus, in sanguinis diuturnis ex eius ardore, aut calore causatis fluxionibus, aliis

aliisque plurimis rebellibus morbis, mira & fere incredibilia (præter meam, & aliorum quoq; expectationem) perfeci. Hoc medicamentũ est sandalarum decoctum, formatum simili fere ratione, ac formatur ligni Guaiaci decoctum, factum modo in aquis stillatitiis simplicib. modo addita portione vini vel albi, vel rubri, pro ratione affectus, modo alia ratione præparatum. Modus exhibendi parem cum prædicto habet modum. Victus autem rationem diuersam seruo, pro ratione diuersitatis affectus. In horum autem medicamentorum administratione iussi ęgrotantes patriam solũ relinquere, aerẽ natiuum permutare, habitationes domesticas abhorrere, contagiũ omne vitare, eos autem, qui huiuscemodi perpetrare nequeunt, in puriori, & arte alterato aere saltem permanere. Quapropter censeo suppurationis, & tabescentiæ, quæ sine manifesta causa superuenit in his, qui hæreditariam ad hos morbos à parentib. dispositionem contraxere, duplicem hanc reperiri causam, scil. visceris languiditatem, & alimenti prauitatem, censeoq; pariter hos à supereminenti suppuratione, ac tabe (licet aliter celeberrimi quidam viri sensere) præseruari posse, si recte, antequam morbus altius iecerit radices, curentur. Quod si tardum sit auxilium, morbosusq; affectus iam inualuerit, procrastinare mortem, nõ ex toto impedire possumus. Quoniam autem hic affectus nusquam est dolorosus, raro euenit, vt patientes à principio consulant medicos, hoc solum facientes, dum progrediente & inualescente morbo corpus languescit, & tabescit, quo tempore, cum morbus tunc altius iecerit radices, nequaquam ex toto saluari possunt. Ad q̃ solummodo aduertentes, & hoc idem obseruantes multi celebres viri, iudicarunt hos ab imminẽti tabe nequaquam præseruari posse, quod licet sit difficile, egeatq; viro in arte exercitato, non tamen absolute impossibile esse affirmo. Hæc autem dispositio ad tabem, de qua sermonem habeo, non est ea, quam nominabat Hipp. natiuam tabem, quoniam hæc ab Hipp natiua tabes dicta, consistit in malo pulmonis temperamento, & in mala thoracis formatione, ex qua alari depresso pectore, ac longo collo patientes fiunt, indeq; destillationib. obnoxii sunt. At cum optima formatione, & laudabili temperamento, nullaq; fluxione instante vidi alteram fieri, & succedere, quam sicuti vidi factam, & in his, qui ex parentibus eodem morbo laborantibus procreati fuere. successisse animaduerti, ita pariter in nonnullis aliis, qui nec ex parentibus, nec ex alia patente, ac manifesta causa talem dispositionem contraxere, hoc idem factum fuisse obseruaui. Cuius cũ causam perscrutarer, iudicaui in similitudinem eorum, qui ex parentibus tabidis nati sunt, fieri ex semine in hac parte vitiato similem in his dispositionem, cum ex tali semine formetur pulmo, qui ratione materiæ in corruptionem, & putrefactionem pronus, tandem ex decursu ætatis ratione innatæ & propriæ dispositionis putrescit, & tabescit. Hoc idem in nonnullis, qui nec ab ortu, nec ob vllam prauam dispositionem in hunc morbum erant procliues, ex veneno factum fuisse obseruaui: qui casus, licet rarus, tamen possibilis admittatur, sicuti pariter omnes prædicti possibiles sunt, & attestante experientia sæpius contingunt. Quare tales casus licet ab Hipp. non fuerint vel explicati, vel obseruati, referantur etiam inter pulmonum suppurationes, ac tabis genera, eiusq; causæ, quales enarraui, recipiantur. Licet autem in superiori enarratione suppurationem, ac tabem vna connectam, non sit, qui arbitretur suppurationem ac tabem eundem esse morbum, eundemque patientem sub pari, ac eadem ratione suppuratum ac tabidum esse, quoniam suppuratio dicit tantummodo puris collectionem, aut purulentum sputũ; tabes autem dicit consumptionem corporis, quæ licet ad suppurationem vt plurimum sequatur, nihilominus quandoq; sine suppuratione marcescẽte corpore generatur. Hæc phtoe proprie dicitur, illa autem proprio nomine phthisis appellatur: quæ duo tabis genera à suppuratione distinguuntur, cum altera tabes ad eam, non tamen necessario sequatur, cum terminari suppuratio sine tabescentia corporis possit; cuius merito non omnes suppurati sunt tabidi, licet tabes eis immineat, & vbi suppuratio aut non sistatur, aut non purgetur, necessario succedat. Aliæ etiam præter prædictas fiunt tabes, & sine suppuratione, & sine vlla suspicionis puris generatione. Talis est tabes ex gonorrhæa, cuius meminit Hip. lib 6. epid. sect. 8. tex. 47. hãc historiam recensens: Satyrus in Thaso cognomento Grypalopex, cum esset annorum circiter viginti quinq;, semen per somnum effudit sæpe, & interdiu quoq; sæpe ipsi prodibat: cum autem ad annum trigesimum peruenisset, tabidus fiebat, & mortuus est. Quod summa ratione factum fuit, nam ex continua, & superflua seminis profusione alimentum solidis partib. surripitur, ex quo vniuersus ambitus absumptus, & in propria solidarum partium substantia exiccatus, facile tabem incurrere potuit, quæ eo facilius succedit, quo subiectum corpus est magis resolubile, & magis vitiato abundat sanguine, qualis habitus forsan fuit Satyrus ille, qui per quinq; annos gonorrhæam passus, tandem ex diminuta & deprauata nutritione euasit tabidus. Talis etiam est tabes dorsalis, seu spinalis, de qua habemus lib. 2. de morbis 49. quæ ex nimia venere corporis ambitum vniuersum absumente, solidisq; partibus alimentum surripiente ortum habet. Talis est altera dorsalis tabes, de qua lib. 2. de inter. affect. 13. pendens à nimia sanguinis, & nutrimenti copia, in medullam spinalem irruente, ex qua calor eius innatus, ac facultates omnes obruuntur, ac suffocantur. Talis est tertia dorsalis tabes, de qua ibidem, cum medulla spinalis resiccatur, & inde totũ corpus arescit & tabescit. Talis est quarta dorsalis tabes ex destillatione in medullam spinalem defluente, de qua lib. de loc. in homine nu. 29. hæc habentur. Porro cum retro in spinã fluxio processerit, tabes fit eiusmodi: lumbos dolet, & anteriores capitis partes vacuæ videntur ipsi esse. De eadem eodem in libro numero 18. hæc leguntur: Cum vero in medullam fluxio contigerit, tabes occulta, ac inconspicua oboritur. Dixit autem eam

esse occultam, & inconspicuã. Occultam quidē ratione causæ, quoniam hinc languescente corpore morbi causa non ita facile patet: incõspicuã autem, quia sensu nec destillationis, nec tabis nocumenta destillatione in medulla spinali firmata, & nõ vltra progrediente clare deprehenduntur. Si autem hæc defluxio nõ in ipsa medulla spinali firmetur, sed vltra progrediẽs, & in os sacrũ, & vsq; ad coxendicis articulos irruat, tunc nõ amplius est occulta, aut inconspicua hæc tabes: nam & ratione causæ, quia euidentior apparet destillatio, & ratione nocumẽtorum, quia hinc dolores, animi demissio, & motus impedimenta clare se offerunt, est aperta & certa: vnde lib. de glandulis n. 10. iure merito hæc habẽtur: Alius morbus oritur ex defluxione capitis per venas in spinalẽ medullam, inde autẽ in os sacrum impetum facit, quo medulla ipsa fluxionẽ producit, & in coxend. cum acetabula, siue iuncturas deponit, & si tabem fecerit, homo marcescit, atq; hoc modo contabescit, & viuere non expetit; statim n. scapulæ dolent, amboq; pedes, ac crura consequũtur & semper tandem pereunt multo tempore curati, atq; sic deflorescit homo, ac moritur. Hic autẽ morbus, hæcq, tabes à medicis maxime animaduertenda est, quoniã licet raro, quandoq; tamen, vt in praxi obseruaui, occurrit, soletq; fieri in his, in quib. languentibus, & tabescentib. neruis, corpus languescit ac tabescit, simulq; inde arefactis, ex tenui & praua destillatione ipsismet neruis, contrahitur: vnde hi tandem nullo conferente (liquaris ex malefica defluxione neruis) præsidio attracti pereunt, quod per ea verba ex lib. de glandulis recitata innuitur, cũ inquit: Semper tandem pereunt multo tẽpore curati, id est, quamuis multo tempore curẽtur, nihilo minus pereunt, nullo cõferente auxilio. Talis etiã, quales superiores diximus esse, est tabes ex inedia, & fame, de qua Gal. lib. de marasmo meminit, cum deficiente nutrimento corpus absumitur, & contabescit, improprie quidem ex inedia, magis autẽ proprie ex diuturna fame. Nam ex inedia pereuntes dicuntur illi, qui nihil assumentes, omnimodãq; cibi abstinentiã seruantes inde moriuntur, qui non tantum ex inopia solidarum partium alimenti, verum etiam, imo maxime ex inopia spirituum, qui iugulãtur, pereunt. Qui autem ex fame deficiunt, sunt illi, q minimam cibi, vel quia deficiat, vel q à nõ assumatur, portionẽ plurimis diebus non recipientes, tarde temporis diuturnitate attenuati cõtabescunt, cum membra solida ꝓportionato sibi carentia alimento inde exiccẽtur: qua ratione hi potius, q̃ illi accedere ad veram tabẽ dicuntur, quoniã in illis nõ ita solidæ exiccantur partes, vt fit in his, qui diuturna fame consumuntur. Talis etiã solet fieri tabes in his, qui salsuginosum sanguinem, & parum nutritioni aptum cõgerunt, q nisi per epicrasin, vt docuit Gal. lib. 5. meth. curentur, omnino sunt insanabiles, ineuitabiliterq; tabidi euadunt. Talis etiã est tabes, quæ in marcescẽtib. ex manifesta, occultaue inflammatione, vel ex syncopa ex corde, aut ex ventriculo ortum habẽte (de quib. Gal. lib. 10. meth cap. 8. lib. de marasmo, & lib. 4. de caus. pul. cap. de pulsu marcescentium, aliisq; in locis egit) succedere, absumpto & exiccato vniuerso ambitu, solet. Talesq; in summa sunt omnes illæ tabes, in quib. corpus absumitur, exiccatur, languescit, marcescit, & tabescit, vel ex alimenti solidatum partium penuria, vel ex earundem ob aliquã prauam causam absumptione, nulla præsente aut suppuratione, aut alio purulento affectu: ex quib. liqueat, quãtum differat vel suppuratum, vel phthisicum, vel simpliciter tabidum esse. At supposita ea suppurationis specie, de qua sermonem habui, & ad quam tabes necessario, nisi præcaueatur, subsequi solet, descendo ad declarationem suppurationum pulmonis ab Hipp. positarum, quæ numero tres sunt: nam aliæ fiunt ex pulmonis tum orib. nõ solutis: aliæ ex destillatione in eo putrescente: aliæ ex vasorum eius ruptura, vel distractione à causa exteriori causata. De primis hic agere incipio, de cæteris in sequentibus suo loco acturus. Quoad primas suppurationum species, quæ ex pulmonum tumorib. non solutis succedunt, sciendum est, has ex duplici morbo ortum ducere posse. Duplices n. sunt inflammatoru affectus, qui in pulmone generantur, & hæc duo tumorum genera specie inter se differentia, differunt ab inuicem nomine, materia, & loco: alter dicitur erysipelas, alter inflammatio appellatur. Materia erysipelatis est bilis syncerior, quæ massæ sanguineæ est portio calidissima & subtilissima, & locus, in quo generatur, est pulmonis extima pars, ac superficies cum eius membrana. Materia inflammationis est sanguis non purus, sed crassior, admixtam habens pituitæ portionem, vel bilem ex pituitæ admixtione crassiorem; locus autem est ipsamet pulmonis intima & carnosa substantia. Primus affectus vocatur erysipelas simpliciter: secundus appellatur ꝓprio nomine pipneumonia. Prim⁹ est acutiss. morbus, ita vt primũ quaternarium raro excedat: secundus est simpliciter acutus, cũ sæpe septimã attingat. In primo minima est grauitas, ardor, ac feruor ingentiss. dolores vero circa sternon. & dorsum ob membranarum, quib. alligatus est pulmo, consensum, sunt acutiores. In secundo feruor non est adeo ingẽs, & dolores sunt minus acuti, imo nequaq̃ acuti cum grauitate notabili. Primus affectus potius fit in extrema parte, & mẽbranis, q̃ in pulmonis substantia, quoniã sicut in extrematum partium erysipelate bilis ob sui tenuitatẽ partes carnosas percutiẽs in extimis, & cutaneis, ꝓp earum densitatẽ firmatur, ita pari ratione in pulmone sanguis biliosior per laxitatẽ carnis pulmonum ob sui tenuitatẽ diffluẽs nõ firmatur, nisi circa eius supficialẽ partẽ, ac circa eiusdẽ mẽbranã ob earundẽ densitatẽ. Secundus a. affectus potius fit in interna substantia pulmonum, q̃ in sopficiali, quoniã sanguis crassior, à quo hic pendet, ac generatur, ob sui crassitiẽ diffluere p pulmonum substantiã neq;, sed in ea hærẽs firmatur ac sistitur, inflãmationẽ causans. In primo affectu, quoniã materia peccans est siccior, & adhæret parti pulmonum superficiali, quæ est siccissima pulmonis pars, arteriæ tenduntur, vnde pulsus quandã recipiunt duritiem, ex qua possunt ægroti euadere. In secundo autem, quoniam materia peccans est humidior,

midior, eaque in loco laxo, & molli firmatur, arteriæ emolliuntur: ex quo sequitur pulsus adeo mollis, vt quã iam languiditatem præseferant, licet adhuc vires constent. Cum igitur tanta sit inter hos duos affectus differentia, & ex vtrisque non solutis possit suppuratio in pulmone succedere, iure dixi ex duplici tumorum genere pulmonem suppurari posse: quorum cum sit alter inflammatio, seu peripneumonia, alter sit erysipelas, de vtrisque agit Hippocrat. De erysipelate quidem inferius, in præsenti autem de inflammatione ac peripneumonia dicens: Quod si quis regurgitante sanguine, qui vel ob pituitæ simplicis, vel ob bilis cum pituita admistionem crassior existat, à vena arteriola in pulmonem, peripneumonia corripiatur, & in diebus indicatoriis non purgetur, retenta in pulmone materia peccante, fit suppuratus. Qui sint illi iudicatorii dies, in quib. in peripneumonia pulmo purgari debeat, non est ita certum, sicuti est in erysipelate: nam cum in hoc non pertranseat regulariter quartam, sumus certi de die iudicatoria: at in peripneumonia nequaquam, quoniam in hac diuersitas materiæ peccantis diuersa tempora habere debet. Etenim vbi sanguis biliosior existat, acutior & breuior est morbus: si autem pituitosior, minus acutiei habebit, vnde longior erit: cuius ratione fit, vt in omni peripneumonia non idem sit terminus iudicatorius, sed alii in septima, alii nona, alii vndecima, alii decima quarta iudicentur, quæ diuersitas pro diuersitate materiæ peccantis contingit: in calidiori enim, & tenuiori iudicium celerius, in frigidiori, & crassiori tardius habebitur. Per purgationem autem intelligit omnem morbi solutionem, vel factam per sanguinis è narib. fluxionem, vel factam per secessum excreta materia peccãte, vel factam per sputum, quæ est propria huius morbi indicatio, vel factam per abscessum alio transposita materia, quoniam hic morbus his omnibus modis solui potest. Inquit autem: si non purgetur, sed relinquatur in pulmone sputum, ac pituita, id est, si retineatur sputum quod est proprium huius morbi excrementum, & pituita, id est, materia morbi coniuncta, (per hanc enim sanguis crassior factus est, siue purus sit sanguis, siue biliosior) nõ euacuetur, suppuratio succedit. Quare hic erit sensus, si huius affectus excrementa, q̃ sunt sputa, per tussim nõ excreentur, & pituita in viscere retineatur, id est, si materia peccans nec per alui excretionem, nec per sanguinis fluxum, nec per abscessum, nec per aliam excretionem euacuetur, sed in loco affecto relicta retineatur, proculdubio fit suppuratus (adde) nisi mors hominem præripiat. Nam acuti morbi habent certa quidem pro eorum solutione, ac crisi tempora, non tamen mortis certa tempora habent. Etenim saluandi debent vel in aliqua die iudicatoria, vel post eam saluari: at morituri possunt quocunque die, & ante tempora iudicatoria perire. Nisi igitur hominẽ mors ante iudicatorios dies, vel in his iudicatoriis diebus præripiat, his elapsis in peripneumonia retẽto sputo, & nõ excreta materia peccãte, absq; dubio suppuratio succedit.

6 *Et siquidẽ statim curat[9] fuerit, vtplurimũ effugit.*

FACTA ex peripneumonia non purgata suppuratione, inquit Hipp. si patientes statim, & quam primum curẽtur, vtplurimum liberantur, sed quoniam curatio morbi cognitionem eiusdẽ præsupponit, (non cognito enim morbi opportuna non potest esse curatio) quæ pro cognitione harũ suppurationum à medico, antequam huic morbo manum admoueat præcognoscenda sit, vt noscat, quę suppurationes sint curandæ, & quando curandæ, hæc tradam. Suppurationum quintuplicia sunt signa à medico aduertenda. Nam alia sunt signa futuræ suppurationis, alia fientis, alia factæ, alia eruptionis, alia prognostica salutis, aut mortis, quæ omnia medico inseruiunt, quoniam à primis potest arripere occasionem præseruandi, si fieri datur, peripneumonicum a suppuratione, quod debet omni conatu tentare. Quãuis enim ab Hipp. videatur magis laudari suppuratio, q̃ resolutio tumorũ, cum li. 6. epi. sect. 2. tex. 10. dixerit: Omne suppurans est sine recidiua: hæc n. concoctio & crisis simul, & abscessus est: non tamen hæc sententia de internis, sed de externis tumorib. est intelligẽda: Multo n. tutior est resolutio in internis q̃ suppuratio, cum à resolutione nullum, a suppuratione multa impẽdeãt mala. A secundis habet indicationem adiuuãdi naturam in opere, vbi iam suppuratio progressa sit. A tertiis habet indicationem educẽdi & purgãdi pus. A quartis habet eruptionis tempus, & modum. A quintis potest prædicere salutẽ vel periculum, vitam vel mortem. Signa futuræ & imminentis suppurationis hæc sunt: Si dolores in peripneumonicis, q sunt ad sternon, & ad dorsum, non ad latera vt in pleuritide, & qui sunt extensiui, & grauatiui, non pungitiui, vt in pleuriticis. siq; difficultas anhelitus, si tussis, si angustia, si anxietas, cæteraq; mala peripneumoniam consequentia nõ soluãtur, neq; venæ sectione, neq; ventris subductione, neq; tenuis victus ratione, neq; opportunis adhibitis medicamentis, neq; per sicreatũ quid effatu dignũ, & q pro ratione morbi prodesse queat, excernatur, in suppurationem verti morbũ coniectandum est, hoc tamen addito, nisi vllum exitiale signũ his adiungatur. Nam si tale quid adsit, non suppurationẽ, sed mortem expectare oportet: hoc autem absente, cum hic sit status medius inter morbum celeriter soluendum, & insanabilem, cumq; hinc nec solutio speranda, nec mors timenda sit, necessario de suppuratione coniectandum erit. Quo casu tentet omni conatu medicus ab hoc affectu patientem præseruare, quod facere poterit, si materiam in loco affecto conculcatam iterum reuellere, deriuare & imminuere tentet: & ideo stante tunc virium robore, q supponitur, alias casus esset exitialis, venã iterum secet, pharmaco lenienti materię peccantis eductionẽ tentet, cucurbitulas ad pectus & dorsum scarificatas, ad euocandam ab internis ad externas partes materiam administret, iunctiones, emplastra, ac similia medicamenta exasperantia, & euocantia apponat, frictiones ad membra extrema adhibeat, clysteria acriuscula imponat, validiora ex sputa prouocantibus exhibeat, in tenui victu per-

sistere inbeat, tãdẽq; omnia, & singula faciat, q̃ materiã iminnere, à loco affecto reuellere, & deriuare queat: hac a. iminuta, facile erit reliquũ discutere & resoluere. Signa a. fiẽtis suppurationis hæc erunt: si factis faciẽdis, opportunisq; administratis medicamẽtis, nõ discutiatur, aut resoluat morbus, imo potiꝰ febres (nullo accedẽte exitiali signo) innalescãt, ꝓcedẽtibusq; vehemẽtiores fiant, cũ rigore, q̃ sæpius, ac inordinate fiat, accedẽter, siq; simul cũ dolore affligẽte admisceatur põdus, nihilq; effatu dignũ p screatũ educatur, nihilominus tussi infestante, & respirandi difficultate vrgente, tunc suppurationẽ materiæ peccantis fieri coniectari oportet, & boc eo magis, quo dies iudicatorii, in quibus vel solui, vel alleuiari peripneumonia deberet, elapsi sunt. Nam his prætereuntib. & non soluto morbo, materia in loco affecto cõculcata maiorẽ concipit putredinem, & inde febrium vehemẽtiorũ est in causa: ex maiori autẽ putredine (cum acredinẽ acquirat) hinc derodens, & mordicans adiuncta corpora, rigores causat. Facta autem hac erosione, cũ colligatur materia puris in aliqua cauitate, quam sibi ex erosione parit, in membro affecto sequitur põdus, quod tamdiu dolori admixtum est, quãdiu tota materia in pus cõuersa est. In hoc a. fientis suppurationis casu, q̃ prohibere, ac ꝑcauere nõ valuit medicus, adhibeat ea, quæ suppurationẽ ipsam adiuuare possunt, qualia sunt ꝑfusio aquæ tepidæ, emplastra ex caricis, dactilis, passulis, radicibus altheæ, maluar. farinis, ac pinguedinib. eiusdẽ facultatis. p interius faciẽt decocta ex reb. ꝑdictis, ex liquiritia, mucilag. altheæ, maluar. seminũ lini, oleo amygdolar. dulc. b syrũ deuotatũ, ratio victus cum iisdẽ instituta, aliaq; similia, ex quib. suppuratio adiuuari, accelerari, & ꝑfici potest. Signa vero suppurationẽ factã indicantia nõ simplicia sunt, sed in duplici existunt discrimine: nã cum suppurationũ aliæ celerius, aliæ tardius ꝑficiantur, hæ ab illis debẽt determinatis signis distingui. Quæ sunt celerioris terminationis his signis iudicantur: dolor q̃ prius aderat, euanescit, & ꝓ dolore solũ pondus præsentitur: febris, q̃ admodũ valida erat, remittitur: rigor, si accedat, modo est maior, modo minor, ordinẽ nõ seruans: spiratio difficilior supuenit, & his quandoq; cõnectuntur aliqua ex signis, q̃ dicimus in tardiori accedere suppurarione, qualia sunt maxillarũ rubedo, ex somno in nocte media sudor, tussiendi cupiditas, & irritatio, q̃ tamen non tollit, quin dolor in pondus & grauitatẽ, vt antea dictũ est, fit immutatus, quoniã immutatur dolor, q̃ fit ratione morbi, sicuti immutitur, eadẽ quoq; ratione febris, cũ dolores, ac febres accedãt magis, dũ pus conficitur, q̃ pure confecto: hoc autẽ in casu nõ ratione morbi, sed irrationis, & cõcussionis, & vellicationis causatur. Quæ autẽ suppurationes tardioris sunt terminationis diutius immorãtis, his signis cognoscũtur: ꝑsupposita anhelitus difficultate, ac põderis & grauitatis sensu, q̃ duo in his pariter, ac in ꝑdictis reperiũtur, febris non intermittens interdiu lenior, noctu vehemẽtior affligit (nam vt habetur lib. 5. epid. in omnib. suppurationib ad noctẽ labores) sudor copiosus potissimũ ad noctẽ in somno, p hunc discusso alimẽto, ꝓlicitur; tussis adest irritatio, ex qua nihil effatu dignũ excreatur, tũ quoniã pus crassius est, & nondũ satis concoctũ, ac satis attenuatũ, tum quoniã partes pus cõtinẽtes crassiores adhuc sunt, cũ à pure nondũ exedantur, & apiantur: oculi caui ob corporis extenuationẽ redduntur, cũ corpus in hisce casib. nõ solum nõ bene nutriatur, verũ etiam alimentũ antea assumptũ discutiatur: maxillarũ rubor supuenit ob vapores à pulmone eleuatos: huiꝰ n. mẽbri ꝓprium est, quãdo est male affectũ, ob loci directionẽ, & ob multã ab eo factam euaporationem, ruborẽ maxillarũ parere. Hæc autem maxillarũ rubedo in suppuratis ꝑcipue notatur, quoniam ex ꝓprio affectu potius pallidi, q̃ rubicundi esse deberent: at hoc nõ ex affectu, sed ex membri ꝓprietate accidit: vngues manuũ curuantur, quoniã ex corporis extenuatione, & cõsumptione, ob alimẽti discussionẽ consumpta carne, q̃ vngues firmabat, ac sustinebat, necessario hi curuantur: digitorum summitas interna cæteris manus partib. est calidior, ob vaporationẽ à partib internis ad externas p venas & arterias, q̃ ad partes extremas terminãtur, factam; pedes intumescũt non ex defluxione aliqua, sed quoniã languente ob suppurationẽ calore innato, eodẽq; ad extinctionẽ currte, partes corporis à fonte caloris longinquores, quales sunt pedes, primæ omniũ extinctionẽ sentiũt, cuius ratione, cum nõ nutriãtur ex trãsmisso nutrimento, intumescũt: cibi fastidiũ accedit, male affecto ore vẽtriculi à putridis vaporib. ob viciniã puris; pustulæ aliquando circa cutim multũ tardãte suppuratione supueniũt, quoniã ex mala coctione sanguis ichorosus gignitur, q ad totiꝰ corporis nutritionẽ demandatus, vbi ad partes cutaneas, q̃ ex corporis extenuatione laxiores factæ sunt, deueniat, in illarũ laxitate ichores excernit, quorũ euaporatio impedita à cutis dẽsitate est in causa, vt collecti ibi pustularũ eruptionẽ inducãt. Hæc, & similia mala patiũt, q suppurationes incurrũt tardioris terminationis, q̃ nõ alia siunt ratione, q̃ ob puris diuturnã in pulmone moram, ad quã caloris insiti subseq. languor. & inde extinctio. Tot a. mala in suppurationib. celerioris terminationis nõ accidũt, quoniã pꝰ nõ ita diu in pulmone alteratur, ex quo nõ ita languescit calor innatꝰ. Sed q̃ est ratio, cur hę celerius, illæ tardiꝰ terminẽtur ac ꝑficiãtur? Ratio differentiæ est ex materia, ex patientis ætate, natura, ac virib. ex anni tẽpore, & aeris statu, ex loci qualitate, & cõditione. Nã ex humorib. calidior sanguis citiꝰ suppurat, frigidior tardiꝰ, vnde cũ ꝑipneumonia fiat vel à sanguine pituitoso, vel à sanguine billioso, sed ꝓp pituitæ admistionẽ crassiori facto, ab hoc citiꝰ, ab illo tardiꝰ suppurabit pulmo. Ex patiẽtis autẽ ætate, iunior: ex natura, calidior: ex virib. validiores citius suppurabunt: tardius a. senior ætas, natura frigidior, & vires non admodũ validæ ac cõstãtes. Ex anni tẽpore, in vltimo vere, in æstate, in autumni principio. Ex aeris statu, in calidiori & humidiori citiꝰ suppurationes terminant: tardius a. in fine autumni, in hyeme, & primo vere, ac in statu frigido, & sicco. Ex loci qualitate, & conditione, in terra ad Austrum vergente, & calidiori celeres fiunt suppurationes: in terra autem Aquilonem spectante, ac frigidiori, tardæ. Ex quibus omnib. clara habeat ratio differentiæ celerioris vel

tardio-

tardioris ſuppurationis, quod ſi hæ abundent, illæ deſint, in comparatione habeatur ratio eorum, quæ validiora ſunt, in quibus præſertur differentia à materiis ſumpta, niſi vires, ætas, natura, anni tempus, aeris conſtitutio, regio, & locus valide contra indicent. His autem habitis, videlicet ſignis vel tardæ vel celeris ſuppurationis, cauſiſque differentiæ earum explicatis, quæ curandi ratio in facta ſuppuratione debeat eſſe, declaro. In omni ſuppuratione ſiue tarde, ſiue celeriter terminata, vnica pariter eſt indicatio curatiua, videlicet puris ex loco affecto euacuatio. Hanc euacuationem molitur natura quandoque ex ſeipſa, quandoque ex arte. Ex ſeipſa, quando ſponte, nullo extrinſecus adiumento adhibito puris eruptionem facit: ex arte, quando ex adminiſtratis remediis ad hoc agendum irritatur. Si natura ſponte, tempore opportuno & perfecte opus hoc exequitur, medico nullus eſt locus, præterquam inſtituendi rectam victus rationem, ne in vllo æger delinquat. Si autem natura hoc non agat, tunc medica manu indiget ægrotãs, vt geniti puris fiat eruptio. Per hãc autem eruptionem nõ intelligas eã, quæ fit ex thorace per ſcreatum, ſed eã, quæ ex ſuppurato abſceſſu in thoracis cauitatem gignitur: in his enim internis ſuppurationib. duplex ad integram expurgationem, ad ęgri ſanationem requiritur eruptio, altera ex abſceſſu ſuppurato in thoracis cauitatem, altera ex cauitate thoracis ad extra per ſcreatũ. De prima hic loquor, de ſecunda inferius erit ſermo Suppurato abſceſſu & collecto pure in pulmonis ſubſtantia, ne ex diuturna puris in eo mora putredinem, & corruptionem pus ac pulmo concipiat, & inde mors ſequatur, puris eruptio, & abſceſſus diſruptio expectanda eſt. Hoc ſi natura ex ſe agat, opera medici ad hoc non requiritur: ſi autem nequaquam, ars hoc procuret. At quando, vt noſcat opportunum agendi tempus, hoc à medico procurandum erit? Ad hoc cognoſcat tempora ex pręſcripto naturæ ordinata: his enim elapſis, & nihil à natura tentato aut facto, tunc erit medico locus, & tempus agendi opportunum. Tempora ex præſcripto naturæ ad puris eruptionem expectanda hæc erunt. Quę citius erumpunt, non vltra vigeſimam, aut etiam antea erumpunt, quæ tardius vltra vigeſimam, vel trigeſimam, vel quadrageſimam, vel ſexageſimam erũpere ſolent. Earum, quæ citius erupturæ ſunt, erit perſeuerans dolor, q à principio extitit, difficultas ſpirandi moleſta, tuſſis irritatio aſſidua, & ſcreatio facta, qa iam ſanies quædam tenuior obductum penetrat corpus, quod eſt indicium, partem eã, quæ pus obuoluit, corrodi, & inde exitum puri parari. Si hæc continenter, & vehementer inſiſtent, celerem expectare oportet eruptionẽ: magnum enim ex his apparet certamen naturæ cũ morbo, & magnã liquet adeſſe irritationem: qua de re neceſſario celer deberet eruptio fieri. Quod ſi hæc non eueniat, ſed abſceſſus diſruptio tardet, tunc medicus naturã in hoc opere adiuuare, omniq; conatu eruptionem procurare debet. Eorum vero, quæ tardius erumpere debent, hęc erunt indicia, videl. quod dolor, difficultas ſpirandi, tuſſis, omniaq; alia ſymptomata remiſſa ſunt: qua de re cum minor ſit naturæ irritatio, minorq; ſit ex morbo conflictatio, tardius etiam erit expectanda eruptio. Qua poſtea inſtãte hæc erunt ſigna, videl. quod dolor iterum inualeſcet, & irritabitur ex puris acrimonia corpus illud obuoluens derodentis, ac penetrantis: aucto autem dolore, difficultas etiam ſpirandi ex eo, læſis inſtrumentis inſpirationi inſeruientib. adaugebitur. Tuſſis pariter, ac ſcreatio erunt magis moleſta, ſanie corpus eam obuoluens penetrante, ac ſimul exitum quærente. Quę indicia ſi accedant, nec eruptio ſequatur, tunc opportunum erit tempus, quo medicus eruptionem remediis conuenienter, & ex ratione adminiſtratis procuret. Si tamen vel quia pus acrimoniam inſignem nõ acquiſierit, vel quia vomica, & corpus illud obuoluens ſit denſioris ſubſtantiæ, cuius ratione à pure non ita facile derodi, aut aperiri queat, non ſuccedant, antiquante iam ſuppuratione illa accidentia proximam eruptionem indicantia, vbi nouerit medicus pus genitum, & collectum eſſe in viſcere, poterit ſumma cum ratione pariter, ac in ſuperiore caſu eruptionem procurare, cum ex diuturna in eo puris mora ſit timenda viſceris corruptio, & putredo. Sed in procuranda hac eruptione cum valide concoquẽtibus, & maturantibus, vt inde pus, & locus ea obuoluens magis attenuetur, procedere debet. Alias autem eruptiones alia ratione, & methodo procurare debet. Nam vbi eruptionis ſigna acceſſerint, eruptio autem ipſa non ſuccedat, adminiſtratis iis, quæ valide concoquere valent, admixtis quibuſdã attenuantibus, & incidentibus, ac abſtergentibus, qualia ſunt radices ireos, dracuntĳ, ari, ſcyllæ, folia abſinthii, ſerpilli, abrotani, farina orobi, & lupinorum amarorum, medicus valide concutiat ægrotantem: ex tali enim concuſſione illis præmiſſis ſolet ſæpe eruptio ſuccedere. Quod ſi hæc non ſuccedat, acria cibaria exhibeantur, illaq; prædicta medicamenta ſimplicia ſolo admixto melle adminiſtrentur. Quod ſi nec ex his prorumpat pus, cibariis prædictis ſalſa addantur, radices ciclaminis, & raphani in vſum veniunt, fiant ſuffumigia ex herbis acrioribus, qualis eſt tymbra, thymus, origanum, hiſſopus, ruta ſuſcepto ad intra os fumo. Hinc enim irritata ex conuenienti materia natura, tuſſi vehementi lancinatur patiens, quam eruptio ſeqni poterit. His vnctiones & emplaſtra eiuſdem facultatis adiungat, vociferationes impetentur, ſternutationes prouocentur, curru aut rhæda vehantur: quæ omnia pro ratione virium commenſurentur, ſicuti & commenſurari debent omnia per os exhibita pro ratione præſentis febris: in vehementiori enim febre magis temperata, in leuiori validiora adhibeantur. Sed quoniam vniuerſalia particularibus præmittenda ſunt, iure quis quæreret, an ante puris tentatam eruptionem, & eductionem ſit totius corporis præmittenda aliqua vniuerſalis euacuatio, vel per venæ ſectionem, vel per pharmacum? De ſectione venæ in ſuppuratis poteſt eſſe difficultas, quoniam Hipp. lib. 4. reg. a cur. tex. 21. in orthopnæa ex collecto pure damnat ſanguinis miſſionem, & ſane iure merito, cum

purulenti, vt inquit Galen. in Com. non sanguinis, sed puris euacuatione indigeant. Ex aduerso Aetius lib. 8. cap. 65. in suppuratis ex præcedenti inflammatione venam secare cubiti, si nihil prohibeat, & sanguinem moderate euacuare probat, vt inde aliqua symptumatum alleuiatio habeatur, quod immerito nõ videtur probari, cum quoniam hinc naturę subleuamen sequitur, tum quia materia ad locum affectum fluens per hanc sanguinis euacuationẽ reuelli, & alio retrahi potest. At quid in hoc ancipiti casu agendũ est? Si suppurationẽ præcessit inflãmatio, & symptomata vrgeant nondum pure erumpente, vbi vires constent, nihilq; contrariũ dicet, Aetii sententia probanda est, cum ob prędictas rationes, tum etiam quia hinc natura subleuata, & fortior supra materiam peccantem facta tutius potest eius expulsionem tentare, ac eruptionem facere. Si autem suppuratio non inflammationem, sed materię defluxionem, aut congestionem sequatur, qualis fieri solet ex destillationibus in thoracem decumbentibus, vel si inflammationem sequatur, facta sit puris in thoracis cauitatem eruptio, vnde materia suppurata non in loco aliquo conculcata, sed vel in cauo thoracis spatio, vel in asperis arteriis contenta existat, (qui est casus Hippocratis) nequaquam secanda est vena, cum puris vasa & meatus opplentis, non autem sanguinis euacuandi detur indicatio, & eo magis, cum ex puris in thoracem eruptione, alteratis ac imminutis spiritib. à vaporib. purulentis, langueat, & fere extinguatur calor innatus, quo languente, nunq̃ secanda censetur esse vena. De exhibitione autem pharmaci quid sperandum, cum materia peccans per sputum tantummodo educi queat? At Hipp. lib. 2. de aff. inter. purgat per lac eqnũ, & aliquando per asininũ: Alex. autẽ Trallianus ad hoc pter equinum & asininum, in nõnullis etiam casib. caprinũ, & bubulum ꝓbat, & iure sane, quoniam ex lacte habemus corporis euacuationẽ, & refrigerationẽ, ac humorũ contẽperantiã, quæ omnia in suppuratis desideráda sunt: corpora n. putiora minus laborãt, humores contẽperati min⁹ lædũt, & habitu refrigerato febres minus affligũt. Quare laudo tale purgãdi genus, sed ad hoc copiosum lac, sicuti ad libras tres, aut quatuor (exhibet n. Hipp. lactis heminas tres) dandũ est: ed ꝙ singulis dieb. faciebat Hip. hoc agamus nos interpollatis vicib. Quod si vsus lactis non placeat, vel æger id renuat, ad hanc eandẽ purgationẽ recipiamus vsum mannæ, cassiæ, syrupi violati solutiui, ac similium, quæ euacuare, refrigerare, ac contemperare apta sint. His factis, si pus disrupto abscessu in thoracis cauitatem erumpat, iam pus ex loco affecto excessit, alterumq; locum repleuit. At quib. signis deprehendimus, iam factam esse hãc eruptionem? Alterum indicium erit screatio, alterum pulsus. Si facta suppuratione æger incipiat pus genitũ, non saniem purulentam, qualem antea dicebamus fieri instante eruptione, extussire, & excreare, clarum habemus indicium eruptionis factæ: at vbi facta eruptione non excreatur pus, quod contingere consueuit, vbi vel pus sit admodum viscidum, & tenax, à quo dicebat Gale. causari orthopnęam illã siccam, de qua Hipp. loco citato lib. 4. reg. acut. agebat, id est, eam difficultatem anhelitus, in quã nihil expuitur, vel vires adeo langueant, vt ad excretionem sint impotentes, & inhabiles ob animalis facultatis imbecillitatem, tunc eruptionis factæ certissimum indicium habemus ex pulsu, qui tunc temporis euadit languidior, latior, tardior, & rarior; nam cum suppurante inflammatione fierent quandoq; pulsus insurgente natura ad propulsandam causam morbificam, magni, vehementes, alti, & celeres, quandoq; antẽ parui, languidi, humiles, & tardi, eadem grauata, & pugnando depressa, sicq; alternatim immutarentur, vnde inæquales, & inordinati æqualiter facti inęqualitatẽ, & inordinationẽ hecticã, id est, vniformẽ acquirerẽt, ea disrupta, immutantur pulsus, fiuntq; prædictis languidiores, latiores, tardiores, & rariores. His addi possunt alia signa, videlicet, fluctuatio materiæ, & inundatio, quæ ex concussione percipitur, vt docuit Hip. Verum quoniam hæc non sunt certa, quoniã tanta puris copia in cauitate thoracis adesse posset, vt fluctuationi nullus daretur locus, vel pus adeo crassum, & tenax potest esse, vt adhærens ex concussione non dimoueatur: ideo illis duob. indiciis contenti simus ad certitudinem eruptionis in thoracis cauitatem factæ. Sed quoniam hoc acto nondum medicus est certus de salute ægrotantis, cum periculum, si pus debito tempore nõ expurgetur, aut tabis, aut mortis immineat: ideo quamprimum medicus de huius puris eductione cogitet. Hanc eductionem quandoq; molitur natura per se, quãdoq; ad hoc ars requiritur. Natura disrupto abscessu puris euacuationem triplici via tentare solet: alias n. per screatum, alias per lotium, alias per secessum pus educit. Per screatum hoc facit vi tussis cõprimendo, & extrudendo ex thorace per ipsius thoracis compressionem pus ipsum ad oscilla arteriarum asperarum, quæ ad cauitatem thoracis pertingũt, à quib. transumptum pus, & deductum ad patentiora ora, & ad latiores asperas arterias, vi spiritus tandem per tussim screatu educitur. Per lotiũ autem hoc facit per communionem, & diuaricationem sinistræ partis venæ sine pari ad emulgentem sinistram, vel dextræ ad dextram (hoc rarũ est, illud autem frequenter, ac fere semper) pariter emulgentem. Per secessum autem hoc agit (quod sæpe, ac sępius in actu practico factum vidi) per cõnexionem dextræ partis venæ sine pari, dum infra septum transuersum descendit, cum partibus quibusdam venæ cauæ circa lumbos, ex quib. ad intestina facta aliqua diuaricatione datur transitus ad ea materiei ex thorace ad intestina defluentis. Has puris euacuationes dum natura molitur, si integre perficiantur, nihil aliud tentet medicus, quam lenire, & munire partes, per quas pus permeat, ne in transitu ab eo corrodantur, aut quid aliud patiantur. Sin autẽ minus perfecte natura hoc agat, quia materia sit nimis vel crassa, vel viscida, vel tenax, vel q̃a partes, per quas transit, aut non pateãt, aut aliter læsæ sint, tũc medicus ꝓ ratione impedimẽti recta administret medicamẽta. Vnde si materia sit crassior, cum leniẽtib. admisceat incidentia: si viscidior, attenuantia: si tenacior, extergentia: si viæ non pateãt, aperientia & dilatantia: si hæ abrasæ, vel vlcera-

ratæ

latæ, vel tale quid aliud passæ sint, consolidantia, & contemperantia. Si vero facta eruptione nullus puri detur exitus, siue per lotiũ, siue per secessum, siue per screatum, sed in cauitate thoracis retineatur, tunc ad hoc medici opera præsto sit, vt & conuenienter, & celeriter inde educatur purulenta illa materia, ne ibi diutius permanens, hunc corrupto viscere, & calore innato suffocato, mortis sit in causa. Quare ad hunc vsum assumat ea, quæ ad disruptionem abscessus proposita fuere, addendo radices helenii, & semina vrtieę, aliaq; similis facultatis: quibus non satisfacientibus, statim (quoniam in his tardare malum est,) recurrẽdum erit ad duo Hipp. priscorũq; medicorũ antiqua remedia, quorum alterũ est sectio, alterum est vstio. Sectio probatur magis, vbi cõlectetur pus non esse malignũ, nec partes puri circumstantes putredini esse obnoxias: at vbi pus prauum, & malignum existat suspicandumq; sit de corruptione partium internarũ, pus ipsum continentiũ, præferatur vstio. Hæc autem licet summa cum pręmeditatione agẽda sint, quoniam est subiecti qualitas, & eiusdem robur valde perpendendum, & attendendum est, nihilominus haudquaquã prætermittenda sunt, licet apud nos talium medicamentorum obsoleuerit vsus, quod factum est, non quia talia remediorum genera sint importuna, & inconuenientia, sed quia horum remediorum vsus, ac euentus malus hominibus nostris successerit, ꝙ duplici de causa factum est, videlicet tum quoniã homines nostri nõ ita libenter ob delicatiorẽ vitã talibus actionib. se exponunt, tum quoniã medici ad hæc nõ deueniunt, nisi in extremo (prius omnibus aliis medicamentis tentatis) ægrotantium casu. Vnde fit, vt cum ad has actiones, nihil illis medicamẽtis proficientibus, & inde ex longitudine morbi virib. in patiente deficientibus, descendunt, potius necent, q̃ subleuent ægrotantes, nam hi debiliores facti tantam medicamentorũ vim ferre nequeuntes, vstione, vel sectione administrata perimuntur, q̃ cum videant medici nostrorũ temporũ, potius relinquunt morti necandos ægros, q̃ talia audeant administrare remedia. At medicus in hoc opere sit generosus, qui cum videat vires adhuc cõstantes, & ægrũ facile tolerantem, nõ autẽ timidum, & effæminatũ, statim ad hęc remedia descendat. Locus tam vstionis, q̃ sectionis est idem in parte potius posteriori, non anteriori inter quintã, & sextã costã, an autẽ vel in dextro, vel in sinistro latere hæc molienda sint, habeatur ex puris loco. cuius indicia erunt, dolor & caliditas maior, & si supra oppositũ latus decumbentes ęgri pondus sentiant. Monet autẽ Hipp. lib. 2. de mor. n. 45. optandũ esse, vt pus potius in sinistro, q̃ dextro sit latere, vtq; in eodem latere sectio, aut vstio fieri debeat potius, q̃ in opposito, quoniã cẽset, sinistrũ latus esse minus momentaneũ, q̃ dextrũ, & hoc iure merito, cũ omnes corporis nostri partes dextræ sint firmiores sinistris, simulq; etiã validiores. Testi culus dexter, ren similiter dextrũ, vteri pars dextra, secur absq; dubio sunt partes calidiores, & firmiores, q̃ quę ex opposito locatæ sunt in latere sinistro, sed & vasa sanguinẽ, & spiritũ deferẽtia omnia sunt maiora in dextris partibus, quales sunt arterię, nã licet arteria aorta ex sinistro cordis vẽtriculo oriatur, tamen versus dextram partẽ flectitur, & dextro corporis lateri maiores, q̃ in sinistrũ latꝰ impartitur arterias, & inde omnes corporis dextræ partes sinistris sunt calidiores primo, deinde etiam firmiores, quoniam in eis copiosior est vitaliũ spirituum opulentia, q̃ sit in sinistris. Si autẽ ꝓpter hæc partes dextræ sunt sinistris calidiores, firmiores, robustiores, & præstantiores, etiam morbi partiũ dextrarũ erunt maiores, & deteriores, cuius ratione in suppurationib. magis optandũ est, suppuratas partes sinistras, q̃ dextras esse, quoniam suppuratio in sinistris est minus ex se periculosa, q̃ in dextris, & sectio in sinistris, ac pariter vstio magis tuta est, q̃ in dextris, quoniã sectis, aut vstis dextris partib. secatur, aut vritur pars magis momẽtanea. Sectio vnico, ac simplici fit modo, videlicet per incisoriũ gladiolũ, quo ad secandũ vtimur, penetrando vsq; ad locum, in quo pus continetur, meatumq; sufficientẽ, per quem pus emanare possit, aperiendo. Vstio autem nõ vnica, sed duplici peragitur ratione: alias enim fiunt inustiones plures in pluribus thoracis exterioribus partibus, non ad educendum, sed ad exiccandum pus, alias autem vnica fit vstio in loco eodem sectioni opportuno, nõ superficialis, & cutanea, vt in primis dictis inustionibus, sed profunda, & quæ penetret ad intra thoracis cauitatẽ, & vsque ad pus ipsum, q̃ fieri potest per secantem gladiolũ ignitum. Prior inustionis modus est elegibilior in suppuratione incipiente, & non ꝓgressa, quoniam magis facit ad pręseruationẽ exiccando, q̃ ad puris eductionẽ euacuando: secundus autẽ modus in facta suppuratione, & puris collectione magis cõuenit, quoniã in hac præstantior est indicatio euacuandi, quã exiccandi, & de hac potissimum intendit Hipp. licet etiã alterã ꝓposuerit. His autẽ administratis, scilicet vel sectione, vel vstione, factoq; conuenienti meatu, per quem pus excerni, & educi cõmode queat, non sinat medicus pus vniuersim, & affatim effluere, sed singulis diebus modicam educens quantitatem, quærat integram eius euacuationem. Quo facto expurgetur thorax, linamentisque subinde tenuioribus, ac minoribus de die in diem factis, per opportuna medicamenta vlcus cõcludat. At quoniam non omnes pariter aut saluantur, aut pereunt, qui vel suppurantur, vel suppurati facti sunt, per hęc signa, quę prognostica dixi, ad inuicem distinguantur. Dum ægri suppurantur, nondumque perfecta est suppuratio, si biliosa excreentur, exitiosum erit, hoc enim indicat naturam quidem coctionem tentare, materiam vero ob sui prauitatẽ reluctari, cũ maleficus humor cõcoquatur, qui ferocissimus existens coctioni, & alterationi resistit. Hoc autem non tantũ verificatur de biliosis excreationibus, quales sunt flauæ, aut ruffę, verum etiã de omni alia deteriori, qualis est viridis, liuida, pulla, cęrulea, & nigra. Quod si vna cũ his excreetur quoq; pus, vicissim idẽ est casus, q eo est deterior, quo citius pus cũ dictis excreationib. excreari incipit, ita vt q in septima talia sputa excernant, nõ vltra decimã quartã pertingant, nisi multa bona simul cũ his adiuncta habeant, nã si facile hi morbũ ferant, bene spirent, dolore non vexentur, sputum facile

extussiant, corpus æqualiter calidum fit, ac molle, siti non conflictentur, deiectiones autem, vrinæ, somni, & sudores sint probabiles, censendum erit, siue sputum sit purulentum, ac biliosum, siue non, tales conualituros esse. Si autem non omnia hæc adfuerint, (quoniam ad salutem omnia salutaria, & bona indicia requiruntur, ad mortem autē vnicum sufficit exitiale, ac malum indicium) peribunt quidem ægrotantes, sed non vltra decimam quartam vitam prorogabunt. Si vero prædictis aliquod malum, ac prauum signum accedat, vt puta, quod morbum male ferant, spiratio sit mala, dolor vigeat, sputū difficulter excreetur, siti crucientur, partes extremæ frigeant, ventre & thorace summe calentibus, vrinæ, deiectiones, somni, sudores, mali sint, ad decimam quartam non pertingunt, sed vel in nona, vel in vndecima peribunt. Facta autem suppuratione, & puris eruptione, hi superstites erunt, ac celerrime liberabuntur, quos febris eodem dimiserit die, & qui post puris eruptionem cibum appetunt, siti liberantur, per aluum pauca, ac consistentia excernant, & pus album, æquale, quā minime fœtidum, nulli humori admixtum, sine labore, & cum valida tussi expurgant. Superstites autem pariter erunt, sed tardius liberabuntur, qui omnia ad hæc proxime accedentia habebunt, qui autem contraria, moriuntur: nam illi, quos febris non deserit, aut in quibus febrea recidiuant, & qui sitientes, non appetentes cum aluo humida, (hæc enim in suppuratis quandocunque mala est) excreant pus malum, quale scilic. est viride, liuidum, male olens, aliisque humoribus admixtum, ac spumosum, vbi hæc omnia mala habeant, necessario perituri sunt: si autem aliqua adsint, aliqua non, vel intereunt, vel multo egent tempore ad hoc, vt liberentur. Hæc dicta sint de his, quibus eruptio per superiora expectanda est. quę tamen omnia adaptari possunt, vbi pus ad inferiores partes, scilicet vel ad vesicam, vel ad aluum erumpat, eadem enim in omnibus est ratio, & analogia: sicuti pariter esse debet in his, qui vruntur, aut secantur, etenim vbi cætera sint bene consequentia, & pus sit putum album, & laudabile, euadunt, vbi autem sit subcruentum, spumosum, fæculentum, inæquale, ac fætidum, moriuntur. His habitis clare liquet, quæ sit in hoc textu Hipp. sententia, cum inquit: Et siquidem statim curatus fuerit, vtplurimū effugit. Nam de suppuratis loquens, cum pariter suppurati hi ægrotantes ante puris eruptionem, ac post puris eruptionem dicantur, de vtrisque intelligit: nam facta suppuratione, sed debito tempore pure non erumpente, statim & quamprimum curandi sunt hi, alias ex diuturna in viscere puris mora sequitur corruptio, & mora. Curatio autem conuenit cum per ea, quæ eruptionem causare possunt, de quibus superius abunde actū est, tum per thoracis inustiones faciendas, & ad puris exiccationem, & ad corruptionem, ac putredinem prohibendam, quæ inustiones multiplices ad antiquorum exemplar esse debent Nam duę fiunt ad clauiculas, duę sub mammis inter tertiam, & quartam costam, duæ inter quintam & sextam costam in posteriora pectora, qui est locus sectioni opportunus, vna ad sternon, altera ad xyphoidem cartilaginem, ad spatulas duæ, circa spinam duæ. Quod si non tot videantur faciendæ, adhibeantur eæ, quæ sunt maioris momenti, cuius rei indicium habebis ex symptomatibus, & loci affecti maiori læsione. Facta autem ex loco prius affecto in cauitatem thoracis puris eruptione, si expedite pus non purgetur, sed excretioni reluctetur vel propter crassitiem, vel propter visciditatem, & tenacitatem, non est proroganda curatio, quia vel tabidi ex hac puris mora euadent, vel mors ineuitabiliter succedet. Curatio autem fit vel per sectionem, vel per vstionem, per vtramque paratur transitus puri, sed in maioris mali suspicione vstio præferatur sectioni, in minori autem sectio magis præbetur. Quod si hęc non quamprimum adhibeantur, sed tardior sit actio, quoniam tunc pure ex mora putredinem, & prauam qualitatem concipiente vergit corpus ad tabescentiam, vstio præferatur, dicebat enim Hippoc. lib. 6. Epid. 7. Hydropicos celeriter secare, tabescentes statim vrere, quasi in comparatione sectionis, & vstionis magis in hydropicis laudet sectionem, in tabescentibus (per quos audias suppuratos ad tabem vergentes, non tabidos factos, quia hi talem curationem nec tolerunt, nec requirunt) magis probet vstionem. Inquit igitur Hipp. quod si suppuratus vel statim facta suppuratione, at non erumpente, vel statim facta puris eruptione, at non expurgante, curetur, id est, per conuenientia iam enarrata remedia, & medicamenta rationabiliter curetur, vtplurimum effugit, id est, vtplurimum liberatur. Dixit autem, vtplurimum, non autem semper, quia sæpe rationabili, & conuenienti curationi non cedit morbus, vt si tentata eruptione non succedat vel ob puris prauitatem, vel ob corporis debilitatem, vel ob virium languorem, vel ob aliud superueniens malum, tunc non euadet ægrotans. Pariter facta puris eruptione, si administrata opportuno tempore vel sectione, vel vstione pus laudabile non erumpat, sed sit vel fœculentum, vel fœtidum, vel subcruentum, vel spumosum, vel liuidum, vel nigrum, mors, nō valetudo expectanda erit. Quoniam igitur non semper ad rectam curandi rationem succedit sanatio, ideo ait Hipp. non semper, sed vtplurimum effugiunt. Licet autem administrata curatione non semper hi ægrotantes euadant, nihilominus non detrectent medici rectam curandi rationem, sed cum protestatione, & præsagio futuri euentus pro ratione eorum, quæ superuenire possunt, curationem aggrediantur.

7 *Si vero neglecta fuerint illa in pulmone, corrumpitur illis, & inhærentibus, & putrescentibus, vlceraturq; pulmo, & suppuratus fit, & non amplius intro ad seipsum nutrimentum memorabile trahit, neq; quicquam depurgatur ab eo sursum, sed suffocatur, & semper amplius difficulter spirat, & respirando stertit, & respirat illinc sursum ex pectore, tandem vero obturatur à sputo, & moritur.*

QVID ad acceleratam, & cum ratione suppuratorum administratam curationẽ sequatur, superius docuit Hipp. nunc autem quid ad procrastinatam, & neglectam succedat, docere intendit, dicens, quod si illa, uidelicet sputum & pituita, quę iam in pus per suppurationem conuersa, & mutata sunt, neglecta fuerint à medico nihil cogitante, aut nihil moliente per eorundem euacuationẽ, hinc sequitur pulmonis corruptio, vlceratio, debilitatio, difficilis ac impedita respiratio, & tandem obturatio, ac mors. Corruptio sequitur facta suppuratione, & non erumpente, illis inhærentibus, & putrescentibus, id est, quia illa, scilicet sputum tanquam excrementum, & pituita tanquam materia coniuncta, iam suppurata, & in pus cõuersa, in substantia pulmonum carnosa retinentur: retenta autem, & non excreta putrescunt. His autem in pulmone putrescentibus, visceris corruptio succedit: nam suppurante inflammatione materia peccans euincitur à natura, & in pus conuertitur, quod per quoddam certum tempus manens in parte suppurata, regitur à natura, & à calore natiuo regulatur, quo tempore purgari rectè, ac sine noxa potest. Si autem hisce diebus, quo erumpere è viscere debet, non purgetur, corrumpitur hoc pus, putredinemque aliam concipit, & hoc quoniam tunc amplius non regulatur à calore naturali, à cuius virtute cum destituatur, subsequitur putredo in eo pure, quod antea deuictum à natura possibilem recipit prius ornatum, postmodum ex diuturna mora eum ornatum deperdens, ac prauius, ac malignius euadens, vim corruptiuam acquisiuit, cuius merito deinde viscus ipsum corrumpitur. Vlceratio eadem sequitur ratione, videlicet quoniam pus ipsum ex diuturna mora, & conculcatione putrescens, vim exedendi & corrodendi insignem acquirit: cuius merito detentum in pulmone ipsum ipsum vlcerat, pulmoque: hinc suppuratus euadit, (inquit Hipp.) non quia hic nouus fiat abscessus, & noua fiat suppuratio, sed quia vlcerato pulmone, inductoque in eo vlcere, pus inde emanat, sicuti ex cæteris vlceribus emanare solet, & hac ratione hoc in loco dicitur pulmo suppuratus, scilicet quia hinc patitur vlcus purulentum, non quia nouum abscessum, & nouam suppurationem incurrat. Debilitatio antẽ pulmonis ex hac puris retentione sequitur, quoniam omnis purulenta materia pluribus vaporibus prauis scatet, partibusq; naturalibus circumstantibus infesta est, & calorem innatum lædens, & propriam membri temperaturam elideos, quo stante, quomodo nõ potest non debilitari membrũ illud continẽs? Hoc autem debilitato debita non fit alimenti nec attractio, nec coctio, nec etiã excremẽta ab eo expedite propulsantur, quæ plurima ob mẽbri languorem generantur: cuius merito dicitur ab Hipp. quod pulmo nõ amplius intro ad se ipsum nutrimentũ memorabile ex debilitate virtutis attractricis trahit, nec quicq̃ excrementi, quod copiosum generatur ex debilitate virtutis concoctricis, ab eo sursum, ex debilitate facultatis excretricis depurgatur, sed suffocatur difficili succedente respiratione, ac ea impedita. Et semper amplius difficulter spirat ingrauescente morbo, & augescente copia excrementorũ spiritus vias obturantium, ex quo sequitur stertor, & oregmõ: cuius merito respirando stertit, & in respiratione aucto, & præcedente morbo, spiritum sublimem (qui fit concurrentibus omnibus respiratoriis organis, vsq; ad superiora motis etiam musculis externis, & supernis vsq; ad alas narium) habet, quem designauit per ea verba, & respirat illinc sursũ ex pectore. Obturatio autẽ, & tandẽ mors sequtur, quoniã retentis, & auctis ex debilitate virtutis tum alteratricis, tũ expultricis tot excrementis, nõ potest nõ seq. arteriarũ asperarũ obturatio, quib. obturatis, suffocato hinc calore vitali, necessario, ac ineuitabiliter mors succedit.

8 *Fit autem & suppuratus, si pituita ex capite ad pulmonem destillet.*

CAPVT est membrũ insigne, ac nobile, cum in eo locatũ sit cerebrũ omniũ virtutum rectricium sedes, omniumq; sensuũ tam internorũ, q̃ externorũ, ac virtutis motricis fons & origo, q̃ pluribus vẽtriculis, sinubus, meatibus, vasibus, infundibulis, dotatũ est, tũ quoniã in eo plurima, & diuersa opificia patrari debuerant, tum quoniã pluribus excrementis in eo abundare necessariũ erat. Opificia sunt plura, & diuersa, prout plures etiã sunt eius actiones vel naturales, vel animales. Excremẽta autem plurima in eo abundant, tũ quoniã magnitudine amplũ existens, plurimo etiã eget alimento, à quo plurimũ etiã excrementi decidetur; tum etiã quoniã ex proprio, & innato temperamẽto est frigidũ, cũ sit membrũ seminale, & ideo sæpe in coctione aberrat ex minima occasione, tum etiã quia ad recipiendas euaporationes ab infernis partib. eleuatas, ex proprio situ est dispositum. Nam vt habetur lib. 4. de morb. cum caput sit cauũ, & tanq̃ cucurbitula reliquo corpori superiaceat, facile etiã inde excrementa, & vaporationes suscipit. Cum autẽ aptũ sit tot generare, & aggregare excrementa, natura huius merito plures vias ad eorũ expurgationẽ fabrefecit: alia enim excrementa p aures, alia p oculos, alia p nares, alia per palatũ, & fauces expurganda demandauit. Quod si ea adeo superabundent, vt prædicti meatus ad expurgandũ cerebrũ non sufficiant, tunc natura abutitur aliis vasibus, & meatib. ad purgationẽ, quo casu defertur materia ex cerebro fluens vel per venas ad partes inferiores, vnde fiunt ophthalmię, dentiũ, auriũ dolores, & inflammationes anginæ, parotidis, vuæ, & glandularum phlegmones, pleuritides, articulorum dolores, arthritides, vteri fluxiones, aliaque his similia mala, vel p palatum ad æsophagum, vnde fiunt diarrheæ, dysenteriæ pituitosæ, tenesmi, dolores vel ventriculi, vel Intestinorum, cibi corruptiones, coctionis imbecillitates, inappetentiæ, vomitus, viscerũ obstructiones, & alia his similia mala, vel p fauces ad asperã arteriã, vnde fiunt tusses, raucedines, grauedines, difficiles respirationes, asthmata, suppurationes, ac tabes. Quod si hęc excremẽta copiosa generẽtur, nec ex cerebro ad alias partes demandata expurgentur, fiunt vertigines, stupores, epilepsię, apoplexię, lethargi, comata, stultitię, aliaq; similia, ac praua accidentia. Stante igitur hac capitis, & cerebri dispositione, cum dabitur hæc excrementosa esse, vel q̃a intẽperata sint, vel q̃a debilia ab ortu fa-

cta fuerint, vel quia ab inferioribus partibus plurimas euaporationes, & excrementa ſuſceperint, vbi fluxio ad inferiora deferatur, per palatumque in aſperam arteriam recipiatur, primo tuſſim, deinceps ſpirandi difficultatem inducit. Et tandem, niſi per tuſſim & ſcreatum expurgetur, periculum eſt, ne inde patientes ſuppurati euadant, ſuccedente ſecunda ſuppurationum ſpecie earum, quæ ex pulmone fieri iam diximus, triplex enim eſt ſuppurationum ex pulmone modus. Primus eſt ex pulmonis tumoribus non ſolutis, ſed ſuppurantibus, de qua iam egimus: ſecundus eſt ex deſtillatione in eo putreſcente, de quo nunc agitur: tertius eſt ex vaſorũ pulmonis ruptura, vel diſtractione, de qua inferius agendũ erit. De ſecundo igitur agens Hippocrat. inquit: fit quandoq; etiam ſuppuratus pulmo, vbi ex capite ad eum pituita deſtillet, ſed quoniã ex omni capite non deſtillat pituita, nec omnia pituita eſt apta ſuppurationem inducere, nec in omni thorace pituita ad ſuppurationem venit, declarandum erit, quæ capita his deſtillationibus obnoxia ſint, & quæ pituita ad hanc ſuppurationem apta ſit, & in quibus thoracibus facile eſt talẽ ſuppurationem ſuperuenire. Quo ad primum ea capita deſtillationibus obnoxia ſunt, quæ vel male formata, vel male temperata ſunt. Mala formatio eſt, vbi caput amplum, & magnum ſit, ceruix autem, thorax, & cæteræ partes cſſeq inferiores, illi in magnitudine non correſpondeant, vel vbi admodum puſillum ſit, vel vbi longum, & magnum cum ceruice longa, & anguſta. Malum autẽ temperamentum erit, cum cerebrum humidius fuerit, vna cum ſuperflua vel caliditate, vel frigiditate. An ſiccitas ſuperflua ad hoc facere queat, poſſet eſſe dubium: at cum omnis immoderata intemperies imbecilla reddat membra, nec etiam dubitandum erit, ſi hæc in cerebro detur, eam poſſe eſſe in cauſa, vt ex eius languore multa excrementorum genera cumulentur, quæ deinde fluentia ad partes inferiores deſtillationum ſit materia. Nam ſicuti in ſenibus cum ſiccitate partium ſolidarum adeſt excrementorum pituitoſorum abundantia: ita etiam pariter cum ſicca intemperie, vbi ſit immodica, ſiccantur quidem partes ſolidæ, ſed excrementorum languente calore innato ob inſignem ſiccitatem, prouentus eſt maximus. Hinc Galen. libr. 6. de tuenda ſanit. in principio, dicebat, intemperiem ſiccam præcipue in decreſcente ætate ſiccare quidem ſolidas corporis particulas, congerere vero excrementorũ abundantiam. Hinc etiam lib. 7. Method. cap. 4. teſtatur Gal. ex hiſtoria ibi narrata in corpore exiccato alui fluxum (nihil ventre eorum, quæ ſumebantur, licet auſtera, & aſtringentia eſſent, continente) ſuperueniſſe, quod non alia factum eſt ratione, niſi quia omnis modica intemperies membri robur exoluit: hoc autem exoluto, cui dubium, inde excrementa pituitoſa generari, & accumulari? Et hęc de primo. Quo ad ſecundum, cum pituita (per pituitam nunc audias materiam deſtillantem, quæ vere dici pituita non poteſt) alia ſit tenuis, alia craſſa, alia inſipida, alia dulcis, alia acida, alia ſalſa, non omnes pariter ad cauſandam hanc ſuppurationem pulmonis, ſecundam ſpeciem pariter ſunt aptæ, quæ enim eſt aquoſa, & admodum tenuis, ad hoc inepta eſt, niſi vel ſalſedinem, vel acrimoniam cõceperit. Similiter quę tenuis, ſed non aquoſa, hæc enim poſſunt quidem tuſſim ratione tenuitatis moleſtiſſimam irritare, haudquaquam tamen ſuppurationem cauſare, niſi vltra tenuitatem ſubſtantiæ prauam habeat qualitatem annexam. Cui rei atteſtatur Hippoc. de tabidis, qui ad hunc ſenſum ſuppurati dicuntur, loquens lib. p. Epid. ſect. p. text. 28. dicebat: Deſtillationes prauæ, tenues, acres, ſtatimque marceſcebant, ac affligebantur, ad hoc aptior videtur craſſa, quoniam putredini, & alterationi facilius cedit, cuius ratione ſi non cito educatur, putreſcens poteſt ſuppurationem inducere, quod facilius aget, ſi vel dulcis, vel ſalſa, vel acris fuerit. Inſipida autem, & acida omnino ad hoc minus eſt apta ob propriã frigiditatem, cuius merito nec acredinem, nec vim exedendi, aut corrodendi habet: etenim hac duplici ratione ſuppuratur pulmo à pituita deſtillante, ſcilicet vel quia cũ ſit & tenuis, & praua qualitate, videlicet aut ſalſa, aut acri, dotata, pulmonem lancinet, vellicet, corrodat, & tandem (quod creberrime experientia comprobat) tabefaciat: vel quia cum ſit craſſa, aut vim ex propria natura, cum ſit vel ſalſa, vel acris, exedendi habeat, aut eandem vim in pulmone putreſcens acquirat, ex qua corrodendi facultatem accipiat, cuius merito inde vlceratur pulmo, qui vlceratus poſtea ex vlcere ſuperinducto purulentus euadit. Non enim ex pituita in pulmonem deſtillante, in eodemque putreſcente fit ſuppuratio, quia ipſa pituita putreſcens in eo collectionem, ſicuti in tumore ſuppurato contingit, faciat, ex qua dicatur ſuppuratus, ſed quia poſtquam putruerit, ipſum pulmonem lancinans & vellicans, tandem eum vlcerat, ex vlcere autem pus emanat, à quo deinceps dicitur ſuppuratus, ex ſola enim deſtillatione in pulmone putreſcente, non dicitur quis ſuppuratus, ſed cum inde vlceratur pulmo. Nam in deſtillationibus, quæ vel ventorum ratione, vel aeris, & cauſarum externarum merito cauſantur, videmus quandoque ſuppurari materiam fluxam, quæ tamen per tuſſim excreta, nihil mali in pulmone relicto, monet, ex hoc ſuppuratum pulmonem nõ fuiſſe, nec vllam læſionem concepiſſe: at in ſuppuratione pulmo valde læſus, & vehementer affectus eſt, & inde vel pus debito tempore erumpit, vel vlcus ſuccedit. Præterea in vera ſuppuratione corpus contabeſcit, & febres continue affligunt: at in putrida deſtillatione, cui non ſuccedat vlcus, corpus non contabeſcit, nec febris diu perſeuerat, imo vt plurimum quinta die ſoluitur, ſi tempus ſit auſtrinum, licet tuſſis pro expurgatione materiæ vſque ad quadraginta dies prorogari, vt habetur libr. 7. Epid. 57. conſueuerit. Dicebat enim quibus tuſſis hyeme in auſtrinis craſſa, & multa excreantibus, febres ſuperueniunt, moderate autem quinque diebus ſedantur, tuſſis vero quadraginta, vt Egeſipoli. Hoc idem paucis mutatis verbis, lib. 5. Epi. 74. quaſi in modum hiſtoriæ narratum habetur: inquit enim tuſſis hyeme maxime in auſtrinis craſſa,

&

& multa alba com excreassent, febres superueniebant, & quinta die cessabant: tusses autem circa quadraginta, vt Egosipoli, cuius ratione censeo ab Hipp. lib. 6 Epid. sect. 3. text. 8. dictum esse, febres ex destillationibus grauedinem, vel raucedinem causantibus non facere recidiuas, quoniam solutæ die quinta non amplius redeunt: quapropter nō omnē pituitæ, ac destillationis speciem ad hoc supputationis genus causandum censeatur aptum pariter esse, sed eam tantum, quæ ex causa interna, scilicet mala cerebri vel formatione, vel tēperatura, quoniam hinc continuum fomitem habens, ortū ducit, & quæ prauam qualitatem adiunctam habeat, quia sit vel dulcis, vel salsa, vel acris, & quæ sit substantiæ aut crassioris, aut tenuioris, illaque facilius adhæret, hæc quia magis infigatur in viscere. Quæ autem occasionē habēt ex sola causa externa, quoniam in his cito fluxio sistitur, & quæ sit insipida, vel acida, si aquosa præcipue existat ob earū adscititiam frigiditatem, ad hoc ineptæ sunt. Hæc de secundo: quo ad tertiū, sciendum est, cum nō omnis thorax eadem dotatus sit vel formatione, vel temperatura, quod nec omnis thorax ad patiendū pariter est dispositus. qui bene formatus est, & vltra bonam formationem habeat etiam amplitudinē, quoniam amplitudo cum bona formatione indicat robur virtutis formatricis, quod in plurimo, & valido consistit calido innato, minime omnium ad hoc dispositus est, nam in eo viget copia caloris innati, per quem natura omnibus morbificis causis valide reluctatur. Qui autē bene formatus est, sed amplitudinem non habet, cum non adeo robustus sit, sicuti prior, minus etiam resistit causis morbificis, qua de re quandam habet ad malum, non autem omnimodam, sed mediam dispositionem. Quod si in hoc nō abundet pariter, ac in priori calor insitus, sed calor extraneus, igneus, ac præternaturalis, à quo putredines ortum habent, facile recepta materia ad hoc apta suppurationem incurret. Si autem thorax sit vel angustus, vel male formatus, quoniam illud penuriam caloris innati, hoc imbecillitatem attestatur, (si enim calidum insitum plurimum fuisset, thorax amplus, & magnus extensa valide ab eo materia formatus esset, sique robustum extitisset, mala formatio inde nō successisset,) in eo est ingens ad omnem morbum, pręcipue autem ad suppurationes, & tabes dispositio, tantaque & talis est hæc dispositio, vt eam appellauerit Hipp. natiuam tabem, quod ea ratione dixit, quia ab intimis, & primordiis ortus, & naturę principiis concepta est, per quam tandem decursu ætatis in his tabes subsequitur. Tales autē sunt, qui πτερυγώδεις appellantur, quasi habeāt thoracē alarum, in his enim thorax angustus est, & spatulę eminentes alarum modo, & in similitudinē auium partem thoracis anteriorem angustam, posteriorem aotē latam habent, quare & prauitatem, & malam formationem thoracis simul possident; quod si in his caput sit fluxionib. opportunum, in eis omne causarum genus ad inducendam suppurationē, & tabem reconditum est. Hi autem ταυυώδεις & tabidi appellantur non solum facta, ac superinducta tabe, verum etiam ante ipsam tabem, quoniam videtur fieri nequaquam posse, quin hi tandem saniem excernentes suppurari, & tabidi vere fiant. An autē sit possibile hos præseruare à vera tabe, nō videtur dicendum, cum peccatum sit ex primordiis naturę, & cum Hipp. huic assertioni attestetur: si tamen medicus destilationi obstet, sitq; diligens in ea firmanda, poterit remota causa hos à tabe pręseruare. Quod si destillationem tollere omnimodo nequeat, saltem eam temporet, ac remittat, ac diuertat: ita enim agendo, si non omnino tabem impedire, saltem procrastinare, & tardare poterit. De hac natiua tabe notandum est etiam, quod multi ex his, qui talem habent dispositionem, antequā tabidi euadant, à morte præueniantur, si vel acuto, vel alio graui morbo deprehenduntur: cum enim in his calor insitus existat paucus in quantitate, debilis in virtute, hincq; facile causis præter naturā succumbat, superueniente aliquo grauiori morbo, facile est mortem subsequi. Quare in huiuscemodi naturis, & habitibus, si graui morbo apprehendantur, de morte potius dubitandum, quam de salute præsagiendū, aut sperandū erit: nam in his ex languore, & debilitate caloris innati, non solum virtutes vitales, sed etiam facile naturales languent, ex quo, sicuti in Euryanactis filia, de qua Hipp. libr 3. Epid. sect. 2. text. 3. loquebatur, contingit, succedunt inappetentię, & ciborum abstinentiæ, & impotentia ad substinendum corpus: quare hi non tantum ratione superuenturæ tabis periculum incurrunt, ne diutius viuant, sed etiam si acuto, vel alio quolibet graui morbo laborent. Ii sunt igitur illi, qui thoracis imbecillitatem ab ortu recipientes facile suppurati euadunt.

9 *Et primum quidem vtplurimum latenter defluit, tussimq; tenuem exhibet, & sputum paulo amarius solito, & aliquādo tenuis adest calor.*

VBI ex destillatione à capite ad pulmonē superuentura sit suppuratio, medicus, si huic morbo reluctandum est, debet nouisse signa & futuræ, & fientis, & factæ suppurationis, vt p debita, & cōuenientia possit administrare medicamenta, non enim in omni tempore omnia conueniunt, sed alia in principio, alia in ꝓgressu, alia in facto morbo debentur. Ad hoc igitur tēpora, & signa temporum distinguens Hipp. distinguit p propria signa ab inuicē morbi principium, in quo de futura suppuratione suspicandum est, & eiusdē progressu, in quo fit suppuratio, & factū morbum, in quo suppuratio pfecta, & cōsumata iam est. Ordiens igitur à signis principii suppurationis incipientis ac futurę, ponit quatuor indicia, quorū primū est, ꝙ à principio hęc destillatio, à qua suppuratio successura est, vtplurimū latenter defluit; secundū, ꝙ tussim tenuē exhibet: tertiū, qd sputū paulo amarius solito excreatur: quartū ꝙ aliquādo tenuis adest calor. Quoad primū sciendū est, ꝙ destillationes à capite, q̄ nō sequūtur ad solas externas causas, & ad errata in victu, solent à principio latenter defluere ad pulmonē, nā cū circa principia, & fines morborū omnia sint imbecilliora, pariter in spōtaneis destillationib. solent prin-

principia esse debiliora, tum quoniam tunc temporis materia destillans quantitate est pauca, tum quoniam destillans tenuior potius, quæ dilabitur per asperæ arteriæ parietes, minime petritat, tum etiam quoniam à principio pulmo, cum nondũ sit labefactatus à morbo, magis reluctatur, vnde fit, vt cum ex his minima sequatur læsio, dicatur hæc materia latenter defluere. Aduertatur tamen, ꝙ dixit Hipp vtplurimum, non semper hoc fieri, quoniam licet spontaneę destillationes dicta conditione ac forma vtplurimum cõsueuerint à capite ad pulmonem destillare, non tamen perpetuo hoc verificatur, quoniam in aliquibus potest colligi materia copiosa, & crassa in cerebro, quæ affatim ad pulmonem demandata non potest latenter defluere, quoniã statim tussim molestam, & vehementem, multamque lancinationem causat, quod tamen, cum tarissime in suppurationũ occasione hoc contingat, vtplurimum autem oppositum detur, elegantissime per illa verba voluit notasse Hipp. Quo ad secundũ, si materia à principio defluens est pauca & tenuis, potius per asperæ arteriæ parietes, quã per cauitatem internam dilabens, cui dubiũ, quod potius cerchmon, quã tussis; & si tussis, potius tussicula, quam tussis notabilis causabitur? Erit igitur in hoc casu à principio tussis, quæ ea huiusce modi materia ad pulmonem destillante causari debet, leuis tamen, & non vehemens. Quo ad tertium signum, videlicet ꝙ sputum à principio paulo amarius solito excreetur, claram habet ea præcedentibus causam: nam declaratum est, materiam tenuẽ hanc suppurationis speciem causare nequaquam posse, nisi aliqua qualitate præter naturam do:ata sit. Nisi enim sit vel dulcis, vel salsa, & acrimoniam aliquam conceperit, ad hoc inepta estat vbi eiusce naturæ existat, defluatque in thoracem igneo potius, & præternaturali calore, quam infito, & benigno abundantem, qualem diximus esse in his, qui ad tales suppurationes sunt dispositi, amaram necessario concipit qualitatem, & hoc summa cum ratione, nam dulcia, & salsa per vlteriorem alterationem redduntur amara, quam vlteriorem alterationem cum suscipiat materia destillata à loco, in quẽ fluit, ob præsentiam ignei, & præternaturalis caloris, facile amaram qualitatem acquirit, & inde sputum amarum euadit. Sed cur dixit paulo amarior solito? Ad duo respexit. Primo ad hoc, quod sputum in tali casu excreatum, non multam potest habere amaritudinem, à principio enim cum mora non fuerit diuturna, nec multa fieri alteratio potuit, & ideo sputum subamarum potius est, quam amarum simpliciter. Secundo ad hoc, quod comparatiue ad sputum præcedens, relatum nunc sit paulo amarius: cum enim destillatio fluens aliquã præter naturam qualitatem habeat, scilicet vel dulcem, vel salsam, vel aliam his proxime accedentem, fluxa autem per vlteriorem alterationem quid supra hæc patiatur, omnino sputum præcedente erit amarius, siue per amarorem intelligamus verum amarorem, siue alium saporem prędictos superantem, & ad amaræ qualitatis conditionem accedentem. Quartum signum erit, quod aliquando tenuis adest calor, id est, quandoq; his aliquæ accedunt leuiores, non vehementes febres, nam cum materia non sit conculcata, sed potius ex diuturna mora, & ex loci continentis calore præternaturali aliquam concipiat putredinem, hinc febris nõ potest esse ingẽs, habet enim materia putrescens multa spiracula, per quæ euaporare posset: quare non est mirum, quod à principio febres non vrgeant, & sint leuiores. Non modo autem sunt leuiores hæ febres, verum etiam non sunt continuę: duas enim de calore isto loquens Hipp. apponebat conditiones, alteram ꝙ leuis esset, alterã ꝙ aliquando adesset. Per primam conditionem tollit vehementiam febris, per secundam, continuitatem. Sed cur febris hæc non est continua, cum materia putrescens sit continue in loco apto ad putredinem inducendam, & ipsa per se sit putredini disposita? Quoniã, vt dixi, materia nec est in aliquo loco conculcata, nec per obstructiones putredini est obnoxia, sed detinetur intra propria pulmonis vasa, scilicet intra ipsius arterias, quas licet ipsa ex parte obstruat, non tamen ipsa prorsus obstruit? Putrescit autẽ ex mora, quam trahit in hoc loco calore igneo, & pręternaturali calente, nec tota simul putrescit, sed pars post partem, à quibus cum possint putridę fuligines ad extra facile per vas amplum trachecę arteriæ euaporare, fit vt & leuiter, & non continue febriant. Quare febres hæ à principio duo hæc habebunt, alterum, quod erunt leues, alterum, quod nõ erunt continuæ, sed nec etiam ex ordine intermittentium aliquem proprium typum seruauriũ, cum nõ pendeat à determinato humore propriam formam seruante. Licet enim hæc materia destillans, sicuti antea notabam, dicatur pituita, nihilominus pituita vere non est, sed purum excrementum non decisum ex naturali coctione, sed pure excrementosum ex capitis praua alteratione genitũ. Nec pręter id, quod non sit vere pituita, putrescit in loco, ꝑ quem typum febrium intermittentium ordinatarum recipere possit: imo adeo inordinatæ ex sui natura sunt hę febres, vt nulli febrium generi sit familiarius sæpe, & citra certam periodum horrere, incalescere, & quandoq; sudare, q̃ febtibus ex destillatione peruenientibus, quales istæ sont, quas tenues appellabat Hipp. sicuti & tenuẽ dicebat esse tussim per metaphorã sumptam à tenuitate retũ, nam sicuti tenuia omnia sunt crassis minus valida, & minus robusta, pari ratione eam febrẽ, & eam tussim appellat tenuem, quæ nec valida, nec vehemens existat.

10 *Temporis autem progressu exasperatur pulmo, & intus vlceratur à pituita inhærente, & putrescente, & grauitatem exhibet pectori, & dolorẽ acutũ ante, & retro, caloresq; acutiores in corpus incidũt, & pulmo à calore ad se trahit pituitam ex toto corpore, & maxime ex capite, caput vero calefactum ex corpore, & hanc putrescentem subcrassam spuit.*

EXPLICATO principio, ac signis futuræ suppurationis ex destillatione à capite ad pulmonem

nem irruente pendentis, aggreditur declarare modum, & signa eiusdem, dum generatur. Generatur autem talis suppuratio, vbi destillatio à capite non sistitur, simulque materia destillans ex pulmone nō expurgetur, nam dum membrū mandans in transmissione materiæ persistit, & membrum recipiens non solum non expurgatur à materia fluxa, sed etiā nouam de nouo fluentem recipit, non modo non liberatur membrum recipiens ab affectione, quæ inceperit, verum magis afficitur, & affectio, quæ incipit, deterior redditur. Quaratione fit, vt habitis futuræ suppurationis indiciis, nisi destillatio sistatur, & materia fluxa educatur, omnino fit coniectandum, pulmonem suppurari, cuius fientis suppurationis sex signa ponit Hippo. Primum autem explicat per ea verba: temporis autem progressu exasperatur pulmo, id est, quoniam procedente morbo destillatio inualescit, indeque pulmo magis afficitur, ac læditur, non amplius tussim leuem morbus exhibet, sed molestam, ac vehementem, ex qua lancinatur, vellicatur & exasperatur pulmo, quæ tussis non tantū est molesta, & vehemens ratione destillationis inualescentis, verum etiam, quia pulmo à materia iam fluxa, & quæ per diuturnam moram, cum ex pulmone nō expurgetur, putredinem, ac prauam concipit qualitatem, magis irritatur ad expulsionē, & inde ad tussim: quapropter lancinatur, & exasperatur pulmo non tantum à tussi, sed & à materia, quæ materia cum inhæreat bronchiis pulmonis, in eisque putrescat, cum vim quandam exedendi ex putredine acquisierit, ipsum pulmonem tandem exedit, & vlcerat, quæ vlceratio nō tantum à materia, sed & à tussi fouetur: cum enim membra vlcerata per quietem vniantur, & sanentur, tussis autem valide commoueat, & non modo commoueat, verum etiam lancinet pulmonem, exasperato à tussi pulmone vlceratio augebitur, hincq; semper maius vlcus euadet, cum & prauitas materię, & tussis lancinatio ad hoc simul concurrant. Secundum fientis suppurationis signum est grauitas thoracis, nam multa congesta materia, & pauca expurgata, sequitur pulmonum repletio: his autem repletis, grauitas pectoris succedit, nam licet pulmo per se membrum sensitiuum non existat, nec aptum ad dignoscendum in se ipso dolorificos affectus, tamen quia thoraci per membranas, quibus illi alligatur, communicat, ideo thorax hinc persentit grauitatem, vbi pulmo à materię copia grauetur. Signum tertium est dolor acutus ante, & retro, nam pulmo non tantum à copia materiæ grauatus cōmunicat thoraci grauitatis sensum, verum alia quoque dolorum genera, vbi præ copia ad eius membranas affectus pertingat, & materia non modo multitudine, sed & praua peccet qualitate. Eiuscemodi ea est, quæ in tali casu noxam intulit, ex putredine enim prauitatem concipit, & ideo molesta est non tantum pulmoni, verum etiam ipsis membranis: cuius merito hinc persentitur dolor acutus ante, & retro; acutus quidē, quia ratione membranarum fiunt dolores pungitiui, ac extensiui: ante autem, & retro, quoniam hę membranæ alligantur sterno ex parte anteriori, & dorso ex parte posteriori, quæ membranæ etiam præsentiunt hunc dolorē à molestissima tussi, quæ solet in his superuenire, quæ tussis, ratione ingentis molestiæ, & turbationis, quam infert, sępius dicta est ab Hippocr. lib. 6. Epid. maligna, & ferina. Quartum signum explicat per ea verba: Caloresq; acutiores in corpus incidunt, id est, febres vehemētes, & notabiles superueniunt, nam sicuti à principio calor est tenuis, id est, febres sunt leues & debiles, quoniam à principio leuis est putredo, pari ratione cum in progressu maior ex diuturniori mora sequatur putredo, maiores quoque, ac vehementiores erunt febres. Per febres enim acutas non eas intelligit, quæ ex propria morbi cōstitutione sunt, & dicuntur acutæ, in quo sensu dicimus acutorum morborum terminum esse diem decimam quartā, sed eas, quæ quo ad tactum sunt vehementis caloris, ad quem sensum sæpe in Epidemiis hac eadem voce vtitur, recensens ægrotantiū historias, ac dies. Tales febres sunt putridæ, talem suppurationē insequentes, nam ex suppuratione in thorace facta, & ex vlcere superinducto putredo humoribus in venis, vel circa communia vasa existentibus, cōmunicatur, quibus putrescentibus putridarum febrium diuersa genera oriuntur. Videtur autem his morbis fere proprium esse cum hæmitritæo, vt lib. 1. Epid. sect. 3. text. 5. notauit Hipp. copulari, vbi febris aliqua putrida eis adiungatur, per febrem putridam nunc intelligendo febrem, quæ ex certotū humorum putredine in venis, vel circa viscera putrescentium generatur: alia enim hisce suppurationibus, dum fiunt, semper connectitur febricula, quæ non ex humoris putredine, sed ex sola putridi vlceris ad cor expiratione causatur. Hinc enim ex continuo fomite, & ex continua putridi vaporis expiratione lacessitur cor, cuius merito febris continua accenditur, non tamen magna, quia non ex putrido humore, sed ex putrido tantū vapore, quo vlcus cor lacessit, ortum habet, de qua febre nō loquitur Hipp. cum inquit, in hoc casu acutiores fieri, sed de eis, quæ maiorem fluxæ materiæ putredinem, à qua in humoribus alia accenditur febris putrida, sequentur. Quintum signū, quod est additamentum, & quod superueniens suppurationi fienti est, quod pulmo à calore ad se trahit pituitam ex toto corpore, & maxime ex capite: caput vero calefactum ex corpore, id est, pulmo, dum suppuratio gignitur, & vltra progreditur, cum hinc continue magis labefactetur, recipit pituitā, & alia huic similia excrementa à reliquo corpore, & potissimū à capite demandata: caput vero, quod est præcipuum membrum mandans, hæc eadem ab inferioribus corporis partibus recipit. Hæc materiæ receptio duplici fieri ratione potest, scilicet quia membra recipientia, vel receptam materiam per se attrahant, vel aliunde demandatam recipiant, vterq; sensus conuenire, & verificari potest. Primus quidem, quia pulmo cum ex putredine cōcepta ex destillatione fluxa caliditatem contraxerit, & cum calidi propriū sit attrahere, poterit à reliquo corpore merito huius caliditatis pituitam, & cętera excrementa attrahere. Pariter cerebrū, si destillatio qualita

litatem preternaturalem, vel dulcem, vel salsam, vel alterius similis conditionis, quę putredini sit facile obnoxia, concepit, hoc ab intemperie calida habet, quæ intemperies calida potest esse in causa, vt pituitam, & alia excrementa ab infernis partibus attrahat. Secundus autem sensus conuenit, quia cũ tam pulmo, quam cerebrum ex intemperie calida imbecillitatem contraxerint, cumq; membra fortiora ad imbecilliores partes consueuerint excrementa in eis genita, & abundantia demandare, cuius merito facile hæc demandant, illa vero recipiunt, hinc fit, quod pulmo à reliquo corpore, & præcipue à capite demandante, cum pulmo capiti subiaceat, receptorique aptissimus ob ampla vasa existat, caput vero ab infernis partibus pituitam, excrementaq; similia, his transmittentibus, facile recipit. Nec hunc sensum à verbis Hippocratis quis excludat, licet pulmonem & cerebrum à reliquo corpore pituitam trahere dixerit, quoniam mos est Hipp. hac voce quandoq; vti in ampliori significato non tractionem, sed receptionem significãte, vt habetur lib. 2. epid. sect. 5. cum inquit: Pituitæ fluxus ex mammis oculi trahant. quod dixit, non quia oculi vere ex mammis quid attrahãt, sed quia fluente materia ad caput, talis fluxio mammarum tumore maxime solet innotescere, cuius ratione dictum est lib. 5. aph. 40. Quibuscunq; mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat. lib. etiam quinto epid. non longe à principio loquẽs de eo, cui paralysis in vigesima superuenerat, dicebat: dextræ auris, dexter oculus consistebat nõ valde, & trahebat aliquid ex inferna parte, trahebat inquam, id est, recipiebat ex parte inferiori: nam ab infernis partib. ad supernas materia ascendebat, & transmittebatur. In hoc igitur sensu oculi in fluxu materiæ ad caput dicuntur ab Hip. trahere à mammis, non quia à mammis trahant, sed quia recipiant: perinde enim est, ac si diceret, oculi per mammas fluxus ab vniuerso corpore demandatos recipiunt. Sextum & vltimum signum ab Hipp. positũ hoc est, quod in progressu suppurationis pulmo expuit pituitam putrescentem subcrassam, & hoc iure merito, quoniam cum per tussim quærat euacuationem materiæ ipsum stimulantis & lædentis, sequitur excreatio. Excreatur autem pituita putrescens, tum quoniam materia fluxa iam putredinẽ concepit, tum etiam quia superueniente vlcere necessario pus ex eo excernitur, & ideo purulentum sputum excreatur. Dicitur autem pituita ab Hipp. quoniam per pituitam intelligit omne excreationis genus. Hanc pituitam subdit Hippoc. esse subcrassam, & hoc non immerito, cum ex sanie ab vlcere resudante attenuetur sputi crassities, quapropter sputum hoc purulentum nec tenue, nec crassum erit. Non tenue, quia destillatio processu temporis, & ex mora, quam traxit in pulmone, & thorace facta est crassior: nõ crassum, quia materia destillata ex cerebro non pura excreatur, sed admixta saniei, quæ ex vlcere pulmonis exudat, quare hanc ob mixtionem erit subcrassum. His omnibus poterat ab Hipp. aliud certissimum signum adiungi, videlicet corporis extenuatio, nam dum fit prædicta suppuratio, vlteriusq; ꝓgreditur, corpus ad tabem vergit, vnde cum præsentia enarratæ destillationis, quæ omnino praua qualitate dotata est, & cũ præsentia putridę materię in cor continue vaporationes prauas expirante, & cum pręsentia febrium, videlicet tum putridæ, tũ ex vapore putrido pendentis, q̃ hecticã im ꝓprio nomine appellat, non potest nõ subseq. corporis extenuatio. Quinimo huiusce suppurationis fientis nullũ manifestius, & clarius est indiciũ, q̃ corporis extenuatio, vbi ei febres illæ cõnectantur, & tussis, & sputa p̄dicta simul adsint.

11 *Quanto vero magis tempus progreditur, tanto magis pus syncerum expuit, & febres acutiores fiunt, & tussis frequens, ac fortis, & inedia vexat, & tandẽ aluus inferne turbatur: turbatur autẽ à pituita, pituita vero de capite descendit.*

FACTA suppuratione, cuius nunc indicia explicare intendit, omnia accidentia inualescũt. Sputum non amplius est pituita putrescens, & subcrassa, sed verũ pus, ꝙ quo magis progreditur morbus, magis syncerũ expuitur. Febres putredine semper vlterius procedente, & vlcere magis sanioso, & purulento facto, fiunt vehementiores, & acutiores, & magis vndequaq; corpus depascentes. Tussis frequẽtior, ac fortior q̃ antea fuerit, euadit: frequẽtior quidẽ, quoniã plurima est irritatio, pauca vero est expurgatio, quare id, ꝙ vnica vice nõ potest, iteratis vicibus natura supplere conatur: fortior autẽ est, quoniã extenuato iam corpore, & emaciatis solidis partibus, thorax quo ad cauitatẽ amplior factus est, qua de re succedit, vt fiat tussis quędã rauca, & resonans, ac si ex cauitate magna prodeat: in his enim fit tussis quædã rauca, & resonans vere, vt fit in illis rebus, q̃ ex cauo, & recõdito loco resonant. Inedia, id est, inappetentia vexat, ex qua patientes adhuc magis emaciari contingit, tum quoniã destillatio à capite fluens non tantũ ad spiritualia membra descendit, sed etiã naturalib. membris cõmunicatur, cuius ratione læso ore vẽtriculi appetẽtia deꝑditur, vt forsan factũ fuit in Euryanactis filia li. 3. Epi. sect. 2. text. 3. q̃ toto morbi tempore quosuis cibos fastidiebat, & nihil inde assumebat, tum quoniã ex putridis exhalationibus, q̃ partim ratione febriũ putridarũ, partim ratione putridæ pulmonũ affectionis, ori vẽtriculi cõmunicantur, appetitricis facultatis robur destruitur. His autẽ omnibus tandẽ hoc vnũ, ꝙ est inter omnia pessimũ, additur alui fluxus, q causatur à pituita ex capite descendente: nam, vt dictũ est, cum destillationis portio ad partes naturales transmittatur, scilicet ad ventriculũ, & intestina, ꝓcessu temporis fit, vt his admodũ labefactatis, copiosaq; fluente materia ob debilitatem retentricis facultatis cerebri, turbetur aluus, & inde fiat diarrhęa, non ad salutẽ, quia materia morbũ faciens non educitur, sed ad ægrotantiũ pernitiẽ, quia hinc vires labefactantur, & resoluuntur. Quare suppurationis iã factæ, & consummatę hęc erunt quinq; signa, sputum purulentum, imo pus syncerum, febris vehemens, & notabilis, tussis frequens valida, ac resonans; appetentia deperdita, & in fine alui fluxus, quibus ego addo corporis extenuationem.

His

12 *Hic cum ad hoc peruenerit, perit, quemadmodum dictum est in superioribus, purulento, ac putrido pulmone facto, aut ventre infra erumpente.*

ENARRATIS factę, & cõsummatę suppurationis signis, quid de prognostico in his sit sciendum, hoc in loco docet Hipp. affirmans, hos suppuratos, vbi ad hoc, quod suppuratio sit facta, & consummata peruenerint, perire. Pereunt autẽ nõ ex simplici prædicto cõsummatæ suppurationis statu, quoniam si fiat conuenienti tempore eruptio, & expurgatio, superuiuere & liberari possunt, sed pereunt non facta aut eruptione, aut purgatione, quando horum duorum alterum superuenerit, scilicet vt vel ex diuturna puris mora pulmo putridus reddatur, vel fluxus alui superueniat: nã mors ipsis duplici hac ratione superuenire solet, scilicet vel cum pulmo in totum factus est purulentus, ac putridus, vel cum alui fluxus superuenit. Quoniã vero de hac duplici in suppuratis mortis ratione superius egit, ideo de his agens inquit, quemadmodũ dictũ est in superioribus. Quomodo pereant suppurati putrido, ac purulento in totum pulmone facto, docuit superius text. 7. cum ageret de suppuratis ex peripneumonia factis, ac deinceps male curatis: quod autẽ alui fluxione superueniente suppurati pereant, affirmauit in secunda sect. text. 45. Horum ratio est, quoniam in primo casu, putrido ac purulento in totum pulmone facto, vires eius omnes languent, vnde nec nutritur, nec excremẽta excernit, & vna cordi prauas, ac putridas continue vaporationes impartitur, ex quibus eius obturatio, & vitalis caloris in corde extinctio subsequitur. In secundo autem casu mors succedit, quoniam alui fluxus in his est malũ signum, & mala causa. Malum signum, quia indicat virium magnã imbecillitatem: est autem mala causa, quia vires iam imbecilles prosternit, quare hinc necessario mors succedit, nec est, quod quis intelligat. hic cum ad hoc, id est, ad fluxum alui, de quo loquebatur, peruenerit, perit: quoniam non amplius de signis illis, sed de prognostico loquitur. Præterea cum alternatiue loquatur de duplici moriendi conditione, scilicet vel quę fiat in totum putrido, ac purulento pulmone existente, vel quæ fiat ex alui fluxu superueniente, clare indicat eũ, nõ de statu fluxionis alui, sed de statu cõsummatæ, ac factæ suppurationis, in qua tamen nec eruptio, nec purgatio cõuenienter facta fuerit, loquutum esse.

13 *Fit præterea & ab his pulmo suppuratus, cum venula, videlicet aliqua in ipso fuerit rupta.*

TRIA suppurationum ex pulmone genera esse dictum est. Primum sequitur ad eius tumores non solutos, sed suppurantes, de quibus pro parte actum est: secundum pendet à pituita in pulmonẽ destillante, in eoque putrescente, de quo superius: tertium ex vasorum pulmonis soluta continuitate procedit, de quo in præsenti est sermo. Cum autem vasa hæc pulmonis dupliciter male afficiantur, scilicet in eis facta vel sensibili, vel insensibili continuitatis solutione, hoc in loco de prima agit, eam sub nomine rupturæ intelligens: de secunda autẽ inferius text. 19. agit, illam per similitudinem varicis explicans. Hoc primum genus omnem continuitatis solutionem manifestam comprehendit; vt puta, incisionem, apertionem, erosionem, aliasque his similes. Illud autem secundum comprehendit occultas, & non sensibiles cõtinuitatis solutiones; vt spasmata, auulsiones; distractiones, & cæteras; quæ huiusce sunt naturæ.

14 *Rumpitur autem à laboribus.*

TRIA includuntur in hac sententia, ad manifestam continuitatis solutionẽ in pulmone pertinentia. Primum est locus affectus: secundum est affectio: tertium est affectionis causa. Locus affectus dicitur venula; affectio, ruptura, causa huius rupturæ labores ponuntur. Per venulam intelligit Hipp. omnia vasa in pulmone præter arteriã asperam disseminata, siue sint arteriæ leues, siue venæ; nam per venas vtraque hæc vasa antiquiores intelligebant. Per rupturam intelligit omnem manifestam continuitatis solutionem, siue fit per incisionem, siue per vasis apertionem, siue per erosionẽ facta. Per labores vero intelligit omnia, quæ laborem, & vim huic visceri inferre possunt, siue causæ externæ, siue internæ existant. Sed de singulis horũ ad perfectam huius casus cognitionem hæc superaddantur. Locus affectus, ex quo reiicitur sanguis ex pulmone, dicitur venula ab Hipp. quoniã proprium venarum est sanguinem continere: cuius merito ex quacunque parte fluat sanguis, dicitur è venis effluere, quod vel mediate, vel immediate contingit: immediate quidem, si vena ipsa aperiatur: mediate autem vbi caro, ad quam venæ capillares sanguinẽ pro eius nutritione deferentes terminantur, continui solutionẽ patiatur? Hinc enim sanguis pariter fluit communicatus à venis illis capillaribus, ex quibus patet, quod ex quocunque loco fluat sanguis, semper è vena fluere dicitur, & hac ratione omnis sanguinis fluxus venarum affectio constituitur. Et inde, quoniam hoc idem in pulmone contingit, scilicet quod facta in eo continui solutione, sequitur sanguinis reiectio, vel substantia eius carnosa, vel vasibus ad eam sanguinem deferentibus apertis, & solutis, factum est, quod solũ de vena meminerit Hipp. non tamen per hanc pulmonis substantiam excludens, cum hæc pariter, ac venæ omnem continuitatis solutionem patiatur, pariter vtraque incidi, & aperiri, & exedi possunt. Hipp. autem de venis tantum loquutus est, quoniam omnis fluxio sanguinis, vt dictum est, siue mediate, siue immediate, è vena profluit, & venarum affectio videtur esse, non carnis. Per venulam illam igitur censeo Hippoc. primum quidem intelligere pulmonis vasa illa dicta, (siue arteriam, siue venam proprie dictam per eam audias,) sed & secundario sub hac voce comprehendere carnosam pulmonis substantiam, ex qua pariter ac ex vasibus prædictis sanguis reiicitur, sed cum hac distinctione, quod ex substantia reiicitur spumosus, ex vasibus autem nequaquam, ratio est, quoniam qui ex substantia

educitur, iam ad membri nutritionem extra vas proprium est traductus, & substantiæ pulmonum appositus, in eoque per alterationem assimilatus, quę cum sit spongiosa, reddit sanguinem spumosum, qui autem ex venis fluit, nondum illam alterationem passus est, quare nec potuit spumosus euadere. Hæc de loco affecto. De affectione autem, & de affectionis causis ista subdantur. Hęc vasorum pulmonis ruptura triplici fit ratione, scilicet vel per tunicæ diuisionem, vel per oris eorum apertionē, vel per resudationem. Prima affectio dicitur tunicæ diuisio: secunda anastomosis dicta est: tertia diapedesis appellatur. Primæ affectionis causa est incisio, contusio, ruptio, & erosio. Incisio causatur ab incidentibus, vt ab acuto telo, quemadmodum in cōfossis sępe videtur, nec huius est causa vlla interna, cum tantum ab externis causetur. Contusio fit per grauia, per dura, ad quæ vel locus affectus allidatur, vt fit in casu ab alto, vel per quæ locus affectus percutiatur, vt fit in percussionibus factis cum telo non incidente, quę affectio pariter, ac prior semper ab exterioribus causatur. Ruptio potest habere causas tam externas, quam internas. Internæ sunt sanguis flatuosus, (sicuti enim per multū bullientem ob multos flatus disrumpuntur dolia, ita à sanguine flatuoso quandoque disrumpuntur venæ) sanguinis copia, & multitudo, quæ vergens ad hæc vasa, ea disrumpit. Externæ causæ sunt eę, quæ extendendo possunt vi tunicas disrumpere, vt tussis valida, clamor ingens, motus inordinatus, ac vehemens, ponderis magni eleuatio, allisio in dura corpora, casus, & percussio. Erosio fit per internas causas tantum, quæ sunt vel materia destillans, vt catarrhus salsus, & acris, vel pus diutius retentum, & mala qualitate insignitum, vel sanguinis praua qualitas, quæ vel per intemperiem membrorum, vel ex prauo victu, vel ex medicamento hausto, vel ex veneno assumpto cōcepta sit. Secunda affectio, quæ anostomosis dicta est, fit, cum ora vasorū aperiuntur, cuius apertionis causa est, ex parte loci imbecillitas vasorum, quæ propriè ex mollitie, & tenuitate eorum pendet, ex parte sanguinis copia, caliditas, & acris quædam qualitas, quæ extrinsecus sanguini accidat. Vnde huius apertionis causæ precedentes sunt multa, & calida balnea, habitatio in regione calidiori, anni tempus calidum, cibus, & potus calidiores, & quæ huiuscemodi sunt conditionis: hæc enim apertionem pariunt, quoniā per balnea tunicæ euadunt molliores, per superfluum calorem vasa nimium calefacta redduntur imbecilliora, cum hinc rarefiant. Calor autē auctus dat motū sanguini, qui si copiosus existat, & supra hoc calidior euadat, acrem acquirit qualitatē, cuius merito facile potest ora venarum aperire. Tertia affectio diapedesis vocata, fit per sanguinis resudationem, quæ cum sit apertionis vasorum genus quoddam, non tamen cum superiori coincidit, quoniam in illa aperiuntur ora maiora vasorum, in hac autem tantummodo pori, & meatus insensibiles, vel gracilium venarum oscula. Huius duæ sunt causæ, scilicet tunicæ vasorum rarefactio, & sanguinis tenuitas. Rarefactionis duæ pariter sunt causæ, scilicet caliditas, & atrophia, per caliditatem rarefiunt, quoniam calidi proprium est rarefacere, per atrophiam, quia vasa, cum non metriantur, tenuiora, & apertioni apta redduntur. Sanguinis autem tenuitas procedit và calore, cum eius proprium sit attenuare, cuius ratione calidiora corpora tenuibus abundant humoribus, vel ab ichore in sanguine abundante, vbi enim sanguis est ichorosus, est etiam tenuior, & ideo in his facile vndequaque fluit. At præter hæc sciendum est ex iisdem causis, ex quibus moiora vasorum ora aperiuntur, si tinc debiliores vna cum mala eorundem dispositione, quæ est mollities, & tenuitas, posse diapedesin, & sanguinis resudationem succedere: hæ autem affectiones contingunt quidem vtplurimum circa arterias leues, & circa venas, ac substantiam pulmonum, verum eueniunt quoque circa asperas arterias, & potissimum circa eius caput. Hinc enim fieri potest reiectio sanguinis vel incisa, vel rupta, vel erosa tunicæ pars interna, quæ continui solutiones, nisi optime curentur, eadem mala, quę prędictę affectiones inducere possunt, causabūt. Quę autem sint ea mala, quæ ad has affectiones sequantur, declarat, dicens:

15 *Et vbi rupta fuerit, sanguinem fundit, siquidem crassior fuerit, amplius, sin tenuior, minus: & sanguinem quidem ipsum partim confestim spuit, partim vero, nisi vena adstringatur, in pulmonem funditur, & in ipso putrescit.*

FACTA in pulmone ruptura vel vasorum, vel substantiæ, necessario effunditur sanguis, vel in pulmonis vasa, vel in cauitatem thoracis, qui modo maioris, modo minoris est quantitatis, pro ratione loci, & partis affectæ. Si enim vas amplum fuerit disruptum, maior sanguinis copia effunditur: Minor autē erit quantitas, vbi vas sit tenuius, angustum, & paruum. Multo minor adhuc his erit, quando in propria pulmonum carnosa substantia fit vlcus, ratio est clara, quoniam maiora vasa maiorem congerunt, & subministrant sanguinis copiam, minora minorem. Caro autem habet eum tantum sanguinem, qui extra venas capillares pro eius nutritione transumptus est, quæ differentiæ sicuti sunt certæ, ita sunt animaduertendæ, quoniam faciunt ad loci affecti cognitionem, à sanguinis enim maiori, vel minori copia, nisi complicati sint affectus, vt si cum carnosæ substantiæ continuitatis solutione vasa etiam tandem patiantur affectionem, possumus coniectari supra locum affectum. Ex loco autem affecto, effusus sanguis statim cruentam expuitionem inducit, nam hic per asperas arterias transumptus tussim prouocat, & in prouocatione tussis simul cum ea educitur, hincq; in totum à sanguine thorax, & pulmo expurgatur, si vas ad apertum, & ruptū curetur, ac sanetur, indeq; sanguinis fluxio sistatur. Hoc autem non facto, & vlcere permanente, sanguis transmittitur quidē per asperas arterias, sed non integre expurgatur ob cōtinuum fomitem, & perseuerantem fluxionē: quare cum extra propria vasa existat, hincq; refrigeretur, & grumescat, putredini obnoxius redditur, &

tam-

tandem à propriis ſpiritibus, & à calore inſito denudatus in ipſo pulmone putreſcit. Hęc dixiſſe voluit Hipp. Illa autem verba, & ſanguinem quidem ipſum partim confeſtim ſpuit, partim vero, niſi vena adſtringatur, in pulmonem funditur, & in ipſo putreſcit: referuntur ad ſtatum non percuratæ, vel male tentatæ curationis, quoniam vbi vena non ſanetur, ſanguinis altera portio per tuſſim excreatur, altera autem in pulmonem aſſumitur, in eoq; putreſcit. Si vero ſanetur vlcus, tota ſanguinis portio per excreatum facile educitur, cuius ratione nulla eius portio inde putreſcit.

16 *Et vbi putrefactus fuerit, pus facit, progreſſu vero temporis aliquando pus ſubcruentū, aliquando ſanguinē, etſi magis repleta fuerit vena, ipſam ſanguinis copiam aceruatim à ſe ipſa reuomit, ſpuitq; pus craſſum ab acceſſoria intus putreſcente pituita.*

NVLLI dubium eſt, ſanguinem extra propria vaſa effuſum, ſi mole eximius, innotabiliq; cauitate ſit receptus, poſſe ſimilia lethali veneno accidentia cauſare, inducendo refrigerationes, ſynopſes, pulſus deperditiones, aliaq; ſimilia mala. Horum ratio eſt, quoniā exinanitis ſpiritibus, & euaporante calore innato, deterrimā concipit qualitatem, per quam non tantum prædicta accidentia cauſat, verum etiam partium circumſtantium corruptionem talem innehit, vt inde ſequantur gangrænę, & earundem putredines. Hoc clare apparet in vulneratis, aliiſq; ſimilibus caſibus, in quibus nō ſublatis grumis partes circumſtantes putredinem ingentem cōcipiunt, & niſi præſto ſint auxilia medica, gangrænantur. Hoc ſtante, nullus admirabitur, ſi ſanguis in cauitatem thoracis effuſus, & in aſperas arterias tranſumptus, ibi putreſcat, putreſcensque pulmoni putredinem impartiatur. Hoc autem viſcere putreſcente, & inde purulento facto, cui dubium, quod pus in eo generabitur: quæ puris generatio dicitur ab Hippo. fieri à ſanguine putreſcente, quoniam quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati, in quem eundem ſenſum dicebat Galen. lib. 2. de præſag. expulſ. cap. p. ſubinde etiam fit, vt cum pulmonis rumpatur aliquod vas, immittat ſanguinis in aſperas arterias aliquid, qui quidē diuturnitate putreſcens excitat tabem. Hoc animaduerto, quoniam eiuſcemodi caſus, per quem fit purulentus pulmo ex ſanguine in aſperas arterias trāſumpto, ibidemque putreſcente, licet habeat pro cauſa pulmonis vlcus, nequaquam tamen coincidit cum eo, per quem fit purulentus ex vlcere: nam cum ex vlcere purulentus euadit, hoc euenit, quia vlceri ſuperueniens inflammatio illud ſordidum, & purulentum facit, quæ inflammatio niſi primis prohibeatur diebus, non videtur amplius tolli poſſe, & per conſequens nec puris generationem, ex qua pulmonis ſuppuratio, & inde tabes procedit, impediri. At cum pulmo fit purulentus ex ſanguine putreſcente, hoc nō ſuccedit, quia ex vlcere pus contrahat, ſed quia ſanguis extrauenatus in aſperas arterias ex pulmonum vaſis diſruptione immiſſus, ibi putreſcat, & inde contagio pulmonem inficiat. Quam eandem ſuppurationem non tantū vidi factam ex pulmonis vaſorum diſruptione præcedentem, ſed etiā, vbi à capite copioſus ſanguinis fluxus, per aſperam arteriam in pulmonem defluens, non fuerit integre expurgatus: etenim ibidem retentus diuturnitate putreſcens ſuppurationem, & tabem induxit. Hæc animaduertant medici, vt ſciant formato vlcere, expurgandum eſſe pulmonē à ſanguine extra venas effuſo (vt optime conſulit Gal. lib. 5. Meth.) nec ſemper in his caſibus cum medicamentis adſtringentibus, & obturantibus procedendum eſſe: alias hic ſanguis retentus maiorum malorū erit in cauſa, hincq; ineuitabiliter ſuppuratio, & mors ſuccedet. Hoc idem animaduertant, ſi deſcendente à capite ad pulmonē ſanguine, tuſſis vel ſicca, vel non ſufficiens ad pulmonē expurgandum à ſanguine illo ſuccedat; quoniam ſi non perfecte emundabitur pulmo, eadē mala ſubſequentur. Qua de re in quocunq; caſu ſit ſolicitus medicus ad expurgandum pulmonem à ſanguine illo fluxo, alias hic putreſcet, & pulmonem contagio inficiet, quod eſt id, quod nunc docet Hippo. dum inquit, quod ſanguis vbi putrefactus fuerit in pulmone, pus generat, id eſt, ſanguis putreſcens contagio pulmonem inficiens purulentum, ac tabidū eum reddit. Ex quibus pateat, pulmonem ex ruptura vaſorum duplicem poſſe habere ſuppurationis cauſam, alteram ex vlcere, alteram ex ſanguine putreſcente. Vlcus erit in cauſa, vbi non curatum euaſerit putridum, ſanguis autē, vbi ille, qui vel ex ruptura vaſis in pulmone, vel ex deſtillatione à capite in pulmonem tranſumptus eſt, non fuerit excreatus, ibique perſiſtens putruerit. De primo Hipp. expreſſe non meminit: de ſecundo autem eſt eius ſermo, à cuius analogia poſſumus & de prima, & de ea, quæ ex ſanguine à cerebro in pulmonem recepto generatur, arguere, cum cauſas ſimiles habeant, & eorum ſit idem euentus: in omnibus enim (vt inquit Hipp.) progreſſu temporis pus ſyncerū expuitur, tunc facta, & cōſummata ſuppuratione, quibus ſuccedit, vt quandoq; excreent pus ſubcruentum, quandoque ſanguinem ipſum, at in pauca quantitate, quandoq; ſanguinem in maiorum copia, quæ aliquando tanta eſt, vt patiens ex ſola ſanguinis erumpentis copia exanimetur, quandoque autem pus commixtum pituitę putreſcenti, ac corruptæ. Hoc inde fit, quoniam purulentus pulmo, ſi ex ſanguine putreſcente putredinem conceperit, diſruptioni & vlcerationi faciliime obnoxius euadit, vnde cum ex vehementi, & moleſta tuſſi, quæ hoc concomitatur, excrucietur, & dilanietur pulmo, euenit, vt modo penitius, modo ſuperficialiter, modo in ſubſtantia, modo in vaſibus ex tuſſi illa ruptionē, ac vlcus incurrat, vnde in maiori noxa, pus ſubcruentum redditur, in maiori ſanguis purus excernitur, at in pauca quantitate, in maxima autem, copioſe effluat. Si autem ex vlcere ſuppuratio facta ſit, vbi ſordidum exiſtat vlcus, pus ſyncerum excernitur, vbi purgatum, ſubcruentum. Et quoniam in his vlceribus ſolent quandoq; cruſtulæ aliquę ſuperereſcere, quę obducentes vlcus prębent imaginē ſanati morbi, quæq; poſtea ob tuſſis

superuenientis irritationem, ac vehementiam separantur, ideo his separatis solet excreari vel sanguis in quantitate pauca, si superficiale sit vlcus, vel in magna, si profundum, aut aliquod vas attigerit. In ambabus autem his suppurationibus hoc commune est, quod tempore procedente simul cum pure etiam excernatur pituita putrescens, quæ vel ex capite ad thoracem destillauerit, vel à reliquo corpore illuc demandata fuerit. Ex pure autem, & pituita putrescente, cum ambo simul conglobentur, fit sputum crassius. & ideo iure dictum est ab Hipp. spuiturq; pus crassum ab accessoria, & intus putrescente pituita. Vocauit autem eam accessoriam ad differentiam sanguinis ex pulmonum vasibus erumpentis: sicuti enim hic est membro connaturalis, cum in eo consistat, & ad eius nutritionẽ inseruire debeat, ita ex aduerso pituita dicitur accessoria, quia aliunde demandata est, nec pro eius nutritione quid conferre valet, tum quia non est vera pituita nutritioni apta, tum quia membrum hoc ex hac materia nutriri naturaliter nequit.

17 *Hic si anticipetur incipiente morbo, priusquam vena sanguinem fundat, ac fortiter laxetur, & priusquam attenuetur: & in lecto decũbat, & caput corrumpi incipiat, & reliquum corpus colliquari, superstes ab hoc morbo euadit. Si autem neglectus fuerit, & hæc occuparint, vt ea perpetiatur, aut omnia, aut plurima, perit.*

SIlvllum est morbi genus, quod festinantem requirat curationem, hoc vnum est ruptura vasorum pulmonis, eiusque vlcera, nisi enim statim, antequam inflammationem, quam facile incurrunt, ob continuum partis affectæ motum cõceperint, curentur, fiunt vlcera insanabilia, & quæ in tabem, & mortem ineuitabiliter desinunt. Quoniã vero, cum facta fuerint vlcera ista sordida, & insanabilia, omnia mala hęc succedunt, videlicet quod rarũ est, quod eiuscemodi vlcera sanguinem non fundant, quoniã ratione tussis admodum laxantur, & hiant, ad quæ corporis extenuatio, quoniam male nutriuntur, & partes carnosæ non assumpto alimento absumuntur, ac virium languor subsequitur, quæ vires adeo languidæ redduntur, vt cogantur patientes decumbere: caput autem ex vaporibus putridis ad eum eleuatis cõpatiens, & inde languens corrumpi incipit, id est, intemperatum, & debile redditur, cuius ratione ad augmentationẽ morbi plurima ad pulmonem destillant excrementa, vnde mutua opera ad corporis destructionem procedunt, quod corpus morbo vlterius progrediente incipit colliquari, id est, cũ prius ex imminuta nutritione partes carnosæ absumerentur, tandẽ progresso morbo etiam solidæ colliquantur; quare deperdita tum earum, tum istarum substantia, patientes necessario morti succumbent. Quoniam (inquã) hæc omnia ad procrastinatam succedunt curationẽ, cum hinc vlcera euaserint insanabilia, ideo inquit Hipp. quod si anticipetur curatio vlcerũ, & rupturę vasorũ pulmonis, anteq̃ vlcera ad prædictũ statum, quem omnia prænarrata accidentia subsequuntur, peruenerint, superstites ab hoc morbo patientes euadent, id est, fieri poterit, vt superstites à morbo liberentur, non ꝙ necessario, & ex certa scientia curati sanentur. Si autẽ negligatur curatio, ita vt vel nulla, vel ꝓcrastinata administretur, quoniam subsequantur vel omnia, vel plurima ex prænarratis accidentibus, ac symptomatibus, ideo tunc patientes ex hac suppuratione peribunt. Non autẽ peribunt, id est, possibile est vt sanentur, anteq̃ aut omnia, aut plurima ex ꝑdictis ꝑpetiantur. Omnia illis euenient, quib. robur maius inest, & recta viuendi ratio est in vsu, quoniam hi tandem morbum tolerabunt, quã diu omnes partes tam carnosę quã solidæ fuerint absumptæ. Plurima autem, & non omnia contingunt illis, qui & debiliores extant, & non omnimodam recte viuendi rationem obseruent, quoniam hi cito peribunt.

18 *Perit autem hic aut ex iisdem, quæ superius dixi, aut ex vomitu sanguine multo multoties per vomitum reiecto.*

DVPLEX erat moriendi conditio, ex qua suppurati ob destillationem putrescentis pituitę in pulmonem consueuerant mori, altera cum in totum putridus, & purulentus euasisset pulmo, altera cum alui fluxus eis superueniret. Ex iisdem cõditionibus dicit Hipp. perire etiam suppuratos ob vasorum pulmonis disruptionem, eædemq; rationes quæ illis adscriptæ sunt, in iis etiam verificantur, ac adaptantur. Sed vltra has duas affirmat tertiam superesse, ex qua consueuerit mori suppuratos hos ex ruptura vasorum pulmonis factos, quæ cõditio est, per vomitum multi sanguinis multoties factum, in qua conditione tria ex verbis Hipp. notanda sunt; primum, ꝙ fiat sanguinis vomitus: secundum, ꝙ hic sanguis sit copiosus: tertium, quod multoties sit factus. Quo ad primum quomodo dictum est hanc euacuationẽ esse vomitũ sanguinis, cum hic sanguis ex spiritualibus, nõ ex naturalibus membris educatur? Hanc euacuationem nominauit Hipp. vomitũ, non à loco, à quo euacuatur sanguis, sed à modo eductionis, & à qualitate materiæ eductæ, quoniã cum plurima sanguinis quantitas è thorace educitur, videtur per vomitum educi, tum quoniam copiosa est, tum quia in eductione videtur subuerti ventriculus: & sane experientia testatur in tali casu potius videri per vomitum, quã per tussim educi, nec astantes, aut vulgares vidẽtur hoc posse discernere, imo sæpius attestantur super vomitũ, non super tussim. Quo ad secundũ copiosus redditur sanguis, facto vlcere maiori & profundiori, vel à vehementia tussis, vel à prauis succis erodẽtibus. Quo ad tertium fit multoties, quia sæpe eædem causæ reperuntur, & toties reperiuntur, vt erũpente sanguinis multa copia creberrime hinc perimantur. Quod vltra Hipp. testimoniũ hoc mihi experientia sępius cõprobauit, q̃ viderim omnes eiuscecõditionis suppuratus fere semp ex huiuscemodi copiosa, & repetita sanguinis eruptione periisse.

19 *Si vero vena omnino quidẽ rupta non fuerit, verum ex acuto tractu velut varix extuberet, statim, vbi hoc factum fuerit, dolorem quendam tenuem inducit, & tussim aridam.*

SICVTI

SICVTI solutæ continuitatis diuersa sunt genera, alia manifesta, alia immanifesta: manifesta, vt vlcus, vulnus, fractura, caries: immanifesta, vt contusio, illisio, quæ sunt carnosæ membrorum partis insensibiles solutiones, ruptum, quod est fibrarum in musculis, spasma, quod est fibrarum in neruis occulta solutio, apospasma in ligamentis, diuulsio, quæ primo ad instrumenta, secundo autem & ad partes similares pertinet: Ita pariter in soluenda pulmonum vnitate duo continuitatis solutionum genera accidunt, alterum manifestum, alterũ immanifestum. Manifestum est id, quod fit per vlcus, per vulnus, per rupturam venæ, siue per incisionẽ, siue per apertionem, siue per erosionem causatum. Immanifestum est id, quod per diuulsionem, & auulsionem venarum gignitur. De primo iam actũ est: de secundo nunc agitur. Inquit ergo Hipp. si ex labore, id est, ex causa, quæ vim naturæ inferat, siue externa, siue interna sit, non rumpatur vena, quis manifestam non patiatur vnitatis solutionem, sed solum diuellatur, & auulsionem patiatur, ita vt eius continuitas quidem soluatur, verum non manifeste, solum autem tunicæ distrahantur, & per vim à propria sede auellantur, tunc venæ tanquam varices duplici de causa extuberant. Primo quidem, quoniam ea tunicarum distractione ampliores factæ sunt: secundo, quia ex auulsione à propria sede diuulsæ sunt. Ad hanc extuberantiam duo de necessitate statim succedunt: primum est, quod cum in superficie, & parte pulmonis extima hoc fiat, quidam leuis affectus per contactum eius membranis communicetur, cuius ratione quidam leuis dolor succedit. Secundum est, quod ea hac læsione, & ex hac extuberantia ad cauitatem thoracis necessario perritata natura quædam tussis causatur. Sed quia ex loco affecto tunc immanifestam continuitatis solutionem patiente nihil resudat, ideo hæc tussis est sicca; vnde iure dictũ est ab Hipp. quod vbi hoc factum fuerit, statim tenuem quẽdam dolorem & tussim aridam inducit. Huius autem affectus, possumus quidem imaginari esse causas tam internas, quam externas: internas quidem vt est sanguinis vel copia, vel mala qualitas: externas, vt omnia exteriora vim inferentia, sicuti percussiones, casus, motus vehemẽtes, ac similia, quæ labores vocari queunt; nihilominus experientia testatur hoc genus affectionis solum causari ab externis causis, quæ vti possunt ea vehementia ruptionem vasorum manifestam parere, ita ex minori vehementia possunt hæc vasa, si non integre abrumpere, saltem diuellere, ac distrahere.

20 *Si vero diu durauerit, & neglectus fuerit, primum quidem sanguinem modicum, ac subnigrũ dimittit, ac reiicit, deinde vero adhuc copiosiorem, & syncerissimum, deinde pus, patiturq; quæcunque in superioribus dicta sunt.*

FACTA vasorum pulmonis diuulsio si non curetur, quia vel ab ægrotante, vel à medico negligatur, solutæ continuitatis affectus perdurans plura mala inducit. Nam hinc pars affecta semper languidior redditur, indiesque, cum ex distractione passę fuerint tunicę, nec postea sanatæ, semper magis rarefit, sanguisque, qui violentiam ex distractione passus in ea continetur, venam replens, & non retrocedens magis eam afficit. Ex quo necessario sequitur, vt temporis progressu incipiat ex eo loco affecto resudare sanguinis pars tenuior, qua resudatione facta, pori & meatus venæ magis aperiuntur, qui eo facilius aperiuntur, quo vlterius procedente morbo lacera redditur, non tantum ex proprio affectu, sed etiam ea tussi subsequente. Hac autem lancinata, & lacerata à tussi, & ex proprio affectu ad corruptionem eunte, tandem fit disruptio, & inde postea erumpit non amplius sanguinis tenuior pars, sed ipsemet sanguis syncerissimus, & copiosus, qui sanguis raro solet esse laudabilis coloris, sæpius autem videtur nigrior, & iure, cum hic etiam passus sit. Facta autem hac sanguinis eruptione, cui dubium, quod factum sit vlcus in pulmone, quod necessario prauitatem annexam habeat, cum partes ei circumstantes tamdiu male affectæ fuerint? quapropter vlcus hoc quamprimum pus resudabit, & ideo post sanguinis synceri sputum, puris sputum immediate succedit. Quo succedente factus est purulentus pulmo, patiturque, quæcunque in superioribus dicta sunt, id est, facta hac suppuratione, ægrotantibus superueniunt omnia mala, quæ in superioribus explicata fuere, scilic. vt tandem pereant, vel demum progrediente putredine, purulento ac putrido pulmone facto, vel alia fluxione superueniente, vel sanguine multo, & multoties reiecto.

21 *Conducit autem talibus, si ab initio curandos suscipias, vt & venæ de manibus sanguinem emittant, & diæta, è quaquã siccissimus, & exanguissimus, fiat.*

QVANDAM curationis formulam proponit Hip. ad prohibendam dictam pulmonis suppurationem, docens in his à principio tum sanguinem mittendum, tum victus rationem tenuissimam seruandam esse. Sed cum tres sint medicæ artis partes, altera chyrurgica, altera diætica, altera pharmaceutica, cur hanc sub silentio obuoluens duarum priorum tantum meminit? Quia (vt dixi) opus hoc non fuit elucubratum, sed tanquam per tabulas ad reminiscentiam multorum, quæ addenda erant, pauca describebat. Nam nulli sit dubium, quod vltra sanguinis missionem, & præter victum tenuem in hoc affectu sint admodum necessaria medicamenta cum exterius, tum interius administranda, quę vna cum illis valde proficere, & sanare certo possunt: sicuti illa sine his non multum forsan proficere poterunt. Medicamenta autem sint ea, quæ valide exiccantia, simul etiam aliqua adstrictione dotata sint, misceanturque aliquibus, quæ horum facultatem ad thoracem manuducere valeant, si interius sumenda sint. Exterius autem administranda pariter sint exiccantia & adstringentia, non laxantia, qualibus in omni thoracis affectu medicinam communiter facientes vtuntur: præsertim autem ad hos

ex chirurgicis operibus faciet cucurbitula supra locum affectum affixa, & scarificata ad materiæ euocationem, & loci affecti subleuationem, prius tamen corpore vniuersaliter euacuato per venę sectionem, aut etiam per pharmacum, ad quod idem facient omnia reuulsionum genera. Quæ omnia peragenda esse nusquam negligat medicus, quoniam ita agens certam procurabit salutem, (nō enim est difficilis a principio curatio.) Si autem vel affectum, vel curationem neglexerit ex incuria, primo malæ valetudinis, & tandem mortis quoq; auihor erit. Hoc monuisse volui, quoniam vidi huiuscemodi affectus à medicis vtplurimū neglectos, qui vel ex ignorantia affectus, vel ex ignorantia curationis patientes perdiderunt.

22 *Eodem porro modo etiam venæ in latere afficiuntur, quæ intus in superficie sitæ sunt.*

DE tribus suppurationum modis tractans Hip. de secundo inferius tex. 25. acturus erat, attamen quadam sermonis consequutione, ac affectus similitudine agens, de primo ponit quædam ad secundum modum pertinentia. Nam cum egerit de suppuratione pendente ex venarum pulmonis diuulsione, ac tractu, per quem tanquam varix extuberat, quoniam idem affectus in venis thoracis internis pariter euenit, ideo quamuis hæc ad suppurationem ex pulmone pertineant, attamen hoc in loco de simili affectu in thoracis venis contingente agere voluit, dicens: Sicut pulmonis venæ per diuulsionem, & tractum, tanquam varices extuberāt ex pulmone, ita pariter in thorace venæ, quæ in intima eius parte diuaricantur, quandoq; per diuulsionem, & tractum ex causa violenta inductum tāquam varices redduntur, & inde in thoracis cauitatem extuberant. Dixit autem, venæ, quæ in superficie sint, ne etiam intimæ, quæ per intermedia costarum, & alia spatia interna perreptant, intelligantur: in his enim nec talis diuulsio, nec talis tractus ex causa externa fieri potest.

23 *Cum igitur affectæ fuerint, varicosaq; factæ, & intus eleuatæ, & neglectæ fuerint, hæc perpetiuntur. Erumpunt ac spuūt à se sanguinem, & aliquando etiam vomunt, & suppurati fiunt, & vtplurimum pereunt.*

QVæ sit hæc affectio, & quæ ad eam mala sequantur, facile est cognoscere ex iis, quæ de venis pulmonis dicta sunt, quare ea bis adaptētur. Nam eadem sunt omnia, nulla alia re differentia, præterquam ex loco affecto, cum in illis pulmo, in his partes intimæ thoracis læsæ sint. Illa autem verba, erumpunt, ac spuunt à se sanguinem, & aliquando etiam vomunt, & suppurati fiunt, eadem, quę in superiori relata est, sententiam habent. Erumpunt etenim, si neglecta fuerint, & non curata, ac spuunt à se sanguinem, videlicet, modicum & subnigrum à principio, & aliquando etiam vomūt, id est, procedente morbo sanguinem copiose reiiciunt: nam venæ dicuntur vomere sanguinem, aut spuere per similitudinem, & analogiam ad sputum, & vomitum. Nam sicuti sputum quantitate paucum, vomitus autem quantitate multus solet esse: ita venæ, cum paucam sanguinis quantitatem reiiciunt, dicuntur spuere. Cum vero reiiciunt magnā, dicuntur vomere, per quæ ea est Hipp. intentio, vt moneat in eiuscemodi affectu venas à principio sanguinis modicam quantitatem, in processu autē quandoq; magnam reiicere, & vtplurimum pereunt: Ait Hipp. non sane de suppuratis loquēs, quia suppurati tandem ex hoc ineuitabiliter, nisi ab aliquo grauiori morbo præueniantur, pereunt; sed de his sermonem habens, in quibus venarum fiunt in intima thoracis parte perreptantium diuulsiones: nam hi, vtplurimum pereunt, quia aut male, aut tarde, aut nequaquam curantur.

24 *Si vero curentur incipiente morbo, rursus in his venæ consident ad latus, humilesq; fiunt.*

VTPLVRIMVM pereunt, vt dixi, qui hunc affectum patiuntur, quia aut male, aut tarde, aut nequaquam curantur. Illi autem, qui cito, & recta ratione curantur, euadunt, quoniam locus affectus à principio curationi non reluctatur, cum nondū imbecillitatem ex diuturna affectione contraxerit: qua de re venæ illæ ob diuulsionem extuberantes, facile residunt, & in proprium locum cedunt, humiles tenuesq; secundum naturalem statum factę. Curatio autem similis ac eadem, qualem administrandam esse in superiori casu docuimus, adhibeatur, indeq; salus speretur: quæ facilior multo est in casu isto, quam in illo, quoniam minoris momenti sunt thoracis venæ, quam venæ pulmonum, medicamentorumque localium facultas facilius ad venas thoracis, quam pulmonum deferri potest.

25 *Et pulmo quidem ab his suppuratus redditur, & ab ipsa etiam talia perpetiuntur, & sic moriuntur.*

AB his, id est, à pulmonis inflammatione non soluta, ac suppurante à pituita ex cerebro in pulmones destillante, ibidemq; putrescente, à pulmonis vena vel rupta, vel diuulsa, & in formam varicis redacta, qualem affectum patiuntur thoracis quoq; venæ intimæ, ac superficiales, fit suppuratus pulmo, ab omnibus his, inquam, suppuratur, sed non ab his solis, quoniam ex erysipelate quoq;, & ex tuberculis in eo genitis (vt inferius habebitur) suppurantibus potest etiam pulmo suppurari: & ab ipso talia perpetiuntur, id est, à pulmone suppurato succedunt in ægrotantibus ea symptomata, & mala, quæ superius enarrata sunt, & tandem moriuntur, sc. vel cum purulentus, & putridus in totum factus fuerit pulmo, vel eum alui fluxus superuenerit, vel cum sanguinis copiosa reiectio contigerit.

26 *Cæterum superiori ventre suppurati multipliciter fiunt.*

TRes suppurationum species pręter eas, quæ in capite, & membris externis eueniunt, adnotauimus fieri. De prima, quæ est ex pulmone, pro parte egit: de secunda hic acturus est: de tertia inferius

ferius text. 47. agetur. Agens igitur Hipp. hoc in loco de secunda, quæ est ex thorace, inquit eam multipliciter fieri: nam alii thorace suppurati fiunt ex pituita à cerebro in thoracem descendente, ibidémque putrescente: alii ex pleuritide suppurante: alii ex vlcere thoracis: alii ex pituita non in thoracis cauitatem, sed latus destillante, & inhærente, ac ibi putrescente: alii ex vena, aut alia thoracis ramosa parte diuulsa & distracta: alii ex vulneribus penetrantibus: alii ex similibus causis, quas inferius explicabimus. Quapropter cum tot modis istæ suppurationes fiant, iure merito dixit, quod suppurati superiori ventre multipliciter, id est, multis modis multiplicíq; ratione fiant.

27 *Nam cum pituita de capite copiosa, & aceruatim in superiorem ventrem fluxerit, putrescit, & in pus vertitur.*

PITVITA destillans à cerebro per trachæam arteriam alias recipitur ad intra pulmonis vasa, alias ad intra cauitatem thoracis. Quæ recipitur, & recepta retinetur intra pulmonis vasa, ibidem putrescens causat alteram ex pulmone suppurationem. Quæ autem fluens per asperam arteriam recipitur quidem intra vasa pulmonis, sed ibi recepta non retinetur, verum in cauitatem thoracis tandem defluit, si hoc in loco permanens putrescat, causat alteram, quæ ex superiori ventre dicitur, suppurationem. In qua causanda duo notat Hipp. ad hoc vt putrescat, requisita: alterum est, quod pituita destillans sit copiosa: alterum, quod aceruatim, & non per diuturnum tempus, aut per multas vices defluat. Tertium ego addo, quod ista pituita per tussim non expurgetur: quamuis enim copiosa, & aceruatim flueret, si expurgaretur per tussim, non daretur occasio putrescendi: ea autem nõ expurgata, si copiosa sit, (quia pauca potest discuti, aut concoqui) & aceruatim fluat, quoniam tunc non dat inducias ad discutiendum, omnino putrescit. Hac vero putrescente, & in pus conuersa, dum pus in thoracis cauitate retinetur, patiens dicitur suppuratus ventre superiori. De tali autem pure hac ratione ex defluxa destillatione genito, duo animaduerto, alterum ad essentiã, alterum ad cognitionem pertinens. Quoad primum sciendum est, tale pus non vere & simpliciter, sed æquiuoce, & analogice pus vocari: nam illud est vere pus, quod ex materia in membro particulari collecta, & conculcata, dum alieno calore alterata putrescit, à natura per quandam coctionem mediam inter naturalem, & eam, quæ toto genere est præter naturam, deuincitur. At hoc non gignitur ex huiuscemodi materia in tali loco recepta, sed ex ea quæ intercapedinem, & vacuitatem intra thoracis membra existentem, putrescens in tale excrementi genus permutatur, quæ permutatio potius ex diuturna mora, quam ea materia eo loci trahit (cuius ratione corrumpitur, & putrescit) pendet, quam ex actione naturæ alterantis, & per aliquod coctionis genus eam deuincentis: quare si hoc excrementum pus dicitur, non simpliciter tale est, sed per analogiam ad verum appellatur pus, cum ambo pariter occasione putredinis generentur, & in consimilem colorem permutentur. Quo autem ad secundum, animaduertendum est, cum sputa purulenta excreari incipiunt, sæpius inter medicos dubitari, an id, quod excernitur, verum sit pus, an pituita, quæ aliquam corruptionem, & putredinem conceperit, nondum ea in totum putrida existente? In qua hæsitatione nouerint iuniores, hæc ab inuicem distingui ex substantia, ex colore, ex odore, & ex sapore. Quoad substantiam oporteret medicum esse versatum, & sæpius vidisse saniem, & pituitam, ad hoc, vt earundem substantiam distinguere posset, quod si talis non sit, sciat pituitam ex se viscidam esse, verum autem pus substantiam viscidam non participare, nisi cum pituitæ admixtum fuerit. Præterea sciat pituitam aliquos spiritus, cum non sit toto genere præter naturam, in seipsa retinere, cuius ratione proiecta in aqua supernatat: pus autem, cum ex putredine alienam, & extraneã conceperit qualitatem, terrestreq; sit redditum, absumptis spirituosis & humidioribus partibus, crassum, & ponderosum factum esse, cuius merito in aqua proiectum non supernatat, sed ad fundum descendit. Quoad colorem, pituita est alba, vel in albedinem decliuis est: pus autem vel liuidum, vel in liuiditatem, & in deteriorem quandoq; declinat colorem. Quoad odorem vero, pituita ex se non male olet: at pus non tantum male olet, verum etiam quandoque fœtet. Quod si hoc per simplicem odoratum non habeatur, supra carbones ardentes proiiciatur: ignis enim qualitatem odoris propalabit, pusque fœtidum esse, pituitam autem non ita male olere demonstrabit, in quo perscrutando odore non simplici odoratu procedendum erit, cũ pituita non naturaliter alterata, ardens non bene etiam oleat, sed aliqualis requiritur experientia, per quam illius fœtor ab hoc non probando odore distingui possit. Quoad saporem autem, hoc vnum referent patientes, quoniam in puris excreatione sit putrida & purulenta, & quandoq; tanquã abominabilia excreare sentiunt, quod in pituita adesse non referunt: hoc tamen signum non esse perpetuum, sicut nec illud de colore comperi. Nã vidi aliquos pituitam, non pus excreantes, qui se purulenta ex abominabili sapore expuere arbitrabantur: alios autem verum pus expuentes, qui nihil tetri saporis percipiebant. Vidi etiam nonnunquam pituitam excreatam omnino, & vndequaque pus æmulantem, nonnunquam autem pus potius pituitam, quam pus ipsum redolentem. Quapropter in tali difficultate omnia simul in cõsideratione veniant, & pro ratione eorum signorum, quæ sint certiora, & magis probentur, non neglectis his, quæ ex præcedentibus, ac extrinsecis causis haberi possunt, coniecturis & indicationib. fiat iudicium.

28 *Putrescit autem maxime in diebus viginti vna.*

CONTRA ea, quæ à me affirmata sunt, de huius libri authore, quod hic fuerit Hipp. clarissime hic locus facit, cum Hippocr. euidentissima sit sententia libr. 7. apho. 38. quod destillationes in ventrem superiorem intra viginti dies suppurentur,

non

non autem viginti vna, vt hoc in loco habetur; sed nec vera hæc sententia videtur esse, cum, vt Galen. mille in locis, & vbiq; testatur, præcipue autem in libris de diebus crit. in lib. Prognos. & in com. citati aphorismi, vigesima dies, non vigesima prima sit iudicatoria: quare si vigesima est iudicatoria, non autem vigesima prima, iuxta aphorismicam sententiam, destillationes in superiorem ventrem non per viginti & vnum, sed per viginti tãtum dies suppurabunt. At sciendum est, Hipp. alios libros, cum initiatus esset medicinæ, & cum speculationes experimentis exploraret, alios, eum autem perfecte consumasset, condidisse. Primi generis est liber primus, quem præ manibus habemus, de morbis, & libri epidemiorum. Secundi generis sunt libri Prognosticorum & Aphorismorum, in illis vigesimum primum potius, quam vigesimum esse iudicatorium affirmauit, vt exemplo de suppurata destillatione proposito patet, & vt pariter statuit lib. 1. ep. sect. 3. text. 14. quo in loco inter iudicatorios numerauit vigesimum primum, nõ vigesimum. Hoc autem non modo experientia compro bare poterat, cum lib. 3. epid. sect. 3. text 88. habeatur Dealcis vxorem in Thaso vigesima prima defunctam esse, verum etiam ratione: nam cum septimana ex indicatorio, & iudicatorio die perfecta constituatur, cumq; tres septimanæ dies viginti, & vnum constituant, iure videtur statuendum, esse vigesimam primam diem, quæ tres septimanas integras terminat, potius quam vigesimam esse iudicatoriam. Quare non est, quod hinc censendum sit, hanc sententiam non fuisse aut Hippocraticam, aut rationabilem, quam tamen Hipp. postea, eum absolutus in arte fuerit, librosq; qui perfectionem artis calleret, condiderit, immutauit, censens tum in Aphorismis, tum in Prognosticis, qui duo libri sunt germanissimi, & perfectissimi, & ab eo, cum artem consumasset, ac perfecte calleret, conditi, vigesimum, non vigesimum primum esse iudicatorium, non ea ratione, quod vigesimus primus nunquam iudicet, quoniam experientia oppositum testatur, sed quia in prædictis libris solum enumerabat eos dies, qui simpliciter decretorii sunt, quiq; maximam virtutem in iudiciis habent, ac qui naturæ suæ ratione perfecti sunt: quales sunt quartus, septimus, vndecimus, decimus quartus, decimus septimus, & vigesimus, ac reliqui hos subsequentes. Iudicauit autem potius vigesimum esse iudicatorium, quam vigesimum primum, quia plura, & magis certa, & ex ordine naturæ magis fida iudicia fiunt in vigesima, quam in vigesima prima; hæc enim raro iudicat, & potius male, quam bene, & in ea non videntur iudicia fida fieri. Cur autem magis indicatoria sit dies vigesima, quãm vigesima prima, præter sensata exempla, & præter experientiam, quæ hoc testatur, habetur etiam ratio, quæ difficultatem tollit trium septimanarum, quæ ex viginti & vno die cõstitui videntur. Ratio autem hæc est, quod (sicuti lib. 3. prognost. tex. 5. habetur) fieri non potest, vt vllus iudicatoriorum circuitus integris numeretur dieb. sicuti nec annus, nec mẽsis integris numerari diebus apti sunt. Cum ergo ad crises integri dies non assumantur, patet, quod nec septimana integra ad iudiciũ requiratur. Si autem hoc, igitur tres septimanæ potius constituunt viginti dies, quam viginti & vnum, quoniam tres septimanæ integræ non assumuntur ad integritatẽ termini crisis, quæ septimanæ cum ex diebus imparibus formentur, & cum vigesima ex tribus septimanis, quæ per integros dies non fiunt, constet, iam non numeratur vigesima dies inter pares, sed inter impares, vt numerauit Gal. lib. 4. reg. acut. com. 56. Ex quibus liqueat, quoad huius voluminis authorem, per hanc sententiam non excludi posse Hipp. cum in aliis eius legitimis libris etiam vigesimam primam pro critica posuerit. Quo autem ad veritatem, pone quidem vigesimam primam esse iudicatoriam, & inde prædictas destillationes quandoq; suppurare posse in vigesima prima die, sicuti forsan in aliquibus ab ipso obseruatum fuit, attamen vigesimam, non vigesimam primam esse simpliciter iudicatoriam, quoniam nec septimanæ, nec menses, nec anni integris numerari diebus apti sunt. Cuius merito lib. 7. aph. ab Hipp. destillationes has vigesima die, non vigesima prima, simpliciter suppurare statuitur, quod ibidem animaduertens Gale. dicebat Hipp. diem non vigesimum primum, sed vigesimũ indicatorium constituisse, intellige, postquam artem consumasset, & speculationes integras constituisset.

29 *Hoc igitur pus concutitur, & intus fluctuat ad latera allabens.*

HOc intellige de pure in thoracis intercapedine, non in pulmonis vasib. existente, si pus admodum aut copiosum, aut crassum non fuerit. Copiosum enim præ copia, vt fit in vasib. liquido succo repletis, & crassum, quia præ crassitie facile dimoueri, & agitari nequit, fluctuare non potest. Si autem fluctuare non potest, nec etiam ad concussionem poterit dimoueri: quare hoc signum non ita certum erit.

30 *Hic si vratur, aut secetur, priusquam diuturnum fiat pus, sanus plerunq; euadet.*

QVid de sectione, aut de vstione sit sentiendũ, & quo tempore, & quomodo administrandæ sint, iam dictum est: quare non est, quod hic repetantur. Solum hoc moneo ab Hipp. dictum esse, quod tales suppurati sanari possunt, si secetur, aut vrantur, antequã pus diuturnum fiat, quasi diceret, quod vbi pus in thorace diu constiterit, & affectus antiquatus fuerit, non amplius est occasio aut sectionis, aut vstionis, quia non videtur deinceps sanari posse. Ratio ex his, quæ superius pro hac sententia dicta sunt, patet: nam ex diuturna puris in thorace mora pus ipsum qualitatem prauam, & vim exedendi ex concepta putredine acquirit, partesq; circumstantes adeo à pure male afficiuntur, vt hinc ex corrumpantur, & exedantur tali corruptione, & erosione, vt quæ in posterum emendari nequeant.

31 *Fiunt autem & superiori ventre suppurati ex pleuritide cum fuerit, & in indicatoriis diebus neq; putruit, neq; sputo reiecta est, sed latus exulce-*

ulceratum fuerit à pituita affixa & bile. Et cum vlcus factum fuerit, reddet de se pus, & ex vicinis locis præ caliditate in seipso pituitam adducit, & hæc vbi computruit, pus spuitur.

SOLVTIONVM pleuritidis tres sunt modi: primus per coctionem & resolutionem: secundus per corruptionem & suffocationem: tertius per suppurationem. Primus fit, dum materia ex loco affecto resudans coquitur, & per screatum educitur. Secundus fit, vel cum non resudante materia locus affectus vi inflammationis deuictus corrumpitur, hos antiquiores, vt habet Hipp. lib. 1. reg. acu. tex. 35. vocabant syderatos, tum ob mortis celeritatem, tum quia latus in nonnullis post mortem aut nigrescit, aut liuescit, sicuti docet Gale. in com. vel si resudet, aut praua est, aut per sputum non excernitur, ex quo deinceps patiens suffocatur. Tertius fit, dum materiam peccantem natura in totum deuincere, aut superare nequit, nec tamen materia adeo est praua, vt mortem inferre queat, nec adeo coctioni rebellis, vt nullum ornatū admittat, quo tempore, & qua occasione certās natura de victoria, tandem eam deuincens illam suppurat, & in pus conuertit. Per primum modum patientes saluantur intra constitutionem morborum acutorum, nisi fiat crisis imperfecta, ex qua morbus decidat ea ordine simpliciter acutorum: per secundum pereunt intra dictam constitutionē, & multo citius quandoq;: per tertiū vel p longum tēpus pereunt tabescentes, vel per longū tempus liberātur in debito tēpore, id est, per quadraginta dies ab eruptione expurgari. De hoc vltimo solutionis modo nunc loquitur Hipp. dicens: quandoq; suppuratos fieri patientes ea pleuritide, cū pleuritis has habuerit cōditiones: prima, vt sit fortis, leues n. facile discutiuntur, ac facile resoluūtur: secunda, vt materia in loco cōculcata nō putrescat, id est, non cōcoquatur: p putredinem n. antiquiores sæpe coctionem audiebant, & significabant, putredinisq; ad coctionem tantā putabant esse analogiā, vt nonnulli existimauerint, alimentorū coctionem per putredinē fieri: tertia, vt nulla pars huius materiæ per sputū reiiciatur: si n. materia conculcata aut coqueretur à natura, aut ea reiicerētur, suppuratione quaq; succederet. Quartam ego addo ea li. 2. Prog. si nullum adsit exitiosum indicium, nam vbi tale quid adsit, si fortis sit inflāmatio, nec materia concoquatur, nec per sputū reiiciatur, nō suppuratio, sed mors expectanda erit. Quota a die de tali suppuratione coniectandum sit, statuit Hipp. lib. 5. aph. 8. dicēs: Quicunq; morbo laterali laborantes, in quatuordecim dieb. non repurgantur, ii ad suppurationem vertūtur. Quare transacta decimaquarta illis conditionib. præexistentib. [suppurari] pleuritidem iudicato: quando a. sit facta, ex his, quæ superius docuimus de suppurationum signis habeto; & quoniā ad factam suppurationē puris eruptio insequitur, tēpus eruptionis ex iisdē locis accipito. Verum, quoniam consequutiue ad suppurationē sequitur puris eruptio, ideo Hipp. hanc suppurationis formā conclusit per ea verba, sed latus exulceratum fuerit à pituita affixa, & bile, non q̃ à pituita & bile sub forma propria sit facta ea ulceratio, sed quia per bilem & pituitam materiam coniunctā intelligendo, materia coniuncta in pus conuersa partes circumstantes vi putredinis caedens, ac foras erumpens vlcerationem fecerit. Facta autem eruptione, & exulceratione inde pus procedit, tum ratione vlceris, q̃ ex tali occasione necessario purulentum euadit, tum ratione puris ex cauitate ea prodeuntis. Quæ duo cum partem affectam inficiant, & alterent calore præternaturali, sunt in caussa, vt ea ex vicinis locis maiorem excrementorum copiam attrahant, quæ excrementa ad purulentū locum attracta maiorem puris copiam adaugent, tum quoniā pus præcedēs excrementa eo loci attracta in propriam mutant naturam vi caloris præternaturalis in eo, & in circumstantib. partib. abundantis, tum quoniam hinc magis debilitata parte affecta, maior etiam excrementorum copia aggeneratur. Quoniam autē hic pleuritidis suppurantis casus est admodum difficilis, & non tutus, moneo medicos, vt primo, & præ omnib. conentur suppurationem præcauere, quib. autem præcauenda sit, alias scripsi: secundo, vt si suppuratio succedat, cognoscant, quando ea facta sit, & quando eius eruptio attendi debeat, vt pro ratione temporis conuenientia adhibeat medicamenta, vel suppurantia, vel suppurationē disrumpentia: tertia, vt facta eruptione omni ingenio tēṫent quam citissimam thoracis à pure expurgationem: hoc enim si diu moram in thorace trahat, putrescēns pulmonem exedet, morbumq; insanabilem pariet. Tempus autem, quo innoxie intra thoracem contineri, & per sputum expurgari potest, erit quadraginta dierum, vt decretum est ab Hipp. lib. 5. aph. 15. vltra hoc tempus vero tarda erunt medicamenta admota, & tarda vnaquæq; curationis forma.

32 *Aliquando vero etiam ex venis sanguis se in vlcus ingerit, & putrefactus pus fit.*

QVONIAM facta puris eruptione vlceratur membrana, hinc sequitur, vt dum in eo calor præter naturam plurimus abundat, quæ vel attrahuntur, vel fluunt ad locū affectū, omnia conuertantur in pus, attrahantur excremēta, quæ sub nomine pituitæ conclusit, quia hæc copiosior vi caloris præternaturalis attrahentis tū à thorace attrahitur, tum in eo abundātior cumulatur, fluit sanguis tū demandatus pro partiū circumstantium nutritione, tum erumpens ex venis apertis vlceris ratione. Vtraq; autē sc. & pituita, id est, excremēta attracta, & sanguis fluens ad pus in vlcere cōuertuntur, vbi putredinem conceperint. Putrescunt autem, dum à calore illo præter naturā deuincuntur, & regulantur. De primo dictum est in superiori textu, pituita attracta, vbi computruit, pus spuitur: de secundo dicitur in hoc textu, aliquando ex venis sanguis se in vlcus ingerit, & putrefactus pus fit.

33 *Hic si è vestigio assumatur, sanus plerunq; fit, si vero negligatur, perit.*

OMNES suppurati si statim, & rationabiliter curentur, plerunq; euadunt, quoniā cū nondū putre-

putredo & corruptio inualuerit, in pristinam sanitatem restitui possunt. Si vero hi negligantur, curatioq; vel mala, vel tarda administretur, pereunt: in illis incerta est sanitas, in his certissima est mors, quapropter in illis quamuis omnia cum ratione, & tempore conuenienti fiant, dubitandum est de salute, in his autem nulla cũ hęsitatione sumus certi de futura morte. Quę regula cum sit generalis, maxime verificatur in hac suppurationis specie, vbi ex pleuritide suppurante ac erumpente, fiat vlcus in membrana. Pro quo aduertendum est, quod in omni quidem suppurationis eruptione necessario pars suppurans vlceratur, alias exitus puri non daretur, nihilominus non omne vlcus ex suppuratione caussatum reddit casum insanabilem: etenim si hoc esset, omnis eruptio puris esset lethalis. Sed ex his vlceribus alia sunt salubria, alia lethalia. Illa sunt salubria, in quibus materia suppurata in totum deuicta est à natura, & in pus laudabile conuersa, & præter id, si debito tempore eruptionem faciat; huius ratio est, quoniam omnia in hoc casu regulantur à natura, & in his prædominatur calor insitus. Illa sunt lethalia, in quibus materia, quoniam, cum sit admodum praua, coctioni reluctetur, & in putredine malefica̅ acq̃uirat qualitatem, nõ perfecte est cocta, sed putrescens cum dominio caloris præter naturam eruptionem, & inde prauum vlcus inducit, quæ eruptio eum duplici tempore possit contingere, scil. vel intra constitutionem morborum acutorum, vel vltra, si eueniat intra, quoniam indicat ferociam putrescentis materiæ, intra terminum morborum acutorum pereunt ægrotantes, nisi multa bona & salubria simul adsint indicia, & quo citius apparet, eo velocior mors denunciatur: si autem ista eruptio accidat vltra terminum acutorum, pereunt quidem, sed multo tardius: per multum enim tempus marcescentes tandem vitam cum morte commutant: nonnunquam autem ad annum perueniunt, & raro quartum excedunt mensem. Hanc autem suppurationis & vlceris prauitatem volens significare Hipp. dicebat tex. 30. sed latus exulceratum fuerit à pituita affixa, & bile, non dixit à pure, quia hinc significare volebat materiam peccantem non in totum deuinctã à calore naturali, sed pro maiori parte reseruare propriam formam, & ideo dixit, vlcerari latus à pituita & bile, quæ reseruant propriam formam indicãt naturam quidem coctionem tentare, at materiam ob sui prauitatẽ reluctari, ex qua prauitate omnia mala accidentia superuenire queunt. Sed præcipue vlcus cacoethe, à quo postea mors ineuitabiliter succedat, loduci potest, qui casus differt ab eo. quẽ ipsemet Hipp. explicauit lib. 5. aph. 15. loquens de pleuritidis suppurantis eruptione, ac eiusdem expurgatione, hæc habens: Quicunq; ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur à die, qua fit eruptio, liberantur, si vero non, ad tabem transeunt. Nam ex diuturna puris in thorace mora illa pendet periculum erosionis pulmonis, ad quod tabes necessario subsequitur: at in præsenti casu periculum impendet ex membranæ ipsius vlcere cacoethe. Illa difficultas habet pro termino diem quadragesimum à puris eruptione: hoc primis diebus, & in ipsa puris eruptione apparere potest. Nam in huiusmodi casibus duplex est puris eruptio, altera ex loco prius inflammato, & postmodum suppurante in cauitatem fit thoracis: altera fit ex cauitate thoracis ad extra per tussim, quarum vtramq; diuersi sunt termini, & modi: quare sicut diuersi sunt, ita & diuersimode tractari, & distingui debent. Illud periculum per medici diligentiam, & per subsequentem purgationem tolli potest: hoc autem, nisi è vestigio curetur, euitari nequit. Illud per sputum prouocantia, & thoracẽ lenientia, & putredini reluctantia longo temporis spatio curari potest: hoc autem præcipua vstione curatur, hacq; dimissa, nullus fortan euadit, in qua administranda, nec prætermittenda sunt ea, quæ vlcus detergere, exiccare, & pus educere apta sunt, nec vstio ipsa est procrastinanda. Hæc autem curatio intelligatur de his vlceribus, quæ vltra morborum acutorum constitutionem fiant, non de illis, quæ intra terminum acutorum eueniunt, quoniam in his ob morbi acuriem, & febris acutæ præsentiam vstio nec recte administrari, nec proficere potest: in illis autem morbo ex acutis decedente, & febre inde remissa patientes tale medicamenti genus tolerare possunt, à tolerantia autem vtilitas expectari potest.

34 *Fiunt præterea suppurati etiam, si pituita de capite delapsa ad latus agglutinata fuerit, & putruerit: tunc enim latus vtplurimum inflammatur, & patitur eadem, quæ ex pleuritide suppuratus.*

Duplici vis materià cerebro destillans potest in thoracem descendere: altera cum ex propriis meatibus excreationi excrementorum demandatis effluens per trachæam arteriam recipitur: altera, cum per venas, sicuti ad alias omnes corporis inferiores partes quandoq; per has destillat, ad ipsum dilabitur. Cum primo modo descendit, duas suppurationis species, de quibus iam actũ est, inducere potest, primam ex pulmone, dum intra vasa pulmonis retinetur, alteram ex thorace, dum in eius cauitate colligitur: cum autem secundo modo, tertiam aliam inferre potest, dum per venas diffluens ad latus agglutinatur, & agglutinata ibidem putrescit. Agglutinatur ad latus, cum vel ad dextram, vel ad sinistram thoracis partem recipitur, ibiq; adhærens retinetur, non quod in pleura ipsa recipiatur, quoniam eo casu pleuritis foret, de qua iam actum est; sed quia vel intra pleuram, ac reliquas thoracis partes adhæreat, & firmetur, vel quia vltra hoc etiam eius portio in intermedio costarum, & intra spatia musculorum intercostalium colligatur, ibiq; inhæreat. Materia hæc in dictis partibus destillata & fixa, solet dolores diuturnos excitare, primo quidem sine febre, quoniam materia est frigida, & à principio non putrescit. Demũ autem, cum ex diuturna conculcatione, nisi ea prius resolutione discutiatur, putrescat, vna etiam cũ febre, quę febris succedens solet præbere formam pleu-

pleuriddis, cum tamen nequaquam existat pleurita, non existente affecta per se, sed compatiēte ad putredinem illius materiæ, vnde si pleuritis dicenda foret, notha diceretur. Febre autem hac perseuerante, dolor simul perseuerat, & simul latus inflammatum videtur, non quod vera sit inflammatio, quoniam materia in cauitatibus illis, quæ intermediant partes illas, nō in porositatibus membrorum recepta est, sed quia ex putredine aucta febre totum latus incalescit admodum, & inde inflammatum apparet. Quæ materia si non discutiatur, tandem suppuratur, ad suppurationem autem factam succedūt omnia ea, quę in suppurāte pleuritide superuenire dicta sunt. Fit enim hinc pariter puris eruptio, & in eruptione puris, si materia non in totum deuicta à natura, prauitatem & maleficā retineat naturā, exulceratue latus vlcere cacoethe, & prauo, ad quod insanabilis succedit affectus: si autem materia vere deuicta, & in pus laudabile conuersa fuerit, vlcus salubre quidem, & non cacoethe erit, verum pus, quod in cauitatem thoracis erumpit, per quadraginta dies integre expurgari debet, alias patiens ad tabem transit. Qua de re in eiuscemodi easib. diligens sit medicus: nam si hæc præuiderit, facile poterit patientem à suppuratione præseruate; quod si hoc nequeat, saltem tentet vstione malignitatem vlceris deuincere, vt quantū fieri possit, ægrotantem viuere promittat. Hanc autem tertiam suppurationis ex thorace speciem, quam ex pituita à capite delapsa, & lateri agglutinata fieri monet Hipp. obseruaui ego ab alia causa sæpius, quam à materia à cerebro destillante causari: nam vidi hoc in pluribus contigisse mulieribus ob menses suppressos, vel saltem imminutos, qui ad partes superiores tepentes, thoracisque aliquod latus occupantes, primum dolorem diuturnum in eo excitarunt, postmodū putrescentes eas suppuratas reddiderunt, vnde & puris sputum, ac phthisis tandem successit. Hoc ea ratione est factum, quoniam thoraci cum vtero maximus est consensus ob venarum communionem, quæ de mammis descendentes per musculos rectos abdominis committuntur cum ascendentibus ex vtero, cuius communionis sępius meminit Gal. & Hipp. præcipue autem hoc notatum est lib. 2. epid. sect. 1. 11. Cum igitur tantus, & tam manifestus inter prædictas partes adsit consensus, non sit mirum vel imminutis, vel suppressis mensibus, materiam recurrere ad aliquod thoracis latus, quo in loco residens & inhærens, primo ratione doloris affligat, demum autem ibi diutius detenta putrescat, putrescens autem & febres, & inflammationes, & ardores earum partium inducat, & tandem suppurationem pariat, à qua puris sputum, & phthisim, nunquam sublato in totum dolore, quandoque successisse vidi. Hanc autem suppurationis & phthisis speciem non cito terminari, sed per annos quādoque perseuerasse obseruaui, hasque omnes ex hisce morbis periisse noui, nisi vel à principio ex arte recte curatæ, vel naturæ beneficio ob copiosam menstruorum eruptionem ab his vindicatæ fuerint, quę curatio vel medica, vel naturæ beneficio patrata, nisi moliatur, antequam tabes, ac phthisis, quæ ex vlcere ob puris maleficentiam causatur, facta sit, postea in callum, nulloque cum adiumento superuenit, in hisque nullum aliud mortem procrastinare, quam vstionis remedium potest. De hac suppurationis specie lib. 2. de morbis muliebribus n. 21. hæc habentur: si vteri ad latera, id est, si menses, qui per vterum purgari debent, allapsi fuerint, tussis obtinet, & dolor sub latus, quibus nōnulla alia adduntur signa, non ita experientiæ correspondentia, morbum tamen hunc adeo grauem esse censet, vt etiam curatus vix queat sanari, in fine his additis, morbus hic vehemens est, ac lethalis, & paucæ etiam si sic curentur, effugiunt. Hoc animaduertant medici, ne in huius morbi curatione negligentes existant, periculum enim ingens hinc imminet. Quoniam autem dixi hinc suppuratas & phthisicas euadere mulieres, & quoniam aliud circa tempus, quo phthisis eas inuadit, obseruaui, hoc idem notare volo, cum sententia ac decreto Hipp. confirmari non videatur. Scripserat enim Hipp. lib. 5. aph. 9. tabem fieri maxime à decimo octauo anno vsque ad trigesimum quintum, attamen omnes fere mulieres, quas phthisicas euasisse hac ratione cognoui, annum vltra quadragesimum agebant, quod experimentum tamen Hipp. forsan non aduersatur, cum ipse in lib. apho. loquatur de tabe, quæ vel ex sanguinis sputo, vel ex destillatione praua, vel etiam mala concurrente thoracis formatione superueniant: tales autem solent contingere, dum sanguis calidior existit, & ætas vel in summo est vigore, vel ad vigorem accedit, at ea, de qua ego in præsenti verba facio, cum ex diminutione, vel ex suppressione mensium, & præcipue eorum, qui sint pituitosiores, contingat, non in vigente ætate, & quando calidior abundat sanguis, sed in declinanti, & quando sanguinis calor remittitur, rationabiliter contingere videtur: quare non sit mirum, si hæc in declinanti ætate, illa autem ab adolescentia ad iuuentutis perfectionem fieri consueuerit. At occasione huius suppurationis & tabis animaduerto, aliam accidere posse simili ratione, cum non ad latera thoracis, sed in pulmonem ipsum menses retenti procedūt, non secundam suppurationis speciem ex thorace, sed primam ex pulmone causantis, de qua agens author libr. prim. de morb. mulieb. dicebat: quibusdam mulieribus menses bimestres in vtero existentes multi ad pulmonem procedunt, & vbi recepti fuerint, omnia patiuntur, quæ in tabe dicta sunt, & non est possibile ipsam superesse; quæ sententia clara quidem est, quoad mensium in pulmonis raptum, & quoad successum inde emergentem, cum manifeste asserat, hinc mulieres tabidas fieri, nec ex his superesse posse, attamen examinanda veniunt & verba & sensus. Quoad verba, illa dictio, bimestris, duplicem potest habere sensum: primū quod per duos menses hi retenti in vtero quibusdam mulieribus procedant in pulmonem, & inde accidentia tabidorum inducant, mortemque tandem inferant: alterum, quod menstrua retenta, vbi procedant ad pulmonem per duos menses, &

in eo recipiantur, tabem & mortem patientium causent. At neuter sensus mihi experientia comprobatur: obseruaui enim alias mulieres non tantum secundo mense, sed & primo hunc raptum mensium ad pulmonem habuisse: alias autem non tantum per duos menses, sed etiam per multo plures hoc idem passas esse, quæ tamen nequaquam aut suppuratæ, aut tabidæ euaserunt: alias autem quæ aut ex primo, aut secundo, aut tertio, aut vlteriori motu harum materierum ad pulmonem suppuratæ, ac tabidę factæ fuerint. Quare experientia clare testatur, fieri quidem quandoq; hunc raptum mensium ad pulmonem, nam plures mulieres hunc tempore mensium naturali ex pulmone per tussim excreant proportionatam mensibus sanguinis quantitatem, & hoc non singulo, sed pluribus ordinatis mensibus, veruntamen non attestatur has omnes suppuratas aut tabidas fieri: etenim vidi ego multas, quæ non tantum per menses, sed etiam per annos hunc euacuationis modum innoxie tolerarunt, alias vero noui, quæ cito ex tali euacuatione periclitantes suppuratæ & tabidæ euaserunt. Diuersitatem huius euentus obseruaui contingere cum ex diuersitate sanguinis, tum ex diuersitate habitus. Illas mulieres, quæ benigniorem aggregant sanguinem, quæque habitus sunt laudabilis, innoxie hanc euacuationem tolerare animaduerti: illas autem, quæ prauum sanguinem colligunt, quæque habitus sunt calidioris, aut mali succi, vel malam habent thoracis formationem, non diu tolerare hunc motum, sed cito suppurari, ac tabescere noui. Quare Hipp. sententia verificatur in his, non in illis, quoad successum, quo autem ad tempus, nequaquam, cum non tantum bimestres, sed & quæ prius, & quæ posterius hoc patiuntur, in has passiones incidere queant. Addit tamen Hip. conditionem aduertendam, cum inquit: & vbi recepti fuerint, quasi dicat, si hi menses in pulmonem procedant, in eoq; recipiantur & firmentur, succedit tabes & mors: ac si diceret, menses fluentes in pulmonem, si in eo recipiantur, nec statim educantur, ibi ex ebullitione putrescentes suppurationem, & tabem inducunt: in quo sensu verissima est Hipp. sententia. Nam si per duos menses menstrua intra pulmonem recipiantur, nec ex eo educantur, necessario in eo putrescentes suppurationem, & tabem causabunt: at cum educuntur vel rupta, vel aperta aliqua pulmonis vena, non necessario aut suppuratio, aut tabes subsequetur, nisi vel sanguinis adsit prauitas, vel malus sit habitus, aut mala existat, qualem receperunt qui natiuam ab ortu contraxere tabem, thoracis formatio. Casus autẽ qualiscunque existat, aduertendus est, vt opportune agnoscant medici, quib. sit reluctandum, dum salutis est tempus, ac locus: his enim transactis omnia in cassum tentabuntur. Locus autem, & tempus salutis est, dum nondum tabidæ factæ sunt, quo tempore prouocatis mensibus, & ad cursum naturalem deductis à thorace ad vterum diuersione facta saluari possunt, deinceps autem nequaquam.

35 *Fiunt & cum præ labore, aut exercitiis, aut alio quopiam modo, vena ante, aut retro fuerit rupta, & sic rupta, vt non statim spuatur sanguis.*

QVEMADMODVM pulmonis vasa duplicem solutionis continui speciem patiuntur: alteram manifestam per ruptionem, cum aut inciduntur, aut aperiuntur, aut exeduntur: alteram immanifestam per diuulsionem, cum varicosæ & extuberantes redduntur: ita & thoracis vasa interna pariter his duobus solutionum modis obnoxia sunt, cum alias abrumpantur, alias diuellantur. Per ruptionem horum sanguis statim in thoracis cauitatem effunditur, & inde sputum cruentum è vestigio succedit: per diuulsionem autem, licet tunicæ hinc lacerentur, & auellantur à propria sede, ac extuberent ob earum compaginem dilaniatam, non fit sanguinis subita in thoracem effusio, sed non sanato affectu adeo languent, & corrumpuntur, vt in posterum tempore procedente sanguinis & puris subsequatur excretio. Quoniam autem hinc sępissime, & fere necessario succedit puris sputum, & inde etiam tabes, ideo de hac vasorum pectoris diuulsione meminit Hipp. inter causas suppurationum ex thorace succedentium. Non loquutus est autem de ruptione, quoniam creberrime vasa hæc rumpuntur, nulla subsequente inde læsione. Nam cum ex causis internis aperiantur vel à copia, vel à caliditate sanguinis, vt fit in pleroricis, & recurrẽtibus mensibus ad superiora, dum motus hic regulatur à natura, facta conuenienti euacuatione, sistitur per se, nullumque inde periculum ratione vasis succedit, quoniam vt in fluxione sanguinis per nares, aut per vterum vasa illa per se adstringuntur, nec quid inde patiuntur, dum fluxio illa à natura regulatur, ac regitur, pariter in hac contingit eruptione, in qua si quid discriminis impendet, hoc solum est ex parte sanguinis fluxi, qui è thorace educendus est, alias vel ibi grumescens multorum prauorum symptomatum in causa erit, vel putrescens pulmones & circumstantes partes inficiet, tandemque suppurationem, ac tabem inducet, ve patitratione quaodoq; diximus fieri ex sanguine à capite in thoracem defluente, ibidemq; permanẽte, ac putrescente. Si vero hic motus à natura non regulatur, nec vasa clauduntur, nec sanguinis eruptio sistitur, vnde periculum summum impendet, non ex affectu vasis, sed ex nimio sanguinis fluore, cum hic superfluens inducere aptus sit vel ex copia suffocationem, dum in thorace copiosus fluat, ibidemque retineatur, vel virium resolutionem, dum copiosior educatur, ac excreetur, quod cum molestissima fit tussi tum ad maiorem vasis laniationem, tum ad maiorem virium resolutionem aptissima, cuius ratione non recensetur ab Hipp. vasorum thoracis ruptura inter suppurationis causas. At si hæc de vasibus thoracis verificatur, cur non idem de pulmonis vasibus censendum est, quorum tamen ruptionem inter suppurationum species memorabat Hipp. quoniam venæ pulmonum sunt laxiores, molliores,

&in

& in substantia corruptioni, & putredini magis obnoxia: at venæ thoracis sunt solidiores, duriores, & in substantia corruptioni, & putredini reluctante, nam omnes thoracis partes sunt temperatura quã pulmonis sicciores. Quapropter iure merito à causis suppurationum thoracis Hip. ablegauit ruptionem vasorum eius, solum autem meminit de eorũ diuulsione, ac immanifesta cõtinuitatis solutione, quoniam (vt dictum est) hinc facillime & creberrime suppuratio & tabes succedit. Sed cũ de hac vasorum pectoris diuulsione superius text. 21. egerit Hipp. cur de ea nunc repetit, bisq; de ea sermonem facit? Num de eodem casu in angusto opere bis à summo viro eadem tractari licet? Nequaquam idẽ est hic casus cũ superiori, ibi n. loquebatur de partibus thoracis lateralib. hic de anteriorib. & posteriorib. affectus illarum partium affectus laterum dicuntur: harum autẽ non laterũ, sed pectoris appellantur, tantaq; est harũ differentia, vt hanc diuersitatẽ Hip. diligentissime (q̃ non animaduertit Gal.) obseruauerit distinguẽs laterũ affectus ab affectib. pectoris. Vnde lib. 3. aph. 5. in secunda aphorismi parte dicebat: At si aquilonia fuerit, tussis, fauces, alui duræ, difficultatis vrinæ, horrores, costarum dolores, & pectoris. Ecce quo pacto hoc distinguit, cum illos costarum, hos pectoris dolores vocaret. Hãc eandem distinctionem habemus eodẽ li. aph. 23. in quo morbos hyemales recẽsens, vltra morbũ lateralẽ, paulo infra numerabat dolores pectoris, & laterũ, innuens aliũ esse dolorẽ pectoris, alium dolorem in latere. Hoc idem habetur lib. 6. aph. 5. quo in loco monens aduertendũ esse dolorum differentiã in partib. dolentib. dicebat harũ duarum partium affectus inter se distinguens, dolores, qui sunt in laterib. & pectorib. Nam cũ afficiuntur partes thoracis dextræ, vel sinistræ, proprie dicuntur laterũ, non pectoris affectus: cum autem anteriores, aut posteriores, potissimũ autem anteriores, non laterũ, sed pectoris affectus appellãtur, quã sermonis proprietatẽ sicuti obseruauit antiquitas, ita obseruat ætas nostra, cum homines, dũ sinistra, aut dextra thoracis parte dolent, dicunt se latere, aut costis dolere, dum autẽ in parte anteriori dolore infestantur, pectore dolere se dicunt, quã eandẽ loquendi proprietatem hoc in loco diligentissime obseruans Hipp. cũ de diuulsione vasorum in thoracis laterib. contingentiũ prius egisset, hoc in eodem loco de diuulsione eorundem in partib. vel posteriorib. vel anteriorib. euenientium, tanq̃ de altero, & diuerso affectu pertractare intendit. Diuersitas hæc ex diuersitate loci causatur: nam partes laterales sunt magis excarnes, & tenuiores, & vasa exiliora possident: partes autẽ anteriores, & posteriores sunt magis carnosę, & venas habent maiores, potissimum quæ sunt ad dorsum, copiaq; inest ligamentorum, tum ad spinam, tum ad sternon ex copia membranarum, quæ ibidem duplicatæ sunt, thoracem discriminantes, & colligantes.

36 *Sed in carne acutus tractus, siue varix fiat, & caro tracta, ac conuulsa humiditatem modicam traxerit, & sublimida facta fuerit.*

QVOMODO fiat venarum diuulsio, & quæ eius sint causæ, iam explicatum est: quare non est, quod hic de iisdem repetam, hoc tantum dico, sc. Hipp. hanc diuulsionẽ hoc in loco rupturam venæ appellasse, non quia manifeste sit rupta, quoniã tunc statim sanguinis fieret eruptiõ, sed quia rupta quidem est, quoniam eius continuitas ex violentiã illata fuit dilaniata & lacerata, nõ tamen manifeste, nec sensibiliter, & ideo subiungebat: & sic rupta, vt non statim spuatur sanguis. Nam cum eius compaginatio, & formatio non sit omnimode dissoluta, nec sanguis ex ea erumpere potest: si autem ad hãc non omnimodam dissolutionem sequatur tractus in carne, ita vt ex hac distractione vena extuberet, & tanquam varix euadat, fieri nequit, quin partes carnosæ, quibus vena adnascitur, simul etiam distrahantur, & diuellantur, ex quo laxata & carne, & vena omnia eã humescunt, & liuescunt: humescunt quidem, quoniã compagine dissoluta ichores subingrediuntur omnes porositates nimium ex violentia laxatas, & inde corruptioni & putredini disponuntur: liuescunt autem ob sanguinem extrauenatum ex violentia, & subingredientem dissolutas, & distractas partes, in quibus postea necessario liuescit, quem liuorem rationabiliter adesse coniectatur Hipp. non quod sensu, aut visu percipi queat, sed analogia ab echymomate, & ab aliis similibus affectibus sumpta. Liuor autem iste, & partium laxatio, & humiditas superueniens omnino suppurationem imminere arguunt.

37 *Et statim quidem sic affectus non percipit præ robore, ac bona habitudine, aut si etiam sentit, nihil molesti esse putat.*

IN hac venæ ac carnis diuulsione non tanta adest sensibilis læsio, vt hinc patientes ęgre habeant, vel inde decumbant, non enim dolore, aut aliquo alio graui symptomate cruciantur, sed vel nullam fere læsionem sentiunt prę robore robusti, & præ bona habitudine, qui ægrotare non cõsueuerunt, vel si quid mali sentiunt, nihili enim pendent, cum nihil periculi hinc imminere censeant. At quæ discernere nequeunt patientes, discernant medici, & futurum periculum tum præsagiant, tum præcaueant.

38 *Hic vbi deprehenderit, cum iam præ febribus, aut potu, aut venere, aut aliqua alia re correptus, fuerit attenuatus, caro sauciata subresiccatur, & subcalescit, & humiditatem in seipsam à vicinis, tum venis, tum carnibus trahit.*

QVID ad diuulsionem venarum in parte tam anteriori, quam posteriori thoracis succedat, longo sermone Hipp. exactissime docet, per hæc eadem, quæ ad earum, quæ in lateralibus partibus constitutæ sunt, similem diuulsionem subsequantur, docere intendens. Similis enim est casus, similis affectio, similisq; in totum successus, licet ex parte loci sit aliqua diuersitas. Nam in partibus lateralibus magis manifestum de se indicium præbent, cum in eis omnis causa morbifica dolorem inducens magis elucescat & propaletur: in anteriori-

rioribus autem, & posterioribus minus manifestetur, & vix sentiatur; vnde eadem causa & idem affectus, qui vtrisq; his partibus sit æquali analogia communis, semper in laterali magis, quam in anteriori, & posteriori erit sensiriuus, & magis molestus, minorem autem sensationem, & minorem molestiam inferet in parte anteriori & posteriori, cum partes thoracis aut anteriores aut posteriores semper habeant in respectu eiusdem læsionis, quæ fiat in lateribus, minorem sensationem. Vnde cum parum sensibilis sequatur læsio ex diuulsione venarum lateralium pectoris, sequitur vt ex pari diuulsione venarum vel anteriorum, vel posteriorum vix, aut nullo modo læsio sequatur; quæ læsio cum ab initio sit adeo minima, non sit mirum, si robusti, & qui bono habitu præditi sunt, iam nequaquam sentiant, vel si quid sentiant, nihil periculosi adesse existiment: quod tamen periculum temporis processu propalatur, ipsi que patientes illud deprehendunt, cum ob aliquam præcedentem causam, qualis est aut in potu, aut in venere, aut in alia ex rebus non naturalibus, excessus & inordinatio ac intempestiuitas, febribus corripi einciantur; non enim febris ex simplici illa præcedenti causa pendens potest tam celerem, aut tantam corporis attenuationem inducere, nisi ad eam interior causa corporis dispositionem submiuistrasset. Eiusmodi autem dispositio hinc pendet, quoniam caro illa ex diuulsione sauciata & dilaniata, cum inde nutrimentum sibi proportionatum attrahere non sit apta, substantialiter resiccatur, ob affectionem autem & violentiam, quam passa est, subcalescit, cum quoquo pacto hinc inflammetur, indeq; humiditatem excrementitiam, & nutritioni improportionatam à vicinis cum venis, tum carnibus trahit, cuius ratione fit, vt pars affecta humorem extraneum in se contineat, à quo continue alterata simul ob viciniam cordis infectionem vniuerso impartiur corpori, cuius merito succedit, vt ex vnaquaque occasione, maxime autem febrili, vltra quam deceat, extenuetur ac emacietur.

39 *Vbi autem attraxerit, intumescit, & inflammatur, & dolorem exhibet tenuem, & tussim raram & siccam primum, deinde adhuc magis trahit in seipsam, & dolorem inducit vehementiorem, & tussim frequentiorem.*

SYMPTOMATA insequentia naturam morbi à principio solent esse leuiora, augescente autem morbo fiunt maiora, circa principia enim (dicebat Hipp.) omnia sunt imbecilliora. Vnde nõ sit mirum, si facta ob diuulsionem venarum carnis laceratione, caro lacerata ex violenta dilaniatione aliquo pacto incalescat, & inde humiditates extraneas ex circumstantibus partibus, à quibus intumescens tandem inflammetur, attrahat: inflammatione autem facta doleat quidem, sed non multum, cum non multum etiam inflammatio & affectus; sit auctus, & simul etiam tussim siccam, quoniam nondum quod ex loco affecto resudat, pariat. At vbi morbus protrahitur, & vbi magis incalescit, magis etiam pars affecta à circumuicinis attrahit: maiore vero facta attractione, maior fit inflammatio, & ex maiori inflammatione maior succedit dolor, & maior etiam irritatio ad tussiendum, vnde frequentius tussiunt: hoc autem euenit, cum quoniam inflammatio aucta vias spiritus magis lædit, tum quoniam tunc incipit resudatio materiei in parte sauciata & lacerata contentæ. Ex huiusmodi autem resudatione quale sputum succedat, declarat, dicens:

40 *Et primum quidem subpurulentum spuit, aliquando vero liquidum, & subcruentum. Et quanto magis tempus progreditur, amplius in seipsum trahit, ac putrefacit, & de ipsa carne, quantum ab initio liuidum erat, hoc pus fit, & dolorem acutum exhibet, & febrem, & tussim multam, ac frequentem, & per sputum syncerum pus spuit.*

PROCADENTE morbo, & augescente inflammatione ob dilaniationem carnis ex venarum diuulsione causata, tandem ex parte illa affecta incipit resudare excrementum redolens, & significans illius partis affectionem: quoniam enim ex dilaniatione, laceratione, inflammatione, & extraneæ humiditatis attractione, incipit pars affecta suppurari, ideo etiam incipit resudare, & inde excreare sputum suppurationem incipientem attestans. Tale autem est vel subpurulentum, cum suppuratio acceleratur, vel liquidum & subcruentum, cum tardat ob materiei fluxæ ac sanguineæ cruditatem; quanto autem magis intenditur suppuratio, tanto maior ex præternaturali calore aucto & abundante fit attractio à partibus circumstantib. vnde coaculatione humorum fluxorum sucta, & calore præter naturam subabundante, nec discuti, nec resolui affectus potest, sed ex necessitate putredo & suppuratio subsequitur, cuius merito fit, vt quantum carnis ex hac laceratione, & dilaniatione male affectum erat, & liuidum ex violentia esse cõiectandum erit, id totum suppuret & putrescat, quo tempore dolor acutus (nam dum pus conficitur, dolores magis vrgent, & febres inualescunt) vna cum febre mag. affligit, simulq; tussim multam & frequentem, id est, vehementem, & crebrã patiuntur ægrotantes, quoniam tunc temporis tumore aucto magis angustiantur viæ spiritus, & ex eodem tumore maior materiæ copia resudat, ex quo tandem facta integra suppuratione, tussi molestante & irritante, pusq; tunicas exedente, fit puris eruptio, & inde pus syncerum excreare incipiunt.

41 *Si vero pus in ventre moram traxerit, totum corpus ab ipso calescit, maxime autem vicinissimæ partes.*

FACTA puris eruptione, si pus in ventre, supple, superiore (nam de hoc verba facit, in hocque fit puris eruptio, cum ex illis partib. in solum thoracẽ possit erũpere) morã traxerit, nec inde excernatur, hinc totũ corpus incalescit ob supinductã

febrem

febrem pendentem ex vicinia cordis, ad quod vapores illius materiei contentæ putridi statim exhalant. Quamuis autem totum corpus ab hac febre incalescat, tamen viciniffimæ partes caliditatem maiorem percipiunt ob materiæ præsentiam & vicinitatem, quæ caliditas superfluens in illis visceribus maioris mali est etiam in causa, quoniam ex aucta caliditate, & mora diuturna pus prauã (vt superius declaratum est) concipit qualitatem, indeq; pulmo in putrescentiam, & corruptionem trahitur. Hæc autem caliditas superfluens, ac febris ista ex hac puris in thorace mora pendens, non est eiusdem naturæ cum ea, quæ, dum fieret suppuratio, aderat: illa enim naturam putridæ febris insequebatur, quoniam ex putredine, & ebullitione materiæ in loco affecto conculcatæ pendebat: hæc autem naturam hecticæ seruat, cum vniformem habeat speciem pendentem à sola viscerum in thorace contentorum, præcipue autem cordis alteratione facta à vaporibus putridis ex materia in cauitate contenta, non in aliquo loco particulari conculcata.

41 *Calescente autem corpore humiditas maxime eliquatur. Et quæ quidem in supernis partibus eliquatur, in supernum ventriculum maxime confluit, & pus fit, ad hoc, quod tam in ipso est: pars vero eius etiam in inferiorem ventriculum fluit, & quandoq; aluus ab ipsa turbatur, & hominem perimit: nam cibi ingesti secedunt incocti, & alimentum ab ipsis corpori non accedit.*

CVm febres huius conditionis, & quæ naturam hecticarum sequuntur, corpus humanum apprehendunt, quascunque facultates labefactant, hinc corpus emaciatur & extenuatur, simulq; copia excrementorum abundat. Nam illud ob alimenti penuriam (nec enim bona, aut laudabilis fit eius coctio, nec attractio, nec assimilatio) substantifice exiccatur: excrementa autem copiosa abundant, quoniã ex incoctione, ex cruditate, & ex mala nutritione plurima excrementa aggregantur, & superfluunt. Hanc excrementorum copiosam generationem non ex parte alimenti, quoniam in his ex optimis quoq; alimentis multa superfluunt excrementa, sed ex parte corporis, nutriẽdi quidem, sed non nutriti, animaduertens Hipp. eam nominauit eliquationem. Nam sicuti in colliquatione partium soliditas extenuatur vna cum copia excrementorum humidorum, pariter in hoc casu partes solidæ deperdita humiditate torida extenuãtur, & simul copia excrementi humidi ex facultatum naturalium languore aggeneratur. Calescente igitur, inquit Hipp. corpore, humiditas eliquatur, id est, accensa hac hectica febre humiditas eliquatur non naturalis, quia hæc ob imminutionem nutritionis deperditur, sed præternaturalis, quæ est excrementitia, & quæ ob languorem facultatum naturalium superabundat. Hæc autem excrementitia humiditas, si in vlla corporis parte aggeneratur, & abundat, præcipue in cerebro hoc habet, tum ex natura, tum ex situ eius, ex quibus habet, quemadmodum superius declaraui, vt ex minima læsione multa sit aptum generare excrementa. Cum autẽ ex febribus hisce vna cum reliquo corpore cerebrum etiam valde patiatur, hinc plura in eo gignũtur excrementa, quæ destillantia ad partes inferiores, partim per asperam arteriam in thoracem repunt, partim per æsophagum ad ventriculum & intestina descendunt, illa defluentia in thoracem admixta purulentæ materiæ in eo existenti, simul cum illa putrescunt, cum id, quod à putrido tangitur, putridum quoq; euadat. Hæc autem in ventriculum recepta coctiones turbant, cruditates pariunt, ventriculum labefactant, & tandem excitata diarrhæa hominem perimunt. Nam hinc vires languent, & in totum resoluuntur duabus ex causis, quarum prima est, quoniam hinc cibi incocti secedunt, altera est, quoniam ex cibis ingestis (antequam enim concoquantur, secedunt) debitum corpori alimentum non subministratur.

43 *Et sputi sursum purgatio non æqualis contingit, aluo nimirum calefacta, & omnia deorsum trahente in seipsam, & à sputo quidem suffocatur, & stertit, dum non purgatur: à ventre vero fluente debilitatur, & plerunque perimitur.*

IN istis suppuratis mors ex virium imbecillitate succedere solet, cuius causa præcipua est mala nutritio, hancauget fluxus alui supereueniens. Hac autem aucta vis animalis languet, qua languente patientes ad excreationem impotentes redduntur, quapropter sputum retinetur: hoc retentum vias spiritus opplens, & obstruens suffocat, & in suffocatione stertorem inducit, quę suffocatio inde quoq; angetur, quoniam aluus omnia deorsum tum ex calore ob destillantem materiam concepto, tum ex raptu materiæ ad inferiora trahit. Si autem omnia deorsum repunt, attrahuntur, sputum sursum excerni non potest: vnde non facta purgatione æquali, id est, quę correspondeat quantitati materiæ contentæ, succedit suffocatio, & mors.

44 *In huiusmodi autem morbis hunc fluxum maxime exhibet caput, vtpote, quod cauum est, & superne situm. Cum enim ab aluo fuerit calefactum, tenuissimam pituitam de corpore in seipsum trahit. Vbi vero hæc in ipsum fuerit collecta, reddit rursum aceruatam, & crassam, velut dictum est, & pars quidem ipsius in supernum ventriculum defluit, pars vero in infernum.*

QVæ sit fluxionis alui in hisce suppurationib: causa, magis exacte per hæc declarare intendit, docens: cerebrum esse illud membrum, quod ad partes inferiores, sc. vel in thoracem, vel in ventriculum, excrementa pituitosa demandat, quæ in eisdem locis recepta vel suffocationem, vel diarrhæam pariunt. Cerebrum autem hæc demandat, quia in eo facillime talia excrementa aggenerantur, tum ob propriam ex natura insita imbecillitatem, cum sit membrum feminale ex innata tem-

perie frigidum, tum ob situm, & formam, cum sit supra reliquum corpus situatum, & figura cauum existat, cuius merito aptum est ab inferiorib. plura recipere, sc. tum materiam, tum euaporationes. Quæ recipit ab inferioribus, tenuia sunt essentię, & ideo dixit, caput de reliquo corpore tenuissimam pituitam trahere: hæc autem in eo recepta, dum in ipso alterantur, incrassantur, incrassata vero deorsum mittuntur, & si vires fuerint languidæ, & imbecilles, quales solent esse in suppuratis, cum diutius laborauerint, aceruatim etiam demittuntur, quæ aceruatim demissa in corpore debili quid aliud causare possunt, quam suffocationem, si defluant per asperam arteriam in thoracem, & fluxum alui, si per æsophagum in ventriculum, & in intestina transmittantur? quare hinc eorum vltimus vitæ status ac terminus pendebit.

45 *Cum igitur caput fluere inceperit, & reliquum corpus colliquari, non amplius æqualiter, ne vsti quidem superstites euadunt. Superant enim supra pus influentia mala ea, quæ defluunt, & carnes liquescunt magis à malis, quam nutriantur ab ingestis.*

HÆc sententia tria continet annotatione digna: primum ad prognosticum pertinet, secundum ad curationem, tertium ad tempus curandi spectat. Prognosticum tale est, quod incipiente destillationis descensu à cerebro, & colliquescere corpore, id est, dū extenuatur & emaciatur corpus, non æqualiter, id est, affatim, & nō ex ꝓportione temporis, casus est desperatus, nullam recipiens curationem. Curatio, quæ huic morbo debetur, vnica est per vstionem, cuius merito nullius alterius præsidii meminit. Vstionis autem tempus est, vt statim manifesta suppuratione, antequam destillatio fluere, & corpus extenuari, & emaciari inceperit, administretur. Nam si destillatione instante, & corpore iam emaciato administretur, in cassum adhibebitur, quoniam tunc temporis fluēs destillatio auget puris copiam, & corpus extenuatum magis progreditur in extenuatione ob mala, quæ superuenerunt, quam quod nutriri per cibaria assumpta queat, cum per destillationem turbētur in ventriculo, & hinc male concoquantur, vnde nutritio defraudatur.

46 *Qui vero huiusmodi morbos habent, partim ab his pereunt, partim diutius tempus extrahunt. Differt enim corpus à corpore, & ætas ab ætate, & affectio ab affectione, & tempus à tempore, in quo ægrotarint, & aliqui tolerantiam maiorem in morbis habent, alii omnino ad tolerandum impotentes sunt.*

DECLARATA mortis necessitate in his, qui suppurati debito tempore, vel sectione, vel vstione, prout status morbi requirit, non curantur, reliquum erat determinare moriendi tempus, scil. an cito, an tarde hi perituri sint, & an per septimanas, an per menses, an per annos mortis terminus limitari, & circumscribi debeat, quod nunc declarare intendens Hipp. censet, huius rei incertum esse terminum, & qui nequaquam terminari certo possit, cum ex eodem suppurationis genere alios videamus breui perire, alios diutius vitam prorogare, qui non tantum ad menses, verum quoq; ad annum, aut ad annos nonnunquam perdurant. Huius incertitudinis & variationis (inquit) ea est ratio, quoniam corpus à corpore, ætas ab ætate, affectio ab affectione, tempus à tempore differt, & pariter quoniam aliqui laborum & symptomatum sunt magis tolerantes, alii autem ad hæc toleranda sunt impotentes, ac inhabiles. Corpus à corpore differt vel ex temperamento, vel ex compositione, vel ex sexu, vel ex ætate, vel ex genere alimenti, vel ex viuendi ratione, vel ex loci habitatione. Ex temperamento differt corpus à corpore, quia hoc est frigidum, illud calidum, hoc siccum, illud humidum à prædominio, vel hoc frigidum & siccum, illud frigidum & humidum, vel hoc calidum & humidum, illud calidum & siccum. Corpora calida & humida, vbi putredines adsint, ob symboleitatem facilius succumbunt, & ob substantiæ mollitiem facilius discutiuntur, vnde citius pereunt, quam aut corpora calida & sicca, aut frigida & sicca: frigida autem & humida ratione frigiditatis reluctantur, at ratione humiditatis ad putrida analog[illegible] habent: quare hęc mediam seruāt naturam. Ex compositione autem differunt vel in partibus similaribus, vel in partibus organicis. In similaribus, quoniam alii densum habitum, alii rarum à natura receperunt: hi morbis ex causa externa, illi morbis ex causa interna obnoxii sunt. In partibus organicis, quoniam alii naturalem & integram formationem, alii malam & vitiatam habuerunt: qui male formati sunt, in ea parte, in qua vitiatam receperunt formationem, imbecilles esse sendi sunt, vnde qui thorace male formati sunt, in phthisim proni, & ex huiuscemodi morbis citius perituri sunt, qui autem bene, nō ita. Ex sexu, quoniam ex parientibus alii sunt mares, aliæ sunt fœminæ: mares omnibus morbificis causis validius, quam fœminæ resistunt: quare hi semper eandem morbi speciem diutius, quam illæ tolerabunt, cæteris conditionibus omnibus paribus existentibus. Ex genere alimenti differentia adest, quoniam alii parce viuunt, alii gulæ indulgent, alii sunt assueti cibis excrementosis, & difficilis coctionis, alii sunt assueti cibariis facilis coctionis, & laudabilis nutrimenti, alii aqua, alii vino ꝓ potu vtuntur. Qui parce viuunt, salubrius degunt, quam ii, qui gulæ indulgentes se omnino satiant, tantaq; hæc est differentia, vt ex suppuratis gulæ indulgentes multo citius pereant, quam illi, qui rectam victus rationem seruant. Qui assueti sunt cibariis difficilis coctionis, & crassioris substantiæ, vbi his morbis detineantur, vitam magis producunt, si recte viuant, quam illi, qui assueti sunt cibariis facilis coctionis, & boni nutrimenti, quoniam in illis maior fit ad bonum mutatio, quam in istis, præterid, quod illi ex eo viuendi genere robustiorem, quam isti, habitum corporis habent. Qui vino vtuntur, destil-

latio-

lationibus magis obnoxii sunt, quam illi, qui aquã bibunt, & præcipue vbi vina sint vinosa, qua de re ex supputaris, qui huic vinorum generi operam dant, morbum augent, & mortem accelerant. Ex ratione viuendi corpus differt à corpore, quoniam aliud otiose, aliud laboriose viuit, aliud temperate degit, aliud luxui & Veneri indulget, aliud circa aquas, aliud circa ignem vitam ducit, aliud in aere puro & limpido, aliud in aere vel humido, vel caliginoso, vel aliqua alia mala qualitate infecto viuit. Qui otiose viuunt, ad omnia magis inualidi sunt, quam qui laboriose, otium enim labefacit, vsus corroborat, dicebat Hipp. libr. 3. de iis, quæ in medicatr. fiunt, text. 29. Qui in abstinentia temperate temperatam vitam ducunt, cuicunq; morbifico affectui validius reluctantur; qui autem luxui, & Veneri immodice operam præbent, omni morbificę causę facile succũbunt. Qui circa aquas exercetur, nisi eæ sint salsæ, putredinibus est obnoxius, qui circa ignem, destillationibus, qui in aere puro, purum solet ab excrementis habere corpus, qui in aere humido, vel caliginoso, vel alia praua qualitate infecto, solent prauis abundare excrementis: quare hi omnes si supputati fiant, præter eos, qui temperate viuunt, ac in aere puro se exercent, male agent, citiusque quam hi morbis succũbent. Ex loci habitatione differt corpus à corpore, quoniam hoc corpus locum Austrum, illud locũ Boream, hoc Orientem, illud Occidentem respicientem colit: Vel hoc in collibus, illud in planitie, hoc in tabulatis, illud in solo, hoc iuxta aquas, illud longe ab eis, & à locis aquosis habitat. Quæ colunt loca ad Austrum & Occidentẽ vergentia, destillationibus, fluxionibus, & putredinibus sunt magis obnoxia, quam quę ad Boream & Orientem, pariter quæ in planitie, in solo, & iuxta aquas degunt, magis quam ea, quæ in collibus, in tabulatis, & lõge ab aquis habitant: quare illa citius ex his morbis, q̃ illa peritura sunt. Hæc de differentia corporum. Ætas ab ætate differt, quoniã hic puer, ille adolescẽs, ille iuuenis, ille in ætate cõsistens, hic in declinãti cõstitutus, ille senex, hic decrepitus, q̃ differẽtiæ licet pertineant ad corporum differentias, tamen quoniam has Hipp. ab illis distinxit, ego pariter distincte ab illis has separo. Pueri & adolescentes raro in supputationem incidunt, ob humorum benignitatem, & ob robur virtutum naturalium; vbi tamen incidant, facile ex his pereunt, propter corporis mollitiem, cuius ratione facile resoluuntur, & ob humiditatem in eisdem copiosam, cuius merito putredinibus sunt valde obnoxii, & multo magis, quoniam omnium minime victus rectam rationem seruant. Iuuenes facillime & sæpissime his morbis ægrotant, & minime omnium saluantur ob naturæ feruorem, & humorum in eis abundantium acrimoniam. His proxime accedunt, qui in consistenti sunt ætate, longius abiunt, qui in declinanti cõstituti sunt. Raro senes his morbis capiuntur, at vbi capiantur, omnium diurissime superuiuunt, tum quoniam habent substantiam minime diflabilem, tum quoniam habent meatus ampliores, per quos facile morbus, per excreationes expurgari potest, tum etiam quoniam feruor sanguinis remissus est, tum præter hæc quia omnium minime in ratione victus delinquunt. Decrepiti rarissime omnium his morbis deprehenduntur, at vbi depręhendantur, quoniam assimulantur lucernæ extinctioni proximę, facile etiam ex quacunq; leui causa, quæ his morbis superueniat, pereunt. Hęc de ætatibus. Affectio ab affectione differt, quoniam quemadmodũ ex morbis alii sunt breues, alii sunt longi, ita ex supputationibus aliæ sunt breuiores, aliæ longiores, breuissime sunt eæ, q̃ contingunt in vigore morborũ acutorũ. hæ namq; raro excedunt secundã, aut terciã septimanã. Minus breues sunt, q̃ morbis acutis, vbi tempora ꝓpria pertransiuerint, succedunt, nam hę raro quartũ excedunt mensem, rarissime autẽ annũ attingunt. Longę autẽ sunt, q̃ ex destillationibus, ex vasorũ ruptura, aut diuulsione procedunt, & ex his longiores sunt, quæ ex affectibus thoracis, q̃ illæ, quæ ex affectibus pulmonis contingunt. Longissimæ autem omnium sunt, quę ab ortu per malam formationem, vel per malã pulmonum substantiam occasionem traxerint, vbi ab externis non accedat grauior causa. harum quasdã vidi ad tertium annũ, quasdam ad quartũ, quasdam ad septimum pertractas. Hipp. autem lib. de internis affectionibus testatur, aliquas ad nouem annos perdurare. Hæc de affectionum differentia. Tempus à tempore differt, vel quia (facta temporis relatione ad anni quatuor tempora) hoc sit veris, illud æstatis, hoc autumni, illud hyemis tempus, vel quia hoc (facta relatione aut ad totum annum, aut ad vnam, vel ad plures anni partes,) hoc sit huius seu alterius qualitatis, & temperamẽti. Quo ad primũ, æstas minime omnium partium anni longis supputationibus, ob suam siccitatem, est noxia, imo si quæ vere incipit, minuitur ęstate; breuibus autem, ex his, quæ fiunt ex morbis acutis, inimica admodum est, cum corporis ac virium dissolutionem humorumque peccantium maiorem efferuescentiam pariat, vnde facile, & breui hos interimit. Autumnus omnium temporum anni est cuicunque supputationis generi infestissimus, ob sui inæqualitatẽ, vnde hoc in tẽpore supputatorũ ac tabidorũ plurimi pereunt. Hyems supputatis etiã est admodũ molęsta, ob cœli inclementiã: ver autẽ mediam quandã seruat naturã, quoniã his, qui male habent, maxime ob temporis mutationẽ aduersatur, eos de medio tollens, cuius rei merito videmus multos supputatos, ac tabidos primo vere perire: his autẽ q male nõ habent, ob aeris benignitatẽ, & corporis temperatã difflationẽ opitulatur, cuius ratione videmus ex supputatis ac tabidis nõnullos aduentãte vere subleuari. Quo ad secundum in anno, vel in tempore, & parte anni, tria consideranda veniunt, vt inde, qualis sit constitutio habeatur. Primũ est, an tempus sit calidum vel frigidum: secundum an perflent venti, & si perflant, qui ii sint: tertium an pluat, vel non, & si pluat, quales sint pluuiæ. A primo habemus, quæ ex primis qualitatibus prædominetur, id est, an constitutio sit calida, vel frigida, quæ in vnaquaque parte anni pro ratione suæ naturæ cõtingere potest. Ad idem facit secundum,

quoniam flante Borea, aut alio vento septentrionalem plagam respiciente, erit frigida constitutio, si Auster, aut alius ventus ex meridionalibus flet, erit calida. A tertio habemus qualitates secundas, quoniam multæ pluuiæ humidam, paucæ moderate humidam, nullæ siccam faciunt constitutionem, ex his habita temperatura, & qualitate vel anni totius, vel eius partium, nouerimus tempora calida, & humida suppuratis maxime, quoniam ad putredinem maiorem corpora disponunt, noxia esse, quæ autem humida tantummodo existunt, minus frigida destillationibus, & extenuatis contrariantur. Sicca autem omnium conuenientissima sunt, qua de re in sicca constitutione suppurati, & tabidi minus periclitabuntur, & minus peribunt, in frigidis autem, aut humidis, aut calidis & humidis magis periclitabuntur, & celerius perimentur, pro vt maior, vel minor fuerit noxa, pro vt iam declaratum est. De tempore etiam quo ad suppuratos aliud considerandum erit, scilicet quo tempore patientes inceperint ægrotare, nam si in autumno, erit existimandum patientem ad ver vsque perdurare posse, si in vere, ad autumnum. In hoc, quoniã æstas mediat tanquam propugnaculum: in illo, quoniam cum pertransierit autumnus, qui est anni molestissima pars, censendum erit hominem posse tolerare morbum, vsque ad nouam aeris mutationem. Si autem inceperit hyeme, vel æstate, si sint ex breuibus, ver aut autumnus insequens morbũ terminabit, si ex longis, plura poterunt pertransire tempora, & inde vel ad alterum ver, vel ad alium autumnum terminari, nisi sint ex illis, quæ ad longiora tempora, & ad plures annos se extendunt. Suppurati autem ex huiuscemodi suppurationibus, non solent habere certa moriendi tempora, vtplurimum tamen mori cõsueuere, vel sub æquinoctiis, vel sub solstitiis. Sub æquinoctiis, qui destillationibus magis vexantur, sub solstitiis, cæteri, potissimum autem sub æstiuali, qui sputo sanguinis solent tentari, sub hyemali vero, qui valde, & supra modum extenuati sunt, illi in æstate pereunt, quoniam sub cœlo calidiori venæ magis laxantur, & facilius ad sanguinem effundendum aperiuntur; isti in hyeme, quoniam ob inclementiam frigidioris cœli in extenuatis, & his, qui supra modũ emaciati sunt, calor natiuus facile extinguitur. Hæc de temporibus. Qui maiorem morborum tolerantiam habent, hoc habent ex eo, quod sint duri, & parum sensitiui habitus: tales enim habitus difficulter patiuntur, & difficulter resoluuntur. Cum autem hi difficulter patiantur, & difficulter resoluantur, valide morbo resistunt, & inde diutius morbum tolerabunt, & longiori vita fruentur. Qui autem omnino ad tolerandum inhabiles, ac impotentes existunt, hoc habent, quia habitus laxi, dissolubiles, & valde sensitiui sunt, vnde & facile resoluuntur, & facile patiuntur: si autem hi facile resoluantur, & facile patiantur, cum merito vnaquæque læsio, quamuis leuissima, eis est admodum molesta, facile etiam morbis succumbent, & inde, cum morbum diu tolerare nequeant, breui peribunt, vnde hos celerius, illos tardius ex suppurationibus perituros fore censendũ est. Hæ igitur sunt illæ differentiæ, ob quas Hipp. nullum certum terminum mortis constituens monet, alios ex suppuratis breuius, alios tardius perire, cum tanta sit differentia corporis à corpore, ætatis ab ætate, affectionis ab affectione, temporis à tempore, & tolerantiæ à tolerandi impotentia: quasi dicat, nõ posse dari certam, ac infallibilem regulam, per quam suppuratis, ac tabidis vniuersalis possit assignari conditio, quæ aut vitam, aut mortem, aut morbum certo tempore, & modo limitare possit: quæ tamen limitatio si non vniuersalis vniuersaliter ob circumstantiarum variam differentiam apponi potest, poterit tamen particularis particulariter ex assignatis differentiis explicari.

47 *Proinde certitudo exacta temporis, in quo pereunt, non est, an longum, an breue futurum sit, neq; enim hoc tempus certum est, quod quidam definiunt, & plerumq; neq; hoc ipsum suppurat: differt enim annus ab anno, & tempus à tempore. At si quis de ipsis recte cognoscere, ac dicere velit, is cognoscet omni tempore & perire, & superstites euadere, & pati, quæcunque tandem patiantur.*

CVM tanta sit differentia, quantam explicauimus, tum ex parte subiecti patientis, tum ex parte affectionis, & morbi, tum ex parte temporis, in quo suppurati ægrotant, cui dubium, quod nulla potest statui exacta certitudo temporis moriendi in suppuratis? Ex eodem enim suppurationis genere isti citius, illi tardius peribunt prout est diuersitas subiecti, & prout diuersa est affectio, & prout diuersum est anni tempus. Quæ singula cum declarata sint, non est, quod ea iterum ad hanc incertitudinem explicandam repetantur, cum ex his liqueat, nullum certum mortis terminum in his cõstitui posse, quemadmodum nonnulli Hipp. antiquiores medici diffinierunt, non animaduertentes hanc subiecti, morbi, temporum, ac patientium tolerantiæ differentiam. Quæ differentiæ non tantum mortis, verum etiam suppurationis terminũ incertum reddunt, nam suppurandi tempus non potest in omnibus ob prædictas & explicatas differentias semper idem esse: variat enim pro ratione subiecti, & pro ratione affectionis, & causæ ipsius morbificæ, & pro ratione temporis. Exemplo hoc pateat, ex parte subiecti, corpora temperaturæ calidæ, & humidæ, densi halitus, male formata, muliebria, victu vtentia humido, artes in locis humidis, qualis est piscatoria, exercentia, loca Austrũ vergentia, & planities aquosas habitantia, citius ex iisdem vel causis, vel occasionibus in suppurationẽ deducuntur, quam quæ sunt temperaturę siccę, rari halitus, bene formata, virilia, victu vtentia sicco, artes non sedentarias, nec circa aquosa exercentia, loca septentrionalem plagam respicientia, & prope colles in siccioribus locis habitantia. Ex parte autem affectionis citius suppurant eæ suppurationes, quę ex morbis acutis contingunt, quæ ex destillationibus, vel vasorum mala fiunt affectione,

tar-

tardissime, quæ ex vitiosa vel formatione, vel substantia, nisi causa externa & valida ad hanc causandam vna cum interna concurrat, superuenerunt. Ex parte autē temporis suppurationes celerius fiunt in constitutionibus humidis, in autumno, flante Austro, & sub pluuiis longioribus: tardius autem in constitutionibus siccis, in æstate flante Borea, & dum nihil pluit: quapropter sicuti mortis, ita & suppurationis certus ac exactus terminus statui nō potest. Differt enim annus ab anno, & tempus à tempore, quemadmodum iam explicatū est. Cum tanta autem incertitudine, inquit Hipp. si quis rectam sententiam proponere velit, dicet, ac affirmabit omni tempore alios ex suppuratis citius, alios tardius perire, aliosq; afferet omnino, id est, necessario perire, alios autem superstites euadere posse, eosq; pati, quæcunque suppuratis contingere iam tradita sunt. Recta erit hæc sententia, dum vniuersaliter prolata differentias particulares iam assignatas non respicit: si antem eas respiciat, non vndequaque vera erit, quoniam, si respiciamus differentias iam ex parte subiecti, affectionis, temporis, & tolerantiæ assignatas, (omnes autem in has fere reducuntur,) possumus aliquam habere temporis certitudinem, licet non exactam, qualem habemus in acutis morbis, tantam tamen, vt in pluribus aberrare non liceat. Nam vbi causę & differentiæ iam enarratæ casibus particularibus adaptentur, quam proxime ad rei veritatem accedere poterimus, non negantes in omni tempore alios citius, alios tardius perire, & alios mori, alios superstites euadere, prædictis tamen causis ad hoc concurrentibus. Sicuti nec Hipp. in similitudinem huius sententiæ lib. 3. Aph. 19. negat, omnes morbos fieri in omni tempore, nam postquam declarauerat, qui nam morbi secundum quascunq; constitutiones, & secundum quæcunque anni tempora regulariter contingant, concludens dicebat: Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, quidā vero magis in quibusdam ipsorum fiunt, ac excitantur: illud affirmans, quoniam ita experientia testatur: hoc autem dicens in respectu causarum, quod idē de suppuratis verificatur, cum in omni tempore, & in quacunque anni parte suppurati patiantur, & pereant, vel euadere & superstites fieri possint, cum tamen ratione prędictarum, & enarratarum conditionum potius in hoc vel anno, vel hac anni parte, quam in illo vel anno, vel in illa anni parte aut patiantur, & pereant, aut euadant, & superstites fiant.

48 *Cæterum inferno ventriculo suppurati fiunt.*

PRINCIPALES suppurationū differentias tres esse, iam explicatum est. Alię enim ex pulmone, aliæ ex superno ventre, id est, ex thorace, aliæ ex inferno, id est, ex abdomine existunt. De primis duabus pro maiori parte, (pro maiori parte dico, quoniam alia de iisdem supersunt inferius tractanda) actum est, nunc tertium illud aggreditur, docens qua ratione in inferno ventriculo suppurationes fiant. Per ventriculum infernum nō audiamus tantummodo ventriculum ita proprie dictum, qui est membrū primæ cuctioni alimentorū statim sumptorum destinatū, sed intelligamus in eo sensu, in quo eum intelligunt Anatomici, dum loquuntur de inferiori ventre, omnes partes, q̃ intra abdomē, ac peritonæum continentur, cōprehendentes. In his enim omnibus, ac singulis partib. possunt suppurationes fieri, non æque tamen, nam partes ventris superiores ad hypochondria, quoniam sedes ea est calidior, facilius suppurant, q̃ eę, quæ in medio ventre sitę sunt. Omnib. autē multo minus suppurant partes infra vmbilicū existētes, quoniā hę magis à calore fontis distantes sunt; vnde in suspitione suppurationis superuenturæ magis timendum est circa hypochondria, quam circa ventrem, & infra vmbilicum; in his autem minus etiam, quam in illis, quæ sunt circa ventrem. Suspicandum autē est de suppuratione in his partibus, cū affectus, qui has partes deprehēderint, debito tempore & modo nō soluentur. Tempus hoc nō omnibus idē est: variat enim & pro ratione affectionis, & ꝓ ratione loci. nam affectus inflammatorii intra vigesimam debent solui, qui autem non sunt inflammatorii, pendentes à frigidioribus succis, sexagesimā sæpe attingunt, & quandoq; etiā octuagesimā, & vltra. Quare si illi intra vigesimā non soluentur, & febris detineat, censendū est tumorē ad suppurationem verti: si autem hi tertio mense, aut vltra nec soluti fuerint, suspicandum pariter erit de suppuratione. Signa admodum certa hæc sequentur: in primis febres, vbi ad suppurationē res vertitur, fiūt maiores, in secundis, si nō præfuerit febris, accedit, si autem præfuit, inualescit, nam dum pus conficitur, magis accidunt, & maiores fiunt febres, hisq; febrib. solent vtplurimū rigores cōiungi, dū materia suppurans membranas, & partes circūstantes incipit exedere. Ratione autē loci variat tempus, quoniam in partibus calidioribus suppurationes citius percurantur. q̃ in frigidioribus, cum suppurationes fiant ab insito calore: quare partes neruosæ, seminales & frigidæ tardius; carnosæ, sanguineę & calidæ citius suppurabunt. Quod si in parte calida sit affectus frigidus, vel in parte frigida sit affectus calidus, tempus suppurandi erit medium inter enarrata. Partes eę quæ in inferno ventriculo suppurare possunt, sunt ad hypochondria, iecur, lien, & ventriculus, in medio ventre renes, intestina, mesenterium, & pancręas, infra vmbilicum vesica, & vterus, & circa hæc omnia musculi abdominis, peritonęum & omentum. Iecur, lien, renes, & musculi sunt natura calidi, quoniam sunt partes sanguineę, reliqua omnia cum sint partes seminales, sunt frigida. Iecur in propria substantia, & lien, & renes, sicut & peritonęum parum sensitiua sunt; circa membranas magis, musculi etiam multum, intestina multo magis, ventriculus autem, & vesica, & vterus maxime, mesenterium, & pancreas nequaquam sensitiua existunt, & pariter omentum. Succi autem ad has partes superfluentes, & superuacanei, à quorū putredine pendet suppuratio, possunt esse cuiuscunq; generis, siue calidi, siue frigidi: calidi erunt sanguis, bilis, pituita dulcis, aut salsa, & succus melancholicus, qui exustionem senserit: frigidi erunt pituita naturalis insipida, vel acida, & suc-

& succus pure melancholicus. Causæ præcedentes possunt esse aut externæ, aut internæ. Externæ erūt casus, ictus, percussiones, attritiones, vulnera, plagæ, medicamenta venena, cibaria praua, ac potus inualescens naturam habentes. Internæ sunt fluxiones dictorū succorum, quæ omnis si recte animaduertantur, habebimus plura ad suppurationū cognitionem facientia. A natura partis habemus in iecore, in liene, in renibus & musculis, quoniam ex propria natura sunt membra calida, celeres fieri suppurationes, in reliquis tardas. A sensatione habemus in iecore, liene, & renibus suppurationes fientes parum doloris inferre, vbi in carnosa parte tantum constiterint, vbi autem pertingant ad earum membranas, magis dolere & cruciare, sicuti pariter magis dolent, & maiores cruciatus inducunt musculi suppurantes. Intestina autem ex his morbis valde dolent, maxime autem hinc cruciantur ventriculus, vesica & vterus, quæ omnia angentur, si succi fluentes sint calidioris, & adhuc magis inualescunt dolores, & cruciatus, vbi hi succi prauę conditionis, & qualitatis extiterint. Eiusce modi sunt pituita salsa, & melancholicus humor exustus, ac quilibet alius, qui corruptionem senserit, cuius oppositum contingit, vbi succi sint frigidi, & nulla mala qualitate præditi, qualis est humor simpliciter melancholicus, & naturalis pituita insipida, acida enim dolores his maiores, minores tamen, quā qui à calidioribus succis causantur. Sicuti autem succi variant inter se in vehementia & remissione doloris, pariter variant in eius qualitate, quoniam à bile, à pituita salsa, à melancholia exusta fiunt dolores corrosiui, cuius exemplum habemus, lib. 7. Epi. in Egesipolis puero. A sanguine autem fiunt mitiores, à pituita naturali, & melancholia minores, à pituita acida mordicatiui, sed nō adeo praui, vt primi dicti. A succis etiam habemus, q calidi celerius suppurant, frigidi autē tardius. Habemus etiā ab his, quod succi praui prauas, & malignas inducunt suppurationes, ex quibus nullus fere euadit: succi autem benigniores, minus prauas, & magis salubres pariunt. A causis habemus, prout maior, & vehementior est causa, maiores, celeriores, & periculosiores fieri suppurationes, prout autem est minor, & debilior, minores, tardiores, & salubriores causari, quæ causę si membrū momentaneum, & sensitiuum deprehenderint, omnia accidentia deteriora fiunt: si autem membrum minus momentaneum, & minus sensitiuū, omnia accidentia remittuntur, & mitiora fiunt. Vnde si fluxio irruat in mesenterium, & pancreas, quoniam sunt membra nec momentanea, nec sensitiua, fiunt suppurationes absque vllo doloris sensu, nisi forsan aliqua inde grauitas sola percipiatur. Idem contingeręt in omento ratione partis affectæ, nisi ob viciniam partes circumstantes in consensum traherentur, hæq; suppurationes diuturnæ sunt, quoniam fiunt in parte seminali ex propria temperie frigida, quę magis adhuc diuturnę erūt, si succi suppurationem causantes fuerint frigidi, calidi enim semper citius ad suppurationem deducuntur, vnde nec in his partibus suppurationes à calidis succis pendentes erunt admodum diuturnæ. Harum partium suppurationes febres lentæ concomitātur, validiores tamen sunt à calidis succis, & à principio fluxionis & suppurationis inualescunt: fluxiones autem, ac suppurationes à frigidis pendentes non à principio, sed quando suppuratio inualescit, accedunt. Quare ea Hipp. sententia lib. 7. Aph. 22. posita, à ventris dolore diuturno, suppuratio in his non verificatur, cum non sint partes sentientes, vnde doloribus in ventre perseuerantibus de suppuratione dictarum partium non erit suspicandum, sed pro ratione situs erit existimandum, partes subiectas suppurari, & hoc propter inflammatorium affectum: aliæ enim causæ dolorificæ recta curandi ratione tolli possunt, siue sit intemperies inæqualis, siue simpliciter frigus, siue flatus, siue acris humor, inflammatorii autem affectus quandoque nec tolli, nec prohiberi, ne suppurent, nequeunt. His autem ex diuturno dolore suppuratis, sæpe euenit vt suppuratio non innotescat, & hoc duabus ex causis, vt habetur libr. 6. Aph. 4. vel propter crassitudinem puris, cuius ratione non sentitur inundatio, vel propter crassitudinē loci, cuius merito pus in profundo existens non potest contrectari, in quo casu, & in quo difficultate ad alia signa recurrendum erit: nam tunc febres, & dolores minuuntur, & mitiores redduntur, qua de re in his non aliud suppurationis indicium habebimus, quam febrium & dolorum inclinationem, & remissionem. Horum autem alterū, scilicet febris remissio, tantūmodo habetur in suppurationibus, quę circa mesenterium, & circa pancreas excitantur, nam dolor in his nullus est, cum sensu careant, q febris vere remissio dicatur, quoniam desinentibus validioribus, si quę fiunt in suppuratione fiente, semper ad has suppurationes succedunt febres lentæ, quæ tandem hominem tabefaciunt, erumpente pure per intestina ad excretionem, quæ modo fæcibus admista, modo sola apparet, semperque sine vllo doloris sensu excernitur. Aliæ autem suppurationes alio modo erumpunt, ex ventriculo fit eruptio vel ad cauitatem abdominis, vel per vomitum ad superiora, vel per secessum ad inferiora, hæc melior est, illa deterior, prima autem pessima. Ex iecore eruptio pariter fit, vel ad cauitatem abdominis, cum disrumpitur abscessus disrupta eius membrana, vel per vomitum regurgitante materia ad ventriculum, vel per secessum ea ad intestina descendente, vel per lotium transmissa materia ad renes. Primus casus malus, secundus nō laudabilis, tertius & quartus elig bilior. Ex liene fit eruptio ad intestina, cum hanc solam à natura habeat expurgandi & excernendi viam, quandoque tamen eam per vomitum vidi factam & pariter, vt de suptadictis notatum est, potest in abdominis cauitatem erumpere. Ex renibus fit eruptio per solas vreteres ad vesicam, nisi renum tota substantia vsq; ad membranas sit suppurata & corrosa, quo casu lethaliter erumpit in cauitatem abdominis, sicuti pariter lethalis est hic casus in lienis suppuratione. Ex vesica, & vtero potest fieri eruptio vel in ppria cauitate, vel extra eam. Si intra, potest terminari ad bonum,

bonum, si extra excidet pus in canitate abdominis, quod ita malum est, sicut alterum potius desiderandum. Intestinis suppurantibus, ad intra eius cauitatem sit eruptio, nisi inflammatio exterior bus partibus communicetur, qua suppurante & erumpente, vidi nō tantum pus, sed etiam lumbricos ad extra prodiisse, indeq; patientem saluatum fuisse, cuius rei simile habemus exemplum, lib. 7. Epid. in Dinii puerulo in Abderis, cui hoc non ex abscessu, sed ex vulnere factum fuit. Musculis suppurantibus eruptio puris ad extra bona, ad intra mala, quod idem in omento, & peritonæo verificatur. In eruptione puris consideranda quoq; est eius substantia, odor, & color, nam si sit æquale, leue, non fœtidum, & subalbum, vbi alia non sint mala, ad bonum erit eruptio, si inæquale, diuersarum partium, fœtidum, nec album sit, ad malum erit. & hoc eo magis, quo color erit deterior, vt si pus flauum, viride, nigrum, & amurcæ simile, quale substantia hepatis putrescente solet accidere, fuerit, suppurationes circa hepar, lien, ventriculum non admodū antiquari solent, cito enim vel interimunt patientes, vel soluuntur: nam talia membra huiuscemodi affectum ob eorum excellentiam, & vsum diu tolerare non possunt; nec vesica pariter ob eius continuum munus, & ob eius substantiam, quæ facile à talibus affectibus scinditur. Renes autem, & vterus diuturnas tolerant suppurationes, his proxime accedunt intestina, in quibus nonnullas ex externis adeo perdurasse noui, vt in fistulas tandem degenerauerint. Diuturnissimæ omnium sunt, quę fiunt in mesenterio, & pancrea, cum paucæ ex his ad bonum soluantur, omnesque fere ægrotantes ex eis tabescant, nisi patientes bona fauente fortuna petitum à principio consulant medicum: suppurationes autem musculorum, omenti, peritonęi, si ad extra prorumpant, cito sanantur, si ad intra, vel nusquam, vel tarde, & difficulter. Et hæc in genere dicta sint de suppurationibus, quæ in inferiori ventre causari possunt.

49 *Maxime quidem cum pituita, aut bilis aceruata inter carnem, & cutem collecta fuerit.*

SVPPVRATIONVM inferni ventriculi duplices sunt causę, alię internę, alię externę. De externis in sequenti tractabitur textu, in præsenti autem de internis agit, dicens, harū suppurationū causas esse pituitā & bilē, per pituitā omnē humorē frigidū, per bilem omnē calidum intelligens; quæ pituita & bilis aceruata inter carnem & cutem, id est, intra cauitates, & porositates carnis & cutis, non dispersa, & circumquaque disseminata, sed in vnum collecta fuerit, nam quæ suppurant materiæ, in locum vnum coadunatæ, ac conculcatæ esse debent, non autem dispersæ, cum dispersa facile discutiantur, conculcata autem facile suppurent. Hæc autem humorum collectio duplici potest fieri ratione, scilicet vel per congestionem, vel per defluxionem: per congestionem fit ex loci debilitate, qui succos ad eius nutrimentum transmissos alterare, & transmutare non potest: per defluxionem autem, cum ab alio robustiori membro transmissi superuacanei humores recipiuntur in parte affecta ob eius imbecillitatem. Qui succi & humores, vbi eo loci collecti fuerint, si resolutioni reluctentur, & naturæ in totum non cedant, cum à calore naturali nō regulentur, incipiunt putrescere; putredine autem incipiente, si calor innatus ex propria exorbitat temperie plurimum, indeque imbecillis existat, succedit humoris & partis corruptio, ac putredo: si vero vim quandam sibi propriam seruet, agit in putrescentem materiam, eam alterans, ac concoquens. Sed quoniam materia cōcipit qualitatem extraneam, & præternaturalem, eam in totum deuincere non potest: quare putredinem regulans ei dat eum ornatum, quem potest, & inde fit alteratio media inter naturalem causam, & præter naturam, cuius ratione materia peccans ad formam puris deducitur. Quod sicuti non est omnino excrementum naturale, quia & putredinem, & calorem præter naturam concipit, ita non est omnino præter naturam, quoniam tale genitum est ob prædominium caloris innati dantis ei illam formam, & illum ornatum, quem materia potuit recipere ex prædominio caloris natiui. Hac igitur ratione humores superuacanei collecti in aliqua inferni ventriculi parte, siue per congestionem, siue per defluxionem hoc contigerit, suppurationum eius causæ internæ existunt.

50 *Fiunt autem, & à conuulsionibus, cum venula conuulsa rupta fuerit, sanguis effusus putrescit, ac suppuratur.*

CAVSÆ externæ suppurationum inferioris ventriculi (de quibus nunc agit) duplici ratione lædunt viscera, & totius abdominis omnes partes, scilicet illata læsione vel in earum vasibus, vel in earum carnem; vasa diuelluntur, & rumpuntur, caro vellicatur, diuellitur, atteritur, & conunditur; quid ad vasorum læsionem loquatur, hoc in loco docet, quid autē ad carnes, in sequenti declarabit. Læduntur vasa, cum ex percussione, vel casu, vel ex alia violentia diuelluntur, & rumpuntur, his ruptis effunditur sanguis in proximas cauitates, in quibus permanens, cum extra propria vasa, & in alieno loco existat, non potest non putrescere; putrescens autem suppurationem inducit. Per has vero cauitates non audias communes vias, quia ex his facile vel per vomitum eiectus, vel per secessum excreatus dilaberetur, cuius ratione nec diu ad iotra persistere, nec inde putrescere posset, sed intelligas cauitates internas, quæ sunt mediæ inter viscera, & partes alias abdominis, nam hæ partes non sunt continuæ ad inuicem, sed tantum contiguæ; contigua autem corpora facile ab inuicem separantur, & multas cauitates, & meatus efficiunt, & seruant, quæ sunt receptacula sanguinis, vbi extra propria vasa effundatur, nullum ei exitum præbentia; quo exitu negato, necessario ad intra retinetur. Retentus autem putrescit, & putrescens suppurationem facit: proprie enim suppurati dicuntur, qui in aliqua corporis cauitate pus adseruant, quam cauitatem Hippocrat. libro 6. Aphorism. 20. forsan voca-

vocabat ventrem dicens: si in ventrē sanguis præter naturā effunditur, necesse est suppurari, vt per vocem ventris porositates insensibiles, in quibus ex sanguine extra propria vasa effuso fiunt ecchymomata, excluderet, patentesque, ac manifestas, & sensibiles denotaret, quales sæpe in ventre inferiori ex aliqua illata violentia fiunt, ad quem sensum illa sententia aphoristica verificatur & intelligenda venit.

51 *Si vero caro conuulsa fuerit, aut contusa, sanguinem ex venis sibiipsi propinquis trahit, atque hic putrescit, ac suppuratur.*

CAVSÆ externæ suppurationū inferioris ventriculi sunt ea omnia, quæ vellicare, diuellere, atterere, & contundere non solū vasa, sed & carnem, id est, substantiā carnosam partium eius possunt. Talia sunt casus, percussiones, plagæ, venena hausta, medicamenta assumpta, cibus & potus praua qualitate infecti, & alia similia, quæ vel mala qualitate vellicando, vel violentia diuellendo, aut atterendo, aut contundendo carnosarum partium continuitatis solutionē quandam causent. Animaduerto antē, per carnem intelligendam esse propriam partium carnosam substantiam, quia musculosam dictam tantummodo intelligere nō possumus, cum ex internis partibus multæ talem carnem non habeant, cum tamen dicto affectus patiantur, sicuti ventriculus, vesica, vterus, intestina, aliæque seminales, & huiusce naturæ partes, quæ tamen singulæ propriam habent carnem. Nam vt habet Gal. lib. 10. Meth. in fine, cuiusque corporis nostri partis tres sunt substantiæ, scilicet fibrosa, membranosa, & carnosa, per fibrosam & membranosam intertextæ sunt eæ partes; his carnosa adnascitur eas circumnectiens, hanc carnosam substantiam omnes particulæ corporis nostri siue seminales, siue nō seminales existant, habent: in musculis proprie vocatur caro: in iecinore, in renibus, in liene, & in pulmone vocatur parenchyma, in aliis partibus, sicuti in intestinis, in ventriculo, in vtero, in vesicis sine nomine relicta est, quæ tamen propria earum partium est caro, quæ in extenuatis absumitur & deperditur, in his autem, qui restaurantur, regeneratur, & de nouo adnascitur, quod non fit de fibrosarum, & membranosarum partium substantia, quæ stante vita nec in totum absumi, nec absumpta denuo regenerari potest. Cū igitur hæc partium inferioris ventriculi carnosa substantia aut vellicationem, aut attritionem, aut diuulsionem, aut contusionem patitur, fit in eis alteratio, & continuitatis solutio; vnde ex alteratione inducta sanguinem à partibus vicinis, & circumstantibus trahit, ex solutione autem continuitatis facile eum recipit. Hic autem sanguis extra propria vasa effusus, & in parte patiente receptus, cùm in alieno loco existat, facile putrescit eo autem putrescente fit suppuratio. Hanc tamen suppurationis speciem animaduerto fieri non tantum à causis externis iam enarratis, sed etiam ab internis, siue per se, siue à causis externis fuerint excitatæ, nam vel ex copia, vel ex mala sanguinis qualitate nonnunquam quædam vasa adsperluntur, aut rumpuntur, aut exeduntur in visceribus, aliisq; partibus in ventre reconditis, ex quibus effusus sanguis vel in aliqua corporis cauitate retinetur, vel per vomitum, aut per secessum excernitur. Ille retentus, si non arte aut educatur, aut discutiatur, putrescit, & putrescendo suppurationem inducit. Hic postquā eductus fuerit, relinquit quandoque vlcus, quod postea suppurans suppurationem diuturnam causat, vt habemus exemplum lib. 5. Epid. in virgine Larissæa. Nam licet dixerit Hipp. lib. 7. Apho. 37. Vomitum sanguinis salutarē esse, non tamen vsque quaq; verum est, nam vbi sanguis prauus sit, prauum vlcus inducere potest, licet hic sine febre euomatur, quod tamen vlcus & febris, & suppurationis in posterum causa erit, quod non tantum obseruaui ex historia citata, verum hoc quoque experimento factum vidi. Quare sententia illa aphoristica, vel non vniuersaliter vera erit, vel limitari debet de laudabili, & nō vitiato sanguine, & præterea, quod etiam curetur cum acerbis, & refrigerantibus, vt in secunda Aphorismi parte faciendum esse docuit. Si enim non curetur, quanquam sanguis per vomitum eiectus laudabilis & probus existat, tamen vlcus non curatum suppurare poterit.

52 *His si quidem foras de se significationem præbuerit, & eruperit pus, sani fiunt: si vero sua sponte intro proruperit, pereunt.*

CVM ex carnis diuulsione, aut contusione fiat sanguinis ex circumstantibus partibus ad locū affectum attractio, non potest non subsequi & tumor, & aliqua in parte inflammatio, quæ si non discutiatur, sed putrescente sanguine suppuretur, ad bonum vertitur, si foras vergens suppuratio parua sit, maximeque extuberet, & in sublime acuminata resurgat. Hinc enim indicatur robur expultricis facultatis, nec materiam suppurantem magnā corporis, quę erodit, corrumpere partem, ex qua erumpens pus locum aptum tam excretioni, quam medicationi nactum viam ad sanitatem facit. Quæ omnia sub his verbis, si foras de se significationem præbuerit, & eruperit pus, sani fiunt, includit Hipp. Si autem sua sponte non extuberans, nec in sublime assurgens, sed depressa intro, id est, in cauitates internas abdominis proruperit, pereunt. Ratio est, quoniam hæc eruptio in nobiliores partes, quam sint extimæ, prorumpit, nec medicationi locum aptum præbet, pusque erumpens syncopas, diarrhęas, dysenterias, tormina, vlceraque praua in partibus intimis excitare solet, totque malorum hæc eruptio in causa esse consueuit, vt hinc ægrotantes pereant. Pereunt quidem facile, non tamen ex necessitate, nam si pus album, æquale, lene, & nō fœtidum exeat, casus est non in totum lethalis, & eo magis, si intro erumpens nihil cum exteriori sede communicet, sicuti nec in totus est salubria, vbi suppuratio ad extra prorumpens sit magna. & pus inæquale, fœtidum, & mali coloris excernatur. Ac sciendum est, tales suppurationes non tantum fieri ex causis externis, verum ex internis quoq;, vel facto abscessu per crisin aliquo in loco, vel tali ob ali-

aliquam fluxionem inuadente à principio, in quibus suppurationibus eadem attendenda, & obseruanda sunt, qualia diximus in his cõtingere, & fieri.

53 *At vero diffusum pus in ventriculo inferno, velut in superno dictum est, generari haudquaquam poterit, sed velut à me dictum est, in tunicis & tuberculis innascitur.*

DESTILLATIONES à cerebro in cauitatem thoracis receptas suppurari certũ est. An autẽ in ventriculo pariter similes fiant, nunc declarat, negans has in inferno ventriculo (per infernum ventriculum intelligas totam eam cauitatem, quæ est à fine æsophagi vsque ad sedem) sicuti in superno fieri posse, nam inquit in cauitate ventriculi nõ posse materiam fluentem, sicuti in cauitate thoracis dilapsam suppurari; ratio diuersitatis est, quoniam thoracis cauitas non præbet exitũ apertũ materiei fluxæ, at infernus ventriculus amplam habet viam, per quam ea potest exire. Præterea materia in cauitate thoracis contenta vndequaque adeo septa est, vt quasi conculcata in loco particulari iaceat; at materia in cauitate inferioris ventriculi existens modo arctè, modo late cingitur, plurimumq; euaporare potest, cuius ratione suppurare nequit. Pręterea in superno ventre sunt viscera calidiora, cuius abundantis caloris merito potest fieri actio ad suppurandam materiam contentam; at in inferno non adsunt viscera adeo calida, nec tantus in his abundat calor, vt aptus sit ad suppurandam materiam nõ conculcatam. Qua de re suppurationes in inferno ventriculo fiunt, non quia materia in eius cauitate diffusa, ac contenta suppurat, sed quoniã vel intra eius tunicas, & intra eius substantiam coaceruata putrescit, vel quia tuberculum (de quo inferius tractabitur) in eo aggeneretur, quod postea suppurans, & in eius cauitatem erumpens, diuturnam suppurationem causet.

54 *Et siquidem intro notas habuerit, cognitu difficile est, neq; enim ex concussione cognoscere licet; cognoscitur autem maxime ex dolore, vbi fuerit, & si terram figulinam, aut aliud quid eiusmodi impositum fuerit, breui id resiccat.*

FACTA in inferno ventriculo suppuratione, si foras de se significationem nequaquã præbuerit, non extuberans, neque in acumen assurgens, sed tota intro vergat, nihil cum exteriori sede communicans, difficilis admodũ est eius cognitio, antequam eruptionem fecerit: non enim ex concussione, sicuti quæ fit in cauitate thoracis deprehendi potest. Ratio est, quoniam si in inferno ventriculo fiunt suppurationes cõculcata solum existente materia vel in tunicis, & eius substantia, vel in tuberculo collecta, in his non datur locus, qui materiam ex motu recipiat, sed angustus & arctus est, q eam continet: quare nec ex cõcussione facile inundare potest. Cęterum si his addatur, quod suppuratio ad intra penitus, nihil ad extra cõmunicans vergat, casus multo cognitu difficilior habetur, cũ nulla in hoc appareant signa exteriora. Quamuis autem hæ suppurationes ex concussione non deprehendantur, aliis tamen signis cognosci possunt, ex quibus principale est dolor: nam cum dolor accidat in suppuratione puris in ea parte, in qua præfuit dolor, si suppuratio fiat in membro sentiente, coniectandum est de suppuratione. Quæ autẽ sit pars suppurans, habetur a situ, nam in dextro hypochõdrio erit coniectandum de iecore, in sinistro de liene, in horum medio de ventriculo, in medio ventre, si in anteriori parte fit dolor, de intestinis, si in dorso, de renibus, si infra vmbilicum, de vesica, de vtero, de omnib. prędictis, si dolor alte delitescat, si in superficialibus partibus, de omento, de peritonæo, aut de musculis. In maiori autem cognoscendi difficultate apponatur partibus circum dolentibus terra figulina cũ aqua emollita, aut quid eiusmodi, quod formam emplastri, aut lenimenti habuerit, vt quæ fiunt ex farinis siccioribus, qualis est fabacea, hordacea, orobina, & similis. Hinc enim certam suppurationis coniecturam habebimus, quoniam hæc in loco suppurato apposita citius, q̃ in aliis partibus resiccãtur, ob geminatum in eis calorem, videlicet cum naturalem, tum præternaturalem, quod experimentum sicuti ego quandoque in dubiis casibus tentaui, ita mihi patefecit & suppurationem, & locum suppuratum.

55 *Erysipelas autem in pulmone fit, cum pulmo fuerit nimium resiccatus, id quod contingit ab ardore, & à febrib. & à labore, ac intemperie.*

DICEBAM pro maiori parte actum esse de suppurationib. pulmonis & thoracis, quoniã alia supsunt tractãda ad q̃ nunc descendit, nõ quidẽ, vt suppurationum alios modos edoceat, sed vt morbi nõnulli, ex quibus suppurationes in p̃dictis partibus succedunt, declarentur. Primus horum occurrit pulmonis erysipelas, hunc affectum dicebam à pulmonis inflammatione differre nomine, materia, loco affecto, insequentibus symptomatibus, pulsu, tempore crisis, q omnia cum ad huius morbi cognitionem faciant, & iam explicata fuerint, non est, quod hic repetantur: superest tantummodo literam exponere, & causas erysipelatis explicare. Erysipelas sicuti in omni alia corporis parte, ita in pulmone duplicem habere solet generationem, nã quãdoq; fit attracta materia à loco affecto, quãdoq; fit transmissa materia ad locũ affectũ. Primo modo solet vtplurimum habere causas externas, & procatarcticas: secundo modo internas tantũ. Attractio fit ex calore partis: transmissio fit ex robore expultricis partiũ transmittentium. Ea omnia, quæ possunt calefacere partem ita, vt inde attrahat, possunt esse erysipelatis primi modi causæ: ea autem, quæ possunt fusionem humorum, eorundemque transmissionem ab aliis partibus excitare, sunt causæ erysipelatis secundi modi. De vtrisq; his modis nõ egit hoc in loco Hipp. de erysipelate pulmonis tractans, sed solũ de eo, qui iuxta primũ modum fit per attractionem, eum, qui gignitur, quando ex validioribus partibus ad imbecillitatem mittuntur excrementa, silentio obuoluens; sicuti in simili fecit lib. 4. reg. acut. in principio, dum febris ardentis causas exponeret, nam ibi earum febrium tantum, quæ vi facultatis excrementa attrahẽtes fiunt, meminit, nusquã de illis, quæ ex fusione materiæ, & ex

virtute expultricis validiorũ partium ad imbecilliorẽ transmittentium contingunt, verbũ faciens. Hoc autem ab eo factum est, quoniã prisca illa antiquorum medicorũ Academia morborum causas externas, & procatarcticas maxime obseruabat, morbosque ex his maxime fieri existimabat, & ab harum analogia in cognitionem internarum deueniendũ esse censebat. Hinc igitur indicans Hipp. sibi sufficere de erysipelate pulmonis agens de eo, quod ex causa procatarctica ortum habeat, tractare, primũ causas externas, deinceps internas exponit. Causæ externę sunt omnes eæ, quæ pulmonẽ ipsum resiccare calefaciendo possunt, talis est ardor cõceptus vel ex diuturna mora sub sole ardenti, vel in æstuante aere, qualis est circa fornaces ardentes, vel ex potu aut vini potentis, aut aquæ marinæ. Talis est febris ardens ex syncera bile vel turgente, vel admodum corpus exiccante, nullo potu, qui bilẽ lenire aut temperare queat, exhibito, pendens. Etenim syncera bilis febrem causans potius in ea vritur, quã putrescat, qua de re potius ex potu attemperamentum, quã ex medicamentis coctionem desiderat, vnde in hisce febribus, si patientes arctantur à potu, bilis acuitur, & corpus admodum exiccatur, quorum merito sæpe succedunt erysipelata in visceribus. Talis est vehementior, & validior in loco præcipue calido exercitatio, & labor, ex quo absumuntur corporis dulciores humiditates. Talis etiam est intemperies calida pulmonum, quę sit adeo intensa, vt hinc eius humiditates disperdãtur. Eiuscemodi intemperies concipitur ex longa in aere feruido habitatione, vel ex valida thoracis exercitatione, qualis fit in his, qui diutius clamantes & vociferantes, nullo frigido aut humido liquore partes ac membra respirationi inseruientia attemperant. Taliaque in summa sunt omnia ea, quæ pulmones calefacere, & resiccare possunt. Quæ omnia inter causas externas, & procatarcticas numerantur, & sub nomine ardoris, febris, laboris & intemperiei ab Hipp. concluduntur, quoniam hæc omnia respectu morbi extraneam habent naturam, nec cum eo in essentia, aut in causa coniuncta communicant.

56 *Et cum superficcatus fuerit, plurimum sanguinis in seipsum trahit, maxime quidem & plurimum ex magnis venis: hæ enim ipsi vicinissima sunt, ac ipsi incumbunt. Trahit etiam ex aliis vicinis, & tenuissimum, ac debilissimum trahit.*

RESICCATVS pulmo ex præcedentibus, & enarratis iam causis, cum in sinistrum eius parietem à dextro cordis ventriculo vena arteriosa inseratur, à sinistro autem in ipsum arterię quędam leues diuaricentur, non potest non trahere humiditates ex circumstantibus vasibus sanguine repletis, ex maioribus quidem plurimas, ex minoribus autẽ pauciores. Verum cum eę causæ quę pulmonem resiccare potuerunt, non possint non vna etiã corporis ambitum eadem, ac simili alteratione alterare, hinc succedit, vt humiditates eę, quæ in venis abundant, sint calidiores, tenuiores, acriores, & biliosiores redditæ. Hæ autẽ in pulmonem attractę facile per eius substantiã, cum sit spõgiosa, & rara, ob earũ tenuitatẽ diffluunt, & permeant: sistantur autẽ in extima eius superficie, ibiq; erysipelas causant. Sed cur inquit Hippo. tenuissimũ, & debilissimũ trahit? Erysipelas fit à parte sanguinis tenuiori, calidiori, acriori & biliosiori: trahit igitur in huiuscemodi affectione pulmo sanguinẽ tenuissimũ, id est, sanguinis partẽ tenuissimã, cum tenuiora facilius, q̃ crassiora corpora commoueantur. Sed cur hęc sanguinis pars tenuissima dicta est debilissima? quia minus reluctatur attractioni, quã partes crassiores, tenuia enim facilius attrahuntur, quam crassa, quæ quoniam facilius attrahuntur, dicuntur etiam debiliora. Tenuissimum igitur sanguinẽ propter partium subtilitatem, debilissimum autem, quoniam talis sanguinis minus, quã aliæ sanguinis partes attractioni cedit, attrahit resiccatus pulmo.

57 *Postquam autem traxit, febris ex ipso fit acuta, & tussis sicca, & repletio in pectoribus, & dolor acutus in anterioribus ac posterioribus partibus, maxime circa spinam, nimirum magnis venis percalefactis.*

FACTA sanguinis tenuioris & calidioris attractione, & resiccato ex præcedentibus, aut procatarcticis causis pulmone, ex quo erysipelas deprehenditur, plura mala, ac diuersa symptomata succedunt, ex quibus hæc recensentur. Primo febris acuta, quæ acuta dicitur, non à constitutione morbi, scilicet quia hæc febris cõmunicetur inter morbos acutos, quoniam tales febres insequentes ad viscerũ, & ad partiũ principalium inflammationes nominabãt antiqui morbos, sed morborũ casus, verum dicitur acuta à vehementia, & ardore, in eo sensu, in quo dicebat Hipp. libr. 6. Epid. sect. p. text. 29. quasdam esse febres acutas, sed à manu victas. Eiuscemodi autem febris ex erysipelate pulmonis dependens, est acuta in hoc sensu, quoniam pendet à materia calidiori, & acriori feruente, ac putrescente, in qua calor non nisi acris, & mordax, ac vehemens excitari potest. Hic autem calor cum excitetur ex materia in hoc loco cordi propinquo putrescente, non potest non vniuerso corpori communicari, cuius ratione fit, & appellatur febris: febris quidem non morbus per se, quia nõ fit ex humore aut in venis, aut in alia parte nõ conculcato, & putrescẽte, sed insequens ad morbũ, id est, ad pulmonis erysipelas, vnde potius appellari symptoma, q̃ morbus debet. Sequitur enĩ ad erysipelas tussis sicca, & hoc maxime à principio, quoniam & locus affectus antea erat resiccatus, & postea humor fluens, qui attrahitur, est siccioris naturæ, qui quidem humor à principio, dum crudus est, nequaquam resudare potest, & ideo tussim tunc temporis siccam causat, quæ etiam sicca perseuerat, vbi morbus grauior fit, & ardor ille ingens perseuerer, quoniã hinc, si quid parum resudet, ab eximio illo calore absumitur. Tertium accidens erysipelas insequens, est repletio in pectoribus, nã tumente ob erysipelas pulmone, tota thoracis cauitas à pulmone occupatur, ex quo sensus repletionis succedit, à repletione autem subsequitur angustia, & spirandi difficultas, quæ valde

ægrotantem infestant. Dixit autem Hippo. in pectoribus, respiciens ad ambas thoracis partes, quæ per intersepientes membranas distinctæ sunt, ac si illa distinctio duas in thorace cauitates faciēs, duo pectora constituat. Succedit quarto dolor in anterioribus, & posterioribus thoracis partibus, quoniam cum erysipelas extimam pulmonis superficiem attingat, maxime communicatur membranis, quæ cum sint alligatæ & ad spinam, & ad anteriorem thoracis partem præbent dolorem, tum in parte anteriori, tum in posteriori. Hic autem dolor acutus est, ratione partium, quæ pulmoni consentiunt, sunt enim membranæ, quarum proprium est inferre dolorem acutum. At dices, si dolor est in membranis, & est acutus, igitur hic affectus erit pleuritis? Nequaquā, quoniam in hoc patiuntur hæ membranæ per cōsensum, & per communicantiam, doloremque tam est in parte anteriori, quā posteriori: at in pleuritide membrana patitur per se non ad alterius passionem, doloremq; vt plurimum est in parte laterali, cuius ratione pleuritis morbus lateralis appellatur. Erysipelas igitur causat dolorem, & qui acutus sit, & qui tam in parte anteriori, quam posteriori affligat, non tamen æqualiter: magis enim affligit in posteriori parte, quam in anteriori, ratio est, quoniam spinam perreptant vasa maiora, scilicet arteria magna, & magna vena, quæ ambæ supercalefactæ ex erysipelatis ardore sunt in causa, vt membranæ circa spinam alligatæ magis patiantur, & inde maiorem dolorem pariant. Sed vltra febrem acutam, tussim siccam, repletionis & angustiæ pensum, ac dolorem acutum, posteriores & anteriores thoracis partes affligentem, superest aliud indubitatum & certissimum signum, videlicet intolerabile incendium, quod ægri in thorace percipiunt, cui sitis inexplebilis, & quæ potu leniri nō potest, annectitur, vna cum difficili respiratione, ex qua non potentes decumbere coguntur, recte spirare, anhelare, & aperto ore aerem attrahere, eundemq; per nares in similitudinem equorum, qui cursum inierint, manifeste efflare, quæ omnia vel maiora, vel minora sunt pro ratione maioris & vehementioris, aut minoris, & remissioris erysipelatis.

58 *Et vomunt aliquando subcruentum, aliquando liuidum. Vomunt item pituitam, & bilem.*

IN generatione erysipelatis, cum biliosus succus pertingit membranas, quoniam hæ sunt membra sensitiua, solent fieri rigores. Cum autem in rigore calor naturalis agitetur, simulque materiæ in corpore existentes commoueantur, hinc sequitur, vt rigori succedat eorum succorum, qui sint in ductibus, & viis communibus, commotio & agitatio: his autem commotis & agitatis, si motus eorum fit ad ventriculum (quod sæpissime esse cōsueuit, sicuti raro ad aluum mouentur) fit vt eorum fiat euacuatio per vomitum. Quæ autem euomuntur, solent esse diuersa, prout diuersa est abundantia succorum in corpore, vnde aliquando vomunt aliquā bilis speciem tantum, quandoq; bilem cum pituita mixtam. Quę syncera euomitur, vel est rubra, quā nominauit subcruentam, hæc enim ad sanguinem tenuem cōsistentia proxime accedit, nihilominus ea non est sanguis, quia sanguis concrescit, hæc aūt nequaquam; vel est pallida, quam nominauit liuidam; vel erit (quod intelligere voluit exemplo illarum specierum) flaua, vel æruginosa, vel porracea; vel isatodes, prout hęc vel illa in corpore magis abundat, & prout hæc vel illa magis agitatur. Quod si adsit pituitæ copia, simul cum bile pituita quoq; ei admixta euomitur. Hoc autē symptoma vomitus non est symptoma insequens necessario erysipelas, tanquam proprium morbum, sed est positum, tanquā insequens rigorem, qui in erysipelatis inuasione succedere solet.

59 *Et frequenter animo linquuntur propter sanguinis transmutationem derepente contingentē; atque hoc maximum signum est erysipelatis in pulmone generati, etsi assidua febris inuasiō contigerit.*

ANIMI defectus duplicem habet causam, scilicet vel alterationem, vel imminutionem confertim factam aut in spiritibus, aut in solidis partibus. Cum autem ex erysipelate pulmonis incendiū maximū in thorace sequatur, hinc iure merito fit, vt ex huiuscemodi affectu patientes frequēter animo linquantur, nam cum hinc sanguis maximam derepente patiatur transmutationem ad igneam naturam, indeque spiritus subitam, & cōfertim factam alterationē ad calidum patiatur, (quod idem de partibus solidis affirmari potest) non potest enim fieri, quin animi defectus sequatur: quod signum (inquit Hipp.) maximum est indicium erysipelatis in pulmone generati, non signum pathognomonicū, quoniam hoc nō morbi essentiā, sed vehementiam tantum insequitur, sed signum maximum, & certum in affectibus pulmonis inflammatoriis, nam vbi hi adsint, si animo linquantur patientes, signum erysipelatis maximum habebimus. Signum autem maximum dicitur, quia erysipelas proprie, non autem inflammationem pulmonis sequitur, quod præcipue euenit, si assidua febris inuasio fuerit, id est, si febris assidue inualescat, lucendium & ardorem nunquam remittens, multæ enim sunt incēsiuæ febres, quæ, quoniam aliquam remissionem habēt, animi deliquiū non causant, quæ autem statum terminum vel seruant, vel accrescunt, quales sunt eæ quæ in pulmonis erysipelate fiunt, spiritus & solida corpora ad igneam naturam ex feruido sanguinis ob putrescentiam coueepro calore deducunt, & simul animi defectum causant. Hoc autem non euenit in synochis continue crescentibus, quia ex his non tantum ignei caloris in sanguine accenditur, quantū in hoc pulmonis erysipelate, quoniam in synochis materia accensa est sanguinea, in hoc autem erysipelate biliosa, illa est benigna, quę accensa benigniorem inuehit calorem, hæc aūt acris, & mordax, quæ accensa calorem igneum, & summum incendium excitat. Hoc eo magis euenit, cum hic affectus sit in membro cordi vicinissimo, & à quo ingens calor cordi, cui euentatio & refrigeratio

K 2 potius

potius p eum debetur, subministratur. Quod cum non sit in febribus ardentibus, quæ ex bile accensa non conculcata, sed in venis dispersa causatur, nec in his fieri potest animi defectus, nisi summa putredo, & summum Incendium supercrescat.

60 *Huic siquidem duobus, aut tribus, aut quatuor ad summum diebus, id, quod intus est, diffusum fuerit, ac transierit foras, plerumq; sanus euadit: si vero non diffundatur, ac foras transeat, intus putrescit, & suppuratus fit, ac perit: perit autem breui, vt pulmone toto suppurato, ac putrido.*

ERYSIPELAS in pulmone factum est morbus acutissimus, & periculosissimus, vt pote qui sępius naturæ beneficio, quam artis soluatur. Solutio antē à natura facta fit p materiæ intus affligētis transmutationē ad extra, q̄ transmutatio sicuti naturæ ope vtiliter ꝓcedit, ita pariter ab arte vtiliter procurari nō potest. Cum n. omnia attrahētia medicamenta vi caloris attrahant, morbusq; instans cū summo sit incendio, medicus ab omniū calefacientiū medicamentorum genere ꝓrsus abstinere debet: quare hoc transmutationis officiū solo naturæ beneficio relinquitur, quæ vbi recte operās traducat materiam peccantē à partib. internis ad externas, omnino salubriter deducet, morbumq; hinc salubriter soluet. Hoc autem fieri soler intra primū quaternariū, ratio est, quoniam hoc summū incediū est adeo eximiū, vt boc diu natura tolerate nequeat, quare vel cito soluit, vel cito succumbit: soluit autem cito, vbi potens sit ac valida, nec materia valide reluctetur: non soluit autē, si inualida extiterit, & materia vel ob copiā, vel ob prauā qualitatem, vel ob corporis densitatē non obedierit, quo casu putrescit, & putrescens ob summū incendiū, & ob maximam præternaturalis caloris superabūdantis æstiuitatē (nisi arte incendiū remittatur, calorq; tēperetur) putredinē visceri cōmunicat, qua cōmunicata purulentus fit pulmo: purulentus quidē, quia in propria substantia corrumpitur. Talem corruptionem in pleuritide antiquiores Hipp. medici vocabant syderationem, quæ corruptio non in pus, nec in saniem soluitur, sed est corruptio & putredo partis non soluta in succum aliquem. Quare ad similitudinem loquendi antiquorū, vt habetur lib. 5. epid. in Phænice in Æniadis, & in Maliēsi, super quem currus incidit, alilsq; in locis vocetur putredo sicca, seu arida. Hæc antē inde fit, quoniā putrescens succus partis naturam deuincens eam putrefacit & corrumpit, non soluens eius substantiam in saniem, aut ichorem vllam. Ad talem sutem putredinē, & corruptionē mors cito subsequitur, quoniā diu non potest stare vita, cum tanta huius visceris corruptiune: cum enim hinc totus suppuret & putreat, non tantū cordi euentationē subministrare nequit, verū etiā hinc vaporibus putridis, ac prauis ei communicatis, caloris vitalis extinctio succedit. Pereunt igitur breui hi ægrotantes non immerito, toto hinc suppurato, ac putrido pulmone facto. At num saluari possunt patientes pulmonis erysipelata, non facta hac à natura à partibus internis ad externas transmutatione? Difficillimum sane boc est, si tamen æger robustis sit viribus, præstoque sit medicus, qui morbum opportunis expugnet medicamentis, nec vlla in re sit tardus, aut negligens, fieri potest, vt quandoque hic morbus non facta hac transmutatione soluatur, ac superetur. Medendi autem ratio hæc erit. Morbus iste pendet ab intemperie cum materia faciente tumorem in pulmone, quare iudicatur, vt materia, quæ viscus occupauit, euacuetur. Enacuabitur, si vel retrocedet, vel è viscere educatur; retrocedet vel impulsa, vel attracta; educetur vel sensibiliter, vel insensibiliter; insensibiliter p discutientia, sensibiliter vel per sputum, vel per aluum, vel per lotium; & quoniam hæc materia multo magis qualitate, quam copia affligit, ea qualitas, quæ in feruido consistit calore, & incendio attemperanda erit. An his indicationibus possimus satisfacere, vel nō, indicabunt vires ęgrotantis, & mos morbi. Robur virium, vbi morbus n[illegible]acoethe, spē salutis pręběbit, earum autem [illegible], & morbi cacoetheia adiment: vnica enim est spes salutis in morbis adeo acutis & grauibus, ipsum viriū robur, per ꝙ possumus morbū superare, nisi sit cacoethe, nam vbi morbi sint cacoethes, raro possunt resistere: quare si morbus non sit cacoethe, & virium fortitudo adsit, alacriter aggredienda est curatio, per quam hoc pacto curationis indicationibus satisfaciemus. Quoniam morbus est à materia, quæ suā euacuationem indicat, viribus constantibus statim secetur vena basilica sinistri brachii, nam à dextro cordis sinu inseritur in sinistrū pulmonis parietē vena arteriosa, deferēs sanguinē pro eius nutritione. Copiosa sit sectio, & si vltra viriū constantiā habemus habitū resolutioni reluctantē, quasi vsq; ad animi deliquium fiat, in maximis enim inflammationib. & in febribus maxime adurentibus, quorū vtrumq; hic babemus, docebat Gal. lib. p. Aph. 23. mittendū esse sanguinē vsq; ad animi defectū. Dixi antē ego quasi vsq; ad animi deliquiū, quoniā in affectibus partiū spiritualiū periculosum admodū est inducere defectū animi, quare sectio venę fiat copiosa quidē, & q̄ proxime accedat ad animi deliquium, nō tamen vere eum inducat, ꝙ tangendo pulsum cōprehendet peritus medicus, sentiens eū ad prauitatē, raritatē, & tarditatē declinare. Hoc quoque vnica fiat sectione, quoniam vbi simul alterare ad frigidū, & copiā euacuare principaliter intendimus, non p repetitā sectionē, quę potius facit ad reuulsionē, q̄ ad euacuationē, sed p vnicā, & eam copiosam mittēdus est sanguis. Quod si dubitetur de tolerantia ægri, ego in huiuscemodi casu extracto sanguine ad nouē, aut decē vncias, iubeo ministrū digito ad orificium venę firmato sanguinē sistere, postea paruula interposita mora remoto digito iterū euacuationem repetere, & si videā ex præcedēti euacuatione ęgrū languere, exhibeo buccellā panis in aqua madefactā, postea non dubito copiosiorē subinde facere sanguinis euacuationē, p hanc enim animi deliquiū, ꝙ superuenire posset, p̄caueo, hocq; nō tantū in boc morbo, sed etiā in quocunq; alio, in quo copiosā admodū euacuationē sangui-

nis de-

nis desidero, obseruo. Huiuscemodi sanguinis euacuatio maxime prodesse potest in hoc casu, tum quia pariter reuellit & euacuat, tum quia hinc sanguis, & totius corporis ambitus refrigeratur, quæ refrigeratio maxime desideratur in hoc casu ob incendium partem affectam, & totũ corpus deurans, ac flagrans. Nec est, quod hæc sanguinis missio in tali casu excludatur, quoniam Gal. in cura Erysipelatis lib. 14. Meth. docuerit non sanguinem mittendum, sed purgandum esse, quoniam ea curandi ratio debetur erysipelatibus partium exteriorum, non interiorum. Erysipelata autem partium internarum, & præcipue viscerum, cum sint morbi acuti, magni, & periculosi, stante virium robore, venæ sectionem requirunt. Antequam autem ea administretur, leniatur aluus aliquo clystere molli, ac leniente, & refrigerante; ea autẽ administrata, temperetur incendium tum per interiora, tum per exteriora adhibenda, per quæ materiei peccantis retrocessio sperari poterit. Interius exhibenda sunt refrigerantia & lenientia, quæ potius sint decocta simplicia, quam recipientia mel, aut saccarũ, q talia in eorum compositione syrupi recipiunt, nam talia solent facile in summo incendio bilescere: quare sint decocta endiuiæ, sonchi, cichorei, acetosæ, violarũ, hordei, additis seminibus scariolæ, portulacæ, iuiubis, & ad retinendam bilem quandoque addatur portiuncula vini granatorum medii saporis. Hæc decocta sint in copiosa quantitate, quoniam vt alias dixi, ea es pulmonũ affectus plurimum potum ad humectationẽ, cum hinc pulmones sint valde resiccati, requirunt: sicuti & requirunt omnes affectus interni à pura bile pendentes. Exterius adhibeantur epithemata refrigerantia ex aquis endiuiæ, acetosę, sonchi, lactucæ, violarũ, portulacæ, & similium, addita camphora, & speciebus vnguenti sandalini. Hæc à principio, dũ feruor est ingens, debent actu frigida administrari & cum incalescunt, subinde mutari, quo ad ægrotantes sentiant frigiditatem ad partes internas permeare. Si remittatur incendium, prædictis aquis addantur mucilagines lini, psillii, citoniorum, maluarum, & altheę, nec ita frigida actu, sed cum quadam tepiditate applicentur. Quod si magis remittatur incẽdium, ad quandam caliditatem æstualem inclinent, aliquaque magis discutientia superaddantur, quales sunt mucilagines fænugręci, caricarum, passularum, dactilorum, & sebesten, nunquam tamen hęc sine refrigerantibus admoueantur, nisi in vltima morbi declinatione. Ad eandem formam possunt parari & administrari emplastra, ex iisdẽ herbis, & earundem succis composita, quæ eadem ratione adhibeantur, qualem diximus in epithematibus seruandam esse, vel factis & admotis epithematibus mane, & vesperi, vel quacunque alia diei parte; hæc eadem postea applicentur, sed eodẽ ordine, ac eadem forma seruata. Cum summum est incendium, omnia olea & vnguenta, quamuis frigidiora, vitanda esse moneo, quoniam omnia pinguia, & oleosa, cum feruor & incendiũ adest, erysipelata exacerbant. Si quid autem tale administrãdum esset, cæteris præferatur ceratum simplex Galeni optime lotum, & diligentissime præparatum, quod actu frigidum appositum subinde mutetur, cum incalescit. Olea etiam frigida, quale est violaceum, rosaceum, & similia, si administranda veniant, prius lauentur vel aqua rosacea & violacea, vel aliquo herbarum frigidiorum succo, aut decocto, postea in vsum assumantur. Post horum autem vsum, remisso feruore, optimum erit oleum amigdalarum lotum, & præter hoc oleum etiam camomelinum, optime & exacte lotum. An lambitiua sint exhibenda vergente morbo, quæri potest? Attamen, vt iam dixi, omnia, quæ ex saccaro, & melle conficiuntur, vitanda sunt, quoniã omnia huiusce qualitatis facile in bilem vertuntur: nam in tali casu bilis feruet, & propter eius feruorẽ omnia dulcia bilescunt. Quare ad madefaciendum pulmonẽ ex erysipelate resiccatum, illis omissis assumatur decoctum hordei, additis passulis prius contusis, & expressis, ac seminibus cucumeris, citruli, cucurbitæ, ac melonum; quibus in summo incendio ego quandoque nonnihil vini granatorum vtiliter admiscui: remisso autẽ feruore his addi possunt capillus Veneris, glycirrhiza, iuiubæ, & magis remisso, sebesten, dactili, & in fine syrupus violatus, de liquiritia, & farfara. Et hæc poterunt facere ad sputi prouocationem, si per sputũ aliquid materiæ peccantis exercendum erit. Ad retrahendam materiã facient extremarum partium ligaturæ, frictiones, & cucurbitulæ aut scarificatæ, aut non scarificatæ, iisdem partibus admotæ, quæ remisso feruore, & declinante morbo thoraci affixæ poterunt summe prodesse. An sit purgandum in tali casu, hinc inde sunt probabiles rationes, nam cum euacuatio bilis possit facere ad retractionem materiæ, & ad tollendum feruorem, qui tolli potest educta materia feruente, videtur rationabiliter purgandum esse, ad quod respiciens Hipp. vel quicunque alius author fuerit, libr. 2. de morbis. capite de Erysipelate pulmonis, statim medicamentum purgans exhibendum esse monebat. Ex aduerso autẽ cum ab Hipp. libr. 4. reg. acut. text. 22. medicamenta purgantia in morborum ex inflammatione pendentium principio damnentur, quia nihil ab inflammata parte adimunt, cum non cedat, quæ adhuc cruda est affectio, sed potius partes sanas absumunt, & tabefaciunt, nõ videtur purgandum esse. Sed res ita explicanda erit; nulli dubium, quod materia cruda existente, & in loco particulari fixa manente, nõ conueniunt pharmaca electiue purgantia, quoniam tunc temporis nihil ex inflammata parte adimunt, & partes sanas liquefaciunt, cũ adhuc materia peccans ob sui cruditatem reluctetur, sana autẽ membra, sani humores euacuationi cedant, vnde boni, non mali, insontes, nõ peccantes succi educuntur, ad quod respiciens Hipp. loco citato libr. 4. reg. acut. damnabat medicamenta purgantia inter inflammationum initia. Sed alia vltra electiua dantur medicamenta, q tantummodo lenientia existunt, vnde nõ pertingunt partes inflammatas, sed solũ vias communes expurgant, & per quandã cõsequentiam à parte affecta aliquã humorũ retractionẽ faciũt. Talia non debent improbari, quia nequaquam

sunt apta ea nocumēta inferre, q̄ ab electiuis pharmacis materia existente cruda importantur, imo laudari debent, cum sint apta materiam & mitigare, & retrahere, quæ tamen importune non exhibeantur: etenim corpore prius per venæ sectionem euentato, ac laxato, & viis aliqualiter paratis exhibenda sunt, nec omnia lenientia ad hunc vsum indistincte assumi debent, sed ea solum, quæ & humectare resiccatos pulmones, & materiei biliosæ acrimoniam, feruorem, & ebullitionem retundere apta sunt: talis præcipue erit cassia cum multo thamarindorum decocto diluta, à cassia enim habemus humectationem, & acrimoniæ temperamentum, à thamarindis autem habemus feruoris, & ebullitionis frenum, cum quibus possunt deinde qui aliqua ad idem facientia, sicuti semina maiora frigida, & semina psillii, & citoniorum. Hunc modū purgandi si nouit author lib. 2. de morbis, optime docet purgandum esse: sin aliter (quod potius credendū est, quoniā antiquitas talia nō nouit medicamenta) male docet, nisi per erysipelas aliud morbi genus ab hoc diuersum intelligat, quoniam ex illa purgatione omnia ea mala sequuntur, quæ docuit Hipp. lib. 4. reg. acut. in tali casu superuentura fore. Vltra pharmaca dicta ad retractionē materiæ, & ad corporis temperamentum sint in cōtinuo vsu clysteria lenia, & refrigerantia, victus ratio sit in summū tenuis, si vires ferant, quod est nihil dare, quod facile est in tali morbo, q acutissimus est, executioni demandare, sicuti etiā ego quandoq; in nonnullis facile feci, q etiā per se omne genus alimenti remeebant. Sin autē aliquid dandū erit, sit ptisanæ succus admodū dilutus, quousq; morbus declinet: tunc enim declinante morbo alimēta maiora nutrimenti exhibenda erunt: vinū interim interdicatur, solisq; potionibus prædictis vtatur. In perfecta autē morbi declinatione, cū materia perfecte coacta fuerit, tunc opportunus erit medicamentorū electiuorū vsus, per q̄ materia peccans eradicari, & omnino euacuari poterit, in quorū vsu hæc obseruentur, quod non tantū bilē euacuantia propinentur, verū etiam, quod non in forma solida, ne humores ex præcedenti incendio deducti magis exiccentur: quare sint in forma potabili, & diluta aliquo refrigerante liquore. Huic curationi aliā similē curationē, ac satis probabilē visus est docuisse Hipp. lib. de internis affectionibus, quo in loco cum multa tum ad morbi causas & cognitionē, tum ad curationē opportuna explicata sint, ea in hunc locū transferantur, & declarentur. Si pulmo, inquit, ab erysipelate intumuerit, quoniā erysipelas est in genere tumorū, hic tumor maxime à sanguine fit, intellige, tenuiori, ac bilioso, cum pulmo, s. vel ex ardore cōcepto, vel ex febre deurente, vel ex labore vehementiori, præcipue in aere æstuante facto, vel ex intemperie calidiori resiccatus, in se ipsum sanguinem illū calidiorē, & tenuiorē attraxerit, & nō solū attraxerit, sed etiam ipsum tenuerit, scilicet quia fixus in parte tumorem fecerit. Morbus hic æstatis tempore maxime fit, si proportionari debet aeris tēperamento, & cōstitutioni, in tali enim aere maxime resiccatur pulmo. Hæc igitur in his, quæ dicta sunt, stantibus, ac præmissis, hæc mala & symptomata, q̄ mox recensentur, ab ipso erysipelate patitur æger. Symptomata autē, & mala sunt hæc; tussis incidit sicca, tum ob pulmonis resiccationem, tum ob humoris fluentis qualitatē siccā; & rigor, quoniam (vt iam dictū est) commota bile per sentientia corpora, quales sunt membranę ad pulmonē pertingentes, succedit rigor; & febris, scilicet ardens, tum ratione partis affectæ, q̄ est viscus prope cor, tum ratione affectionis, cum sit erysipelas pendens à bile feruēte; & erecta ceruice spiratio, nam aucta necessitate, & pulmone tumescente decumbendo, cum hinc angustientur in spiritu, quiescere nequeunt, vnde recta ceruice spirare coguntur; & dolor fortis in pectoribus, nam tam partes anteriores, q̄ posteriores patiuntur ob colligantiā membranarū dolorē acutum, & extensiuū; & nares aperit velut equus à cursu, nam narib. anhelare, & spiritū pinnis narium commotis trahere, vbi nō pendeat talis spiratio à summo viriū languore, necessario sequitur ad incendiū in thorace flagrans, vna cū læsione partiū spirationi inseruientiū; & linguā exerit, velut canis æstate ardoris flatu vstus, nam aperto ore ob flammam deurentē hiant, & hiando linguam à principio tanq̄ ranæ exerunt, sed in progressu, cum ex ardore admodū siccetur lingua, nō exeritur, sed contrahitur, & inde multo breuior, q̄ antea fuerit, redditur; & tumor detinet pectora, tumente pulmone, ac membranis, & parū loquitur, quia lingua nō obedit ob nimiā siccitatē ex ardore contractam; & rubor est in facie, quia facies magis ad affectus pulmonis, q̄ cuiuscunq; alterius morbi cōpatitur, vaporationes inde eleuatas facile suspiciēs; & pruritū fert in corpore, quoniā cutis exarescens prębet sensum rei prurientis; & p̄ dolore decumbere non potest quia nō tantū ex decubitu laborant propter anhelitus difficultatē, verū etiā propter dolorē, qui ex decubitu augetur, cum per eum magis cōprimatur thorax, sed ipse se ipsum anxius iactat. Hūc motū vocabat Hipp. in prognosticis perturbationē, quoniā sicut perturbatur mare ex vento, & tempestate, & inde in maximo est motu, ita perturbati ęgri nō quiescentes, huc & illuc se iactant. Hic in septem diebus moritur, intellige ad summū, quia in quarta, vel paulo post vt plurimū pereunt. Verū tamen in principio, cum sic habuerit, per hæc curetur. Dixit in principio, quia cum in valde acutis tardare medicationē sit malū, in his pessimū est, ob subsequētem inde velocē corruptionē: quare à principio statim medicandi sunt. Curatio aut talis est: corpus quidē perfrigeretur, hanc perfrigerationē præcipue operabitur missio sanguinis copiosa, sed præter hanc etiā refrigerantia exterius admota ad hoc idē apta sunt. Talia autē exterius adhibita debent esse actu frigida: quapropter inquit, corpus refrigeretur betis in aqua frigida tinctis, ac corpori impositis: betis vtitur tanquā commodiori, & maxime vulgari herba, non ad refrigerandū per vim, & facultatē ipsius betę, cum ipsa sit potius calida, & nitrosa, sed per vim, & facultatem aquæ frigidæ: vtitur enim betis tanquam materia, quæ aqua frigida madefieri, & inde facile thoraci applicari possit, & ideo inquit, betis aqua frigida tinctis. Hanc autem materiam actualiter frigidam dicit maxime adhiben-

hibendam esse in recenti dolore, quoniam statim & à principio conueniunt frigidiora magis, q̃ in progressu, etenim per dolorem recentem eum intelligit, qui principium de recenti habet. Aut lintea frigida aqua tincta ac expressa apponito, id est, si betam frigida aqua madefactam non apposueris, appone lintea pari ratione aqua frigida madefacta, non enim per betam, aut per linteum, sed per actualem aquæ frigiditatem sperat refrigerationẽ: quapropter indifferenter vtitur aut beta, aut linteo, & si quidem sic melius, vt par est, habuerit, satis est. Nam refrigerato pulmone, ex adhibitis actualiter refrigerantibus medicamentis, non amplius in eis insistendum est, sin minus, id est, si nondum refrigerantia præsidia finem suum consequuta fuerint, terram figularem frigidam pro cataplasmate imponito, quę terra sicut refrigetare apta est, ita etiam, cum incalescit, erit permutanda. Hæc autem terra non sicca, sed aqua diluti applicari debet, alias actualiter multum refrigerate nequaquam apta foret, & sub dio, id est, non in loco clauso, & angusto, quia hinc incendium, & suffocatio augetur, sed in aere aperto, & in loco amplo, ac si sub dio esset, decumbat. Sic autem tractatus accuratus sæpe septẽ dies effugerit. Dixit, sæpe, ratione neglectæ, aut procrastinatæ, aut male tentatæ curationis: septem autem dicit dies, ratione termini ægritudinis: non enim vltra septimam hæc ægritudo prorogatur, si recte, & cito curetur: si autem tarde vel male, vbi septem dies prætetierint, & dolor perseneret, quoniam tunc omnino incendium est remissum, alias vltra septimã non prorogaretur morbus, & morbus aliquam coctionem, non tantam amplius refrigerationem requirit, dolentem partem cum oleo illinito, sc. laxante, & quoquo pacto calore tepido donato, & tepefactoria eadẽ, quæ in pleuritide, adhibeto; nam tunc pleuritidis curatio per laxantia & concoquentia facta conuenit; & purgationem si materia fuerit concocta, vt par est, ad subpurgationem ipsi dato ex peplio & meconide, siue peplo, & grano Cnidio, peplium exhibet, quia præter id, quod purgat, facit ad doloris solutionem, & flatuum discussionem: admiscet autem papauer dolore vrgente, qui vsus medicamentorum electiue purgantium, cum stupefacientibus admixtorum aduotãdus est, cum hac ratione quãdoq; antiquiores medici dolorib. vrgentib. conati sint resistere, quod si non vrgeant dolores, pepliũ cũ grano Cnidio admiscet; & post purgationẽ lenticulę heminã absorbendã dato quoniam à purgatione sumpta sunt abluenda vẽtriculus, & intestina à medicamento assumpto, ideo ab eo exhibet decoctũ lentis, q lubricando & abstergendo aluum ducit, licet lentis substantia adstringentis sit facultatis; exhibere a. heminam, quasi ad vncias decẽ. Bibat autẽ aquam, quoniã vini potus in inflammationib. internis pniciosus est. Postera die multa calida aqua in ipsum lauato capite excepto, nam purgato ab excrementis corpore, conuenit aquę dulcis balneũ tum ad discussionẽ materiæ peccantis, tum ad doloris sedationẽ, vnde ad hanc intentionẽ ab Hip. lib. 3. reg. ac. 18. in peripneumonicis, & in lateris, pectoris, & dorsi dolorib. balneũ laudatur, quibus omnib. nõ potest non prodesse præsupposita corporis vniuersalis euacuatione, & ad sedandos dolores, & ad materiam eos causantem discutiendam. Totum autẽ corpus infundatur excepto capite, quoniam caput nec infundendum, nec balneandum venit, nisi, vt ibidem lib. citato 3. reg. acut. habetur, vbi instet, & desideretur sanguinis e naribus fluxus: postea origanum in aqua multa macerato, & bibendum dato: nam in vltima morborum declinatione, quæ supersunt euacuanda, sunt crassioris peccantis materiei partes, & ideo attenuantibus, quale est origanum, vtitur ad hæc concoquenda & educẽda, potibusq; q̃ calidissimis vtatur. hæc ad cõualescentiũ viuẽdi rationẽ, non ad morbi curationẽ pertinent. Nam purgato corpore, & administrato balneo, & ꝓpinata mulsa, in qua origanum maduerit, censet morbũ ac dolores sublatos esse, qbus sublatis monet conualescentes vti, potibus q̃ calidissimis, nõ simpliciter calidissimis, sed in cõparatione eorũ, q in morbi vigore administrabãtur, nã sicuti omnia tunc tẽporis frigida, ita hoc tẽpore omnia calida adhibeantur: cum n. thoraci frigidum sit inimicum, & per vsum refrigerantium medicamentorum non potuerit non aliqualiter læsum esse, omnia administranda debent exhiberi calida ad correctionem; & temperamentum, quare potus sit quam calidus, & cibaria pariter, ac omnia exteriora admota. Cibos autẽ accipiat eosdem, quos, & qui à pleuritide est correptus, si non febris adhæserit, id est, eadem viuendi vtatur ratione, qua vtuntur cõualescentes ex pleuritide, nisi febris perseueret, id est, si in totum morbus sublatus erit: nam perseuerante febre non soluti adest suspicio. Hæc autẽ ratio victus nec debet esse tenuis, qualis in morbis acutis debetur, nec crassa, qualis sanis conuenit, sed media, quoniam conualescentes ex morbo acuto, in quib. summa iam præcessit vel inedia, vel viuendi ratio tenuissima, non debent properare ad victũ crassiorem, alias ex cruditatibus, quę necessario ex imbecillitate facultatum naturalium succederent, fieret vel recidiua prioris morbi ob membri patientis debilitatem, vel nouæ aliæ subsequerẽtur febres. Concludens a. Hipp. inquit: hic morbus grauis est, & pauci effugiunt: ratio est in promptu, quia hic morbus est grauissimus inter acutos, qui nisi celerem & opportunam habeat curationem, omnino ægrotantes perdet. Hæc de tractione erysipelatis pulmonis libro de internis affectionibus explicata. Verum quoniam de altera meminimus curatione posita lib. 2 de morb. in qua possent esse multa dubitanda, & quæ contra prædicta plurimã facere possent difficultatem, animaduerto per erysipelas pulmonis eo in loco non intelligi tumorem à bile factum, sed eam supercalefactionem, quam Græci phlogosim, non phlegmonem vocant, quæ est tanquam febris partis affectæ, cum in ea superaccensus sit calor extraneus, talis supercalefactio, & phlogosis in pulmone dicitur eo in loco erysipelas per quandam analogiam, quoniam sicuti in vero erysipelate adest calor immoderatus, ita pariter est in hoc affectu. Tale autẽ erysipelas differt ab eo, de quo superius actum est, quoniam in illo, quod vere erysipelas est, & appellatur,

materia fixa est in pulmonis extima substantia, & facit tumorem: hoc autem non pendet à materia, sed ab intemperie, ratione cuius intemperiei cum fiant plurimæ euaporationes ad cerebrum, non potest non iungi cum eo destillatio à cerebro, ex qua multa superueniunt in hoc morbo mala. Præterea differt, quoniam verum erysipelas est morbus simpliciter acutus: hoc autem est longus adeo, vt quandoque concomitetur patientes vsque ad senium. Cum autem hi duo affectus ita inter se distent ac differant, nec mirum sit, si huius curatio ab illius curatione multum differt. Vt autem res pateat, nonnulla declaro ex ea tractatione. In tali pulmonis erysipelate, inquit, fieri tussim, & saliuã expui multam tanquam de gutture, quoniam ex materia destillante irritatur tussis, sed materia, quæ expuitur, non per tussim vere excreatur, sed per rasicationem, quoniam ex gutture, ad quod descendit, educitur. Dicitur autem saliua ad differentiam sputorum, quę ex thorace educuntur, & quæ ex patientibus locis educta colorata esse consueuerunt, non simpliciter saliua dicta. Dolor in hoc affectu non tantum occupat dorsum & pectus, quibus alligatur pulmo, sed etiam ilia, & hypochondria, quoniam ex hac supercalefactione etiam illæ partes incalescunt, & simul propriis humiditatib. exuguntur. Vomitus pituitæ acidæ accedit ratione materiæ destillantis, quæ ventriculum replens, ac lædens, coctionem labefactat, & inde aciditas cum in excrementis, tum in chylo superuenit, cuius ratione non tantum pituitã acidam vomunt, sed etiam acidum eructant, quæ aciditas causatur quoq; ex superflua illa supercalefactione, robur vẽtriculi dissoluente. Dentes stupescunt, quoniam acida in dentes ob sui penetrationem inæqualitatem inducentia stuporem causant, per vomitum autem dentes tangũtur à pituita acida. Superuenit febris, ac rigor in morbi inuasione, quoniam aliqua putredo incipit, & aliqua materiæ portio per sensibiles corporis partes transmittitur, & sitis vrget ratione caliditatis pulmonis, & ratione febrilis accessionis, & ventet, vbi quid ederit, μύζει, id est, mussat, quod est, ac si diceret, murmurat: murmurat autem, quoniam non perfecte cibum ob discurrentes flatus ventriculus amplectitur. Venter stridet ob multos flatus, nam materia est crudior, & calor extraneus ingens, ac notabilis. Corpus torpet ob læsionem multorum membrorum, & vbi euomerint, melius babent, quoniam subleuatur ventriculus à materia destillante, & in eo genita, quæ copiosa existens non tantum ventriculum grauat, verum partes quoq; spirituales male afficit; quod si non vomant, subsequitur tormen in ventre, descendente materia ad inferiora, & inde alui excrementa ob cruditatem liuida succedunt. Hic morbus causatur & ex ebrietatibus, cũ vinum potens copiose ebibitum pulmonem supra modum calefaciat, & simul in cerebro languorem, & frigidam intemperiem introducat: & ex carnium esu, crapula enim cruditates & destillationes auget: & ex aquarum mutatione, sc. a-d malas, ex quibus viscera labefactantur, & destillationes augentur:

non tantum autem ex his causis, sed etiam ex aliis similib. producitur hic morbus. Hæc de signis & de causis. Curatio sequitur, in qua multa sunt notanda, licet rudis quodammodo existat, sed in antiquioribus illis medicis toleranda. Statim purgat deorsum ob materiæ copiam, quæ ventriculum & viscera ex destillatione occupat, & quoniam timet supercalefactionem thoracis à pharmaco, iubet superbibendum esse lac asininum ad contemperandum pharmaci calorem, & ad refrigerandum pulmonem, nisi (inquit) æger sit spleneticus. Nam in quibus præcordia suspensa sunt, (vt habetur lib. 5. aph. 64.) vel per inflammationem, vel per erysipelas, vel per scyrrum, lac exhibendum non est: splenici enim (quod notandum est) non sunt purgandi nec lacte, nec sero, nec succo aliquo, quoniam spleni omnis bumiditas noxia est, sed eo pharmaco, quod modice ingestum multum educit, id est, aliquo medicamento solido, quales sunt pillulæ nostræ, quæ in pauca quantitate exhibitæ, multam & copiosam educere materiam possunt. Vbi autem aluus in morbo non fluat, iubet clysteria imponenda, & suppositoria indenda esse, quod non tantum in isto, sed etiam in omni alio morbo faciendum esse docet. Monet etiam, adbibendum esse aquæ frigidæ lauacrum, ad contemperandam pulmonis ingentem caliditatem, postea vtendum esse exercitio, si febris remiserit, ad discussionem & resolutionem tot excrementorum, quæ in tali affectu accumulantur & abundant. Ad subleuandos ægrotantes ab hoc longo morbo laudat vomitum vere, & autumno. Ad prouocandum autem vomitum duplex medicamenti genus instituit: alterum ex alliis, origano, vino dulci, aceto, & melle: alterũ ex lenticulæ decocto, melle & aceto, quæ ambo opportunissima sunt ad excitandum vomitũ, quoniam recipiunt quæ pituitam dissecare, & à ventriculo abstergere, eundemque ventriculum laxare possunt. Dissecantia sunt origanum, allia, & acetũ: abstergentia v. sunt mel, & decoctũ lenticulæ: ventriculum laxantia sunt ipsum mel, & vinum dulce. A vomitu postea tenuiter alit, & hoc iure merito, cum ex vomitu ventriculus labefactatus grauari non debeat, ne iterum noua cruditatum generatio accedat. Reliquo a. tempore, sci. præter ver, & præter autumnum, in quo illa medicamenta ad vomitum prouocandum administranda sunt, in omni alio tempore anni vomat, assumpto à cibo simplici lenticulæ decocto. Ex quibus habeamus vere, & autumno vomitum vehementiorem magis conuenire, & hunc per magis composita medicamẽta excitandum esse: reliquo autem tempore per simpliciora prouocandus erit, ad quod maxime valet lenticulæ decoctum. His factis si dolor ex dorso ad spatulas discesserit, iisdem cucurbitulam applicare monet, & venas manuum protrudendas esse iubet: hoc autem facit, cum vt materiam reuellat, tum vt refrigeret. Cucurbitula euocat, & missio sanguinis reuellit, & refrigerat cibaria salsa, & pinguia prohibet, quoniam talia affectus calidos exacerbant; acria autem, & acida frigida ad attenuationem exhibet, & deambulationibus vti monet, nam in

morbis

morbis longis exercitationes faciunt ad discussionem & resolutionem morbi, & simul conferunt ad virium robur. Si patiens, inquit, hac vtatur victus ratione, per multũ tẽporis morbus prorogari poterit, nam morbus non est lethalis, & senescentes relinquit: etenim huiusce qualitatis morbi solent in senectute patientes relinquere, cum diu homines detinuerint, de quibus loquens Hipp. libr. 6. epid. sect. 5. tex. 6 dicebat: Morbi simul nutriti in senecta relinquunt, & per concoctionem, & per solutionẽ, & per rarefactionem. Hic morbus per concoctionem facto temperamento caloris superfluentis ex superueniente senio & per rarefactionem, quoniam excrementa per vasa magis ex senio ob atrophiam rarefacta facile extramittuntur, vnde temperato pulmonis calore, & excrementis expurgatis, hoc erysipelatis genus in senectute patientis relinquit. Quod si à tali morbo velit medicus iuniorem aliquem ægrotantem præseruare, ne ad senectutem pertingat, dorsum & pectus inurendum esse monet: per has enim inustiones exhalans internus calor, & excrementa permeantia, soluere morbum, & inde affectioni terminum statuere possunt. Hæc de tractatione erysipelatis pulmonis in libr. 2. de morbis recitata sufficiant, quæ omnia & singula declarasse volui, tum quoniam casus hic est difficilimus, tum ne iuniores in hac curatione decipiantur ob locorum, in quibus de pulmonis erysipelate agitur, diuersitatem.

61 *Si vero foras diffusum introuertatur, & pulmonem corripiat, huic nulla vitæ spes reliqua est, cũ enim materiã resiccatus pulmo traxerit in seipsum, non amplius dimittit, sed statim ab ardore & siccitate nihil amplius suscipit, neq; quicquam sursum distribuit, sed corrumpit.*

QVONIAM decretoria recurrentia, vt habetur lib. 2. epid. sect. 1. mala sunt, pessima autẽ si cõtraria naturæ primariæ repant, & in locũ, vnde abscesserint, redeant, ideo non sit mirũ, si materia, quę erysipelas faciens extra transmissa, iterum intro cõuersa denuo pulmonem corripit, facit lethalem casum: nam talis recursus indicat materiã nõ regulari à natura, morbũq; ca foetbe esse, locumq; affectum maximã imbecillitatẽ contraxisse. Quare nulla his spes vitæ reliqua est, cũ hinc liquat pulmonẽ amplius hanc materiam extramittere non posse, sed eam pertinaciter retinere, à qua tũ ob ardorem, tum ob siccitatem superinductam admodũ resiccatus pulmo nec nutrimentum aliunde suscipit, nec excrementa à se transmittit, qua de re necessario corrumpitur: ad hanc autem corruptionem mors ex necessitate & ineuitabiliter succedit.

62 *Tuberculum in pulmone fit hoc modo, cum pituita aut bilis coacta putrescit.*

CORPORIS nostri partes ex materia pręter naturã accedẽte, tripliciter immutari solent: alias enim per materiam aut imbibitam, aut aggeneratam notabiliter tumẽt, alias ex iis facta in earum particula egerminatione leuiter extra corporis superficiem extuberant, alias in extrema tantum superficie, intacta remanente parte interna, exasperantur per minimas eminentias. Prima immutatio fit per tumores: secunda per tubercula: tertia per pustulas. Tumores ex imbibita materia sunt inflãmatio, erysipelas, ædema, scyrrus, cãcer, & quæ huiusce sunt conditionis: tumores autem ex aggenerata sunt melicerides, steatomata, atheromata, brõchocælę, & alia similia. Tubercula sunt furunculi, terminthi, carbunculi, glandula, nodus, struma adinũ velox, inflammatio, & alia talia. Pustulæ sunt ephelides, epinyctides, hydroa, ionthi, ecthymata, varioli, morbilli, verrucæ, papulæ, phlyctides, & alia huiusce generis. Differunt hæc tria ab inuicem non toto genere, cum omnia sint in tumorum generib. sola magnitudine differentia (nam tumores sunt magni, tubercula sunt minora, pustulæ sunt minimæ) sed partis affectæ ratione, quoniam tumores partem affectam deprehendunt, tubercula ex eis progerminant, pustulæ extimam superficiem occupant. Communicant autem tam in materia, q̃ in generationis modo: etenim sicut tumores fiunt promiscue & separatim ab omni materia vel calida frigida, vel tenui, vel crassa, si quidem & à sanguine, & à bile, & à pituita, & à succo melancholico, & ab ichoribus, & à flatu indifferenter fiunt, ita pariter tubercula, & pustulæ gignuntur ab vnaquaque, & singula ex prædictis materia, hac tamen habita differentia, q̃ pustulæ potius ab ichorosa materia, tubercula autem potius ab humorosa & crassiori fiunt. Nã pustulæ fere omnes in saniem ichorosam, & tenuem degenerant: tubercula autem suppurantia in crassam, loquendo de pustulis humidis. Quæ enim siccę sunt naturæ, id est, quę in saniem nõ soluuntur, vel fiunt à tenuissima materia, quæ cito & facile dissolui potest, quales sunt morbilli, vel ab adeo crassa & viscida, vt deflationi maxime reluctetur, ac suppurationi nequaquam apta existat, cuiusce naturæ sunt verrucæ. Ex materiæ autem communione omnia hæc pariter hoc habent, quod q̃ ex calidiore & tenuiore fiunt materia, in acumen magis attollantur, & sublimiora euadant, & citius terminentur: quæ vero ex frigidiore & crassiore in latum magis tendant, decliniora fiant, & tardius terminentur, cuius ratione de pustulis ab Hipp. lib. 6. epid. sect. 2. tex. 30. dictum fuit, latas non admodum prurire, quoniam latę, cum à materia frigidiori & crassiori pendeant, non ita pruriunt, quemadmodum si à calidiore & tenuiore penderent. Communicat etiam in generationis modo, quoniam sicut tumores duplici fiunt ratione, scilic. vel imbibita, vel aggenerata materia, id est, vel per fluxionem, ex qua transmitti, & fluentes humores in affectam partem recipiuntur & imbibuntur, vel per congestionem, ex partis vel imbecillitate proprium nutrimentum alterare nequeuntis, vel vitio idipsum corrumpente pendentem, ex qua humor præter naturam parti affectæ aggeneratur, ita pariter fiunt tubercula, & pustulæ. Tubercula ex fluxione sunt veluti furunculus, & adenarum inflammatio, ex congestione, vt ganglia, nodi, & strumæ, quæ

non

materia fixa est in pulmonis extima substantia, & facit tumorem: hoc autem non pendet à materia, sed ab intemperie, ratione cuius intemperiei cum fiant plurimæ euaporationes ad cerebrum, non potest non iungi cum eo destillatio à cerebro, ex qua multa superueniunt in hoc morbo mala. Præterea differt, quoniam verum erysipelas est morbus simpliciter acutus: hoc autem est longus adeo, vt quandoque concomitetur patientes vsque ad senium. Cum autem hi duo affectus ita inter se distent ac differant, nec mirum sit, si huius curatio ab illius curatione multum distet. Vt autem res pateat, nonnulla declaro ex ea tractatione. In tali pulmonis erysipelate, inquit, fieri tussim, & saliuā expui multam tanquam de guttute, quoniam ex materia destillante irritatur tussis, sed materia, quæ expuitur, non per tussim vere excreatur, sed per rascationem, quoniam ex gutture, ad quod descendit, educitur. Dicitur autem saliua ad differentiam sputorum, quę ex thorace educuntur, & quæ ex patientibus locis educta colorata esse consueuerunt, non simpliciter saliua dicta. Dolor in hoc affectu non tantum occupat dorsum & pectus, quibus alligatur pulmo, sed etiam ilia, & hypochondria, quoniam ex hac supercalefactione etiam illæ partes incalescunt, & simul propriis humiditatib. exuguntur. Vomitus pituitæ acidæ accedit ratione materiæ destillantis, quæ ventriculum replens, ac lædens, coctionem labefactat, & inde aciditas cum in excrementis, tum in chylo superuenit, cuius ratione non tantum pituitā acidam vomunt, sed etiam acidum eructant, quæ aciditas causatur quoq; ex superflua illa supercalefactione, robur vētriculi dissoluente. Dentes stupescunt, quoniam acida in dentes ob sui penetrationem inæqualitatem inducentia stuporem causant, per vomitum autem dentes tangūtur à pituita acida. Superuenit febris, ac rigor in morbi inuasione, quoniam aliqua putredo incipit, & aliqua materiæ portio per sensibiles corporis partes transmittitur, & sitis vrget ratione caliditatis pulmonis, & ratione febrilis accessionis, & venter, vbi quid ederit, μύζει, id est, mussat, quod est, ac si diceret, murmurat: murmurat autem, quoniam non perfecte cibum ob discurrentes flatus ventriculus amplectitur. Venter strider ob multos flatus, nam materia est crudior, & calor extraneus ingens, ac notabilis. Corpus torpet ob læsionem multorum membrorum, & vbi euomerint, melius habent, quoniam subleuatur ventriculus à materia destillante, & in eo genita, quæ copiosa existens non tantum ventriculum grauat, verum partes quoq; spirituales male afficit; quod si non vomant, subsequitur tormen in ventre, descendente materia ad inferiora, & inde alui excrementa ob cruditatem liuida succedunt. Hic morbus causatur & ex ebrietatibus, cū vinum potens copiose ebibitum pulmonem supra modum calefaciat, & simul in cerebro languorem, & frigidam intemperiem introducat: & ex carnium esu, crapula enim cruditates & destillationes auget: & ex aquarum mutatione, sc. ad malas, ex quibus viscera labefactantur, & destillationes augentur: non tantum autem ex his causis, sed etiam ex aliis similib. producitur hic morbus. Hæc de signis & de causis. Curatio sequitur, in qua multa sunt notanda, licet rudis quodammodo existat, sed in antiquioribus illis medicis toleranda. Statim purgat deorsum ob materiæ copiam, quæ ventriculum & viscera ex destillatione occupat, & quoniam timet supercalefactionem thoracis à pharmaco, iubet superbibendum esse lac asininum ad contemperandum pharmaci calorem, & ad refrigerandum pulmonem, nisi (inquit) æger sit spleneticus. Nam in quibus præcordia suspensa sunt, (vt habetur lib. 5. aph. 64.) vel per inflammationem, vel per erysipelas, vel per scyrrum, lac exhibendum non est: splenici enim (quod notandum est) non sunt purgandi nec lacte, nec sero, nec succo aliquo, quoniam spleni omnis humiditas noxia est, sed eo pharmaco, quod modice ingestum multum educit, id est, aliquo medicamento solido, quales sunt pillulæ nostræ, quæ in pauca quantitate exhibitæ, multam & copiosam educere materiam possunt. Vbi autem aluus in morbo non fluat, iubet clysteria imponenda, & suppositoria indenda esse, quod non tantum in isto, sed etiam in omni alio morbo faciendum esse docet. Monet etiam, adhibendum esse aquæ frigidæ lauacrum, ad contemperandam pulmonis ingentem caliditatem, postea vtendum esse exercitio, si febris remiserit, ad discussionem & resolutionem tot excrementorum, quæ in tali affectu accumulantur & abundant. Ad subleuandos ægrotantes ab hoc longo morbo laudat vomitum vere, & autumno. Ad prouocandum autem vomitum duplex medicamenti genus instituit: alterum ex alliis, origano, vino dulci, aceto, & melle: alterū ex lenticulæ decocto, melle & aceto, quæ ambo opportunissima sunt ad excitandum vomitū, quoniam recipiunt quæ pituitam dissecare, & à ventriculo abstergere, eundemque ventriculum laxare possunt. Dissecantia sunt origanum, allia, & acetū: abstergentia v. sunt mel, & decoctū lenticulæ: ventriculum laxantia sunt ipsum mel, & vinum dulce. A vomitu postea tenuiter alit, & hoc iure merito, cum ex vomitu ventriculus labefactatus grauari non debeat, ne iterum noua cruditatum generatio accedat. Reliquo a. tempore, sci. præter ver, & præter autumnum, in quo illa medicamenta ad vomitum prouocandum administranda sunt, in omni alio tempore anni vomat, assumpto à cibo simplici lenticolæ decocto. Ex quibus habeamus vere, & autumno vomitum vehementiorem magis conuenire, & hunc per magis composita medicamēta excitandum esse: reliquo autem tempore per simpliciora prouocandus erit, ad quod maxime valet lenticolæ decoctum His factis si dolor ex dorso ad spatulas discesserit, iisdem cucurbitulam applicare monet, & venas mannum protrudendas esse iubet: hoc autem facit, cum vt materiam reuellat, tum vt refrigeret. Cucurbitula euocat, & missio sanguinis reuellit, & refrigerat. Cibaria salsa, & pinguia prohibet, quoniam talia affectus calidos exacerbant; acria autem, & acida frigida ad attenuationem exhibet, & deambulationibus vti monet, nam in

morbis

morbis longis exercitationes faciunt ad discussionem & resolutionem morbi, & simul conferunt ad virium robur. Si patiens, inquit, hac vtatur victus ratione, per multũ tẽporis morbus prorogari poterit, nam morbus non est lethalis, & senescentes relinquit: etenim huiusce qualitatis morbi solent in senectute patientes relinquere, cum diu homines detinuerint, de quibus loquens Hipp. libr. 6. epid. sect. 5. tex. 6 dicebat: Morbi simul nutriti in senecta relinquunt, & per concoctionem, & per solutionẽ, & per rarefactionem. Hic morbus per concoctionem facto temperamento caloris superfluentis ex superueniente senio & per rarefactionem, quoniam excrementa per vasa magis ex senio ob atrophiam rarefacta facile extramittuntur, vnde temperato pulmonis calore, & excrementis expurgatis, hoc erysipelatis genus in senectute patientis relinquit. Quod si à tali morbo velit medicus iuniorem aliquem ægrotantem præseruare, ne ad senectutem pertingat, dorsum & pectus inungendum esse monet: per has enim inustiones exhalans internus calor, & excrementa permeantia, soluere morbum, & inde affectioni terminum statuere possunt. Hæc de tractatione erysipelatis pulmonis in libr. 2. de morbis recitata sufficiant, quæ omnia & singula declarasse volui, tum quoniam casus hic est difficilimus, tum ne iuniores in hac curatione decipiantur ob locorum, in quibus de pulmonis erysipelate agitur, diuersitatem.

61 *Si vero foras diffusum introuertatur, & pulmonem corripiat, huic nulla vitæ spes reliqua est, cũ enim materiã resiccatus pulmo traxerit in seipsum, non amplius dimittit, sed statim ab ardore & siccitate nihil amplius suscipit, neq; quicquam sursum distribuit, sed corrumpit.*

QVONIAM decretoria recurrentia, vt habetur lib. 2. epid. sect. 1. mala sunt, pessima autẽ, si cõtraria naturæ primariæ repant, & in locũ, vnde abscesserint, redeant, ideo non fit mirũ, si materia, quę erysipelas faciens extra transmissa, iterum intro cõuersa denuo pulmonem corripit, facit lethalem casum: nam talis recursus indicat materiã nõ regulari à natura, morbũq; cacoethe esse, locumq; affectum maximã imbecillitatẽ contraxisse. Quare nulla his spes vitæ reliqua est, cũ hinc liqueat pulmonẽ amplius hanc materiam extramittere non posse, sed eam pertinaciter retinere, à quarũ ob ardorem, tum ob siccitatem superinductam admodũ resiccatus pulmo nec nutrimentum aliunde suscipit, nec excrementa à se transmittit, quo de re necessario corrumpitur: ad hanc autem corruptionem mors ex necessitate & ineuitabiliter succedit.

62 *Tuberculum in pulmone fit hoc modo, cum pituita aut bilis coacta putrescit.*

CORPORIS nostri partes ex materia præter naturã accedẽre, tripliciter immutari solent; aliæ enim per materiam aut imbibitam, aut aggeneratam notabiliter tumẽt, aliæ ex iis facta in earum particula egerminatione leuiter extra corporis superficiem extuberant, aliæ in extrema tantum superficie, intacta remanente parte interna, exasperantur per minimas eminentias. Prima immutatio fit per tumores: secunda per tubercula; tertia per pustulas. Tumores ex imbibita materia sunt inflãmatio, erysipelas, ædema, scyrrus, cãcer, & quæ huiusce sunt conditionis: tumores autem ex aggeneratã sunt meliceriides, steatomata, atheromata, brõchocelę, & alia similia. Tubercula sunt furunculi, terminthi, carbunculi, glandula, nodus, struma adinũ velox, inflammatio, & alia talia. Pustulæ sunt ephelides, epinyctides, hydroa, ionthi, ecthymata, varioli, morbilli, verrucæ, papulæ, phlyctides, & alia huiusce generis. Differunt hæc tria ab inuicem non toto genere, cum omnia sint in tumorum generib. sola magnitudine differentia (nam tumores sunt magni, tubercula sunt minora, pustulæ sunt minimæ) sed partis affectæ ratione, quoniam tumores partem affectam deprehendunt, tubercula ex eis progerminant, pustulæ extimam superficiem occupant. Communicant autem tam in materia, q̃ in generationis modo: etenim sicut tumores fiunt promiscue & separatim ab omni materia vel calida frigida, vel tenui, vel crassa, si quidem & à sanguine, & à bile, & à pituita, & à succo melancholico, & ab ichoribus, & à flatu indifferenter fiunt, ita pariter tubercula, & pustulæ gignuntur ab vnaquaque, & singula ex prædictis materiis, hac tamen habita differentia, q̃ pustulæ potius ab ichorosa materia, tubercula autem potius ab humorosa & crassiori fiunt. Nã pustulæ fere omnes in saniem ichorosam, & tenuem degenerant: tubercula autem in suppurantia in crassam, loquendo de pustulis humidis. Quæ enim siccę sunt naturæ, id est, quę in saniem nõ soluuntur, vel fiunt à tenuissima materia, quæ cito & facile dissolui potest, quales sunt morbilli, vel ab adeo crassa & viscida, vt deflationi maxime reluctetur, ac suppurationi nequaquam apta existat, cuiusce naturæ sunt verrucæ. Ex materiæ autem commotione omnia hæc pariter hoc habent, quod q̃ ex calidiore & tenuiore fiunt materia, in acumen magis attollantur, & sublimiora euadant, & citius terminentur: quæ vero ex frigidiore & crassiore in latum magis tendant, deciuiora fiant, & tardius terminentur, cuius ratione de pustulis ab Hipp. lib. 6. epid. sect. 2. tex. 30. dictum fuit, latas non admodum prurire, quoniam latę, cum à materia frigidiori & crassiori pendeant, non ita pruriunt, quemadmodum siã calidiore & tenuiore pendeterent. Communicat etiam in generationis modo, quoniam sicut tumores duplici fiunt ratione, scilic. vel imbibita, vel aggenerata materia, id est, vel per fluxionem, ex qua transmitti, & fluentes humores in affectam partem recipiunsor & imbibuntur, vel per congestionem, ex partis vel imbecillitate proprium nutrimentum alterare nequeuntis, vel vitio idipsum corrumpente pendentem, ex qua humor præter naturam parti affectæ aggeneratur, ita pariter fiunt tubercula, & pustulæ. Tubercula ex fluxione sunt veluti furunculus, & adenarum inflammatio, ex congestione, vt ganglia, nodi, & strumæ, quæ non

non semper ex fluxione, sed quandoque ex congestione ob partium imbecillitatem generantur. Pustulæ ex fluxione sunt papulæ, epinystides, hydria, ionthi, varioli, & morbilli, ex congestione verrucæ, ac rocherdones, myrmeciæ, claui. Quæ fiunt ex fluxione, siue sint tumores, siue sint tubercula, siue pustulæ, omnia eadem pariter fiunt ratione, scilic. natura corporis altiores sedes repurgante, & ad cutaneas partes expellente noxia excrementa, quæ postea in partis substantiam recipiuntur. Quæ autem fiunt ex congestione, non omnia pari ratione fiunt: aliæ enim fiunt non tantum per materiæ aggenerationem, verum insuper natura in parte affecta sibi viam recludente & faciente, in qua præternaturalis materia aggenerata colligitur, alias natura non tantum sibi viam recludit ad repositionem illorum excrementorum, verũ etiam efformat chystim, & folliculum, in quo illam reponit. Tali modo procedit in generatione atheromatum, & meliceridum, in quorum generatione non tantum facit repositionem materiæ prçter naturam, sed etiam effingit folliculum ad cõtinendam eam. Hoc idem in tuberculis aliquando euenit, cum aliqua per congestionem genita fiant, aggregata tamen & aggenerata materia prçter naturam, & collecta in cauitate à natura facta: aliqua autem fiunt non tantum aggenerata materia, & in cauitatem reposita, verum efformato insuper chyste, ac folliculo, in quo materia illa prçter naturam genita reponatur. Duplex hic generationis per cõgestionem modus non reperitur in pustulis, sed alter tantum, sc. primus per aggenerationem solam: nam in his nec natura in congestione viam ad repositionem materiæ recludit, nec chystim effingit, qui duo tamen modi in tumoribus, & tuberculis generandis sæpius visuntur. Huius chystis generatio non tantum pendet à materia, quæ ad hoc apta est ob propriam visciditatem & tenacitatem, verum etiam ex robore virtutis formatricis, quæ potens est effingere sibi folliculum illum ex præsentia aptæ materiæ, quæ vis formatrix adeo in his valida est, vt pro ratione dispositionis materiæ diuersa fingat ex contentis in folliculo succis, cuius merito quandoq; pilos, vngues, lapides, carbones, cœnum, mel, & alia hasce similes materias æmulantia in his tumoribus genita videmus. Communicant & tumores, tubercula, & pustulæ in hoc, quod sicuti exteriora membra apprehendunt, ita etiam interiora pari ratione occupant. De tumoribus satis manifestum esse potest, cum omnia viscera tumores vel inflammatorios, vel erysipelatosos, vel ædematosos, vel scirrosos pati certum sit: de tuberculis & pustulis videtur dubitari posse. At vero nec de his dubitandum est, cum & in abdomine, & in thorace sint inanes cauitates, quę tuberculorum introrsum spectantium tumorem, & extuberantiam excipere possunt, quæ cauitates cum habeant propriam superficiem, & proprium terminum, in his etiam locum habere possunt pustulæ: quare omnia hæc pariter internas partes occupare, sicuti externas possunt. Quæ omnia licet in materia omnino, & in generationis modo pro maiori parte communicent, & pariter cuncta internas partes occupare apta sint, non tamen parem læsionem eis inferre possunt; à tumoribus enim malus impendet periculum, à tuberculis minus, à pustulis minimũ, nisi hæ copia, & numero plurimæ abundent, quod periculum par erit, vbi suppurauerint: nam à suppurantibus tumoribus maximum erit, à suppurantibus tuberculis, magnum, à suppurantibus autẽ pustulis, nisi copiose vndequaq; membrum attingant, multo minus. De tumoribus pulmonum suppurantibus pro parte superius egit, dum tractaret de erysipelate pulmonis, & pro parte inferius aget, dum de pulmonis inflammatione tractabit. De tuberculis hic incipit tractationem: de pustulis nusquam egit in hoc libro, vel quia tales suppurationes non inducantur à pustulis, vel quia tuberculorum & pustularum coincidat curatio, & euentus. Quoad tubercula, de quibus nunc agendum est, hæc notanda sunt. Pulmonis tubercula triplicem generationis modum habent: primus est per fluxionem transmissa materia: secundus per congestionem natura sibi viam & cauitatem ad repositionem excrementorum recludente: tertius per congestionem pariter, sed non reposita tantum in aliqua cauitate materia, verum efformato quoque chyste, in quo ea contineatur. Dum fiunt per primum modum, si materia transmissa sit calida & tenuis, cito extuberant, & cito suppurant: si autem sit frigida & crassa, lente extuberant, & tarde suppurant: si mixta vel media, medio modo procedunt. In tumescentia, in fastigatione, & in suppuratione, pro ratione extuberantiæ accedunt difficultates spirandi, & angustia spiritus; pro ratione autẽ suppurationis accedunt febres & dolores. Vnde in calidis tumoribus cito angustiantur patientes in spiratione, quæ indies difficilior redditur, quoniam velociter augetur, & cito accedunt febres, quia cito suppurant, & simul dolores annectuntur, si cõmunicetur affectus membranis. Quod si quæ materiei portio resudet, accidunt tusses, sed siccæ, vbi minima sit materia resudans, humidæ, vbi ea sit copiosa: in frigidis autem tuberculis tarde angustiantur in spiritu, quia lente augentur, & tarde accedunt febres, quia tarde suppurant: imo aliquando nusquam apparent febres, cum ex materia admodum cruda generantur, ex qua fiunt cruda tubercula, quæ diuturna, & nunquam suppurantia tandem patientes sola anhelitus difficultate angustiatos, & dolentes perimunt, ac asperis arteriis inde occlusis suffocant. Dum fiunt per secundũ modum, si excrementa per congestionem genita sint calida, proportionaliter ea omnia sequuntur, quæ dicta sunt de calidis tuberculis per fluxionem genitis, si autem fuerint frigida, sequuntur eadem, quæ de frigidis ex fluxione genitis explicata sunt. Quo autem ad secundum hunc modum notandum est, quod non omnia tubercula, quæ fiunt per repositionem materiæ in cauitatem aliquam, fiunt naturæ motu sibi eam viam ad repositionem materiei genitæ recludẽte, sed præter hæc etiam quædam fiunt ex causa externa, per quam facto aliquo in viscere leui hiatu, in eo sanguis, vel quiuis alius humor

humor aut attractus aut transmissus tuberculum causat, quod pro ratione materiei eo loci receptæ modo tarde, modo velociter suppurabit. In comparatione tum eorum, quæ ex fluxione causantur, semper tarda erit hæc suppuratio, & in suppuratione febres pro ratione suppurationis, vt dictum est de tuberculis per fluxionem factis, accedent: dolores autem nequaquam his contingunt, nisi hic affectus membranis communicetur. Dum vero fiunt per tertium modum, si hæc tubercula extuberent, pro ratione extuberantiæ difficultatẽ anhelitus inducẽt, & ꝓ ratione materiei aut cito, aut tarde suppurabũt, non tamen hinc febres succedẽt, quoniã materia suppurans tam arctè à folliculo & mẽbrana, à qua continetur, cõclusa est, vt in cor vapores putridos transmittere nequeat, quare nec febrẽ inducere potest. Hinc multi, q nunq̃ febre lacessiti sunt, disrupto tali tuberculo, vel pus salubriter excrearunt, vel à pure erumpente statim ac subito ꝑempti fuere. Hæc eadẽ tubercula dixi pro ratione extuberantiæ difficultatẽ anhelitus inducere, quoniam si nõ extuberent in thoracis cauitatẽ, nec etiam spirationẽ lædunt. Hoc a. visum est quandoq;, dum per tussim violentam talis materiæ in propria membrana, & ad intra propriũ folliculũ contentæ foras erumpere, quib. cũ difficultas anhelitus non præcesserit, clare indicarunt, eas intra substantiam pulmonũ, nõ in viis spiritus cõtineri, & cũ nec præfuerit febris, arguũt materiã putrescentẽ in cor ob membranæ cõtinentis obstaculũ vapores putridos expirare nõ potuisse, ꝙ fieri absq; mẽbranæ impedimento non potuisset, cũ materia suppurans putrescat in viscere cordi propinquissimo. Talia etiã tubercula præter id, ꝙ nec anhelitus difficultatem, nec febrem inducunt, nullũ etiam dolorẽ causant, quoniam cum materia in cauitate aliqua substãtiæ pulmonis cõtineatur & abscesserit, dolor inde succedere nõ potest, cũ pulmonis substãtia omni sensatione careat. Vnde nõ sit mirũ, si in multis nulla præcedente læsione sensibili ex eruptione huiuscemodi tuberculorũ vel puris excretio salutaris, vel mors derepente subsequuta fuerit. Puris autem excretio est salutaris, si totum pus ad extra prorumpat, & foras integre excernatur, & inde postea locus, in quo vomica continebatur, sanetur: mors vero succedit, vbi pus ad interiora vergens in cordis arcem, ac ventriculos irruat. Hinc enim spiritibus vitalibus obrutis, & à mala qualitate extinctis, succedit, syncope & mors. Ad quem sensum Hippocrates libr. 7. apho. 8. dicebat: A tuberculi intus eruptione, exolutio, vomitus, aut animi defectio fit: nam per tuberculum non intelligit, (vt Galenus exponit) suppurationem, sed vera tubercula, qualia sunt iam dicta, quæ suppurata, vbi eruperint, in omnibus generant exolutionem, ecclysin dictam à Græcis, quæ est affectio præcedens lypothymiam & syncopen, vt habetur ab ipsomet Galeno libr. 1. ad Glau. capite de cura febrium cum accidentibus. Nam derepente ex his tuberculis erumpente pure patientes exoluuntur, quoniam fit repentina hinc spirituum alteratio ob vapores, qui exempto pure ad cor subito emanant, non tamen hi necessario animo deficiunt, aut syncopen incurrunt. Quapropter cum duplex hinc possit subsequi successus, subiungit, vomitus, aut animi defectio, id est, erupto iam pure, & subsequuta exolutione, succedit aut vomitus, aut animi defectio. Vomitus quidem, si pus ad extra prorumpat & excreetur (per vomitum enim eo in loco intelligit omnem per os subito factam euacuationem); animi autem defectio, si ad interiora pus vergat, & in cordis ventriculus irruat. Hinc enim non tantum exolutio, sed & syncope, & præter id etiam mors succedit. Et hæc duo vltima videntur alternatiue posita, quoniam si pus ad extra educatur, non animi defectio, sed sola exolutio superuenit; si autem ad intra irruat, nec vomitus, id est, euacuatio per os succedat, non tantum exolutio, verum etiam syncope, & sæpius mors subsequitur, qui casus non est peculiaris his, quæ cum folliculo generantur tuberculis, sed omnibus est communis, dum facta suppuratione eruptio puris succedit. Cum autem sint hi tres modi tuberculorum pulmonis, non de omnibus, verum de primis illis duobus, tertio prætermisso, hoc in loco agit Hipp. dicens: Tuberculum in pulmone fit, cum pituita aut bilis coacta putrescit, per quæ verba vult declarare tuberculorum materiã, & generationis modum. Materia, inquit, est aut pituita, aut bilis, id est, tuberculorum materia sunt humores omnes aut calidi, aut frigidi: nam per bilem quoscunque calidos humores, per pituitam autem omnes calidos (vt sæpius dictum est) intelligit. Calidi erunt sanguis crassior, bilis crassa, pituita dulcis vel salsa, & humor melancholicus, qui exustionem senserit. Nec quis asserat tubercula in pulmone nusquam, aut raro à bile generari, quia cum pulmo sit spongiosæ substantiæ, & cauernosus totus, bilis facile per eum diffluat, nec visceri inhærere possit, tum quoniam talia tubercula fiunt à materia crassiori, cuius merito affirmatur ab Hipp. lib 4 aph. 44. & lib. 7. aph. 64. Quib. febres longæ, iis tubercula vel labores in articulis fieri. Nam febres longæ, vt inquit Galen. in com. fiunt vel propter multitudinem & crassitiem, vel propter frigiditatem, vel propter tenacitatem humorum, à quibus à pari debent tubercula generari. Quare necessario bilis ea generans debet esse crassa, tum quoniam materia tubercula generans non permeat pulmonis substantiam, sed immediate ex quopiam eius vase emanat, & egerminationem facit. Frigidi erunt pituita naturalis, insipida, acida, succus melancholicus naturalis, & materia ichorosa & aquosa. De tuberculis autem ab aquosa materia pendentibus meminit Hippocr. libr. de inter. affect. dum tradens, quot modis hydrops generetur, hæc habet: Fit etiam si tubercula in pulmone fuerint enata, & aqua repleta, & in pectore rupta, quod autem fiat etiam à tuberculis aqua inter cutem, testimonium habeo in boue & in cane, & in sue: in his enim quadrupedibus maxime fiunt tubercula in pulmone, quæ aquam habent: si enim dissecueris, citissime cognosces: fluet enim aqua. Hæc Hip. De cæteris autẽ tuberculis à cæteris

vel

vel calidis, vel frigidis succis pendentibus meminit plurimis in locis, præcipue lib. citato, & lib. de aff. & in lib. de morbis, & in libris aphorismorũ, pluribusque aliis in locis. Modus autem generationis horum tuberculorum non est, quia materia, sicuti in erysipelate, & in aliis maioribus tumoribus euenit sit dispersa, vel imbibita in totũ viscus, sed coacta & collecta in vna parte, in qua residẽs extuberet. Sed num necessarium est, q; huiuscemodi materia ad hoc, quod tuberculum constituat, (vt innuere videtur Hipp.) putrescat? Nequaquam, quia dantur tubercula ex cruda & incocta materia genita, quæ nunquam suppurant, talium meminit Hipp. lib. 3. de articulis tex. 9. talium meminit Galenus in historia Antipatri medici, de quibus alias sæpe loquutus erat, sed præcipue lib. citato de artic. & lib. 6. aph. 45. Talia sæpe nos vidimus, quæ nũquam suppurãtia sola magnitudine, cum admodum aucta esset, obstructis inde in totum spiritus viis, & nulla vnquam concomitante febre, patientes interimerunt. Sed si hoc, cur dixit Hipp. fieri in pulmone tubercula, cum materia ea generans putrescitur? Quoniam de suppuratis agens, & in horum respectum de tuberculis pulmonum tractans, debebat de eis tantum tuberculis agere, quæ ad suppurationem veniunt, alias opportuna non erat de istis hoc in loco tractatio. Quapropter iure dictum est ab eo, tubercula in pulmone fieri, cum materia siue calida, siue frigida, siue mixta in vnum locum coacta & coaceruata putrescit.

63 *Et quamdiu quidem adhuc crudius fuerit, dolorem exilem, ac tussim siccam inducit.*

CONSONVM rationi erat, cum Hipp. tuberculorum materiam explicasset, tradere deinceps modum generationis, ac signa eorum, quorum neutrum egit, cum eius intentio sit agere non de omnibus, quæ in pulmone fiunt, tuberculis, sed de suppurantibus tantum, cuius rei merito signa suppurantium tantummodo explicat, aliorum signa nusquam recensens. Sed qua ratione fiunt talia tubercula? Generationis horum modum habemus in fine lib. de salubri diæta, quo in loco ea fieri ex venarum dilatatione docemur, dum hæc scribuntur: Quibuscunque autem dolores fiunt ex visceribus, siue ex exercitiis, siue ex aliquo alio labore, his quiescere conducit cibis abstinentes; potione autem vtantur, quæ quã paucissima in corpus assumpta plurimam vrinam ducat, quo venæ visceribus insitæ non distendantur repletæ; ex talibus enim tubercula oboriuntur & febres. Sed qua ratione ex distentione venarum tubercula generantur? Generantur, quoniam siue ex causa externa, siue ex interna violentiam patientes venæ distenduntur, progerminant, & simul materiam loco distento subministrant, quæ materia si sit ex causa externa, potest esse naturalis sanguis, vel quiuis alius succus sanguini commistus, & à venis subministratus. At vbi sit interna, omnino materia erit morbosa, quæ cuiuscunq; ordinis esse poterit; & quæ extra prominens & egerminans, tuberculum format. At tubercula fiuntne alia ratione? Ex interna causa vt plurimum dicta ratione fiunt, ex externa autem possunt etiam fieri in propria substantia (non in vase) ea dehiscente ex aliqua violentia illata, in quo hiatu collecta materia potest tuberculum effingere, ac formare eademmet ratione, qua facit in venarum distentione. Sed potestne dehiscere pulmonis substantia ab interna causa, nulla concurrente ab externis violentia? Rationi consonum videtur hoc fieri posse: nam cum fiant abscessus maiores in quacunque alia corporis parte, nulla concurrente causa externa, ita videtur pari ratione fieri posse tubercula in pulmonis substantia, ea ea causa interna non externa dehiscente. Veruntamen sciendum est hoc experimento parum conformari, raroque spectari talia tubercula, quæ aliquam exteriorem causam non habuerint: non nego tamen, me aliqua huiusce conditionis inspexisse, quorum nulla causa præcedens assignari poterat. Hæc de modo generationis. Quo autẽ ad signa, sciẽdũ est ab Hip. ea tuberculorum, quæ in suppurationem vertuntur, indicia tantum apposita esse, quoniam de his affectibus, ex quibus patientes (vt dictum est) suppurantur, solum acturus erat. Quorum tuberculorum signa sicuti cognitu non difficilia sunt: ita cæterorum non suppurantium, nisi cum ad tantam excreuerint molem, vt spirationem lædant, difficillima existunt, cuius ratione nõ immerito in lib. de medic. hæc scribuntur: Tubercula equidem deprehendere & dissoluere posse, maxime artificiosum habetur, itemq; collectiones ipsorum impedite. Verumtamen licet hæc signa videantur difficilima, nihilominus nonnulla, quæ in tuberculorum cognitionem nos manuducere queunt, sunt aduertenda, quorum primum erit, quod tuberculis his incipientibus solet fieri quædam tum caloris, tum animi immutatio in patientibus: nam vbi tubercula pendeant à frigida materia, facie pallidiores; vbi autem à calida, rubicundiores in summis malis apparere solent, & pro diuersitate materiæ vel timidiores, vel iracundiores cum quadam animi dispositione, ac ineffabili demissione euadunt, simulq; turbata tum somnia, tum insomnia pati incipiunt. Hæc autem tubercula si fiant vel in arteriis leuibus, vel in parte arterias leues comprimente, immutantur pulsus in ordine, & inæquales in magnitudine, celeritate, & frequentia fiũt, quæ inæqualitas indies pro ratione augmenti morbi excrescens inde adeo augetur, vt pulsus quandoq; intermittẽtes intercedant; si autem fiat in pulmonum substantia, dum extuberant, tussim siccam & leuem quandam spirandi difficultatem causant, quæ maior redditur quo magis extuberant; si autem fiunt in arteriis asperis, statim tussim molestã, & spirandi difficultatem notabilem pariunt, quæ tussis ex augmento morbi quandoque vehementissima euadit; spirandi autem difficultas adeo crescit, vt recta ceruice stare cogantur, sæpiusq; hinc patientes suffocari videantur, à qua spirandi difficultate tandem perimuntur. Ad hæc tubercula, si sint vel in asperis arteriis, vel in extima pulmonis superficie pertuberantia, succedit quidam leuis dolor, ægrotantes fere continue affligens, & hoc

præci-

præcipue, vbi motu impetuoso, aut cōcitato moueantur, quo casu spirandi quoq; difficultas excitetur: si autem tubercula sedem habeant vel in arteriis leuibus, vel in propria pulmonis substantia, nullus adest nec concomitatur dolor. Hæc sunt ea, quę generali modo abstrusi tuberculi coniecturalia signa constitui possunt, cui si tanta putredo accedat, vt inde suppuratio expectanda sit, ei febris superuenit, nisi tuberculum sit ex his, quæ habeant chystim, & materiam in folliculo retineant: ex his enim cum putridi vapores ad cor expirare nequeant, nec etiam febrem inducere poterunt. His igitur tuberculis, & his, quæ crudiora existentia ad suppurationem verti non debent, exclusis, descendens Hipp. ad declarationem eorum, quæ suppuratura sunt, inquit: Et quamdiu quidem adhuc cruditas fuerit, dolorem exilem, ac tussim siccam inducit, per hæc principium non tanquam ortum primum tuberculorum, sed tanquam primam totius morbi partem, quæ vsq; ad augmentum se extendit, denotans. Nam sicut omnes morbi habent sua tempora distincta, ita & pulmonis tubercula habēt. Principium horum est, cum materia vel per fluxionem, vel per congestionem coaceruari vno in loco incipit: augmentum, cum exuberant, & si ad suppurationem tendant, cum putredinem concipiūt, qua inualescente, progreditur ad statum, in quo & exuberātia maior est, & suppuratio perficitur. De principio iam actum est, cum generationis horum modus est explicatus; nunc augmenti conditiones enarrat, dicens, quod in eo dolor quidam exilis, ac tussis sicca inducitur: quoniam cum adhuc materia crudior sit, nec putredo inualuerit, accidentia non possunt esse vehementia, quod in principio augmenti, non in progressu, & prope statum intelligitur. In augmento enim cum est prope statum, sunt omnia accidentia maiora & similia his, quæ in statu fiunt. Dolor quidem est exilis, quoniam tunc parum exuberat, & parum prominet tuberculum: tussis autem est sicca, quoniam minimum quid resudat, quod potius est aptum ad irritationem, quā ad excretionem. Illa verba, quamdiu adhuc crudius fuerit, non omnimodam cruditatem, sed aliquam coctionem includunt. Nam incipiente suppuratione, quæ in tali supponitur tuberculo, materia non potest esse vndequaq; cruda, nec dum omnino est cruda, ab ea quicquam resudat, vnde nec tussis adesset: tubercula enim omnino cruda tussim nō causant. Quare si incipit dolor & tussis, inceptæ suppurationis habemus indicium, & inde principium augmenti cognoscimus.

64 *Postquam autem maturum factum fuerit, dolor & ante, & retro actus fit, & calores corripiunt, ac tussis vehemens.*

INVALESCENTE putredine ac suppuratione, omnia accidentia sæuiora fiūt, vnde dolores maiores fiunt, & febres corripiunt, & tussis vehementior euadit, non amplius sicca existens, sed humida resudāte pro parte aliqua materia ipsa, quæ omnia fiunt in summo, cum tuberculum ad statum suppurationis accesserit. Dixit autem dolorem fieri acutum, vel quia fit acutus communicata læsione mēbranis, vel quia dicatur acutus ratione adauctæ magnitudinis respectu præcedentis, qui erat exilis. Hic dolor fit aut ante, aut retro, prout tuberculum velad anteriorem, vel ad posteriorem vergit partem. At si dolores & febres, vt inquit Hipp. libr. 2. aph. 47. accidunt magis dum pus conficitur, quam pure iam confecto, cur de dolore dictum est in horum tuberculorum suppuratione, dum suppuratio conficitur, dolores exiles esse, in facta autem dolorem acutum, id est, maiorem & vehementiorem fieri? Quoniā, cum tubercula ista fiant, & suppurent in membro non sensitiuo dolorem, dum suppurant, non pariunt. At cum suppurata extra p germineat, & membranarum tunicam inde male afficiant, non potest non subsequi dolor, qui maior est facta suppuratione, quam ea fiente, quoniam membranæ, quæ sunt partes sensitiuę, tunc magis lędūtur & deterius afficiuntur à tuberculi suppurati prauitate, q̄ antea læderētur & afficerētur. Quod idē de febre assero, nā dū putrescunt & suppurant huiuscemodi tubercula, non tanta adest putredo, quoniam sunt tumores quantitate, & materia mediocres, vt inde febris necessario gigni debeat. At completa & facta iam suppuratione, quoniam tota materia putredinem concipit, in totumq; putrida facta est, tunc valet in cor euaporationes putridas expirare, indeque febrem causare. Hoc autem particulariter euenit, vbi tubercula pendeant vel à frigidiore, vel à mixta materia: quæ enim à calidiori gignuntur, citius febres & dolores inuehunt, & post factam suppurationem minus dolere, & minus febrem causare videntur.

95 *Et siquidem quam citissime maturuerit, & eruperit, & pus sursum vertatur, ac totum expuatur, & ventriculus, in quo pus fuerat, contrahatur ac resiccetur, penitus sanus euadit.*

EX suppuratis in pulmone tuberculis qui euentus succedant, declarare intendit Hipp. explicans, qui patientes ex his aut cito, aut tarde vel pereant, vel saluentur. Saluantur illi & cito, qui has quinque conditiones habuerint: prima est, vt tuberculum citissime suppuret: secunda, vt facta & completa suppuratione citissime pus erumpat: tertia, vt ad supiora, nō ad inferiora pus vertatur, & per tussim excretur: quarta, vt totum pus per sputum expurgetur: quinta, vt ventriculus, id est, cauitas illa, in qua pus continebatur, agglutinetur, & in totum adeo resiccetur, vt inde nec ichor, nec sanies resudare possit. Qui has igitur quinque conditiones in pulmonum tuberculis habuerit, penitus sanus euadet, & sanato loco affecto. Sed num hæc omnia fiunt à natura tantum, an aliqua etiam ab arte? Suppuratio & eruptio tum à natura, tum ab arte patitet procurari possunt. Quod pus autē vel sursum vel deorsum vertatur, euenit ex situ tuberculi, & ex eruptionis modo: quare hic motus integræ naturæ reseruatur, nec ars in eo aliquid moliri potest. Quod autem totum expurgetur pus, vbi sursum vertatur, multum ars, plurimum natura facere potest. Quod autem ventriculus & cauitas, in qua materia purulenta & suppurata continebā-

nebatur, agglutinetur, & reficcetur, multum quidem natura per se, sed plurimum ars faciet. Qua de re in his omnibus sit circumspectus medicus, vt exacte dignoscat ac iudicet, quando & qua occasione & intentione aliquid ab eo agendum veniat, eum naturam recte operantem iuuare, male operantem retrahere, & viam materiei recte prodeunti facilitare debeat.

66 *Si vero ruptum quidem fuerit quam celerrime ac maturatum, ac repurgatum, verum penitus reficcari non poterit, sed ipsum tuberculum à seipso pus produxerit, & à capite sane tunc, itéq; reliquo corpore pituita ad tuberculum defluens putrescit, & pus fit, ac expuitur, per quod homo perimitur.*

Exclvsis tuberculis non suppurantibus, & explicatis conditionibus requisitis ad hoc, vt patientes ex suppuratinnibus releuentur, & sani perfecte euadant, reliquum erat declarare, qui sint casus illi, ex quibus nec liberentur, nec euadere queant. Casus hi sunt omnes illi, in quibus aliqua ex prædictis conditionibus defuerit. Incipiens autem Hipp. ab vltima, inquit, quod si primæ quatuor conditiones adsint, vltima autem desit, videlicet quia post puris expurgationem non agglutinetur, nec reficcetur ventriculus, in quo materia reposita & collecta erat, hinc non euadet ægrotans, sed peribit, quoniam, cum pars ea, in qua tuberculum primo factum, postea apertum fuit, non sit reficcata, necessario pus de se producens vlcus purulentum incurret, ad quod confluentibus & à capite, & à reliquo corpore pluribus excrementorum generibus in deterius progreditur, emanante pure non solum ratione vlceris, sed & ratione fluentium humorum, qui in parte affecta recepti, simul putrescunt, ex quo patientes facti suppurati primo, demum autem phthisici, tandem necessario tabidi morientur.

67 *Perimitur autem à ventre fluente ab his, quæ antea relata sunt, & loquente ipso, ac intelligente omnes res, atque vt in priori tempore reficcatur, & perfrigeratur, conniuentq; venæ in corpore omnes, vtpote sanguine ex ipsis à febre exusto, quandoq; vero etiam præ temporis longitudine ac morbi magnitudine, tum malorum iam præsentium, tum eorum, quæ insuper accidunt.*

Svppvratin subsequens ab tuberculum ob non reficcatam cauitatem, in qua materia continebatur, tandem perimit patientes, non alia ratione, quam ea, qua in superioribus alios suppuratos perdi explicatum est. Tribus autem modis hoc fieri dicebatur, scil. vel ex fluxu alui superueniente, vel in totum purulento ac putrido facto pulmone, vel ex copioso & iterato sanguinis fluore. Quæ omnia licet superuenire his possint, cum suppuratione innalescente possit viscus integre putridum fieri, & serpente vlcere possint venæ corrodi, ex quibus apertis & corrosis fluxus sanguinis emergat: tamen his magis proprium, quod omnib. suppuratis commune videtur, est, vt ex fluxu alui pereantur ob rationes dictas, scil. quia à capite fluat pituita ad partes infernas, & à reliquo corpore ad easdem conceurrunt excrementa, quæ copiosa existentia non possunt à natura regulari, & inde facile diarrhæam pariunt. Pereunt autem hi circa recrices facultates nequaquam male affecti, sed vt prius ad omnia negotiorum genera apti; ratio est, quoniam læsio est in thorace, non in cerebro. Sed cur hoc idem de his, non de cæteris suppurantibus est dictum? Quoniam hi minus se laborare, & minus affici, quam cæteri suppurati, existimant: vnde videntur omnia sua negotia peragentes inopinato perire. Corpus reficcatur in hac affectione, quoniam febris, quæ superuenerat in suppuratione, diu perseuerans humiditates roridas disperdit & absumit, quibus dispersis & absumptis corpus reficcatur. Refrigeratur autem, quoniã ex diuturno morbo, & diuturna febre innatus calor imminuitur & diffinitur, vnde corpus calore innato & insito frigidum est, licet præternaturali & igneo calidum existat, qui calor igneus cum roridas corporis humiditates disperdat, inde absumit & extenuat corpus. Extenuato autem corpore, quoniam omnis extenuatio, vt habetur ab Hip. lib. 6. epid. sect. 3. tex. 29. cutem tandem distendit, licet prius eam laxet, cutis ariditas, & vasorum conniuentia succedit. Inde conniuent venæ, & non modo venæ, verum etiam arteriæ exusto, id est, sanguine à febrili & igneo calore absumpto, & inde in minimam molem redacto, ex quo ea conniuent vasa cũ ratione absumptionis, ex quo ipsæ restringũtur, tum ratione materiæ contentæ, quæ est in minima mole ac quantitate. Quandoq; autem, vbi febres non fuerint aut vrgentes, aut continuæ, aut diuturnę, corpus reficcatur ac perfrigeratur, simulq; cõniuent venæ, cæteraq; vasa aliis ex causis, sc. ex morbi vel longitudine, quoniam ex huiusmodi tuberculis multi diu ægrotant, vel magnitudine, quoniam alii ex iisdem ęgre habent, pereuntq; tandem tum ex symptomatibus & malis præsentibus, quales sunt puris excreatio copiosa, purulentiæ, tusses molestæ, dolores & spiritus difficultates, tum ex superuenientibus, quales sunt destillationes vrgentes, nutrimenti corruptio, atrophia & diarrhæa.

68 *Quod si multo tempore rumpi non possit, neq; à sua sponte, neq; à medicamentis consumitur debilitatus à doloribus vehementibus & inedia, & tussi, & febrib. & vtplurimũ perimitur.*

Qvinqve sunt conditiones requisitæ ad hoc, vt patiẽtes ex suppurantib. tuberculis euadãt, quarum quæcunque deficiat, vel difficulter sanantur, vel omnino pereunt. Actum est de quinta: nũc de secunda agere incipit. Secunda erat, quod pus citissime erumpat, quæ eruptio si cito non fiat, desitque, casum lethalem facit. Talis deerit, vel cum nusquam, vel tarde erumpat. De ea eruptione, quæ nusquam fiet, hoc in loco agit, in sequenti actutus de ea, quæ tarde. Cum igitur inquit, si facta suppuratione pus nusquam nec ope naturæ, nec artis beneficio erumpat, nec etiam casu, vt contigit in Agesis filia, in qua, vt habetur libro 6. epid. sect.

sect. 4. tex. 4. disruptum fuit tuberculum ex grauis oneris eleuatione, patiens præcedentibus doloribus vehementibus, inedia, tussi, ac febribus vt plurimum perimitur. Pus non erumpit, aut ob puris crassitiem, lentorem, ac visciditatem, aut ob loci, in quo continetur, crassitudinem, aut ob vtramq; causam, aut quia suppuratio non sit facta ex totali naturæ dominio, vnde pus inæquale, & in substantia, & in qualitate existat. Cum autem ob has causas pus non eruperit, sed in loco affecto contineatur, plura mala succedunt. Nam cum pus aliquo in loco diu retentum inde putrescat, & deteriorem qualitatem recipiat, fit, vt communicata huius læsione partibus circumstantibus dolores vehementes quandoq; succedant, & quoniam ab hac putrida materia continue expirant vapores mali, & putridi in vicinas partes, hinc fit, vt per eos, quæ cor petũ, fiat febris, quæ ratione qualitatis habeat naturam putridæ, ratione cõtinuitatis & paritatis, hecticæ: per eos autẽ, qui ventriculum petunt, omnes eius facultates lęduntur, pręcipue autẽ appetentia, ex qua succedunt inediæ, quia vel parum, vel nihil assumunt, & quoniam assumpta male concoquũtur, concoctrice facultate pariter labefactata, hinc atrophia, & corporis extenuatio sequitur. Quoniam autem ab hac eadem materia, licet non erumpat, aliqua sanies resudat, ideo tussis quoque succedit, insurgente natura ad expulsionem, sed nihil effatu dignum expellente. Quapropter hi ægrotantes à doloribus, à tussi, ab inedia, & à febribus continue molestati debilitantur, & consumuntur, & inde tandem pereunt. Qui casus in illis tuberculis, quæ proprio folliculo, & propria membrana includi narrauimus, non succedunt, quamuis suppurent, & quamuis suppurata diu non erumpentia perdurent, quoniam ob densitatem folliculi ac membranæ, nihil ad extra nedum resudare, sed nec expirare potest. Quapropter ex hisce tuberculis nec febris, nec tussis, nec inappetentia, nec cruditates succedere, quemadmodum in his, quæ membrana non includuntur, contingit, possunt. Dixit autem Hipp. vt plurimum pereunt, non quia non facta eruptione saluari possint, sed respiciens ad casum, in quo tarda fiat eruptio, de quo in sequenti textu tractabitur; qua eruptione facta pereunt ægrotantes, non quia non fuerit facta, sed quia tarda, & extra limites eorum, qui saluari possunt.

69 *Si vero iam attenuato, & in lectum reclinato pus eruperit, neq; sic valde reualescunt, sed tali modo perimuntur.*

QVONIAM tardante eruptione consumuntur patientes à doloribus, à febribus, ab inedia, & à tussi, ideo coguntur tandem ex prædictis malis debilitati decumbere, in quo statu ægris existentibus, si superueniat eruptio, nequaq̃ proficua erit ad præcauendam mortem, licet aliquod leuamen afferre videatur. Nam facta eruptione vidẽtur patientes subleuari à doloribus, ab anhelitus difficultate, & à febribus ob materiæ peccantis excretionem, nihilominus cum pus diu contentum ex longa mora putrescens, & inde prauam recipiens qualitatem partes circumstantes adeo male affecerit, vt reuocari ad pristinum statum nequeant, sicuti in casu pleuritidis suppuratæ, & per quadraginta dies non expurgatæ contingit, hæc eruptio prorogabit quidem mortem, at eam non præcauebit: cuius merito vsus est illis verbis: Nec sic valde reualescũt, sed tali modo perimuntur, quasi dicat, ex tali eruptione videntur reualescere, facta aliqua materiei peccantis euacuatione, non tamen vere reualescũt, sed tandem omnino & ineuitabiliter pereunt. At num omnes suppurationes, quæ tarde erumpunt, fiunt iam debilitato ægro? an nonne contingunt multæ tarde erumpentes, quæ superueniunt patientibus nondum debilitatis, nec decumbentibus? Eæ suppurationes, quæ erumpunt non decumbente, nec debilitato existente ægro, non dicuntur tarde erupisse duabus rationibus. Primo, quia pus retentum nondum putruit, nec malam concepit qualitatem, à quibus corpus necessario ob prænarratas causas debilitatum fuisset. Secundo, quia dum adhuc vires constant, signum est certum partes internas ex suppurato tuberculo nondum qualitatem aliquam insanabilem contraxisse: quare si huiuscemodi eruptiones non sunt citissimæ, non tamen præter modum tardæ dici debent, cum ex his possint ægrotantes reualescere. Et hac ratione de his hoc in loco non est loquutus Hipp. sicuti nec loquutus est de iis tuberculis, quæ tarde suppurãt, in quibus prima conditio excluderetur, quoniam tarda suppuratio tardam eruptionem fore necessario includit. Quæ tarda suppuratio, & quæ tarda eruptio, si fiant viribus adhuc constantibus, non dicuntur habuisse tarditatem adeo noxiam, vt inde ęgrotantes sint hac ratione perituri. Nam citissima suppuratio ad sanitatem quidem facit, non tamen tarda ex aduerso facit necessario ad mortem, quoniam tarditas suppurationis in tuberculo, quod est in genere tumorum minorum, magnam inferre nequit læsionem, & ideo nec mortem. Quæ tamen suppuratio, si longissime protrahatur, potest maiora mala causare, & hoc non ex parte suppurationis fientis, sed factæ: omnia enim mala, quæ successura sunt, ex pure genito, & diuturnam moram in loco affecto trahente, succedunt. Quare si citissima suppuratio facit ex se ad securitatem, tardissima nõ facit ex se ad mortem, sed tantum ratione puris: quare hoc magis pertinebit ad secundam, quam ad primam conditionem. De qua secunda conditione aliud notandum est, quod & tertiam & quartam includit, videlicet, quod si eruptio debito tempore facta fuerit, & pus sursum vertatur, ad securitatem erit, si per quartam conditionem totum pus expurgetur. Verum quoniam facta eruptione, & pure sursum conuerso fit quandoq;, vt pus non integre expurgetur, vel quia tuberculi eruptio non sit tanta, vt exitum conuenientem puri præbeat; vel quia pus viscidum adeo sit, ac adeo tenax, vt adhærendo excretioni reluctetur, hinc sequitur par casus ille, qui positus est pro exclusione quintæ cõditionis, cum diceretur non resiccato, nec agglutinato ventriculo, in quo eius materia continebatur, ob putredinem subsequutam mortem suc-

cedere. Et hac ratione nec de exclusione huius quartæ conditionis meminit Hipp. sicuti de prædictis loquutus est, quoniam ex pari casu parem existimat euentum, & parem eius rationé censet.

70 *At si eruperit quam celerrime, & maturuerit, maturatum autem multa sui parte ad septum transuersum effundat, statim quidem melius sibi habere videtur. Verum progressu temporis, siquidem totum per sputum reiecerit, & ventriculus, in quo pus inerat, considat, ac resiccetur, sanus euadit.*

FACTA tuberculi perfecta suppuratione, & facta puris celerrima eruptione, si quarta desit conditio, non conuersa materia ad superiora, sed ad ea inferiora declinante, casus vel difficilis, vel lethalis succedit. Difficilem hoc in textu explicat, de lethali in sequenti tractabit. Difficilis erit casus, quando erumpente pure, ac ad inferiora declinante, pus ipsum supra septum trásuersum recipiatur, ex qua eruptione licet videantur ægri melius habere, quoniam hinc cessant dolores, & imminuuntur febres, tamen ex altera parte male habent, grauato hinc septo transuerso, & inde difficiliori facta respiratione. Quo symptomate aucto, si natura ad expulsionem puris insurgat, integreque illud cito expellat, possunt tunc euadere ægrotantes, vbi ad hoc accedat etiam ventriculi, in quo pus inerat, agglutinatio & resiccatio: hoc enim sanato, & pure in totum educto ac purgato, nulla mortis amplius erit suspicio.

71 *Si vero & tempus longius protrahatur, & ipse debilior fiat, & per sputum reiicere nequeat, sed vsus fuerit, aut sectus, & pus exeat, statim quidem, & sic melius sibi habere videntur: verum tempore procedente perimuntur ab iisdem, quæ relata sunt.*

PVRE ad inferiora erumpente, & supra septum transuersum reclinante, fit lethalis casus, si pus statim non fuerit reiectum, ac moram longiorem supra ipsum septum transuersum traxerit. Hoc enim in loco pus putrescens praua qualitate septum inficit, & si diuturnior fuerit mora, etiam vlcerat. Expirans autem in circumstantes partes, & præcipue in cor, prauas febres inducit, ex quo debilitantur ægri: his autem debilitatis, impotentes fiunt ad puris reiectionem, quæ in præsenti casu est difficilima, quoniam pus residet in profundiori thoracis cauitate. Quoniam autem non reiecto puri debetur aut vstio aut sectio, alias nulla ratione saluari possunt, si his recte administratis pus exeat (inquit Hipp.) sibi hinc melius statim videntur habere, quoniam ad extra erumpente pus exoneratur septum transuersum, tussis imminuitur, & spirationis illa magna difficultas remittitur: tamen temporis progressu ob affectum insanabilem in septo transuerso ex diuturna puris mora inductum, perimuntur ab iisdem causis, ex quibus alios suppuratos perire dictú iam est, scilic. superueniente vel diarrhæa, vel sanguinis fluxu, vel toto facto putrido suo septo transuerso, aut partibus circumstantibus.

72 *Porro in latere fiunt tubercula & à pituita, & à bile eadem ratione, qua in pulmone.*

SICVTI in pulmone fieri tubercula, & ab his suppuratos quandoq; fieri patientes explicatú est, pariter hæc eadem in thorace fieri asserendum est. Nam & in eo fiunt tubercula, & ab iis quandoque suppurati fiunt patientes. Qua autem ratione fiant in thorace tubercula, non est explicatum, cú omnia eadem, quæ de superioribus dicta sunt, bis adaptari possint & debeant. Hoc solum notandum est, quod tuberculorum in thorace causas in duplici esse genere (quod idem de pulmonis tuberculis nos quoq; notauimus, licet nulla in textu de eis mentio fiat) hic statuatur, cú aliæ internæ, aliæ externæ existant. De externis in sequenti erit sermo, hoc autem in loco de internis agitur, quæ internç causæ eædem, quæ de causis tuberculorum pulmonis dictæ sunt, recensentur, scilic bilis ac pituita, id est, humores tam calidi, quam frigidi. Quo pacto autem hi humores tuberculorum diuersa genera causent, iam declaratum est, quare non est, quod hic eadem repetantur.

73 *Fiunt etiam à laboribus, cum vena aliqua tracta rupta fuerit, non tamen penitus rupta, sed ita vt acutus tractus in ipsa factus sit.*

TVBERCVLORVM causæ externæ sunt ea omnia, quæ auulsionem aut ruptionem ex violentia illata causare possunt, qualis sunt motus violenti, & subiti casus ab alto, percussiones, plagæ, illisiones, & quæ huiusce sunt classis. Hæ autem violentiam istam possunt aut vasibus aut carni inferre; de carnis lætione inferius, hoc in loco de vasorú agitur. Vasa duplici afficiuntur ratione, scilic. vel facta in eis tantum aliquali cótinuitatis solutione, ex qua sanguis emanare possit, vel facta eorum vasorum in altum auulsione. Per primú modum fiút tubercula, quia soluta vasorú continuitate, non tamen omnimoda, quia hinc vulnus non tuberculú fieret, refudat sanguis ex venis in spatia, quæ vasis circumiacet, per modú echymomatis, qui sanguis feruens in ea parte extuberat, & inde putrescit, ac suppuratur. Per secundum auté modum generantur, quia ex violenta auulsione vasa in altum euelluntur & extolluntur, vnde extuberantia tuberculum causant. Nec hi casus coincidunt cum illis, quç dicta sunt de venis in pulmone aut thorace per solam diuulsionem affectis, quoniam in his extuberant partes affectæ, nequaquam autem in illis. Hæ n. fastigiantur, & in aciem acuminatam tendunt: illæ autè prominent tantú varicum modo prolatú, & per longú, nequaquam autem in acutum, aliqualisq; est etiam diuersitas in causis, quoniá in his validiores, in illis debiliores existunt causç violentiæ inferentes: vnde in his extuberantia notabilis, in illis autem sola prominentia causari potest. De his igitur tuberculis, quæ in vasibus fiunt, hoc in loco agit. Inquit autem, quod talia fiunt à laboribus, id est, ab omnibus causis externis, quæ laborem & violentiam his inferre possunt, quæ causæ

fiunt

sunt communes non tantum tuberculis in vasibus, verum in earum quoque generatis. Talis autē debet esse violentia, quæ vasa penitus non disrumpat: his enim disruptis non tuberculum, sed vlcus succederet. Si autem quædam ruptio, & non totalis fiat, refundante sanguine extra venas, fit collectio, quæ in acutum prominens tuberculum efficit, vel non facta ruptione, sed sola auulsione vasa protuberant & fit tuberculum, quod in præsenti textu in eligit, in sequenti de altero acturus.

74 *Siquidem igitur rupta fuerit, statim sanguis è vena effusus putrescit, & suppuratur.*

HÆc est altera tuberculi species, genita ex affectu vasorum ruptionem patientium, cum pro ea sanguis refudans in spatia, quæ ipsis vasibus circumiacent, tumorem facit in cauitatem thoracis protuberantem, in quo tumore sanguis extrauenatus conclusus, cum omnem sanguinem in alienum locum, præterquam in proprium effusum necesse sit supparari, omnino putrescet, & suppurabitur, non per temporis moram diuturnam, sed per breuem admodum, cum talis sanguis non regulatus à natura omnino propriam naturam perdens, alienam statim concipiat, & inde necessario quamprimum putrescat, ac suppuretur, cuius ratione non immeritò dictum est, statim sanguis è vena effusus putrescit ac suppuratur.

75 *Si vero in vena acutus tractus fiat, principio quidem dolorem exhibet ac pulsat, progressu vero temporis distribuit vena sanguinem in carnem, atque hic in carne putrescens pus fit.*

ALTERA erat tuberculi in latere species genita, ex affectu vasorum auulsionem patientium, cum per eam auulsionem in altum attollantur, & è proprio loco auulsa in acuminatam adeo protrudantur, ex quibus formam tuberculi recipiunt. Ad talem autem auulsionem, & vasorum protuberantiam quid sequatur, docet, dicens, hunc affectum à principio dolorem exhibere, & pulsationem in loco affecto inducere: progressu vero temporis distributo à vena in carnem sanguine sequitur putredo, ac suppuratio, id est, ab hoc affectu (vt paucis rem concludam) causatur inflammatio notabilis, quæ postea suppurata erit. Facta enim auulsione ob continuitatis solutionem, quæ necessario fit distracto vase ex proprio loco, sequitur dolor, ex dolore attrahente & soluta continuitate recipiente succedit inflammatio, quæ inflammatio est notabilis cū ob magnitudinē læsionis, tum ob fluxionem irruentem, & ob partis laxitatem, & ob dolorem attrahentem. Hanc notabilem inflammationem indicat pulsatio: hæc enim inflammationum vehementium solet esse peculiare symptoma. Inflammata autem vena, partibus quoque circumstantibus inflammatio communicatur, communicata circumpositæ carni sanguinis fluxione. quæ inflammatio non in cauitate venæ, sed vbi carni materiam communicat, tandem, nisi quamprimo discutiatur, suppurabit. Sed quæ potest esse discussio in partibus intimis fluente materia, & loco affecto dolente? Nulla sane: quapropter hic de suppuratione, non de discussione cogitandum erit, nisi forsan prius per venæ sectionem, per aliaque similia præsidia fluxio reuellatur, locique patientis affectio, & dolor per conuenientia administrata remedia tollatur.

76 *Eodem modo & caro siquidem magis doluerit, & sanguinis plus in seipsam trahit ex vicinissimis venis, & statim suppuratur: si vero minus doluerit, minus & trahit, & suppuratur.*

QVEMADMODVM in thoracis lateralibus partibus fiunt tubercula in venis tum à causa interna tum ab externa, ita pariter fieri possunt in carne ab vtraq; causa: quare inquit Hipp. eodem modo & caro, id est, eodem modo caro in thoracis latere patitur tubercula & à causa interna, & ab externa. Et eadem ratione & analogia fiunt hæc, quæ in carne, & quæ in venis nam carne magis dolente, maior ex tuberculo fit attractio à vicinis locis ad ipsam, & celerrima fit suppuratio: minus autem dolente, minor fit attractio, & tardior est suppuratio, quæ eadem analogia in auulsione vasorum seruatur. Nam factum tuberculum ex tali materia si magis doleat, maior succedit inflammatio ob violentiorē attractionem, & celerrima his superuenit suppuratio: si autem minus doleat, minor erit inflammatio ob debiliorem attractionem, & tardius suppurabit. Dolor n. ingens indicat tum magnitudinē affectus, tum fluxionem magis irruentem, tum etiam suppurationem instantem. Nam dolor & febris vrgent, dum pus conficitur, dolor autem minor minorem inflammationem, & minorem fluxionem, & tardam suppurationem attestatur. Quæ autem dicta sunt de dolore, eadem de febre verificantur: hæc enim erit vel maior, vel minor pro ratione affectionis, fluxionis, ac suppurationis.

77 *Quibusdam autem, cum debiles facti fuerint tractus, siue vulsuræ in carnibus aut venis; non suppuratur, sed fiunt dolores diuturni, & vocantur ruptiones.*

DIxi violentiam illatam à laboribus ad hoc, vt inde tubercula excitentur, debere vehementiorem esse, quia si debilior sit, male afficitur quidem pars affecta, non tamen inde extuberat, nec tuberculum patitur. Hoc nunc declarat Hipp. dicens, quasi ex causa externa violentiam inferente fiant debiles aut in carne, aut in vasib. auulsiones, inde non sequitur suppuratio: huiusce rei ratio est, quia ex hac debiliori læsione non sequitur inflammatio, nec vlcus, ad quæ vtraq; posset suppuratio succedere, si hęc notabilia essent. Licet autem nec inflammatio, nec vlcus manifestum, nec suppuratio ex his debilioribus auulsionibus succedat, nihilominus ab his causantur dolores diuturni, & qui longo tempore partem patientem detineant. Qui dolores, inquit Hipp. vocantur ruptiones, nō quod ipse dolor sit, aut vocetur ruptio, sed per loquutionem Hipp. consuetam, ipsa affectio & dispositio dolorem inferens, sicut in simili lib. 6. epid.

sect.1.text. 8. dicebat: In Canone antiqui dolores frigidi, non calidi, & lib.2.aph. 6. Quicunque dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat. Quibus in locis per dolores non passionem seu affectum, & malam sensationem, sed affectionem, & malam dispositionem ea causantem intelligebat.

78 *Et quæ quidem in carne fiunt, hoc modo fiunt.*

MVSCVLVS constituitur ex duplici substantia, altera carnosa, altera fibrosa: carnosa adnascitur fibrosæ, omnia interstitia, quæ inter fibras mediant, replés, quæ simul vnita & compaginata musculum ipsum formant. Hic multiplicem pati continuitatis solutionem potest. Nam alias sensibilé, alias insensibilem patitur: sensibilis est vlcus aut vulnus: insensibilis contusio, ruptio, & spasma, q̃ proprie conuulsum non conuulsio vocandum est. Vulnus, quod à causa externa, vlcus, quod ab interna gignitur, partem musculi fibrosam & carnosam pariter attingunt. Contusio pariter vtramq; afficit: non facta manifesta solutione, sed tantum per vim deductis insensibiliter partibus contusis. Ruptio carnosam tantummodo diuidit, manifestam solutionem, licet insensibilem, quoniam in profundo, non in superficie existit, inducens. Spasma autem fibrosam tantum soluit, pariter manifestam, sed non sensibilem ob profunditatem loci apertioné causans: hæcq; tria, scil. contusio, ruptio & spasma semper à causa externa fiunt, & cum fiunt, diuersimode fiunt, quoniam contusio circumscriptam musculi continuam partem orbiculariter attingit; ruptio autem per longitudinem tantum, cum fiat aperta & diducta parte carnosa illæsis fibris: spasma vero fit per transuersum, cum fiat diuisis fibris, quæ per longitudinem musculi disseminatæ sunt. Quãuis autem hæ tres affectiones ita realiter distinguãtur, non est tamen, quod simul & semel in eadem parte euenire nequeant. Nam ex eadem violentia potest contundi pars, & simul ruptionem & spasmata pati, sed contusio erit euidentior, minus autem illa duo, & si absq; contundente ex motu violento, ex saltu, ex casu, vel ex alia simili causa fiat, læsio in musculo Poterit & ruptio & spasma copulari, ex ea in eodem musculo facta diuisione in parte carnosa, ex hoc autem in fibrosa. Quæ duo sicuti copulari possunt, ita raro dantur adeo simplicia, vt vnum sine altero existat, quo iesceau (?) adsit spasma. Nam cum diuisio difficilius fiat in fibrosis, quá in carnosis partibus ob fibrarum robur & firmitudinem non possunt abrumpi fibrosæ partes, quin etiam carnosæ aliquid patiantur: at è conuerso non est necessarium, vt ad ruptionem sequatur spasma, quoniam carnosæ partes facilius violentiæ cedunt, fibrosæ autem magis resistũt: cuius merito fit, vt sæpius ruptiones absque spasmate, quam spasmata sine ruptionibus eueniant. Ruptionibus autem omnibus commune est, vt cum echymomate iungantur, & non fiant citra sanguinis effusionem, in loco prærupto collecti, qua de re in earum curationibus hæ erunt indicationes, vt materia collecta dissipetur, & pars soluta vniatur. Quoniam autem vnio fieri non potest, nisi prius materia vnionem, & agglutinationem impediens tollatur, ideo primo hæc discutienda venit, vt quam primum agglutinatio teneretur, quæ duo si statim non procurentur, relinquitur in parte læsa affectus insanabilis. Etenim haud facta loci agglutinatione ruptionis labia, quæ in vnum non coire tantummodo prope admota remanent, ex quo fit, vt leuiori quauis causa ea separet, & locũ superuacuo humori aperiat: vnde euenit, vt patientes ex quouis errato ea parte doleant. Nam siue obriguerint, siue alimentum male concoxerint siue febri laborauerint, siue vehementius fatigauerint, siue se balneauerint, siue quid aliud simile egerint, statim ea parte dolent. Quod si vna cum ruptione etiam spasma iunctum fuerit, locus affectus fluxionibus erit magis paratus, & magis etiam ex prænarratis causis dolebit. Nec in his affectib. materia vnquam suppurat, quoniam quæ fluit, pauca est, & quæ non sanato morbo potius habet rationem sorditiei, quam puris: quæ sordes ibi subnascens est in causa, vt ruptio coire, & agglutinari nequeat. & hæc ut discussionem indicat, alias molesta est, & dolorem faciés, & fluxionem euocans. Hi duo affectus, scil. ruptio & spasma, licet distincta ratione partis læsæ, attamé quia sæpius vna coniunguntur, sub vno nomine quandoq; comprehenduntur: rupta enim hæc aliquando hoc simplici nomine vocantur. Vnde Gal. vtraq; causas sub vno affectu cõcludens lib 6. aph. cõ.22. dicebat: siquidem diuulsa, ac rupta musculi parte carnosa fit ruptum, per partem carnosam & simplicem, & fibris adnatam intelligens. Hac auté rupta, rumpuntur & fibræ, & ideo dixit diuulsa respectu spasmatis, rupta autem respectu ruptionis. Hác tandem rationem attendens hoc in loco Hip. sub nomine ruptionis intelligit ruptionem factá tam in parte carnosa, quam in fibrosa, & tam eam, quæ fit per ruptionem quam eam, quæ fit per spasma. Vtrasque enim has causas apponit tanquam communiter facientes vnam & eandem indispositionem, cuius modum & generationem declarans ac explicans, inquit:

79 *Cum caro affecta fuerit, aut conuulsa, aut percussa, aut aliud quid perpessa, liuida, velut ante dixi, fit, non syncero sanguine, sed tenui & aquoso, eoq; modico.*

GENERATIO & modus ruptionis in parte carnosa lateralium thoracis partiũ factæ, hi sunt. Generatur hæc ruptio, vbi musculi thoracis continuitatis solutionem vel in parte carnosa per allisionem, aut percussionem, vel in parte carnosa per spasma, quod improprie conuulsionem appellat, passi fuerint Modus generationis hic est, q̃ facta prædicta continuitatis solutione, pars liuida fit (vt antea dictũ est) non per aspectum liuida, sed per coniecturam certam: nam facta ruptione fluit sanguis in modum echymomatis in partes circumstãtes diffusus Sanguis autem, vbi ex proprio conceptaculo effunditur, liuescit, proprium perdens colorem: liuido autem eo facto, pars quæ ab eo diluitur, & suffunditur, pariter liuescit. Hic vero sanguis, qui huiusce liuoris est in causa, nõ est syncerus sanguis,

quia

quia talis ex ruptionibus non potest effundi, cum ille habeat partes tenues, & crassas, crassis autē nō datur in ruptione exitus, sed est tenuis, aquosus, & modicus, quoniam pars ichorosa solum resudat, eaque modica, tum quia ex parte loci recipientis multa recipi ob eius angustiā non potest, tum quia ex parte loci mandantis multa defluere nequit, cū potius porositates capillarium venarum, quam venæ ipsæ sint abruptæ.

80 *Cum autem plus solito fuerit resiccata, percalescit, & dolorem exhibet, & à venis, ac carnibus vicinis humiditatem in se ipsam trahit, & vbi nimium fuerit humectata, atq; ea ipsa humiditas vbi à carne fuerit supercalefacta, per totum corpus dispergitur. qualis est attracta; magis tamen in venas dispergitur, quā in carnes, venæ enim magis trahunt, quam carnes, trahunt tamen etiam carnes.*

FACTA ob ruptionē in aliqua carnis parte sanguinis illius tenuis, & aquosi effusione, nulli dubium, quod hinc ea caro proprio nutrimento, & sanguine destituta superarescit, ac resiccatur. Resiccata autem, cum in statu præter naturam constituta sit, dolet & calescit. Dolet ob violentiam, & ob solutionem continui, quam patitur; calescit autem, quoniam cum siccitas calorem acuat, vnde in siccitatibus febres acutæ magis fiunt, & hæc resiccata existat, calor carnis acuitur, & accenditur. Dolente autem parte, & percalescente, cum commune sit dolori, & calori attrahere, non potest nō trahi humiditas a venis, & à carnibus vicinis in locū affectum, scilicet in partem dolentem, ac resiccatam, & calescentem. Quæ humiditas vbi attracta fuerit, & locum affectum diluerit, & permaduerit, id est, per eius porositates ingressa fuerit, à carne ipsa iam præternaturali calore incalescente, calefit pariter, non calore insitu, sed igneo, & præter naturam consimili ei, qui in carne conceptus est. Quoniam autem hic calor & in loco affecto, & in humiditate attracta cōceptus, per contactum reliquo corpori communicatur, hinc succedit, vt & à reliquo corpore fiat attractio humiditatis in carne illa dolente, & calescente præexistentis. Corporis autem partes, quæ incalescentes possunt hanc materiam attrahere, cum sint vel carnes, vel venæ, venæ autem habeant conceptacula ampla, & abundent fomite caloris, qui est sanguis, carnes vero habeant tantum porositates minimas, ac insensibiles, & roridam solum contineant ad earum nutritionem appositam sanguinis partem, omnino in attractione plus pollentes venæ, quā carnes. plus attrahunt huius humiditatis venæ, quam carnes, & eius maior portio ad venas, q̄ ad carnes dispergitur. Carnes enim minus possunt recipere, & minus attrahere, q̄ venæ ipsæ, quę licet multum recipiant, nihilominus non tollunt, quin in carnes aliqua etiam portio recipiatur, trahentibus etiam ipsis carnibus.

81 *Quādo vero ad multā in corpore humiditatē modica de carne attracta fuerit, obscura tū fit, & doloris exors, & p morbida cum tēpore sana euadit.*

CORPORIS nostri partes in suorum membrorum læsionibus mutua vtuntur opera ad eorū subleuationem, vnde hæc pars illius partis excrementa attrahit, illa illius superfluitates concoquit, ista alterius superuacanea expellit. In hac autē mutua opera si partes imbecilliores attrahant, male agitur circa coctionem, nisi à validioribus adiuuentur: si autem validiores attraxerint, nisi à copia, aut à praua qualitate obruantur, facile concoquunt, & peracta coctione, quæ supersunt excrementa, facile expellunt, hincq; imbecillioris partes, à qua superfluitates illę decoctę, & attractę fuerunt, salus & incolumitas succedit. Huiuscemodi successus est exemplum id, quod ab Hippo. hoc in textu proponitur. Inquit enim quod dum à reliquo corpore in venas & carnes attrahitur humiditas iam ad locum affectum attracta, si cōtingat humiditatem reliqui corporis esse multā, ac benignā, & naturalem, eam vero, quę à carne affecta attrahitur modicā esse, humiditas hæc modica adeo temperatur à copia benignæ humiditatis, & adeo deuincitur à robore totius corporis, vt in totum absumatur, & inde adeo mole, & viribus obscuretur, vt nequaquam amplius dolorē causare queat. Remota autem, & absumpta materia præter naturam, & sublato dolore, per quem attractatio inualescebat, reliquum est, vt locus affectus omni morbifica causa denudatus, si non celeriter, saltem temporis decursu pro morbido sanus fiat ope naturę, coeunte, & agglutinata ruptione iam facta.

82 *Si vero caro fuerit magis supercalefacta, & ampliorem humiditatem traxerit, dolorem exhibet, & ad quamcunq; corporis partem ab ipsa processerit, ac firmata fuerit, dolorem inducit acutum, & aliqui putant ipsi ruptionem transmutatam esse, verum hoc fieri non potest. Propinquissima vero vlceri sunt, quæcunq; talia, & alia, at humiditas de carne exibit per venas eum autem percalefacta crassa, & copiosa facta fuerit, dolorem exhibet, donec similis fiat reliquæ humiditati in tenuitate & frigiditate.*

SI caro rupta, quia lęsio fuerit minor, non admodum fuerit calefacta, nec humiditas in eam ex venis, & carnibus vicinis attracta fit multa, sed modica, ruptio hæc naturæ solius beneficio tolli potest. Nam reliquo corpore modicam hanc humiditatem attrahente, & præ benignæ, ac naturalis humiditatis copia eam contemperante, & præ robore eandem discutiente, locus affectus immunis ab omni læsione redditur, cuius ratione ruptio coire, & agglutinari potest. At si læsio fit maior, violentiaque illata fuerit vehementior, omnia accidentia maiora succedunt, nec ita facile naturæ ope sanari possunt, nam caro prout est magis affecta, ita etiam magis incalescit, & magis dolet, & inde ampliorem, & copiosiorem humiditatem attrahit. Quibus hoc, propterea quod affectio, & dolor, & calor est maior, & materia attracta copiosior, succedit, vt non tantum doleat pars affecta, verum

etiam quæcunque alia, quæ ab his processerit, id est, quę cum his consensum, & consortium habuerit. Dolor autem est acutus, id est, ingens, & adeo longe à loco affecto aliis partibus communicatur, vt hinc nonnulli existiment ruptionem locũ mutasse, & ad locum per consortium dolentem transmutatũ esse. Verum hoc fieri est impossibile, quoniam ruptio locum mutare non potest, sed hæc fiunt ratione consortii, videlicet quia loca compatientia partem propinquissimam loco affecto, ratione cuius compatiuntur & dolent, vt clare apparet in ruptione facta circa primum, & secundum costarum interstitium. Quoniam enim ab his nerui ad manus descendunt, ideo per eos ex ruptione compatientes ductus manibus in consensum videtur communicato ipsis dolore ruptio ab illis interstitiis in manus locum mutasse. Ad quem sensum dicebat Hipp. lib. 6. Aphor. 22. ruptum ex dorso ad humerum descendere, non quia ruptio in dorso facta ad humerum descendat, sed quia ob consortium neruorum ortum habentium ex spina, quam eo in loco dorsum appellat, circa exortum, & compaginem primarũ costarũ, & per humerum ad manus extremas vsq; perreptantiũ, communicata læsione humero, humerus condolet ex ruptione in dorso facta. Quod consortium declarat Hipp. non tantum ratione neruorum, sed etiam venarum fieri, nam humiditas ea copiosa, quæ in ruptionem fuerat attracta, superabundans exilit per venas, in easque pro parte recipitur. Quæ humiditas cum ex calore carnis ruptionem patientis fuerit supercalefacta, & inde crassior reddita, dolorem eis partibus communicat, in quas venæ illæ diuaricantur, & inde tam diu durat hic dolor, quam diu illa humiditas euicta à natura similis fiat reliquæ in venis contentæ humiditati naturali in tenuitate, & frigiditate, id est, quam diu eius crassities, & calor fuerint à natura temperata, qua attemperatione facta, dolor, qui èa calore, crassitie, & copia illius humiditatis in vena receptæ pendebat, quiescit. Quod si celeriter quis solutionem huius doloris desideret, nec coctionem à natura procurandam expectare velit, misso sanguine ex ea vena, dolorẽ tollit. Hinc enim materia ipsa peccans, & dolorem inferens euacuabitur, qua euacuata dolor quoque ab ea dependens remouebitur. Ad quam intentionem dicebat Hipp. loco citato, quod venæ sectio soluit, quęcunq; rupta ex dorso ad cubitum descendunt, nam venę sectio euacuat materiam coniunctam, & dolorem in parte per consortium affecta causantem, & in eadem propter venarum communionem, quæ per humerum ad cubitum descendunt, receptam.

83 *Quæcunque vero in venis fiunt, sic habent: ipsa quidem vena, in quantum tracta est, in loco manet. Cum autem tracta fuerit (trahitur autem, ac conuellitur à labore & violentia) fit velut varix.*

AGENS de tuberculis in latere thoracis genitis, dicebat alia in venis, alia in carne fieri. Quibus explicatis consequutione quadam sermonis, cum quædam tubercula à laboribus, & ex ruptione, ac auulsione seu in vasis, seu in carne factis fieri moneret, incipit agere de aliis affectibus ab iisdẽ causis, sed leuioribus causatis, qui proprio nomine ruptiones dicuntur, quæ sunt affectus facti vel in carne, vel in vasibus ab eadem, sed à leuiori causa, quã ea fit, à qua fiunt tubercula, quibus affectibus nec suppuratio, sicuti ad tubercula succedit. Egit de his ruptionibus, quæ fiunt in carne à text. 76. vsque ad præsentem, de his autem, quę fiunt in venis, hoc in loco agere incipit, dicens; Quæcunque vero in venis fiunt, sic habent, id est, quęcunque ruptiones in venis fiunt, sic habent. At si ruptio est propria partis carnosæ, vt superius declaratum est, quo pacto in venis potest fieri ruptio, cum venæ nequaquam carnosæ, sed membranosæ existant? Antea ex Galeno declarauimus, omnes corporis nostri partes molles habere propriam carnem: quare nec venæ, nec arteriæ, nec vesicæ, nec intestina, nec vteri, nec aliæ similes partes à propria carne denudatæ sunt. Quæ caro est illa pars, quæ conuestit fibrosas partes, & eas interiacet, vnde cum venæ pariter ac musculi, licet non eiusdem rationis, carnem habeant, pari ratione ruptionem pati poterunt. Talis autem ruptio, cum spectet ad partem carnosam, in venis contingit, cum ex violentia fit auulsio, & detractio in carnosa, non in fibrosa venæ substantia; quare per talem ruptionem distrahuntur, nõ rumpuntur. Carnosa enim substantia quandam continuitatis solutionem nõ sensibilem, ac manifestam ex hac detractione patitur, sed insensibilem, ac immanifestam, per quam vena potius dilatatur, quam rumpitur. Hinc duo de his venis hac ratione affectis dicuntur, alterum, quod tales venæ, & taliter affectæ locum non mutant, nam licet distrahantur in propria substantia, nõ tamen e a proprio loco euelluntur: alterum, quod tales venæ fiunt tanquam varices, nam cum non ruptionem in fibrosa parte, sed auulsionem in carnosa patiantur, ex qua dilatantur, non autem rumpuntur, omnino euadunt tanquam varices, non enim varices quid aliud sunt, quam venarum dilationes. Huiuscemodi autem venarum dilationes, quas varicibus similes appellat, non fiunt à causa interna, quia sic vere varices forent, sed ab externa, nam conuelluntur, & distrahuntur hæ venæ à laboribus, & à violentia, quæ vel per motus immoderatos, & intempestiuos, vel per casum, vel per percussionem, vel per allisionem inducuntur.

84 *Percalescit autem, & trahit in se ipsam liquidam quandam humiditatem, quæ est à bile & pituita, & vbi mixta fuerint sanguis & humiditas de carne, crassescit sanguis, & multipliciter in se ipso, ea parte, qua vena conuulsa est, & morbosior fit, & amplius stabilior.*

EX violentia, quam patitur vena ob detractionem, & auulsionẽ illatam, omnino alteratur, quoniam quæcunque affatim ex naturali statu ad statum præternaturalem immutantur, alterantur, & in ista alteratione, si sint sensitiua, dolent: & cũ dolent,

dolent, secundum propriam substantiam in qualitate alterantur quodammodo ad calidum, nam recurrentibus spiritibus copiosis ad partem dolentem, calor in ea augetur. Aucto autem partis calore, tum ea spirituum decurrentium copia, tum ex alteratione subsequente, fit attractio succorum ex circumstantibus partibus, caloris enim proprietas est attractio, & inde in parte affecta humorum copia congeritur, à qua modo hac ratione, modo illa alteratur. Huiuscemodi est alteratio, quæ fit in ruptione venæ ob violentiã distractæ, & auulsæ, nam ratione prædictarum causarum vena incalescit, ea autem calefacta à succis siue calidis, qualis est bilis, siue frigidis, qualis est pituita, qui sunt in circumstantibus partibus, trahit humiditatem, quæ recipitur in cauitate venę, & admiscetur sanguini, quoniam ratione caloris concepti in substantia venæ fit hæc attractio. Ratione eiusdem humiditas illa attracta, & sanguini commista incrassatur, & inde sanguis pariter crassescit, nam calor agens in humidos liquores semp tenuiores partes absumit. Sanguis autem hic crassior redditus in parte venæ affectæ, cum statum naturalem non retineat, morbosus efficitur, morbosus autem est, tum quia calidior est factus, & inde propriam & naturalem temperiem deperdit, tum quia crassior est redditus, & inde in propria substantia mutatur. Cuius ratione cum fluxibilitati reddatur ineptus, sistitur in parte affecta, nec vt prius, & vt ex propria habet natura, huc & illuc fluxibilis decurrit, sed stabilis in parte manet, ex qua sanguinis stabilitate pars ea cõtinue magis afficitur, & inde ruptio multo magis affligit.

85 *Et cũ copiosior factus fuerit, plenitudo ipsa transmigrat, quocunque tandem contigerit, & dolorem inducit acutum, vt aliquibus videatur ruptio locum permutasse.*

SANGVIS, vbi supra modum copiosior, & prænarratis modis male affectus in vena conuulsa, & in similitudinem varicis redacta collectus fuerit, vi facultatis expultricis aliqua, vel tota huius sanguinis quantitas nonnunquã ad alias partes transmittitur, qui sanguis, vbi has partes petierit, quoniam est morbosus, & in statu præternaturali tum ratione temperaturæ, tum ratione substantiæ constitutus, male eas afficit partes, excitans in illis ob introductam alterationem dolorẽ acutum, id est, vehementem, & notabilem. Qui dolor cum causetur ab eadem materia, quæ in loco ruptionis existens dolorem ex copia, & eius intemperie ibi inducebat, absens autem & remota non amplius eo in loco, sed in alio ac diuerso, scilicet in parte, ad quam transmissa firmatur, dolorem generet, est in causa, vt vulgaribus, ac ægrotis videatur ruptio ob permutationem doloris locum permutasse. Quod nequaquam verum est, nec fieri est possibile, cum ruptio locum mutare non possit, sed tantum permutatur dolor non affectione, verum sanguine & materia morbosa in vena contenta, locum permutante. Permutat autem locum materia, dum ex vena conuulsa ad sanas transmigrat, quas male afficiens dolorem in eis excitat, quiescente & cedente eo, qui in ruptionis loco præfuerat, ob sanguinis morbosi ab eo in aliam partem transmigratione, non dum tamen ex hoc ruptione sanata existente.

86 *Et si contigerit, vt ad humerum transferatur, & grauitatem in manu inducit, & torporem, ac segnitiem. Et si quidem ad venam proruperit, aut ad humerum & dorsum tendat, dolor statim plerumq. quiescit.*

SANGVIS ille, qui in vena in varicis forma ex auulsione redacta morbosus, quia & in qualitate intemperatus, & in substantia crassior erat redditus, copiosior continebatur, si locũ permutet, & ad alias partes vi facultatis expultricis impellatur, vel in vnum tantum locum fluat, vel in plura dispergitur. Si in vnum tantũ, in eo dolorẽ notabilẽ, ac vehementẽ inducit, membraq; ei consentientia pariter male afficit. Si vero in plura dispergitur, quoniam virtus vnita est fortior, dispsa autẽ languidior, hinc nõ modo dolor non causatur, quinimo q prius aderat, statim soluitur, nam dispersa materia in varias partes irruens, nec copia, nec qualitate adeo lędere potest, vt dolorem inducere apta sit. Huius merito, inquit Hipp. ꝙ si contigerit, vt sanguis ille male affectus ad solũ humerũ transferatur, non solũ in eo dolorẽ infert, verũ etiã ob partis consortiũ inducit in manu & torporẽ, & segnitiẽ. Nam cum ex copia illius materiæ in humerũ fluxę possit neruus vicinus, vel musculi contigui quandam compressionem pati, & angustari, non ita facile spiritus animales possunt ab his transmitti, cuius ratione stupor quidam in manu inducitur. Copia etiam illius sanguinis grauans partem, potest segnitiem & torporem in inferiori parte introducere, vnde manus & torpescat, & densa fiat. Hæc eadem materia, si non ad humerum, sed ad cubitum solum descendat, in eo dolorẽ excitat, sicuti ea loco iam citato lib. 6. aph. apparet, per quem innuitur, ea ruptione facta in dorso, & inde materia ad cubitum descendente, in cubito dolorem, qui sectione venę ad euacuandam materiam peccantem tolli debet, excitari. Quem locum non integre explicans Gal. dicebat, tales dolores descendere ad cubitum cõpatiendi tantum ratione, & in his posse venæ sectionem prodesse, non ratione particularis, quę sit in loco dolente affectionis, sed ratione communis euacuationis, quæ vnicuique particulari affectui à materia pendentis conuenire potest. At Hipp. particularem affectum per particularem euacuationem sanare intendit, qui affectus licet nõ per primariam, tamen per propriam, & non per consensum tantũ factã alterationẽ causatus fuerit, quoniam descendente materia, quæ vi ruptionis in loco affecto collecta fuerat, ad cubitum ope virtutis expultricis, in eo ob materiæ pręsentiam fit dolor per propriam affectionem, non per computrendi rationem: licet talis passio non primaria, sed secundaria dici debeat. Qui dolor venę sectione tollendus venit, quoniam per eam materia peccans, & eo loci transmigrans statim à loco affecto educitur, & euacuatur. Si autem materia peccans non in vnum tantum locum vergat, sed in diuersa dispergatur,

inquit

inquit Hipp. sicuti si non ad humerum solum, sed etiam in venas ampliores cubiti, & in dorsum, statim soluitur præcedens dolor, nullusque de nouo inducitur, nam materia, quæ copia, temperie, & substantia à naturali statu desciuerat dispersa in varias partes, copia imminuitur, & in substantia, ac intemperie à robore partium suscipientium corrigitur & attemperatur.

87 *Fiunt porro conuulsiones & à laboribus, & à lapsibus, & à plaga, & si quis onus maius leuet, & à cursibus, & à lucta, & eiuscemodi omnibus.*

CAVSAS spasmatis, ac diuulsionis vasorum, & ruptionis patuet recensere intendit, quarum licet sæpius meminerit, non omnium, & singularum, sicuti hoc in loco facit, mentionem habuit, Quę omnia cum recenseantur ab ipso singulatiter, concludantur sub hoc vniuersali themate, quod quæcunque ab exterius violentiam vasibus inferre possunt, hæc omnia spasmatis & ruptionis causæ esse queunt.

88 *Quicunq; vero à vulneribus suppurati fiunt, aut ex hasta, aut ex pugione, aut iaculo intro sauciati fuerint, quam diu quidem habuerit vlcus respirationem foras per antiquum vulnus, & hac parte frigidum in se ipsum adducit, & calidum à se ipso hac parte emittit, & sane facile tum pus, tum si quid est aliud expurgatur.*

SVPPVRATIONVM genera esplicaturus Hipp. nec illud, quod vulneribus thoracis penetrantibus quandoque succedit, prætertire voluit. Vulnera thoracis penetrantia sunt ea, in quibus confosso thorace vulneratio vsque ad internam thoracis cauitatem peruenit. Et hæc quam maxime momentanea sunt, tum ratione partium ad intra contentorum, tam eorum, quę thoracem ipsum formant, nam ad intra thoracem continetur cor, pericardium, arteria, aorta, & vena caua, quarum quælibet vulneretur, imminet certissimum mortis periculum. Ad hæc autem pręueniente morte non est suspicandum de suppuratione. Cõtinetur etiam pulmo, ac membranæ colligantes, ad quarum vulnerationem potest pariter, sicuti à cauitate interna, subsequi suppuratio. Ex formantibus autem thoracem adsunt membranæ, vt pleura, quæ si purgatur, facit sæuos dolores. Adsunt partes osseę, quæ si franguntur, difficillime sanantur; adsunt & spatia illa intercostalia, quæ singula vna cum arteria venam habent partem costarum superiorem in quodam canaliculo procurrantem, quibus vulneratis sanguinis ingentes fluxiones fieri possunt. Ac hæc autem omnia, nisi vlcera quam maxime regulariter tractentur, solent succedere empymata, & suppurationes, vel quia hinc grumi in thorace retenti putrescentes suppurationem inducant, vel quia vlcus male tractatum aut inflammatio incurrat, aut in parte interna opportuna cicatrice non obducatur. Nam inflammatio sæpius in suppurationẽ terminatur, & cicatrix non obducta, aut male obducta vlcus purulentum reddit. Hæc autem non tantum succedunt ex mala medicantis curatione, verum etiam quandoque concurrente partis affectæ natura, ac dispositione, nam thorax ratione cauitatũ, quas habet, facile recipit, & facile retinet grumos. Ratione autem, qua continue mouetur ad cordis, & caloris vitalis euentationem, quoniam motus partium vulneratarum facit ad citam earundẽ inflãmationem, ad sanguinis fluxiones, & ad difficultatem consolidationis, habet hoc, vt facile eius partes vulneratæ inflammentur, & sanguinis fluxiones patiantur, & difficulter consolidentur, quæ omnia, vbi adsint suppurationem facile inducere possunt. Vulnera hæc penetrantia aliquando ita ampla sunt, vt facile pateant, aliquando autem ita angusta esistunt, vt coniecturis ad cognoscendam eorum penetrationem opus sit. Coniecturę ad hoc facientes hæ erunt: primo sperillo tentabimus, an vulnus intra penetret: secundo ex qualitate, ac ex quantitate teli, à quo sit factum vulnus, maximam habebimus coniecturam, si quantitate longum, si qualitate acutum fuerit, & in percussione vlterius processerit: tertio si aperto vulnere patiens difficilius spirat, occluso autem eo existente, facilius penetrans erit vulnus, nam penetrante vulnere attrahitur aer per vulnus; hoc autem attracto repletur cauitas thoracis: quare cum pulmo sequatur motum thoracis, pulmo non poterit dilatari, quapropter difficilius spirat aperto, quam clauso vulnere: quarto si exeat ex vulnere spiritus cum strepitu, vt narratur de Billo in dorso percusso libr. 5. Epid. certissimum erit signum vulneris penetrantis, qui spiritus & fluente sanguine, & firmato exire potest. Fluente sanguine fit sanguinis eruptio cum strepitu, vt erumpit aqua ex vitreis vasibus longæ ac strictæ ceruicis. Firmato autem sanguine spiritus exire deprehenditur, si cum strepitu non exeat, admota vel candela accensa, vel gossipio tenuissimo, vel lana optime carminata. Quod si vulnus nõ rectũ, sed obliquum, & inæquale, penetrans autem ita extiterit, vt non possit aut egredi, aut ingredi aer; nec sperillũm recta admittat; per fistulam argenteam in summitate ad modum calami scriptorii resectam & impositam, tentandum erit hoc deprehendere, alias deceptus hinc medicus multa ad curationem necessaria omittet, facileq; suppurationi occasionem dabit. Suppuratio autem ex huiuscemodi vulneribus penetrantibus pendens, cum duplicem habere, vti dictum est, possit occasionẽ, scilicet vel à grumis retentis, & putrescentibus, vel ab vlcere interno, nulla aut mala cicatrice obducto. Hippo. hoc in loco non agit de ea, quæ ex grumis putrescentibus pendet, verum agit tantum de ea, quæ ab vlcere interno vel nequaquam, vel male curato ortum habet, progressum vulneris, & accidentium superuenientium simul esplicans. Inquit autem, quod consorti thorace, quam diu aperto vulnere per idẽmet vulnus inspiratur aer externus frigidus, & internus expiratur calidus, habeat locum aptissimum expurgationi puris, ac cuicunque alteri escremento, quod expurgari debeat. At circa hanc Hipp. sententiam duo occurrunt declaranda,

da, alterum, an in expiratione aeris per vulnux cum dicat aerem calidum per illud expirari, frigidum autem inspirari, aer inspitatus sit ille idem, qui attrahitur per tracheam arteriã ad pulmones, in quibus alteratur, & calescit, an sit ille, qui per vulnus prius inspiratur; alterum cum dicat Hipp. apetto vulnere facile pus, & reliqua excrementa expurgari, an hinc vulnera penetrantia sint in curatione semper dilatanda & aperienda ad faciliorẽ saniei, & excremenrorum purgationem, & an nunquam consuenda, & consolidanda veniant? Quo ad primum, cum consosso thorace, ac perforatis musculis intercostalibus, vt testatur experienria, & Gal. confessus est, vox intercipitur, videtur idem esse aer ille, qui efflatur per vulnus, cum eo, qui per os attrahitur, nam cum aer attractus, & postea efflatus sit vocis materia, efflato autem aere per vulnus vox deperdatur, videtur censendus hic & ille aer idem esse, & hunc pariter, vt illum vocis materiam iudicandum esse. Et hoc eo magis, quo efflato per vulnus hoc aere vox intercipiatur, non autẽ efflato, sed retento restituatur. Res tamẽ aliter se habet, quoniam intercipiatur vox ex perforatione intercostalium musculorum, non quidem quia aer, qui ad vocem formandã debetur, per vulnus ipsum effletur, sed quoniam, cum vox nequaq̃ fieri queat, nisi per aeris efflationem, & efflatio ista nõ efficiatur, nisi à musculis intercostalibus cõmisso in vnũ thorace, his læsis & perforatis, talis efflatio perfici non potest, quare nec vox. Dicitur autem à Galeno per huiuscemodi perforationem totam vocis materiam deperdi, non quia ille aer, qui efflari, & in vocem formari debebat, effletur per vulnus, sed quia efflari nequaquam potest à musculis illis læsis, & perforatis, ad quam efflationem causandam non solum faciunt musculi illi intercostales, verũ etiam aeris attracti in pulmonẽ copia, nam à pauca aeris quantitate, aut nulla, aut minima fieri potest efflatio. Vnde qui paucispiri sunt, aut semiuocales, aut sine voce existunt. Qui autem plurimum aeris attrahunt, plurimum possunt efflare, & hi plurimũ vocales, nisi propria vocis organa lęsa sint, existunt. Cuius ratione Hipp. lib. 6. Epid. sect. 4. text. 23. dicebat, quibus plurimum calidum inest, vocalissimi sunt; frigidus enim aer plurimus; ex duobus autem magnis magna, & quæ innascuntur, fiunt. Nam hi sunt vocalissimi, quia ex plurimo calido, quod à primordiis naturæ insitum receperunt, vasa ampla habent, calidi enim est dilatare, & eiusdem plurimi calidi ratione plurima, & magna indigent respiratione; quapropter & plurimum aeris externi, quẽ frigidum ad comparationem interni appellat, attrahunt. Concurrentibus autem his duabus causis magnis, scilicet calor plurimus innatus, & copia frigidi aeris inspirati, magna sequitur vox, nam attracto aere copioso, efflatio ingens fieri potest, & inde vox magna emergit, sicut & magna necessario, ac ampla sunt respirationis vasa, quæ talia innascuntur, & fiunt à caloris natiui abundantia, & robote. Cum igitur ad efflationem causandam aeris attracti copia requiratur, copiosa autem attractio fieri nequeat in confossis, hinc succedit, vt in his vox intercipiatur. Copiosa vero aeris non potest fieri attractio, quia cum in inspiratione ex parte repleatur thorax aere per vulnus attracto, non potest pulmo, qui motum thoracis sequitur, plurimum aeris aut recipere, aut attrahere. Vnde cum parũ aeris attrahat, vel recipiat, caret materia ad efflationem perducendam conuenienti, ex quo sequitur, vt vox intercipiatur. Vnde pateat non esse ex prædictis aut concludendum, aut censendum, eundem esse illum aerem, qui attrahitur per tracheam arteriam, cum illo, qui per vulnus efflatur, quoniam hoc efflato desit materia voci; quia qui per os attrahitur, per os redditur & expiratur, nec vulneri communicatur, qui autem per vulnus efflatur, per vulnus pariter attrahitur. Nã quamprimum thorax perforatur, aer inclusus statim egreditur, hoc egresso per subsequentem inspirationem attrahitur externus aer per vulnus, qui aer ad intra calefactus, per expirationem postea calidus emittitur, & quoniam non est elaboratus, partibus internis est noxius, & ideo cauendus. Nec hic aer cum aere per pulmones attracto communicat, cum ille plurimus attrahatur, si vulnus claudatur, minimus autem, si adaperiatur, & vulnere clauso, vox & efflatio restituantur, eo vero aperto, deperdantur. Qua de re ille aer, qui per vulnus frigidus inspiratur, & calidus per idem vulnus exspiratur, idem est. Nec iste aer cum aere, qui per os, & per tracheam arteriam ad pulmones attrahitur, communicat, sed diuersus existit, nec potest facere ad vocem, quia non potest egredi per pulmones, imo facit ad eius deperditionem, quoniam est impedimento, ne ad intra pulmones plurimus aer, à quo efflatio fieri debet, attrahatur. Hæc de primo. Quo ad alterũ, vulnera thoracis penetrantia, si satis aperta sint, in eo statu videntur conseruanda; si autem angusta, videntur aperienda esse. Nam cum ex huiuscemodi vulneribus ad intra thoracem grumi colligi consueuerint, pusque ex vlcere solitus sit emanare, exitus his per vulnus parari debet, ad quod respiciens Hipp. dicit, dum per vulnus aer calidus egredi, & frigidus ingredi potest, id est, dum vulnus commode apertum est, facile pus, & si quid aliud, vtputa grumi, adsit euacuandum, expurgatur. Pręterea si in empymaticis secamus inter sextã & septimam costã ad pus expurgandum, cur aperto existente vulnere cum pus, vel quid aliud expurgandum sit ex vlcere, non erit vtile vel apertum conseruare, vel angustum dilatare? Satis hoc agendum est. At quo casu? vbi confosso thorace pulmones, aut aliquod vas magnum vulnerata sint, & vbi notabilis sanguinis quantitas introfluxerit, nam per vulnus partibus vulneratis apte in tali casu medicamenta applicari possunt, & inde excrementa, sanies, pus, grumi, ac similia facile inde educi queunt. Si tamen nec pulmones sint vulnerati, nec vas aliquod magnum disruptum, & pauca sanguinis quantitas introfluxerit, tutius est statim consuere, & agglutinare vulnus, nam hinc roborato calore interno, nec patientib. pulmonibus ab aere externo, partes vulneratæ cito cõsolidantur, & si quæ adest sanguinis ad intra col-

lecta

lecta quantitas, facile absumitur, & digeritur, vti pariter quandoque in empymaticis non sectis, & in pleuriticis, ex tubore caloris innari interni pus, & sanguinem digeri, & absumi liquet. Quæ tamen consutio & agglutinatio in casibus prædictis, videlicet vbi pulmones aut aliquod vas insigne sit læsum, & copia sanguinis grumosi adsit, vitanda erit, quoniam sanato, & occluso vulnere, grumi ad intra puttescentes corrumpent partes circumstantes, & si pulmo vel aliqua pars momentanea fuerit vulnerata, facile inflammabuntur, & facile putredinem, & corruptionem concipient. Quapropter in his, si vulnus sufficienter pateat, in eo statu est conseruandum; si autem sit angustum, vtputa à stylo acuto factum, statim est dilatandum, & magis aperiendum. In dilatatione autem huc vnum obseruandum est, vt sectio fiat in medio spatio prope partem inferiorem costæ, à superiore enim parte quamplurimum distet sectio, ne in ea administrãda vasa partem superiorem costæ in proprio canali perreptantia, secentur: nam his sectis solet plurima sanguinis fluxio, à qua plurima postea impendent mala, superuenire.

89 *Et si quidem & interna & externa pars simul fuerint sanatæ, sanus penitus homo euadit, si vero externa quidem sanata fuerit, interna vero non, suppuratus euadit.*

IN perforatione thoracis, in qua nec pulmo, nec vas aliquod magnum sit vulneratum, nec sanguinis notabilis quantitas ad intra fluxa sit, quamprimum vnio & agglutinatio tentanda venit. In hac autem tentanda debet medicus ea ratione curationem tractare, vt vulneris pars extima, & pars intima pariter vniantur, & agglutinentur: nam si hæ pari ratione sanatæ fuerint, sanus penitus homo euadit, nam nihil periculi ex partibus internis impendente, & vulnere in totum, ac æqualiter agglutinato existente, penitus sanus euadit vulneratus. At si non ęqualiter sanetur vlcus, quia pars externa sanata fuerit, interna autẽ nequaquam, vt cõtingit, cum agglutinantia nimium adstringentia in superficie tantum apponuntur, quæ possunt quidem partem extimam, & superficialem adstringere, ac vnire, cum eam immediate tangant, non tamen internam, cum viam sibi præcludant, nec locum affectum attingant, suppuratus euadit patiens. Nam vlcus internum non sanatum euadit purulentum, ex quo cum pus expurgari nequeat, pus colligitur, & inde suppuratio vere succedit.

90 *Et si etiam sanatæ simul sint interna, & externa pars, cicatrix autem intus debilis fiat & aspera, ac liuida, reulceratur quandoq; atq; sic suppuratus fit.*

MALE curati morbi solent habere eandem, vel parum diuersam terminationem ab his, qui nullo modo curati sunt. Nã si lethales sint, solent, vt illi, pariter mortem inferre, si autem non lethales statim sint, consimilia inferunt accidentia, sicuti in præsenti apparet casu. Nam quemadmodum ex non curata vulnerum thoracis parte interna succedit suppuratio: ita pariter ex male curata sequitur eadem. Non curatur, si nulla cicatrice inducta vlcus intus apertum hiat, ex quo pus necessario resudabit; male autem curatur, si ex curatione cicatrix debilis inducatur, cuius debilitatis ratione facile reulceratur denuo vlcero detecto. Ea autem cicatrix est debilis, quæ ratione substantiæ est tenuis, ratione æqualitatis est aspera, ratione caloris est liuida: tenuitas enim disrumpentibus facile cedit, asperitas naturam perfecte eam non regulare indicat, liuor autem, qui coniectura, non sensu deprehendi debet, ostendit, ex prauo sanguine eam firmatam esse. Quapropter si ex mala curatione talis succedit cicatrix, ex mala etiam hac curatione dicitur succedere suppuratio, quoniam cum cicatrix nõ sit stabilis, nec sana, nec diuturno temporis decursu disrumpitur, qua disrupta vlcus hians purulentum, à quo succedit suppuratio, euadet.

91 *Rursus exulceratur etiam, si quid amplius laborarit, & si attenuatus fuerit, & si pituita, aut bilis ad cicatricem affixa fuerit, & si alio morbo correptus, attenuatus fuerit.*

QVIBVS ex causis obducta debili cicatrice locus affectus denuo reulceretur, explicat, dicens, si patiens amplius laborarit, si attenuatus fuerit, si pituita aut bilis lateri affixa fuerit, & si alio morbo affectus fuerit attenuatus, iterum locus affectus debili disrupta, & aperta cicatrice vlceratur. Quæ causæ in quatuor genera reducuntur, scilicet, in motum superfluum (ad quem exercitationem immodicam, vel vehementiorem casum, percussionem, ponderis eleuationem, clamorem validũ, & tussim vehementem redigas) in corporis extenuationem ratione atrophiæ factam, in fluxionem ad locum affectum irruentem, & vltimo in morbum corpus emaciantem, & resoluentem. Motus autem etiam validus cicatrices debiles facile rumpit ob violentiam, quam infert. Extenuatio ad idẽ facit, quia partes languidas, & alterationi cuicunq; prompte cedentes reddit, cum hinc non tantum corpus, sed etiam cicatrix extenuetur. Fluxio, quia humectat, & partem laxat affectam, ex ea laxatione, & humectatione facilè disruptioni proclinis redditur. Morbi autem emaciantes & extenuantes corpus, hoc idem faciunt, quia partes per se languidas magis afficiunt, & languidiores reddunt.

92 *Vbi vero vlcus factum fuerit, siue hoc modo, siue vbi externa pars, priusquam interna coaluit, dolorem acutum inducit, & tussim, & febrem, & frigiditatem ipsum sibi vlcus inducit, eo quod amplius calidũ existat, & ipsum à se ipso caliditatem efflat, & pus expurgatur, & per longum tempus curatur, & tardius sanescit.*

HIANTS vlcere in interna vlcerati loci parte, si tale existat, quia mala ac debili cicatrice obductum ex causis prædictis recrudescens iterum apertum sit, siue quia externa pars coaluerit tantum, non coalescente interna, plura superueniunt mala. Nam cum tale existens necessario purulen-

tum

tum euadat, dolorem ob cõtinuitatis solutionem, tussim ob puris resudationem, & febrem ob saniei & suppurationis generationem inducet, & quoniam vlcus est in parte membranosa, talis enim est interna thoracis cauitas ob pleuram eam cõuestientem, ideo fiunt etiam in hac puris generatione, & resudatione, dum partem illam admodum sensitiuam pus ipsum calidum, & mordax existens pertingit, ac mordicat, quidam rigores, & quædam refrigerationes. Quam veritatem explicans Hippocrates per obscura verba dicebat, vlcus ipsum sibi ipsi frigiditatem inducere, eo quod amplius calidum existat. Ex caliditate enim superflua cum conceperit mordacitatem, & inde partes illas sensitiuas per contactum mordicet, non potest frigus, aut rigorem non inducere, qui rigor, aut frigus dicuntur in vlcere induci, quia ab vlcere ortum habent, & ab eo principium ducunt. Rigori autem & refrigerationi cum postea succedat febrilis calor, hinc est, quod ab vlcere, quod est malorum omnium sedes ac fomes, videantur ægrotantes caliditatem efflare. Spiritus enim calidior, quam deberet, tum ob febrem, tum ob putredinem eo loci cõceptam hinc emittitur, hincque pus resudans, dum vires adhuc valent, per pus expurgatur. Quo tempore, scilicet dum vires omnes adhuc constant, nec corpus extenuatum est, nec putredo interna ob puris inceptam purgationem inualuerit, curari ac sanari possunt. Curatio tamen hæc longior erit, quã fuisset, si à principio recta administrata curatio foret, & sanatio tardior, quoniam per diuturnum tempus maxima cum difficultate sanari debent, quæ difficultas possibilitatem non tollit, sed solum arguit, & monet medicum diligentissimum, ac peritissimum accersendum esse, ægrotantemque in omnibus curanti medico obsequi debere, alias non saluabitur, sed necessario, vt in sequenti habebitur textu, suppuratus euadet.

93 *Quandoq; vero neq; sanescit, nam caro, & vlcus ab ardore, qui est in corpore, coquitur, & nimium humectatur, vt non possit neq; siccari, neq; carnem producere, neq; sanari. Sed cum temporis progressu moritur patiens talia, qua etiam prius dicta sunt.*

NON semper prædicti ęgrotantes, licet rectissime curentur, sanescunt; sed aliquando necessario purulenti ex tardata curatione facti ineuitabiliter pereunt. Cur autem hi necessario, & purulenti fiant, & tandem postea ex his intereant, per hæc vult Hipp. declarare; nam in his si vlcus internum non recte curetur, nõ sanescens tandem suppuratum reddit patientem. Suppurationis autem, ac putrescentiæ causa est caliditas præter naturam abundans vna cum humiditate. Hãc humiditatem febrilis calor auget, & conseruat, ex qua caliditate caro vlcerata adeo male disponitur, vt ad calidum alterata, & inde ratione fluxionis humectata; nequaquam sanationi apta existat. Cum enim vlcera per siccationem sanentur, & caro per saniei abstersionem generetur, nec vlcus sanari, nec caro proba produci in eo poterit, nimirum multa in ipso superfluente humiditate, ac excrementorum copia, quapropter hi necessario suppurati euadent. Vbi autem suppurati euaserint, eadem ratione peribunt, qua dictum est cæteros perire suppuratos, scilicet vel cum diarrhæa deprehensi fuerint, vel cum pulmo totus purulentus factus fuerit, vel ex sanguinis, ob erosionem ab vlcere inductam, copiosa & repetita eruptione exanimabuntur.

94 *At si contigerit, vt crassarum venarum aliqua sancietur, & sanguis intro fluat, ac putrescat, suppuratus fit. Et si quidem hoc pus totum per sputum reiectum fuerit, & vena sauciata coaluerit, & vlcus intus ac foris sanatum fuerit, penitus sanus euadit.*

DVPLICEM ex vulneribus dicebam esse modum, per quem thorace confossi fiunt suppurati, alterum ratione vlceris interni, aut nequaquã aut male curati, alterum ratione grumorum ad intra thoracis cauitatem putrescentium. De primo actum est: de secundo nunc agitur. pro quo aduertendum est, quod in thorace confossis vel multa, vel pauca sanguinis quantitas colligitur. Si pauca est quantitas, hoc inde fit, quoniam vulneratio attingit tantũmodo vasa minora, si autem sit multa, attingit vasa maiora, nam ex minoribus vasib. pauca fluit sanguinis quantitas, sicuti multa ex maioribus. Vbi pauca fluxerit, facile hic superatur, & deuincitur à natura, quo casu dicebam vulnus statim tuto agglutinari posse, nam vel discutietur, vel per tussim reiicietur. Vbi autem multus fuerit sanguis, non tuta est agglutinatio, cum præ copia nec facile reiici possit. Naturæ autem beneficio resistit, quia in rhombum conuertitur, & grauescit, ex quo nec excretioni, nec alterationi cedit, quoniam factus est toto genere præter naturam, & toto genere nõ solum præter naturam, verum etiam contra naturam, nam vim maleficam, & veneno consimilem concipit. Talis autem is existens non amplius à natura regulatur: quare necessario putrescit, putrescens autem hominem suppuratum facit. Huius autem merito vulnera thoracis penetrantia, in quibus sanguinis copia ad intra fluxerit, non agglutinanda sunt, sed potius dilatanda, vbi angusta existant, ad dandum materiei cõtentæ exitum erunt. Quæ tamen materia per se fluere ad extra nequit, sed indiget his, quæ ipsam dissoluere possunt: quare aperto vulnere immittenda sunt ea, quæ ad dissoluendos grumos apta sunt. His autem dissolutis abstergentia, per quæ ad extra euocentur, administrẽtur, tamdiuq; apertum vulnus detineatur, quo ad thoracis cauitas ab illis grumis purgata sit. Quod si grumi ex medici vel ignorantia, vel negligentia non dissoluantur, sed ad intra remaneant, putrescantque, tuplici via hoc pus expurgari poterit, altera erit per sputum ac tussim, altera per vulnus, si adhuc apertum existat, vel ex sectione, aut vstione, quibus vtimur in suppuratis. Prima via satisfaciet, si pus non sit copiosum, si autem multum existat, nec prima via satisfaciat, recurrendum erit ad se-

ctionem, vel ad vstionem, vel ad vulneris dilatationem. Vulneris dilatio conueniet, si adhuc apertum sit, non tamen in debita mensura dilatatum. Si autem iam vulnus sanatum sit, & coaluerit, facienda est sectio non amplius in loco vulnerato, sed in loco puris excretioni opportuno, scilicet, inter sextã, & septimam costam. Vstio pariter secundum traditam formam erit administranda, hæc autem in maiori putredine, & corruptione, illa autem in minori præferatur. Cum autem hæc ingentia mala, scilicet grumorum generatio, collectio, retentio, corruptio, & suppuratio sequantur ad sanguinis extrauenati copiam, vt re dictum est ab Hippocrat. hæc contingere, si crassarum venarum aliqua sancietur. Nam his sectis copia sanguinis in thoracis cauitatem effunditur, ibique grumescit, & tandem, nisi opportuna administretur curatio, putrescit, & patientem suppuratum facit. Ex hac autem suppuratione patiens euadet, si pus totum per sputum reiiciatur, & vena sauciata coalescat, & vlcus initio, ac foris integre sanatum sit, quæ tria necessario requisita sunt, quoniam nisi pus totum per sputum reiiciatur, vel copiosum nimis erit; quo casu æger aut sectione, aut vstione indigebit, vel fomitem internum habebit, vtpute vlcus in parte interna non sanatum, aut venam non coalescentem, sed sanguinem, & pus refundantem. Nisi etiam vena coalescat, sanguinis fluxio sæpe vrgebit, ex qua noui superuenient grumi, & noua suppuratio. Nisi autem vlcus integre in parte interna sanatum fuerit, omnino purulentum erit, indeque puris generationi fomitem perpetuum dabit.

95 *Si vero neque vlcus intus coalescere poterit, neque vena constringatur, sed alias atque alias sanguinem remittat, & si statim vomatur, ac spuatur, aut etiam putrescat, & pus expuatur, plerunque perimitur aut statim sanguinem vomens, aut posteriori tempore, dum perit, ab ijsdem, quæ antea dicta sunt.*

POSITIS tribus conditionibus ad sanitatem ex suppuratione ratione grumorum superuenlente recuperandam requisitis, nunc ponit, ex quibus hi pereant, dicens: Si vlcus intus non coalescat, ita vt purulentum remaneat, vel si vena non adstringatur, ita vt sanguinem quandoque remittat, siue hic sanguis statim vomatur, aut spuatur, id est, copiose, aut parce educatur, siue retentus grumescat, putrescat, & tandem in pus conuersum expuatur, hinc perimitur patiens. Sed non semper eodem pacto, nam hi, quibus vena non est agglutinata, quandoque derepente moriuntur ex copiosa sanguinis effusione, quandoque autem temporis decursu longioris, sicut & ii, quibus vlcus intus non coalescit, ex iisdem causis, ex quibus pluries dictum est suppuratos mori, pereunt, scilicet, vel facto in totum purulento, ac potrido pulmone ob præsentiam vlceris purulenti, vel ex diarrhæa superueniente.

96 *Sæpe vero hi, quibus venarum aliqua intus sauciatur, à vulneribus, aut quibusdam laboribus, aut exercitiis, aut alia quadam causa, cum coaluerit, & sana esse videtur vena, alio tempore iterum rumpitur, idque ab iisdem contingit causis, à quibus etiam prius patiebatur. Vbi vero iterum rupta est, sanguinem fundit, & statim pereunt, sanguinem multũ ac sæpe vomentes, aut alias atque alias sanguinem recentem vomunt. Pus autem spuentes per omnem diem multum, ac crassum, tali ac consimili modo pereunt, velut etiam in aliis morbis est dictum.*

VBI maiora vasa in thoracis vulneribus fuerint sauciata, non modo periculum impendet, vbi ea non coalescant integre, quia sæpius sanguinem remittant, & inde patientes ex copiosa sanguinis effusione periment, verum etiam vbi coaluerint, & sana videntur esse. Nam cum ex vulnere illo debilitatem in ea parte contraxerint, cicatrixque admodum firma obduci nequeat, quia cicatrizantia valida parti læsæ applicari nequeunt, hinc fit, vt ex simili causa, quæ vim loco affecto inferat, facile ea cicatrix abrumpatur. Qua abrupta, & aperto vlcere vel statim effuso copioso sanguine pereunt, vel repetita sanguinis eruptione vlcus reddit purulentum, & inde suppurati euadunt patientes, qui indies pus copiosius spuentes, tandem pereunt iisdem modis, quibus alios suppuratos mori sæpius commemoratum est. Hic autem casus non tantum verificatur in confossis thorace sauciatis venis internis, sed etiam in quocunque alio casu, in quo venæ maiores per violentiam illatam non perforato, nec vulnerato thorace abrumpantur, vt quandoque contingit ex casu ab alto, ex percussione, ex clamore valido, ex ponderis grauioris eleuatione, ex vehementiori exercitatione, vt ex cursu immoderato, vel longa, & ingenti equitatione, ex aliisque similibus casibus. Nam vbi hi non statim pereant, sed sanentur, vena interna iterum agglutinata, in posterum sunt obnoxii eiusdem venæ ruptioni, paucique ex hac euadunt repetita sanguinis eruptione, vnde vel derepente (sicuti plures perire vidi) moriuntur, vel temporis decursu modo sanguinem, modo pus expuentes suppurati, & tabidi facti pereunt eodem pacto, quo cæteri suppurati moriuntur.

97 *At vero in his, ac similibus morbis multum refert ad facilem, ac difficilem curationem, vir sit, an mulier, qui morbum habet, iuuenis, an senex, mulier iuuencula, an anicula. Et præterea tempus à tempore differt, in quo ægrotant. Interest item an ex alio morbo ægrotent, aut non ex alio. Differt etiam affectus ab affectu, maior à minore, & corpus à corpore, & curatio à curatione.*

Cvm

CVm ex suppuratis alii curari & sanari possint, alii autem nequaq̄, sed necessario perituri sint, & cum ex perituris alii tardius, alii citius moriantur, debet medicus hæc omnia, & eorum differentias, & causas nouisse, si artem innoxie, & non calumniose exercere velit. Nam qui perituri sunt, nō erunt tractandi sicuti illi, qui curari & sanari queunt, nec ij, qui curationem admittere possunt, erunt tractandi vt illi, qui nullam proficue admittentes curationem necessario sunt morituri, nec de illis, qui cito sunt perituri, mortem in diuturnum, ac longinquum tempus producendam esse censendum est, nec ex aduerso de illis, qui tarde moriuntur, pronunciandum est, iis breui pereundum esse. Hæc enim omnia sunt mala, & vitiosa in arte, quare & cauenda, nam debet medicus & debito tempore, & debita occasione curationem administrare, & debito tempore, ac debita occasione à curatione desistere, & simul in prognostico à veritate, rem vnam pro altera prædicens, non deuiare. Quæ omnia, ne ignorentur à medicis hoc in loco diligentissime explicantur ab Hippocrat. dicente, quod in prædictis, ac similibus morbis, id est, in omnibus suppurationum generibus iam explicatis, vel non explicatis (quales nonnullas ego superius apposui) ad prædicta analogiam habentibus, multum refert, quantum ad facilem, aut difficilem curationem, id est, quantum ad hoc, quod morbus facile, aut difficulter curari, (curatio ista respicit morbum, non actionem medici) queat, scire plures & diuersas, necessarias tamen conditiones, quarum altera spectat ad patientis sexum, altera ad ætatem, altera ad tempus, altera ad occasionem, altera ad affectum, altera ad vehementiam affectus, altera ad subiectum, altera ad curandi modum. Quo ad difficilem, aut facilem curationem, refert, an mas, an fœmina sit, qui ægrotat; nam cum fœminæ sint maribus frigidiores, humidiores, laxiores, & imbecilliores, ratione frigiditatis magis, quam mares resistent calidioribus affectibus, ratione humiditatis magis cedent putredini, & suppurantibus causis, ratione laxitatis plures patientur fluxiones, & hoc maxime à mensibus retentis, ratione autem imbecillitatis citius succumbent morbo, & velocius ex simili affectu peribunt. Quo autem ad ætatem, refert, an patiens sit iuuenis, an senex, quoniam iuniores senioribus, cum calidiores, biliosiores, sanguine abundātiores, & in meatibus angustiores eis existant, facilius ex quacunque morbifica causa suppurantur, & magis, vbi suppurati fuerint, periclitantur. Quod simpliciter verificatur in viris, non ita tamen in fœminis, nam quæ iuniores sunt, dum recte ex naturæ præscripto expurgantur, minus obnoxiæ sunt his morbis, quę autem senectutem attingunt, dum menstruæ purgationes ob ætatis decursum supprimuntur, magis obnoxię sunt, & plures in hac ętate similibus morbis deprehenduntur. Seniores autem, & quæ ab hac ætate longius distant, minus veluti seniores mares his morbis afficiuntur, & si afficiuntur, minus fœminæ, quam mares periclitantur. Ad hoc etiam maxime facit differentia temporis, nam multum refert, quo anni tempore, & sub qua cœli constitutione laborent patientes. Æquinoctia enim solent esse infesta his morbis, plurimum autumnale, minus vernale. Et ver ipsum sanguinis profluuia, tusses, aliasque similes occasiones his morbis præbet, æstas ob siccitatem est innoxia, vnde qui tabidi, & qui hyeme, vel vere suppurati euaserint, cum pertingunt ad æstatem, consueuerunt satis innoxie morbum vsque ad autumnum tolerare. Autumnus vero pessimus est, tum ob inæqualitatem aeris, tum ob repentinas, quæ in eo fiunt, & præcipue ad frigus mutationes. Hyems autem mala est, non ita tamen perniciosa, vt autumnus, quoniam licet frigida, non tamen est sicuti autumnus, inæqualis. In his autem temporibus Austrinæ constitutiones valde noxiæ sunt, quia putredines & fluxiones augent: Aquiloniæ vero non vtiles quidem, quia thoraci infestæ sunt, ac omnes partes spirituales lædunt, non tamen ita noxiæ, vt Austrinæ. Humidæ constitutiones (humiditas non à tempore, & constitutione anni, sed à pluuiarum abundantia, sicuti siccitas ex harum defectu habetur) si in his temporibus fiant, sunt valde noxiæ, quia putredines, fluxiones, & corruptiones augent. Siccæ autem vtiles, quoniam corrigunt omnia prędicta, nam humiditatem absumentes tollent fomitem putredinis, fluxionis, & corruptionis, cuius merito inducunt & augent eas tabes, quæ ex atrophia, & mala nutritione inde siccatis corporibus gignuntur, quas tabes intellexit Hippocrat. libr. 3. Aphorism. 16. dum dicebat: In siccitatibus tabitudines fieri, non autem oculorum tabes, sicuti videtur sensisse Galenus, cum nusquā eo loci loquatur Hippocrat. de oculorum tabe, sed simplici voce vsus, totius corporis tabes intelligat. Quod autem postea addit de lippitudinibus, alium sensum, nec quid cum tabe commune habet. Et quoniam ad tempora anni reduximus anni constitutiones, ex quibus pariter aeris qualitas, & conditio habetur, ad tempora anni pariter reducamus locorum situm, cum ex locorum situ aeris qualitas immutetur. Vnde animaduertatur, an regio, & locus, in quo patientes laborant, vel Meridiem vel Occidentem, vel Boream, vel Orientem respiciant. Nam quę Orientem spectat, salubriorem habet aerem, quæ Occidentem, fluxionibus obnoxium, quæ Boream, minus his, magis autem thoraci inimicum, quæ vero Meridiem omnium pessimum, nam æquiparatur Austrinæ constitutioni, quæ si in tali genere vigeat, in extremo malus erit aer, si autem in aliis regionibus, erit minus noxius, & tanto minus, quanto partem magis frigidam, aut siccam respiciat. Quo ad regionem & locum, in quo patientes ægrotant, refert etiam multum eius solum considerare, nam si paludosum, lutosum, & aquis irrigatum sit, hisce morbis infestum est, cum fluxiones, corruptiones, & putredines foueat. Si autem solum fuerit siccum, nec aquis seu stagnantibus, seu fluentibus irriguum, satis opportunum erit hisce affectibus, cum fluxiones, corru-

ptiones, & putredines potius corrigere, quam inducere aptum sit. Quoad solum refert etiam scire, an sit in plano loco, an in monte, an in conuallibus, nam planities, & colles ventis, & coeli plagis opportunis expositi laudantur, quæ autem opposito modo se habent, damnantur ob iam enarratas causas. Omnium autem maxime damnantur valles propter aerem inclusum, & hæ potissimum, quæ Austrnm, & meridionalem plagam respiciunt. Ad hoc etiam refert scire, ex qua occasione suppuratio facta sit, scilicet, an alteri morbo successerit, an per se genita fuerit; & si alteri morbo succedat, an ille fuerit acutus, vel non, nam illæ suppurationes, quæ ad morbos acutos succedunt, sunt breuioris terminationis, & magis periculosæ, quæ autem ad morbos non acutos, sicuti ad destillationes, ad ruptiones, ad conuulsiones, ad venarum fractiones, ad vulnera, & ad alios similes affectus, sunt longiores, & minus periculosæ, licet in fine par periculum mineutur. Quæ autem per se gignuntur, sicuti fit in his, qui à parentibus talem contraxerunt labem, vel ex mala formatione in has à natura proni sunt, omnium sunt pessimæ, difficulter enim præcauentur, & vbi contigerint, facillime perimunt.

Quo autẽ ad affectũ refert scire, ea quo affectu suppurationes fiant, scilicet, an ex destillatione putrescente, an ea corrodente, an ex tuberculo, an ex vasis ruptura, aut diuulsione, sn patiente thoracis, aut pulmonis substantia, an ex morbo acuto, an ex non acuto, an ea vulnere, an ea sanguinis grumis. Cognito autem affectu, refert scire, an sit ea maioribus, vel ea minoribus. Ea maioribus erit, (si ex destillatione pendet) vbi destillatio sit salsa, ea minoribus, vbi sit insipida. Si ex tuberculo pendet, maior erit, ex tuberculo in pulmone facto, minor ea tuberculo in thorace existente. Maior etiam erit ex tuberculo erudiori, & inæqualiter suppurante, minor ea tuberculo calidiori, facile & æqualiter suppurante. Si ex vasis ruptura, maior erit ex ruptura vasorum pulmonis, minor ex ruptura vasorum thoracis, maior ex apertione vasorum maiorum, minor ex ruptione vasorum minorum, si ex substantia vel thoracis, vel pulmonis patiente, maior ex pulmonis, minor ea thoracis passione; si ex morbo acuto, maior, si ea erysipelate, minor, si ea inflammatione, vtputa ex peripneumonia, & minor adhuc, si ea pleuritide; si ex morbo non acuto, maior ex eo, qui acutos vel grauitate, vel celeritate æmulatur, minor ex eo, qui ab his magis distat; si ea vulnere, maior ea vulnere magna vasa, aut pulmonem petente, minor ex vulnere solos intercostales musculos, & pleuram penetrante; si ex grumis, maior ea maiori sanguinis putrescentis copia, minor ea minori. Quo ad subiectum autem refert scire, an subiectum corpus sit resolubilis habitus, vel nõ, an sit cacochymum, an non, an thorace sit male formatum, an non, an destillationibus sit obnoxium, an non, an sit inualidum, an non, an ex parentibus suppuratis oriundum sit, an non, an veneri & gulæ deditum sit, an non, an ociose viuat, an non. Nam corpora resolubilia facile cuicunque morbo succumbunt, cacochyma omni corruptioni parata sunt; quæ thorace male sunt formata, ea parte imbecillia sunt, cum quacunque parte quis sit male formatus, eadem existat imbecillus; quæ destillationibus obnoxia sunt, in morbis thoracis ob destillantem materiam deterrime degunt; quæ inualida sunt, facilius causis morbificis cedunt, & ex eisdem citius pereunt; quæ ea parentibus suppuratis oriunda sunt, prona sunt in eandem affectionem; quæ veneri & Gulæ indulgent, habent laxa membra, & luxu in omnem morbum parata; quæ otiosa sunt, effœminata & infirma reddita sunt. Nam vt habetur libr. 4. de iis, quæ in medicatrina fiunt, text. 19. otium tabefacit, vsus corroborat. Talia autem effœminata & infirma corpora facile omnem subeunt alterationem, & passionem, hincque etiam facile suppurantur, sicuti omnia prædicta. Quo autem ad eurandi modum refert admodum nouisse, quæ curatio affectui competat, & ex his, quæ affectui competunt, quæ magis sit opportuna, quemadmodum in supputatione sciente perserutandum est, an sit cum suppurantibus agendum, an potius cum his, quæ suppurationem prohibeant. In facta autem & non expurgata, an potius vstione, quam sectione, vel potius è conuerso, an sectione, quam vstione sit tentanda curatio. Præcedens etiam curatio considersnda venit, quouiam si ea ab excellenti viro tentata ex voto non successerit, indicat morbum radices altius tecisse, & cacoethe factum esse. Si autem male tentata fuerit, forsitan patientem vel incolumem ferre, vel saltem ea parte releuati posse, si omnia probe instituantur, sperandum erit.

Quo ad curationem, considerandum quoque est, an ea tempore conuenienti fuerit tentata, an non, quæ enim tardius adhibetur, vt puta in sanguinis ea vasorum pulmonis, aut thoracis apertione, aut erosione, aut ruptura, cui successerit purulentum vlcus, parum profieua erit, quæ vero ante suppurationem facta adhibetur, prodesse poterit. Quæ etiam administratur, dum pulmo purulentus factus est totus, & dum capilli de capite decidunt, & dum diarrhæa deprehenduntur; non modo inutiliter, verum etiam noxie administratur. Hinc enim ægrotantes facilius, & citius perimuntur, in quo statu vtilius est ab omni medicamento desistere, quam eis ad perniciem, & ad accelerandam mortem vti. Hæc igitur omnia aduertenda sunt à medico vt optime dignoscat, qui ea suppuratis facilem admittant, vel difficilem renuant curationem, & qui ex his facilius, vel difficilius curari possint, & qui nequaquam curandi sint, quique vel minimam, vel nullam vitæ spem retineant, & qui tarde, & qui cito possint sanari, & qui citam curationem desiderent, & qui procrastinatam expectare possint.

98 His

98 *His autem ſic inter ſe differentibus, neceſſe eſt etiã tempus diuturnitatis differre, & aliis longius fieri, aliis breuius, & alios perire, alios non, & morbos aliis durabiles eſſe, & maiores, aliis minores, & breuis temporis, aliis permanere vſq; ad ſenectutem & commori, alios perire ab ipſis breui.*

CVI dubium, quod, ſtante tanta rerum & conditionum differentia in his, quæ circa ſuppuratorum conditiones veniunt animaduertenda, nullus poteſt aſſignari certus terminus aut morbo, aut morti? Ex prædictis enim patet, alios breui, alios diu, alios leuius, alios grauius laboraturos eſſe; itemque alios cito, alios tarde perituros fore, & ex tarde perituris, alios præueniri à morbo, alios permanſuros cum morbo vſque ad ſenectutem, & cum eo commori. Tales ſunt hi, qui in ſenectute prima ex leuioribus cauſis, non ex grauioribus ſuppurati ſunt: hi enim vt infra patebit, diu morbum perferre, ac tolerare poſſunt, & cum eo commoriuntur, licet ei ſuperuenire nequeant. Qui autem ſint hi, qui aut tarde, aut cito in aliis ætatibus perituri ſint, & qui aut breui, aut diu, & qui aut grauius, aut leuius laborent, ex his, quæ in præcedenti commento, & ex iis, quæ ſuperius aliis in locis notaui, pateat.

99 *Et qui quidem iuniores patiuntur eas affectiones, quæ à laboribus fieri dictæ ſunt, hi & ampliores, & vehementiores ipſas patiuntur, & magis, quam alii dolent, & ſtatim in ipſis manifeſtæ fiunt, vt ſanguinem aut ſpuant, aut vomant. Sed & quædam cõtingentia ipſis fallunt ipſos præ bona corporis habitudine. Seniores autem raro patiuntur, & ſi patiantur, debiles ipſas perpetiuntur, vtpote ipſi debiliores exiſtentes, & remittunt magis ipſis, & affectionum curam maiorem gerunt.*

CVM ſuppurationum non omnia genera fiant à cauſis internis, ſed etiam aliæ à cauſis externis, vt declaratum eſt, excitentur, qua ratione hæ cauſæ externæ, quas labores vocat, diuerſo modo in iunioribus, & in ſenioribus ſuppurationes producant, explicare intendit; nam cum iuuenes ſenioribus ſint validiores, robuſtiores, corpore firmiores, carne ſolidiores, & calore inſito abundantiores, videretur cenſendũ eſſe, hos magis reſiſtere laboribus ipſis, & ab iiſdem minus affici, quam ſeniores. Quæ tamen ſententia, cum rationi, & experientiæ opponatur, ab ipſo Hippo. nequaquam recipitur: quinimo per expreſſam narrationẽ redarguitur, & ei contrarium demonſtratur, nam in his duo hæc nititur explicare. Primo quidem hoc in textu per hiſtoricam narrationem iuniores à laboribus facilius, & grauius affici, in difficilioreſque ac grauiores detrudi ſuppurationes; ſeniores autẽ difficilius, & leuius affici, & in minus graues, & minus difficiles incidere ſuppurationes, quæ illis non tantum leuiores, verum etiam diuturniores exiſtant. Secundo cur hæc fiant, & cauſas, à quibus hoc eueniat, in ſequenti exponet, rationes omnium prædictorum accidentium ſimul explicans. Loquit igitur Hipp. experientiam hoc atteſtari, quod iuniores à laboribus (per labores hoc in loco intelligamus ea omnia, quæ præter vulnera violentiam inferre poſſunt, ſicuti ſunt caſus, validi clamores, vehementes motus, percuſſiones, illiſiones, & alia huiuſce claſſis) maiores, & vehementiores, à quibus poſtea ſucceſſuræ ſunt ſuppurationes, affectiones patiuntur, ex quibus magis, quam ſeniores dolent, quę affectiones ſtatim in ipſis iunioribus manifeſtantur, quoniam ſanguinem (nam talis excretio iuuenibus eſt valde familiaris, vt habetur b Hipp. lib. 3. Aph. 29.) quamprimum vel ſpuunt, vel vomunt, id eſt, vel parce, vel copioſe excreant, ſi affectio ſit maior: vbi autem minor exiſtat, vti ſuperius dictum eſt text. 35. & 36. in ruptione, & auulſione in vaſibus, & thoracis carne facta quandoque euenire, nõ excreato ſanguine, nihili eam pendent, cum præ robore, & bona corporis habitudine omnia mala ſuperaturos ſe fore exiſtiment. In qua re falluntur, quoniam inde ob vigorem ętatis, & ob caloris abundantiam facilius, quam cæteri ſuppurantur, concurrente ad hoc vitæ incõtinentia, quæ iunioribus eſt familiariſſima. Seniores autem ex aduerſo à laborib. raro patiuntur, & vbi patiantur, leuius afficiuntur, cumq; ipſi debiles exiſtant, nam ob ætatis decurſum languidiores, imbecilliores, & frigidiores euadunt, magis cauent, & curant morbos, vnde & facilius ab his, ſi non integre, ſaltem in ſtatum quoquo pacto meliorem reſtituuntur, ſeruata omni victus recta ratione, & declinato omni vitæ errore, quæ duo iunioribus inconſueta ſunt.

100 *Fiunt igitur ab initio omnino minus ſeniori, quã iuniori, & vbi factæ fuerint ſeniori, debiliores fiunt, iuniori vehementiores. Et iuniori quidem, vtpote qui habet corporis vigorem, & ſiccitatem, & carnem denſam, ac robuſtam, & ad ipſa oſſa aſſidentem, cuti circum ipſam circumtenta, cum amplius aliqui laborauerit ſolito magis, & derepente conuulſiones vehementes fiunt, & ruptiones multæ, ac omnigenæ venarum, & carnium. Et horum aliqua ſtatim manifeſta fiunt, aliqua poſteriori tempore comparent.*

HOc firmum ſit (quoniam ita experientia ipſa atteſtatur) quod affectiones, quę à laboribus excitantur, & quibus ſuppurationes ſuccedunt, minus ſenioribus, quam iunioribus fiant, & vbi factæ fuerint, debiliores ſenioribus, vehementiores & grauiores fiant in iunioribus. Ratio ex parte iuniorum eſt, quoniam cum hi habeant corporis vigorem, ſunt enim conſtituti in florida ætate, plurimo ſanguine, & plurimo calore inſito abundantes, & ſiccitatem, id eſt, corporis ſoliditatem, habent enim omnia membra ſolida, & compacta, non autem laxa, ſicuti habent ea, quæ in ſenectutem declinant. Nec per ſiccitatem intelligas habitus ſicci-

tatem, videlicet quia talia sint ex intempetie sicca, quoniam seniora corpora iunioribus sicciora sunt quo ad temperaturam, iuniora autem humidiora, sicuti in libr. de temperamentis, & vbique docuit Galenus, sed dicuntur sicca ob membrorum soliditatem, cum habeant carnem densam, compactã ac robustam, & ad ipsa ossa assidentem, ac cuti circa ipsa circumtenta obductam, quibus omnibus carent seniores, cum eorum caro sit laxa, inualida, circa ossa circumfluens, & cute corrugata obducta, ex quibus cum non habeant habitus soliditatem, videntur iunioribus humidiores, cum tamen substantialiter sicciores existant. Cum igitur hæc habeant iuniores, cui dubium, quod ex violentia illata à labore superfluo, insolito, ac repentino facillime patiantur, vel facto spasmate in fibris, vel facta ruptione in carnibus aut vasorum, aut musculorũ? Nam cum hæ partes ob soliditatem vndequaquè, & in omni parte contractam nullibi cedant, omnino aliquę continuitatis solutiones fient, quæ maiores, vel minores erunt, pro ratione maioris aut minoris violentiæ illatę. Maiora autem statim propalabuntur, quoniam effusione sanguinis facta, eiusque excreatione superueniente quamprimum manifesta fient: minora autem, quoniã ex his nulla fit sanguinis aut effusio, aut excreatio, posteriori tempore comparebunt, quoniam læsiones antea illatæ suppuratione his succedente, per succedentem casum manifestabuntur.

101 *At senioribus vigor fortis non adest, & carnes circum ossa diffluunt, & cutis circum carnes, & ipsa caro rara est, ac debilis, vt neq. tale quid pati possit similiter senior, veluti iunior. Atque in tantum quidem in affectionum principiis seniores iunioribus difficilius sanantur.*

IMMINVTO in senibus ex decursu ætatis calore insito, omnes naturales operationes imperficiuntur. His autem imperfectis factis, nutritiones omnium membrorum imminuuntur, cuius ratione fit, vt sanguinis minor copia generetur, minorque spirituum copia abundet. His autem deficientibus laxantur omnia membra, quæ cum prius compacta, ac solida essent, & carnem robustam, ac ossibus assidentem, & cute circumtenta obductam ob alimenti, & spirituum opulentiam haberent, nunc his destituta vndequaque laxa, flacida, ac debilis in his caro reddatur. Hinc seniorum corpora mole minora fiunt, hinc corrugantur, hinc eorum carnes in omni membro imminuuntur ac deperduntur, partibus solidis remanentibus, quæ postea in dies magis exiccantur, tum quia pauca carne conuestiuntur, tum etiam quia earum humidum insitum continue ex ætatis decursu absumitur. Cum igitur tales euadant carnes in senioribus, hincque, quoniam laxatæ, circum ossa diffluant, cutis pariter circa carnes ob eius laxationem, & ob carnium imminutionem diffluat, nullaque pars soliditatem, ac robur habeat, iure merito minorem læsionem, quam iuniores ex illata violentia percipient: cedentia enim minus læduntur à violentis, quam nõ cedentia. Magis autem cedunt laboribus in carnes, & partes internas violentiam inferentibus corpora seniorum, quia laxiora, & debiliora, & rariora, & vndequaq; circumfluentia. Iuniora autem minus, quia compactiora, densiora, solidiora, robustiora, & ex omni parte firmiora existunt. Quæ proportio sicuti adest ex parte dispositionis ad affectionem: ita pariter repetitur ex parte affectionis factę. Nam sicut corpora seniora minus afficiuntur ex eadem causa, quam iuniora: ita pari ratione, vbi afficiantur, leuius patiuntur, quam iuniora. Sicuti enim ex eo, quod magis cedunt seniora, minus etiam læduntur: ita pariter ex eadem ratione, vbi lædantur, leuius ab eadem causa, quam iuniora læduntur. Hoc tamen addito, quod vbi ex leuiori causa vtraque pariter lædantur, minor læsio in senioribus manifestabitur quamprimum, quoniam ob eorũ imbecillitatem citius omnem noxam percipiunt; in iunioribus autem tardius, ac solum suppuratione superueniente, quoniam præ eorum robore, & bona eorundem habitudine minores noxas facile tolerant, & nihili pendent. Ex quibus pateat, in affectionum principio, dum thoracis partibus internis à laboribus violentia commnnicatur, iuniora corpora senioribus facilius pati, & difficilius liberari.

102 *Cum vero morbus conspicuus factus fuerit, & aut pus, aut sanguinem, aut vtrumque expuerint, qui quidem iuniores sunt, cum corpus ipsorum sit robustum, ac densum, non æqualiter depurgari possunt ab vlceribus, quorũ pus in superno ventriculo existit, nam & pulmo non valde trahit ad arterias, vt qui densior sit, & arteriæ, cum tenues, & arctæ sint, pus non suscipiunt, nisi modicum, & raro. Quare necesse est pus in thorace, & in vlceribus coaceruari, & crassum fieri.*

QVEMADMODVM à laboribus, & ab omni violentia, quæ thoraci infertur, iuniores senioribus facilius læduntur, & à communicata affectione difficilius liberantur, pariter vbi ex iis laboribus affectio præter naturam, vel ex ea affectione suppuratio succedit, iuniores senioribus vehementius laborant, & citius pereunt. Hoc intendit demonstrare Hipp. dicens, quod vbi morbus conspicuus, & apertus fuerit factus, siue sit vasorum ruptio, ex qua sanguinẽ, siue suppuratio, ex qua pus, siue vtraque, ex quibus sanguinem, aut pus, aut mixtim, aut alternatim expuerit, iuniores senioribus multo deterius afficiuntur. Huius euentus hęc est ratio, quod pus refudans ex vlcere (hoc idem de sanguine statuendum est) in cauitatẽ thoracis præ corporis robore, & densitate nõ potest proportionaliter, & secundum loci necessitatem exporgari. Nã cũ pulmo in iunioribus carne densior, & abũdantior sit, indeq; arterię aspę, angustiores existãt, nõ potest in ipsas recipi, nisi modicum puris, idque raro, cuius merito cũ superflua puris quãtitas in thorace coaceruetur, & colligatur, pus ipsum copiosiũ existẽs, & morã in eo trahens ex calore loci condensatur,

fatur, & crascescit: crassum autem factum inde magis reiectioni reluctatur. Qua de re hoc pus, tum quia copiosius abundat, tum quia crassescit, & inde vlceri magis adhæret, vlcus in deterius agit, pulmonique pessimam communicat affectionem, ex quibus iuniores laboriose admodum, ac vehementer laborantes facile in posterum morbo succumbunt.

103 *At seniori & pulmo rarior ac cauior est, & arteria ampliores, vt pus non diutius in ventriculo, & vlceribus moretur. Et quicquid eius insuper generatum fuerit, hoc totum necessario sursum attrahitur à pulmone ad arterias, & statim expuitur.*

SICVTI iuniores ex prædictis affectionibus magis laborant, quia pus in eis retinetur, retentum autem crassescit, & inde magis adhęrens vlceribus vlcera ipsa, & pulmonem magis inficit, pariter ex aduerso seniores ex iisdem minus laborant, quia pus nec in eis diu retinetur, nec adeo longam trahit moram, vt inficere partes circumstantes queat. Hoc autem inde euenit, quoniam cum seniorum corpora, sicuti iam declaratum est, sint laxa, vasa ampliora habeant, vnde quia pulmo in his est carne laxior, vasibus etiam amplior est factus, quæ vasa cum sint ampliora, facilius recipiũt pus, & omne aliud excrementum resudans ex vlcere. Quæ eadẽ sicuti ob amplitudinem facilius resudantes materias recipiunt, ita easdem pariter facillime excreant, indeque pulmo & thorax optime depurgantur. His autem purgatis minor succedit lęsio, & hinc leuius laborant patientes, & facilius morbum tolerant.

104 *In iuniori igitur, vtpote cum sint affectiones vehementiores, & purgatio per sputi rationem nõ fiat, & febres acutiores & frequentiores fiunt, & dolores acuti incidunt, tum in ipso affectionis loco, tum in reliquo corpore: nimirum cum venæ sint robustæ, ac sanguine plenæ. Vbi vero hæ percalescunt, dolores ab ipsis transiliunt alias ad aliam partem. Atq; hi quidem plerunque breui perimuntur.*

QVONIAM in iunioribus non fit purgatio pro ratione excrementorum ex vlcere resudantium, ob eorundem retentionem in his succedunt communicatis cordi putridis vaporibus febres acutiores & frequentiores. Acutiores quidem, quia putredo hinc accenditur in sanguine, & in calidioris corporis humoribus, quib. iuniores abundare solent: frequentiores autem propter excrementorum multiplicationem. Et dolores acuti, id est, notabiles, & consideratione digni fiunt, tum in loco affecto ob affectus præsentiam, tum in reliquo corpore ob communicatam putredinem. Nam à loco affecto ad venas circumstantes, quæ robustæ, & sanguine plenæ sunt, à venis autem circumstantibus ad vniuersum corpus communicatur putredo, cuius merito omnia percalescunt, & omnes corporis partes compatiuntur. Hi autem iuniores, in quib. hæc eueniunt, vtplurimum breui pereunt, tum ratione accidentium, quæ grauia sunt, superuenientium, tum ratione vehementiæ affectionis. Dictũ est a. vtplurimum eos breui perire, quoniã si qui sunt, in quib. nõ adeo grauia sint mala superuenientia, nec affectio sit admodũ vehemens, nõ breui, sed longo temporis decursu de medio tollũtur.

105 *Senioribus vero cum affectiones sunt debiliores, & sputum ab ipsis purgatur, & febres mitiores, ac paucæ fiunt, & dolores adsunt quidem, verum exiles. Et ab huiusmodi affectionibus ne senes quidem penitus liberãtur, sed longo tempore afflicti pereunt. Et aliquando pus spuunt, quandoq; sanguinem, quandoq; neutrum, tandemq; cum his moriuntur.*

IVNIORES sicuti ex superueniente suppuratione vehemẽter laborant, ita ob accidentiũ vehementiam breui pereunt. Seniores a. ex aduerso sicuti ex suppurationibus leuiter laborant, ita ob accidentium remissionem & tolerantiam tarde pereunt. Nam cum affectiones sint in eis debiliores, & purgatio fiat ꝓ ratione excrementorũ ex vlcere resudantiũ, febres mitiores, & q̃ raro ob excrementorũ inopiã fiant, eueniũt, doloresq; his proportionati exiles fiunt, à quib. accidentibus, nec liberantur ob eorum propriam imbecillitatẽ, nec breui perimũtur, ob symptomatum ac morborum leuitatem. Quapropter diutius laborantes longo temporis spatio pereunt, aliquando pus, aliquando sanguinem, aliquando pus & sanguinem, aliquando neutrum horum excreantes, & hisce tandem morbis commorientes, tamdiu enim hos huiuscemodi morbi concomitantur, quamdiu inter viuos recensentur.

106 *Moriuntur autem hoc modo, cum ipsos morbus aliquis huic, quem antea habent, consimilis apprehenderit, ita vt & hunc habeant, & is, quem prius habent, vehementior fiat, & vtplurimum pereunt. At vero morbi, qui hos morbos efficiunt, maxime sunt pleuritis ac peripneumonia.*

QVo pacto pereant seniores prænarratis affectionibus commorientes declarat, dicẽs, hos commori cum morbo, quando aliquis morbus prædicto assimilis patientẽ apprehenderit. Hinc n. factus grauior ille morbus q̃ præerat, hominẽ tandẽ propter duplicatum affectũ perimit. Morbi a. q̃ prædictis similes existunt, sunt omnes illi, q̃ thoracis partes internas male ex propria natura, ac ex ꝓpria essentia afficiunt, quales præcipue sunt pleuritis, ac peripneumonia, illã membranam succingentẽ, hanc pulmonem maxime infestantẽ. Nam ab hisce, aut à similibus morbis testatur experientia, quemadmodum ego sæpius vidi & animaduerti, tolli de medio seniores suppuratos, imo hoc vnum notaui, vt fere nunquam ex suppuratione sola pereant, sed tantum ex nouo adueniente morbo, qui thoracis partes internas obsideat & infestet, quisquis is existat, siue pleuritis, siue peripneumonia, siue destillatio, siue alius similis affectus thoracem deprehẽdens. Hi autem morbi

in hisce casibus patientes facile de medio tollunt, quoniam deprehendunt tunc temporis, cum corpus ex præcedenti morbo iam est dissolutum & emaciatum, & ex omni parte tam ratione morbi, quam ætatis languidum. Quo casu cui dubium de morte ægrotantium, cum ad hos subleuandos præcipue faciat virium robur ac constantia?

107 *Febris porro ab his fit.*

QVONIAM febres suppuratis superuenire sæpius dixerat Hipp. consonum rationi erat declarare, ex quibus causis febres fiant. Quod intendens in his docere, explicat causas & febris, & eorũ symptomatum, quæ plurimis febrium generibus sunt peculiaria, qualia sunt rigores, frigora, horrores & sudores. Sed antequam ad explicationes causarum febris ex Hipp. descendamus, primo declaranda venit febris essentia, & quoniam febris est accidens, & omne accidens in subiecto fundatur, declarandum venit ipsius febris subiectum, quib. explicatis, plura de febre notatu digna manifestabuntur. Febris non recensetur inter morbos particulares, quoniam est mo bus vniuerso corpori communis: occupat enim febris totum corporis ambitum, nullum relinquens membrum, quod ab ea non deprehendatur. At si est vniuerso corpori communis, igitur non erit instrumentalis morbus, quoniam nullus ex bis datur, qui totum corpus occupare queat, sed similaris: ergo erit intẽperies, & intemperies (quoniam quæ sensui patent, non sunt abneganda) calida. Quæ intemperies calida, si debet habere rationem morbi, opus est, vt habeat permanentiam & existentiam in facto esse, quoniam quæ non habent permanentiam, & quæ habẽt existentiam in fieri tantum, sunt affectiones præter naturam, non morbi, quæ reducuntur vel ad causas morbificas, vel ad symptomata. Verum quoniam hæc intemperies calida, quæ vniuersum corporis ambitum apprehendit, non potest ad omnia membra diffundi, nisi aliquod membrum, à quo talis intemperies in cætera membra emanate possit, affectum existat, ideo non potest non fieri, quin hoc tale membrum non sit cor. Ab hoc enim quẽadmodum calor vitalis in omnia membra transfunditur, pariter & ab eo tanquam à caloris fonte, vbi supercalefactum sit, hæc intemperies, quæ non est calor vitalis, sed igneus & præternaturalis in omne corpus communicatur. Sed si cor est illud mẽbrum, à quo hic calor in omnia membra diffunditur, igitur in corde hic calor præexistere debet, antequam ad alias partes communicetur. Si autem præexistit, ergo hic calor, quoniam est intemperies, & est morbus, firmatur in corde, & in eo permanentiam ac existentiam in facto esse habet. Aliter hæc intemperies nec febris nec morbus esset, calor enim ex balneo, ex ira, ex motu, ex insolatione in corde conceptus, nisi habeat permanentiam, & nisi remotis causis firmetur, non potest esse febris, sed solum est febris, quando his cessantib. adhuc perseuerat, & permanentiam habet. Firmato igitur, ac permanentiam habente hoc calore, in corde fit febris. At cum febris fiat firmato, & permanentiam habente hoc calore in corde, & cum cordis tres sint partes illud constituentes, scilicet, continentia, contenta, & impetentia, id est, solida & carnosa eius substantia, humores in eiusdem ventriculis existentes, & spiritus, in qua ex his omnib. parte firmatur hic calor ad hoc, vt febris fiat? Antiquum est dogma, quod in vnaquaque harum partium calor firmari, & inde febris fieri possit, & prout calor est firmatus aut in hac, aut in illa parte, fiat modo vnum, modo alterum febris genus. Nam firmato calore in spiritibus (aiunt) cum hi sint calefacti, calefiant autem inde humores, & solida cordis substantia, fiunt febres ephemeræ. Firmato autem in humoribus, quoniam hinc humores sunt calefacti, calefiant autem & spiritus, & solida substantia, fiunt febres putridæ. Firmato vero calore in substantia solida, quæ hinc posita est in calefacto esse, & calefacit spiritus & humores, febres hecticæ generantur. At sanitas & morbus, cum sint opposita & cõtraria, eiusdem subiecti sunt passiones, in vno eodemq; subiecto recipiuntur. Vnde cum sanitas sit passio viuentis, & viuentia sint sanitatis subiectum, pariter morbus debet esse passio viuẽtis, & viuentia debent esse morbi subiectum. Si autem hoc, igitur nec spiritus, nec humores, cum nõ sint viuentia, possunt esse febris subiectum, nec earum passio ipsa febris esse potest, quoniam hæc est morbus, qui non viuentium partium passio non est. Quod autem spiritus & humores non sint viuentia, non est, quod demonstretur, cum clarũ sit viuentium esse operari, & per naturales operationes manuteneri. Spiritus autem licet sint animæ instrumenta, non tamen eorum est actio, sed corporis, aut animæ cum corpore: humores vero nihil operātur: neutra autem per operationes naturales conseruantur, nam nec nutriuntur, licet generentur: si autem non nutriuntur, nec viuunt, quoniam vita & nutritio reciproca sunt. Cum igitur nec spiritus, nec humores inter viuentia sint recensenda, firmatus in his calor non potest dici febris, quoniã si febris est morbus, & morbus est passio viuentis, nec ista sint viuentia, nec etiam febris in eis residere potest. Præterea si spiritus & humores positi in calefacto esse forent febris subiectum, omnis febris ephemera, & omnis febris putrida esset febris fiens, non facta. Cum enim ex his incalescat, non calefacta sit pars viuens, id est, solida corporis substantia, semper erunt hæ febres in fieri, nunquam autem in facto esse: vnde nec nomen morbi merentur. Nihilominus febres ephemeræ, & febres putridæ sunt febres, & pariter sunt morbi permanentiam, & partem in facto esse habentes. Quid igitur ad hæc dicendum? Necessario aliud à prædictis inuestigandum est subiectum, in quo febris & fieri, & permanentiam habere, vnde morbi formam & essentiam recipiat, possit. Corde calefacto, vtpote principio, à quo in vniuersum corpus calor diffunditur, liquet febrem accendi. Cũ autem nec huius subiectum possint esse spiritus, nec humores, vti monstratum est, relinquitur solam eius substantiam superesse, quæ sufficiens possit, vbi incaluerit, non autem incalescat cordis corpus, fiunt

febres

febres hecticæ: ephemeræ autem & putridæ non essent febres, quia ex his incalescit tantum, non incaluit cordis corpus. Ad hæc animaduertas cordis corpus non esse vnum simplex corpus, sed multiplex. Nam constituitur ex triplici substantia, vndequaq; inter se diuersa ac distincta: alia enim est solida, quæ est fibrosa, generationem habens ex semine: alia est carnosa, quæ fibras conuestit, & intertexit, generationem habens ex sanguine menstruo: alia est calor innatus, qui est spiritus natiuus ab ortu implantatus, dans vitam, & ex semine ortum ducens. Nec hic spiritus cum spiritu vitali coincidit, quoniam vitalis à corde per propriam facultatem, & per proprium motum ex conuenienti materia, id est, ex sanguinis parte magis halituosa, & ex aere inspirato gignitur, & continuata operatione regeneratur, aliisque membris à corde subministratur. Hic autem spiritus innatus implantatus est, nec suam refert generationem cordi, sed semini, cum in cordis formatione præexistat, antequam vitales spiritus per ipsum generentur. Hicq; spiritus innatus non modo cordi implantatus est, verum etiam in omni parte solida corporis, nam ab ortu in omnibus animantia, vt inde vitam habeant, partib. proportionaliter continetur, & ideo nec indiget, vt à corde cæteris corporis partibus, sicuti vitalis subministretur. In corde autem copiosior est, & per excellentiam in eo implantatus abundat, quoniam cor est vitæ principalis basis & fundamentũ. Hicq; spiritus hoc pacto implantatus, est ille calor, quem naturalem, innatum, insitum, antonomastice vocamus, qui est tertia pars cordis, substantiam constituens, cum non qualitas pura, sed substantia spirituosa calida existat, quam per dictum calorem intelligimus. Tres igitur hæ substantiæ, scilicet fibrosa, carnosa, & spirituosa cordis corpus constituunt, quod corpus vt pars viuens febris subiectum quidem esse debet, non tamen hoc simplici oratione ad tollendas difficultates, & ad rei declarationem pronunciandum est, sed explicandum venit, qua ratione, & quo pacto hoc fiat. Cordis corpus ex his tribus partibus, tanquam ex tribus elementis constitutum, si febris subiectum esse debet, intemperie calida deprehẽdi oportet. Intemperies calida introducitur non solum vi agentis, verum etiam ex patientis dispositione, cum in omni actione patientis dispositio requiratur. Hæc dispositio est analogia quædam, quæ quoad qualitatem introducendam est inter agens & patiens, quæ analogia prout est vel maior, vel minor, ita etiam facit maiorem aut minorẽ ad eam qualitatem recipiẽdam dispositionem. In hac autem dispositione, quoniam omne receptum recipitur per modum recipientis, fit, vt actio & qualitas, quæ vi agentis introducitur, in partem illius rei magis dispositam, si non æqualis in omnib. partib. existat, dispositio recipiatur. Quo stante, cũ cor ad calefacientia maximam habeat analogiam, per calidum innatum, minorem autem per carnosam, minimam vero per fibrosam substantiam, hinc omnino spiritus & calor innatus maiorem habebũt ad calefacientia dispositionem, indeq; agentibus calefacientib. causis calorem facilius concipient, nec solum hunc calorem facilius concipient, quin imo nec aut carnosa, aut fibrosa substantia incalescere potest, nisi prius illa ob magnam ad calefacientia analogiam incaluerit. Qua de re necessario introducta intemperie calida in corde, semper calidum innatum, & spiritus insiti, ac implantati erunt hi, qui primo feruent, & incalescunt, qui feruor & calor, ad hoc vt febris & morbus existat, requiritur, vt permanentiam habeant in ipso cordis calore innato, ac spiritu insito.

Quapropter immediatum quidem febris subiectum erit cordis corpus, vt membrorum viuens, non tamen secundum omnem eius partem. Nam non secundum carnosam, aut secundum fibrosam, quia hæc improportionantur causis calefacientibus, sed tantum secundum spirituosam propter analogiam, quam habent ad calorifica. Quemadmodum enim in ambustis, admoto candẽte ferro, aut feruente aqua, id, quod primo inflammatur, & ad cuius incendium reliqua omnia accidentia, & mala subsequuntur, ob analogiam ad ignem sunt spiritus in parte ipsa ambustionem sentiente implantati, non humores aut partes solidæ, cum subito & in instanti tale his accidit incendium, nec humoribus, nec partibus solidis ad sensum primo affectis: ita pari ratione per calefacientes causas, vbi superfluus calor cordi communicetur, spiritus in cordis corpore implantati sunt illi, qui primo accenduntur, & sunt illi, ad quorum accensionem incalescente cordis corpore, totius corporis ambitus incalescit, genita & facta, formataq; inde febre. Spiritus autem hi implantati, qui sunt tertium cordi corporis elementum, & qui in sui essentia nil aliud sunt, quam calor innatus & insitus, dum à causis externis, & præter naturam existentib. alterantur, duplicem subire possunt alterationem: alterã non permanentem, & quæ remota causa alterante soluitur ex se: alteram permanentem, & quæ remota causa alterante, nõ soluitur ex se. Cum primo modo alterãtur ad calidum, nondũ fit febris, quoniam ea caliditas permanentiã non habet, vt cõtingit in æstuantib. ex ira, vel motu, vel balneo, vel in solutione, vel alia simili causa. Cũ vero secũdo modo alterantur, tunc fit febris, quoniã alterantur alteratione, quæ remota causa alterante adhuc permanet. Quoniam a. talis alteratio fit in his spiritib. dum ex ꝓpria temperie exorbitant ob causam extraneam calefacientem, ideo iure dictum est à Gal. febrem esse calorem præter naturam, & quoniam hic calor præter naturã habet pro subiecto proximo calorẽ natiuum, ideo ab eodem iure etiam dictum est, febrem esse conuersionem caloris innati in igneum. Hæc autem conuersio non intelligatur pro materiali, quoniã vbi calor innatus, id est, spiritus illi in corde insiti substantialiter in calorẽ igneum permutantur, nõ potest stare vita, sed corrumpitur cor ipsum, sicuti in exustis ab igne, nõ in ambustis (exusta n. differunt ab ambustis, quoniam in illis cutis exuritur, & in carbonem vertitur, ac fit

ischa-

ischara, in his autem fit incendium feruentib. spiritibus in parte cutanea cum pustula, vesica, & excoriatione succedente partium circumstantium, & continuarum inflammatione) sicuti inquam in exustis ex candente ferro admoto vi intensi caloris, spiritus in igneam naturam conuertuntur, & simul cum igne partis naturam corrumpunt, cuiuscemodi quoq; fit in illis ingentibus inflammationibus, in quibus vbi substantialiter spiritus insiti in igneam naturam conuertuntur, corrumpitur pars inflammationem patiens inde gangrænata. Sed hæc conuersio intelligitur pro formali, nam cum spiritus ex propria & innata natura habeant hoc, vt temperie fiot caldi, & caliditas ea fit benigna, vtilis, naturalis, & temperata seu commoderata, per quam caliditatem anima, aut anima cum corpore recte omnia sua munia naturalia obit, si hæc caliditas per excessum intendatur vi alicuius causæ calefacientis, ex benigna fit prauæ naturæ, ex vtili fit inutilis, ex naturali fit præter naturam, & ex temperata ac commoderata fit intemperata & incommoderata, & vt vnico verbo rem expediam, fit ignea. Ignea autem facta hæc caliditas est febris, & morbus ille, cuius essentiam quærimus, qui cum sit intemperies, omnino pro formali, non pro materiali caloris innati in igneum conuersio intelligenda veniat. Quoniam autem hæc natura ignea acquiritur in calore naturali per excessum qualitatis calidæ adauctæ, iure etiam dictum est quandoque à Galeno febrem esse calorem auctum supra calorem naturalem. Verum hæc caliditas ignea, quæ prauæ naturæ inutilis, præter naturam intemperata & incommoderata dicitur, non intelligatur ita ignea, vt nihil prioris naturæ retineat, & quod omnino inutilis, & in totum præter naturam, & vndequaq; praua, intemperata & incommoderata existat, quoniam si hoc esset, febricitantes nec cibos coquere, nec excrementa excernere, nec nutriri, nec alia munia naturalia exequi possent. Sed intelligatur ignea ratione excessus caloris, qui cum in calore natiuo adhuc propriam substantiam conseruet, id est, in spiritibus ipsis adhuc vigentibus resideat, potest quidem omnia munia naturalia imperficere, non tamen abolere: quoniam cum spiritus illi sint primum naturæ instrumentum, per quod omnes eius operationes diriguntur & fiunt, spiritusq; illi adhuc vigeant & conseruentur, natura per eosdem spiritus munia sua exequitur, non tamen perfecte, vt in sanis, quoniam illi spiritus calorem extraneum conceperunt, ex quo cum debitum & proportionatum operibus in totum instrumentum amplius non existat, nec inde operationes integræ & absolutæ fieri possunt. Qua de re cum ignea hac qualitate reseruatur adhuc qd prioris naturæ, vt sufficiat ad obeunda illa sua munia, licet non perfecte: ratio est, quoniam naturæ opera fiunt ab hoc spiritu non tantum ratione qualitatis eius, verum etiam ratione substantiæ, quæ substantia prout est vel magis vel minus temperata, magis quoq; aut minus perfecte operatur. Hic spiritus, quem eundem cum calore innato, & primum animæ instrumentum, & proximum febris subiectum esse dicimus, non in omni ætate, nec in omni subiecto par est: in pueris enim & in adolescentibus, & in his omnibus, qui adhuc crescunt, quoniam ortui proximiores existunt, plurimus abundat: in his autem, qui vigentem ætatem agunt, abundat quidem, non tamen ita, vt in prædictis benignus ac copiosus: in declinante vero ætate minor est: in senibus autem, quoniam hic decursu ætatis semper imminuitur, parum huius adest, cuius ratione fit, vt in primis illis ætatibus, quoniam febris accenditur in hoc spiritu, fieri possint febres intensæ ac vehementes, abundante in eis plurimum hoc spiritu, in vltimis autem ætatib. hoc deficiente, & imminuto, non ita intensę, nec ita vehementes fiunt. Sicuti enim ex magna lignorum coogerie exurente multa, & magna emergit flamma, ex minori autem pauca & parua: pariter ex multi huius spiritus feruore ac incendio intensa, & vehemens fit febris. Ex aduerso autem vbi parua huius spiritus moles incendatur, & ferueat, nec ita intensa, nec ita vehemens, vt in illis contingebat, fieri potest. Tales febres vocabat non acutas Hipp. non sane ad constitutionem morbi respiciens, cum experientia testetur, senes pati quandoq; febres acutas, quæ velocem motum habeant, & ad statum cum periculo properantes, sæpius eos necant; nec ad febris speciem respiciens, quasi diceret eas non esse ex ardentibus, cum hæ recipiant differentiam à materia, non à calido innato, nec à corporis qualitate, cuius ratione eas non acutas appellabat, sed respiciens ad caloris innati imminutionem, cuius cum parum senibus insit, non potest feruens multam edere flammam. Quare nec potest febrem acutam, id est, intensam ac vehementē, & ad tactum vere acutam causare in senibus, licet febribus quandoq; quoad constitutionem acutis, & quoad speciem ardentibus deprehendantur, qb. casibus senes lethaliter ægrotare dicuntur. Hic idē spiritus, qui decursu ætatis semper decrescit, aliquando violentia morbi sensim emoriens imminuitur, quo casu febres non fiunt intensæ, aut vehementes, licet ardentes, & ab ingentibus inflammationibus causatæ existant, sed pusillæ causantur, quales sæpe videmus in morituris, in quibus emoriente hoc spiritu, vt es omnium facultatum naturalium extinctione apparet, febres imminuuntur, quæ speciem declinationis morbi præbentes sępe imperitis imponunt medicis. Imminuūtur autem quoniam spiritus innatus emoriens, & ad minimā molem redactus multā edere flammam, licet causa calorifica, & incendiū causans vehementior existat, non potest, bineq; patientes sensim, ac sensim, quoniam non per suffocationem, sed per resolutionem perimuntur, pereunt aliquando mirantib. cum astantibus, tum medicis, quod tam diu vitam produxerant. Quandoque etiam emoriente, & inde imminuto hoc spiritu (licet causa febrem inducere apta sit ob patientiam vel inflammationis vel putredinis) aut soluitur, aut nulla fit febris d gesto feruore in materia putrida: & nihil ir de inceodii calore naturali sentiente, vt in Hermocrate, de quo lib. 3. epid. sect. 1. agitur, contingebat. Post cuam solu-

ſolutionem, ſi vlla fiat febris, non fit ratione caloris natiui feruorem iterum patientis, ſed fit ſola putredinis ratione, ſuccenſis in modum febris, vt de Hermocrate loqnens com. 10. dicebat Galenns, humoribus, cuius ſuccenſionis ratione calor ille proportionatus putredini, non antem calori natino, neqnaquam proprie febris dici poſſe videtur, ſed per quandam tantum ſimilitudinem, ſcilicet, quoniam io vniuerſo corpore calor accenſus eſt. Qui caſus maxime aduertantur à medicis, quoniam mirabiles videorur, & cum occurrant qnandoq., difficultatem multam facere ſolent. Ex falſa enim ac apparenti febrium declinatione, medicis imperitis videntur ægri melius habere, eum tamen lethaliter ſe habeant, eo quod febres calore natiuo emoriente ſoluantur, & hominem deſerant, non antẽ quod morbus vere aut decliner, aut ſoluatur. In quibus ſi accedat febris, ea non ex calore natiuo feruente & accenſo, ſed ex reſidnorũ humorũ putredine repetit. Cum igitur ex ſpiritus & caloris innati proportione (nnnc cauſę calefacientis aut conſideratione ſemota, aut diuerſatum in diuerſis ſubiectis data paritate) fiant febres modo intenſę & vehementes, modo remiſſæ ac debiles, imminnuntur q; eo imminuto, cui dubium, qnod hic ſpiritus, & iſte calor ſit febris immediatũ ac proximũ ſubiectũ? ſub nomine ſubiecti intellecta ea cordis parte, quę in eius corporis cõſtitutione potius habeat rationẽ formæ, q̃ materiæ. Hic enim calor, & iſte ſpiritus eſt id, p quod viuificatur carnoſa & fibroſa eius ſubſtantia, & eſt id, ad cuius abſentiam & remotionem earundem vita deperditur. Qua de re habet rationem formę, non tamen ſimpliciter eſt forma, quoniam cordis forma eſt anima ipſa, cuius ſubiectum eſt cordis corpus ex trib. illis partib. ſcilicet, fibroſa, carooſa, & ſpirituoſa ſubſtantia, tanq̃ ex trib. elemẽtis conſtitutũ. Quod cordis corpus licet ex aſpectu corpus ſimplex eſſe videatur, nõ tamẽ eſt ſimplex, ſed multiplex, cũ ex triplici ſubſtantia conſtituatur, ex quibus ſicuti fibroſa & carnoſa ſenſu diſtincta eſſe deprehendi poſſunt, ita cum ſenſu etiam ratio dictat, ſpirituoſam in his implantatam & infuſam eſſe, cum per eam cordis corpus viuat, nutriatur, & ſua mnnia obeat, ſimulque totum ipſum cor ex partinm non concidente, vt in mortuis laxitate, ac amplitudine ſpiritu (non dixerim vitali, qnoniam hic in ventriculis, non in cordis ſubſtantia abnndat) ſuffuſum appareat. Hæc autem triplex ſubſtantia vnnm conſtituit corpus, vt viuens, quod corpus quatenus viuens, eſt quidem ſubiectum febris, non tamen ſecundum omnem eius partem. Nam ad faciliorem doctrinam, & ad rei tam abſtruſæ declarationem, conſtituitur cor ſubiectum febris per calorem innatum, & per inſitnm ſpiritum, qui in eo implantatus eſt à primordiis generationis, & tertia pars tanquã tertium elementum ipſum formaliter conſtituẽs. At ſi proximnm & immediatum febris ſubiectnm eſt hic calor, & iſte ſpiritus, qno pacto non omnes febres ſunt vnius & eiuſdem generis, cum omnium ſit vnum & idem ſubiectum? Præterea ſi vnum & idem eſt omnium febrium ſubiectum, qua ratione aliæ febres dicuntur ephemeræ, alię putridę, aliæ hecticæ? Hic ſedulo animaduertas, vnitatem & identitatem ſubiecti nequsquam facere vnitatem & identitatem paſſionum, qnoniam idem ſubiectum ex eodem genere paſſionis poteſt diuerſimode affici, vt patet cerebri exemplo, quod cum ſit vnicum delirii ſubiectum, non tamen patitur omnia deliria eiuſdem rationis. Alia enim fiunt à bile, alia ab atra bile, alia à ſucco melancholico, & alia fiunt cum furore, alia ſine furore, alia cum riſu, alia cum timore. Quod idem verificatur de calore & ſpiritu innato, nam licet hic ſit omninm febrinm vnicum immediatum ſubiectum, non tamen propterea hinc ſequitur, vt omnes febres ſint eiuſdem rationis; nam alię ſunt ephemeræ, aliæ putridæ, aliæ hecticę. Sed ſtante hac ſubiecti identitate, vnde & ex qua ratione hæ febres ab inuicem diuerſificãtur? Diuerſificantnr ratione cauſarum, nam vbi ſpiritus vitalis in cordis ventriculis contenti ex cauſa externa accenſi accendant feruorem in hoc calore ac ſpiritu inſito, fit febris ephemera. Vbi autem humores vel intra venas, vel extra venas putreſcentes, & in cor ſuliginoſum vaporem & calorem putridnm expirantes, in hoc calore, ac ſpiritu innato feruorem accendant, fit febris putrida. Vbi vero ex intemperie calida, vel in carnoſa, vel in fibroſa cordis ſubſtantia introducta & fixa ferueat hic calor, & iſte ſpiritus, fit febris hectica. Hinc febres ephemeræ breui temporis ſpatio durant, quoniam earum cauſa conſiſtit in materia tenui, vaga, & diſſipabili, cuius calor ſicuti facile accenditur, ita in ſimilitudinem paleæ comburentis facile ſoluitur. Febres putridæ ſunt diuturniores, quia cauſam magis permanentem habent, & ſunt modo continuæ, modo interpolatæ, quia putreſcente materia vel ad intra venas, vel in loco particulari conculcata, & hinc expirante continue fuliginoſo & putrido in cor calore, continue feruet hic ſpiritus, ex qno febris fit continua: putreſcente autem extra venas, tamdiu durat febris, quamdiu durat putredo, eaque ſoluitur ceſſante ipſa pntredine, quoniam tamdiu feruet hic ſpiritus, quamdiu putredo illa putridum in cor expirans vaporem durat, ceſſat autem feruor ceſſante pntredine, cuius merito febris certa interualla, & certas habet intermiſtiones. Febres autem hecticæ nullam intermiſſionem recipiunt, & diutiſſime omnium perdurant, qnia cauſa feruorem in ſpiritu innato inducens ſemper præſto eſt, & ſtabilis, non in labili & fluente materia, ſed in ipſa cordis ſubſtantia formata exiſtit.

Sed ſuntne præter ephemeras, putridas, & hecticas alia febrium genera? Nequaquam. Nam in ſumma omnia omninm febrium genera ad hæc tria capita reducuntur, ſcilicet, quod ferueat ſpiritus inſitus vel ex calore concepto in ſpiritu vitali, vel ex fuliginoſa, ſeu putrida expiratione ad cor expirante, vel ex calore in carnoſa aut in ſolida cordis ſubſtantia præter naturam firmato. Vnde ad primum genus reducuntur non tantum, quæ ſimpliciter ephe-

meræ

meræ sunt, per vnicam diem perdurantes, verũ eæ quoque, quæ ad tres dies nonnunquam producuntur, vt quę fiunt ex cruditatibus, & quæ fiunt ex cutis stipatione in habitu benigniori, quoniam ex his spiritus vitales tantum incalescunt, & inde feruorem spiritus insitus concipit, quod idem de synocha sine putredine verificatur. Nam sanguine benigniori & copioso feruente, non autem putrescente, non possunt non accendi vtpote facile ex propria natura inflammabiles spiritus ipsi vitales in cordis ventriculis contenti. His autem accensis, feruet spiritus insitus, ex quo fit febris, quæ licet vsque ad septimam produci consueuerit, habet tamen naturam ephemerę, cum in hac pariter, vt in illa ferueat calor. & spiritus insitus ad solum feruorem spirituum vitalium. Ex dolore & cruciatu ingenti solet quandoque par casus sequi, vt apparet sæpe in dolore colico aut renali, in quib. feruente ob ingentem cruciatum spiritu vitali, ac humorib. in venis contentis inde supercalescentibus succedunt febres synochis similes. Ex bubonibus etiam solent quandoq; fieri tales febres, inclusa materia putrescente in loco affecto, & solo inde expirante simplici calore, ex quo spiritus vitales accendũtur. Dixi autem quandoq;, quoniam ex bubonibus nõnunquam solent superuenire febres putridæ, quæ malę sunt, & præcipue sicut habet Hip. lib. 2. epid. sect. 3. tex 9. vbi bubones in morbis contingunt acutis. Quapropter ad ephemerarum speciem reducuntur non solum illæ, quæ ex cruditatibus, quæ ex stipatione cutis in habitu benigno, & quæ fiunt à feruore spiritus vitalis à doloribus ortum ducente, sed etiã synochę sine putredine, & diarię ex bubonib. sine putredine, & quęcunq; aliæ similes. Ad secundum genus inducuntur omnia febrium genera, quæ per expirationem in cor fuliginosi vaporis & caloris, ex quo ferueat insitus calor, generantur. Tales sunt eę, quæ putrescentibus quatuor principalibus humoribus fiunt, siue ad intra venas, siue ad extra venas, aut non conculcati, aut conculcati putrescant. Tales sunt illæ, quæ succedunt ad vlcera, præcipue autem internarum partium, ex quibus expirans continue in cor putridus & fuliginosus vapor facit continuam febrem putridam, quam antiquiores improprio nomine vocabant hecticam, modum febris, cum sit vniformis, & cõtinua, non formam & essentiam respicientes. Tales sunt eę, quæ fiunt in suppuratis, expirante in cor putrido ac fuliginoso vapore à contento pure eleuato. Tales sunt illæ, quæ sequuntur ad corruptelã ciborum ex intemperie ventriculi calida, quas pari ratione Gal. lib. 3. de symp. caus. cap. 1. quia paruæ, tenues & vniformes sunt, improprie & analogice appellabat hecticas. Tales sunt illę, quę ex chyli putredine, & fęcum retentione, ex vermibus, ex abscessibus, ex gangrænis, & aliis similibus morbis fiunt, cum omnes hæ fiant ex prædictis casibus expirata in cor putrida fuligine. Tales etiam sunt illæ, quæ fiunt per humorum superassationem, in quibus si non expirat ad cor vere putridus vapor, attamen fuliginosus & mordax, & qui supra temperamentum naturale est, calor transmittitur, per quem spiritus insitus feruens rationem putridi caloris, non qualis in ephemeris cõtingebat, retinet. Huiusce ordinis sunt illæ febres, quæ exusta & superassata, non autem vere putrescente, fiunt bile. Huiuscemodi febris exemplum à Galeno habemus in lib. 10. meth. cap. 3. dum narrat historiam illius tertianæ, quę in iuuene illo gracili & musculoso, & halitum caninum redolente ob bilem tum ex motu, tum ob curas, tum ob mœrores, tum ob vigilias, tum ob inediam, tum obiter sub sole feruenti in longa, sabulosa, & squalida via factum, tum ob altercationem, tum ob iram, tum ob lassitudinem superassatam & exustam superuenit. Hanc non ex putredine pendere clare demonstrabat Gale. eodẽ lib. cap. 5. dum rationem victus in illo iuuene recte seruatam, & in similibus casibus seruandam esse moneret, dicebat: Nam cum accenditur in his febris propter mordentem acrimoniam excalefacti, attenuatiq; ex sole & inedia, & laboribus succi, maximum eius remedium est humidum nutrimentũ, sicuti è diuerso, vbi ob copiam vel obstructionem, vel phlegmonem, vel (vt semel dicam) humoris alicuius putredinem febris est orta, maximo malo est cibus. Tales igitur febres, quæ licet non ex vera putredine ortum habeant, tamen quia communicant cum vere putridis in hoc, quod in vtrisque fuliginosus & mordax calor in cor ipsum expiratur. Ad secundum hoc genus reduco, cum per has, sicuti per illas pari ratione spiritus insitus feruorem concipiat. Ad tertium genus reducuntur eę febres, quę firmato in corde calori, & vndequaque corpus cordis occupanti succedunt: hinc enim feruens insitus calor febrem hecticam producit. Dixi autem, vndequaque cordis corpus occupanti, quoniam ad febrem hecticam causandam non sufficit, quod cordis corpus (sicuti à Galeno pluries simpliciter dictum est, ab infinitis autem medicis male intellectum) non incalescat, sed incaluerit: incaluisse enim potest cor, non tamen hecticam contraxisse, cum ex feruore humorum in eius finibus contentorum non amplius incalescit, sed incaluit. Nam hinc introducta in substantia cordis intemperie calida, quoniam omnis superfluens intemperies robur tollit, sequitur imbecillitas facultatis, non febris hectica, quæ tamen intemperies, si postea totum peruadat cordis corpus, & vndequaque ipsum occupet, & in ipso firmetur, febrem hecticã causabit. Hoc expresse declarabat Gal. li. 3. de Prognost. ex puls. cap. 2. dicens: Quod si quando succubuerit, atque in eundem dilapsum sit, in quo est substantia, quam ventriculi continent, calorem, iam tum incaluit, nec posthac incalescet tantum, cuius sequitur intemperiem imbecillitas facultatis. At si largius incaluerit, & per ipsum totum calor febrilis permanauerit, febrem excitat, quam hecticam vocant. *Hæc* Gal. Sed si cor, vbi sic incaluerit, non patitur febrem hecticam, quoniam totum ipsum cor integre non permanauerit, nonne febriet? & si febriat, quo genere febris febriabit? Febre sane putrida, quoniam feruor humorum in finibus eius contentorum concipitur ex sola putredine, vnde hi putrescentes in cordis putridũ

calo-

calorem, ex quo spiritus innatus ferueat, expirantes putridam febrem producunt: dum autem ex his incaluit cordis corpus, quod tamen nondum totum, ac integre calor hic permanauerit, febris adhuc putrida perseuerat, vires & facultates cordis labefactans. Si autem vlterius procedens hic calor totum corpus cordis peruadat & occupet, tunc succedit hectica, & noua febris, quæ non erit noua, quia de nouo calor, & spiritus innatus hine ferueat, & febrem faciat, sed erit noua, quia noua succedit occasio, & noua causa feruoris ipsius calidi ac spiritus innati. Nam perseuerante putrida, quia maior est feruor ex putrida, quam ex hectica, cum omnes febres hecticæ calore paruæ sint, non augetur febris in gradu, sed remanet in pristino statu, nulla alia re superinducta, quam noua, non autem maiori, ipsius feruoris causa. Si autem putrida febris soluatur, tunc hectica remanet, remanente calore illo, qui cordis corpus totum obsedit ad inducendum & causandum feruorem in spiritu innato. Ex quo feruore licet non ingenti in gradu, tamen notabili ex subiecta materia, & conuicina, & connaturali depascuntur partes cæteræ cordis, scilicet & carnosa & solida. Si autem hæ depascuntur, simul cum eis non potest non depasci humiditas rorida, quæ est apposita ad nutritionem cum carnosæ, tum solidę substantiæ: quare hoc ordine procedit hectica febris, vt primo propriam partium humiditatem, ex qua nutriantur, depascat: hinc ad carnosum transeat genus, quod circa fibrosas & membranosas partes solidorum corporum hæret: vltimo antē partes solidas populetur. Quo ordine procedens tria hecticarum febrium genera causat, incipiens, cum roridam humiditatem consumit, progrediens, cum carnosām substantiam depascit, factum & confirmatum, cum solidas partes populatur, quæ tres hecticarum febriū differentiæ, licet diuersæ in gradu, omnes reducuntur ad hoc tertium genus, ex quibus constet, febrium esse tantum tria genera, scil. ephemeram, putridam, & hecticam, ad quas omnes febrium differentię reducūtur. Quæ tria genera in hoc vno communicant, quod eorum calor in spiritu insito accendatur, quæ accensio si habeat occasionem ex feruore spirituum vitalium, constituit febrem ephemeram, si ex feruore putrescentis vel superassati humoris, aut expiratione fuliginosa & putrida, facit febrem putridam, si ex calore in cordis vel carnosa, vel solida substantia firmato, febrem constituit hecticam. Quæ accensio licet ad constituendam febrem principaliter formetur, & fundetur in cordis calore, ac spiritu innato: attamen consequutione necessaria, nisi quid impedimento sit, in vniuersum corpus extenditur. Nam cum ex feruore spiritus & calidi innati ferueat cor ipsum, ipsum autem cor ex naturæ præscripto propriam caliditatē per spiritus vitales vniuerso corpori impartiatur, feruor in corde præexistens communicabatur vniuerso corpori, quod hac ratione fiet. Calor insitus, cuius substantia sunt spiritus innati, in omnibus corporis partibus à prima foetus formatione fuit implantatus, quod ea ratione factum est, vt tanquam basis omnium virtutum ac facultatum esset, indeq; omnes partes viuificarentur. Basis est, quoniam vi huius reliquum corporis spiritus vitales & animales, quorum merito obit functiones vitales & animales, recipit. Ab eo autem insito calore viuificatur, quia nec vitales spiritus ad dandam vitam, nec animales ad dandum sensum & motum sufficiūt, vbi is deperdatur, quin imo eo in aliqua singulari corporis parte deperdito, ea non amplius per vitalem spiritum, licet hic copiose in eam influat, calefieri potest, sicuti nec per exteriora admota incalescere calore naturali apta existit. Nam hoc extincto potius vreretur pars ex admotis calidis, quam quod permanente calore incalesceret. Etenim corporis nostri partes, vbi insigniter frigefiant, tamdiu ab externo calore calefieri possunt, quamdiu hunc calorem insitum, & hos spiritus innatos in seipsis reseruant. His autem deperditis aut extinctis, non amplius datur ipsas calefieri calore, qui post remotionem rerum calefacientium permanentiam habeat. Quapropter is calor tanquam basis & fundamentum omnium virtutum erit, sed non in omnibus partibus par, aut inæqualis est. Nam in principalibus & nobilioribus est eius maxima opulentia, in reliquis autem pro ratione nobilitatis & dignitatis, & vsus, proportionaliter abundat. Nec in omnib. est eiusdem naturæ; nam pro ratione subiecti, in quo implantatur, semper materia & substantia varius est. Nam alius est, qui in carne, alius qui in neruo, alius qui in membrana, alius qui in osse, alius qui in singulis aliis partibus, in hac tamen essentia communicās, vt calidus sit calore benigno, vtili, & habituoso, ac proficuo ad vsum partis, in quo implantatus est. Quare cum huius sit naturæ & temperiei, cumq; sit factus tanquam basis ad recipiendum spiritus influentes & vagos, id est, ad hoc, vt eius ope ac virtute in singulas partes spiritus influentes recipiantur & actuentur, hinc consequutione necessaria sequitur, vt feruente calido cordis innato, ferueat & quod in reliquo est corpore, quoniam cor trāsmittens spiritus vitales, qui ex feruore calidi innati feruorem cōcepere, in vniuersum corpus, inde reliquarum partium corporis calidum innatum statim feruorem ob eius analogiam ād calorem, & ad spirituosam partem concipit, quo calore concepto, liquet febrem à corde in vniuersum corporis ambitum extendi, nisi tamen quid, vt iam dictum est, impedimento subsit. Nam in rigore & horrore calor febrilis non extenditur in vniuersum corpus ob cōcentrationem caloris innati; in febre lypiriæ retractis humoribus, & spiritu ad interiora ex violentia inflammationis internæ, in acutis cum refrigeratione extremarum partium ob extinctionem caloris, in aliis casibus ex similibus causis. Quare vbi non extendatur calor in febre ad vniuersum corpus, semper adest quid, quod hanc prohibeat, & extensioni ad extra impedimento subsit. Cum extenditur à corde hic calor in vniuersum corpus, qui, prout in corde, ita pariter in totius corporis ambitu fundatur in calido innato, feruentes inde corporis vniuersi partes continentes

febrem patiuntur, ac sentiunt, quæ partes continentes ex accensione huius caloris tanquam viuentes læduntur, & in læsione ista multum spiritus innati deperdunt. Ex qua deperditione quoquo pacto corpus exiccatur, non quod febris sit intemperies calida & sicca simul, cum tantum calida existat, sed quia exhausta per febrem halituosa sanguinis parte, ad calidi innati manutentionem destinata, succedit exiccatio corporis non complexionalis, quia corpus ex febre prætterquam ex hectica siccum non redditur, sed quasi priuatiua inseqens ad spirituum ac halituosæ sanguinis partis resolutionem. His habitis calore liquet, quæ sit ipsius febris essentia, & quod eius subiectum existat, essentia quidem, quoniam est intemperies calida, subiectum autem, quoniam est insitus calor, ac spiritus in cordis corpore implantatus. Ex his autem si febris definitio constituenda sit, quoniam febris est accidens, & ad declarationem essentię accidentis necessarium est ponere genus proximum, differentiam proximam, & subiectum proprium, dicimus, quod febris est calor pręter naturam, accensus in innato cordis spiritu. Febris quidem est calor, quoniam est intemperies calida, qui calor est proximum huius intemperiei genus, & quoniam calor alius est naturalis, alius præter naturam, hæc differentia, quod sit præter naturam, tanquam proxima apposita est. Quoniam vero hæc caliditas requirit subiectum, cum sit accidens, addita est illa particula, accensus in innato cordis spiritu, qui spiritus innatus, cum sit tertium cordis corpus, constituens elementum, ac in eius substantia tam carnosa, quam fibrosa ita infusus & implantatus, vt vnicum membrum, & vnica pars viuens inde constituatur, est ratio, per quam febris est, & dicitur passio cordis. Ad quod alludens Galenus diffiniens febrem, dixit, febrem esse calorem præter naturam in corde. Nam cordis substantia, considerata vt pars viuens, est febris proprium subiectum, & hæc eius passio dicitur, ita tamen est subiectum, vt secundum omnes eius partes in eo hic calor non æqualiter fundatur. Nam cum in altera parte sit in facto esse, in aliis autem partibus sit in fieri, nulli dubium esse debet, quia pars ea, in qua est in facto esse, sit immediatum huius caloris subiectum. Quapropter dicimus, febrem esse quidem passionem cordis, & cor esse proprium febris subiectum, quoniam vt viuens, & vt membrum ex tribus elementis in vnica essentia constitutum febri subiicitur, & inde feruorem concipit, nihilominus immediatum febris subiectum statuimus spiritum innatum, in ipsius cordis substantia implantatum, quandoquidem hæc sola pars ex cordis corpus constituentibus est ea, quæ immediate, aut ex spirituum vitalium feruore, aut ex putrida vel fuliginosa expiratione, aut ex intemperie calida in carnosa & fibrosa cordis parte firmata feruorem, à quo febris formatur, concipit, & est ea, qua non feruente, tollitur febris. Si autem febris per huiusce partis feruorem accenditur, & per eiusdem partis feruorem aut remissum, aut solutum remittitur vel soluitur febris, omnino hæc pars immediatum febris subiectum constituenda erit, licet proprietas passionis ad eam solam non pertineat. Sicuti enim album proprie parietem dicimus, licet albedo in sola parietis superficie immediate hæreat: ita febrem proprie dicimus esse passionem cordis, licet calor febrilis in sola spiritus innati substantia accendatur. Febris igitur est calor præter naturam, & est passio cordis, quę tum immediate recipitur ac fundatur in spiritu innato, tanquam in eo, quo feruente fit febris, & quo non feruente, vel non fit, vel facta tollitur febris.

158 *Cum bilis aut pituita calefacta fuerit, totum reliquum corpus ab his calescit, & vocatur hæc febris. Calescit autem bilis & pituita intrinsecus quidem à cibis & potibus, à quibus etiam nutritur & augetur. Extrinsecus autem à laboribus ac vulneribus, & à calido nimium calefaciente, & à frigido nimium frigefaciente. Calescit item à visu & auditu, verum minimum ab his.*

FEBRIVM aliæ à spirituum, aliæ ab humorum, alię à carnosæ & fibrosæ cordis substantiæ feruore causantur. Primarum & tertiarum hoc in loco non quærit causas Hipp. cum eius tantum sit intentio agere de his, quæ vel in morbis acutis, ex quibus suppurationes sequuntur, vel in suppuratis ipsis contingunt. Hæ autem febres sunt putridæ, pendentes ex humorum morbos facientium putrida expiratione. Quomodo autem hæ fiant, per hæc declarat, dicens: Cum bilis aut pituita calefacta fuerit, totum reliquum corpus ab his calescit, & vocatur hęc febris. Quid per bilem & pituitam in his libris intelligat, iam sæpius explicaui, dicens, per hæc omnia humorum genera comprehendi, nam per bilem omnem calidum, per pituitam omnem frigidum humorem intelligit. Hi humores vbi incaluerint non calore naturali, quia hic vtilis est, non noxius, sed præternaturali & igneo, cum substantia caloris febrilis in hoc consistat, tunc fit febris communicato eo calore spiritui innato, qui in cordis substantia est implantatus. Quousque enim hic spiritus ex eo calore non feruet, nondum est febris, sed est inflammatio sicca, (hanc φλέγμονην Græci dicunt) eius partis, in quo residentes illi humores eum calorem concepere. Vbi autem hic calor præter naturam in humoribus existens communicetur calido innato, ac spiritui insito cordis, tunc in eo similis calor pręter naturam accenditur, qui accensus simul & semel est febris, & vniuerso corpori spirituū vitalium merito demandatur. Calorem hunc præter naturam concipiunt humores vel supercalefacti, vt fit in febre synocha, & in his, quæ vi dolorū, & ex immanib. cruciatib. ad similitudinē synocharū fiunt, vel superassati, vt in tertianis illis, quæ à syncera bile pendent, de quibus superius egimus, vel putrescentes, vt cōmuniter in omni euenit putrida febre, ac pariter in suppuratis.

Hæc

Hæc omnia fiunt vi causarum aut internarum, aut externarum. Causæ internæ sunt plenitudo, obstructio, cutis constipatio, humorum intemperies, lentor, viscidiitas. Externæ sunt cunctæ res non naturales, vbi ex supra modum corpus ad calidum alterauerint, sicuti cibaria calidiura, vina potentia, iræ, immodicæ exercitationes, æstuaria, cælum calidius, vigiliæ superfluæ, aliaq; his similia; vel præternaturales, sicuti attritus, illisiones, contusiones, casus, plagæ, vulnera, percussiones, ferarũ morsus, bestiarum venenatarum ictus, aliaq; similia, ex quibus humores vel supercalefiant, vel superassentur, vel putrescant adeo, vt febrem inducant. Huiusce febris causas alia ratione prosequutus est Hip. nam hic more antiquorum medicorum, qui de causis euidentibus soliciti, obscuras (vt aliaadixi) non ita perscrutabantur, explicans causas, ex quib. humores tam calidi, quam frigidi supercalefiant, & inde febrem inducant, dicit, hos humores vel intrinsecus, vel extrinsecus calefieri, id est, si humores calorem concipiunt vel ab his, quæ interius sumuntur, vel ab his, quæ exterius adueniunt. Interius sumuntur cibi ac potus, qui si pro ratione subiecti in debita quantitate, modo & ratione sumantur, faciunt ad naturalem naturalium humorum generationem, & augmentum, cuius merito dixit pituitam & bilem a cibo & potu nutriri & augeri, per nutritionem generationem, per augmentum incrementum intelligens. Si autem nec pro ratione subiecti, nec in debita quantitate, aut modo, aut ratione sumantur, ad præternaturalem naturalium humorum generationem, & incrementum faciunt, quo casu humores alterationi præternaturali ac corruptioni & putredini paratos & obnoxios reddit, facile febrem inducunt. Extrinsecus adueniunt labores, sub quib. omnem violentam actionem & vulnera, sub quib. omnia cõtinuitatem soluentia intelligimus, & aer calidior, quia hic corpus accendit, & biliosos humores superabundare facit, & aer frigidior, quia hic totum ambitum constipãs prohibet naturalem corporis transpirationem, qua prohibita, humores calore alieno incalescunt, postea vel supercalefacti, vel putrescentes febrem causant. Calescunt etiam, subiungit Hipp. à visu & auditu, verum minimum ab his. At quo pacto humores aut à visu, aut ab auditu calescere possunt, cum visa & audita, quatenus visa & audita, nullam vim in corpore ad eius alterationem faciant? Consulebant antiquiores medici in ictheritia aurum iugiter aspicere ægrotãtes, vel aureos colores intueri, operimentisq; eiusdem qualitatis induci, credẽtes eorum colorem in tales migrari materias, & inde morbum facile solui posse. Quam sententiam Cælius Aurel. lib. 3. Cronic. pass. cap. 5. damnans, dicebat, hos non coniicere, quod potius oppositum fiat, cum sit magis credibile externa in ægrotum ob malam dispositionem facilius transire, quam quod ab ægrotante in circumstantes res coloratas fiat transitus. Et hoc maxime, cum memoratio propriæ passionis tristem ac mœstum necessario reddat patientem, quæ maxima causa est augendæ passionis, ex quib. videntur antiquiores existimasse aliquam in colore esse actionem ad alteranda corpora, ex qua forsan iuxta eorumq; sententiam humores calefieri possent. At cum omnia sensibilia proprium sensum proprie respiciant, & in propriũ sensoriũ vere agant, non autem extendantur ad alios sensus, vel ad aliorum sensationes, sed intra proprios limites consistant, visa & audita non poterunt qualitatem calidam, quæ est proprie obiectum sensus tactus, vel introducere, vel augere. Sed quid ad Hipp. Visa & audita apta sunt alterare corpora nostra, & ad calidum, & ad frigidum, non per propriã actionem, quia color & sonus quatenus agunt, agunt in sensoria visus & auditus, nequaquam autem se extendunt ad qualitates tactu sensibiles, sed per accidens, & per quoddam hæc consequens. Nam visa & audita, non quatenus color aut sonus, sed quatenus res visæ aut auditæ, prout sunt res vel delectabiles, vel tristes, vel molestæ inducentes varios animi affectus, corpus vel calefaciunt vel frigefaciunt. Res tristes visæ aut auditæ mœrorem inducẽtes corpus frigefaciunt, quia ex mœrore spiritus conculcantur & minuuntur, cuius ratione per triste nuncium quandoq; animi deliquium in superfluo sanguinis fluore ad eum sistendum, & ad totius corporis ambitum refrigerandum inducimus. Molestæ res visæ iram causantes calefaciunt, quoniam hinc sanguis & spiritus feruent, sicuti pari ratione faciunt res delectabiles, cor & spiritus exhilarãtes, cuius contrarium operando visa & audita, quæ timorem incutiant, pariter sicuti tristes frigefaciunt. Quare humores à visu & auditu incalescent aut refrigescent, non quatenus audita & visa, sed quatenus inferentia aliquem animi affectum, per quem vel frigefiant, vel incalescant. Hoc ea fit ratione, quoniam mœror, timor, gaudium, ira, cæteriq; similes affectus non solius animi, sed etiam corporis passiones communes existunt, ex quibus hoc facile alterascit, tantaque inde fit alteratio, vt non tantum in sanis, verum etiam in ægrotantibus aliquando ingens ex his insequatur ex vno ad alterum ac diuersum statum mutatio, cuius merito Hip. lib. 2. epid. sect. 4. tex. 4. monebat, in ægrotantib. taliũ affectuũ quandoq; vtilem fore vsum ad immutanda corpora ægra. Dicebat enim: Curandum iram inferre & reuocandi caloris causa, & effusionis succorum, & lætitiam, & timorem, & huiusmodi, atque si aliud corpus ægrotet, simul curare, si autem non, hoc. Si autem ex hac Hipp. sententia possunt animi affectus esse salutares causæ, poterũt pariter esse morbificæ, cum alteratio corporis tam faciat ad ægritudinem, quam ad sanitatem inducendam. Addebat Hip. libr. de affectionib. in princip. bilem & pituitam non tantum alterari à prædictis sensationibus, sed etiam ab olfactu. At huius euentus ratio euidẽs est, quoniam odor per se potest alterare, & ad calidum, & ad frigidum, non quatenus odor, quia hac ratione sensum odoratus solum petit, sed quia odor fundatur in vapore, & exhalatione, quæ cum sit vel calidæ, vel frigidæ temperaturæ, vbi per nares attracta fuerit, prout est aut calida, aut frigida, calefaciet aut frigefaciet. Hinc videmus odores ex aromatibus ac ex rebus valde odoratis, quales sunt

muscus, ambra, ziber, & similia, excalefacere, ex tosis autē, ex sandalis, ex camphora frigefacere. Quapropter non tantum incalescent humores à visu, & ab auditu, verum etiam ab olfactu: ex quibus introductus calor, vbi sit superfluens & præter naturam, potest esse febrium causa. Communiter igitur incalescent humores per intrinsecus à cibis & potibus: per extrinsecus autem à laboribus & vulneribus, & ab aere vel calidiori, vel frigidiori, & à rebus vel visis, vel auditis, quatenus affectus ad hoc aptos inducunt, & ab olfactis per exhalationes calidas, quæ omnia ab Hipp. tanquam causæ euidentes recensentur. Harum autem ac similium euidentium causarum adeo solicitus fuit Hippocr. vt in morborum historiis enarrandis sæpius earum meminerit. Etenim dicebat lib. 1. epid. sect. 3. tex. 18. Silenum ex lassitudinibus, potationibus, & exercitationibus ignis corripuit. Eadem sect. text. 28. dicebat: Quidam calefcens cœnauit & potauit largius, vomuit cuncta, nocte febris acuta. Libr. 3. epid. sect. 1. text. 14. Qui in Dealcis decumbebat horto, diu capitis conflictabatur grauitate, atque dextrum tempus dolebat, ex occasione igne est correptus. Lib. 3. sect. 2. text. 1. In Thaso caput diu Philectæ dolebat, & tandem veterno aliquantulum decubuit, cum vero pocula febrem continuam exciassent, nocte grauior esse cœpit, incaluit primum. Lib. eodem tex. 5 Adolescentulum, qui in mendacium foro decumbebat, corripuit ignis ex lassitudinibus, laboribus & cursibus insolitis. Libr. 3. sect. 3. tex. 76. In Thaso Pythionem ex laboribus, lassitudinibus, parum habita victus ratione, magnus cœpit rigor, & febris acuta. Lib. eodem, text. 83 Abderæ Nicodemum ex venere & potu corripuit febris. Li. & sect. eadem tex. 84. In Thaso mulier quædā morosa insomnis est facta, & cibo abstinuit, cuius erat occasio mœror, hęc paulo post febre leni correpta est. Lib. eodem, tex. 88. In Thaso Dealcis vxorem ex mœrore febris corripuit cum horrore, & tex. 89. Adolescens Melibeæ ex nimio potu & venere diu calefactus decubuit. Ex quibus deprehendas, quanti Hipp. fecerit has euidentes causas, quarum antiquitas maxime solicita erat. Quare non sit mirum, si febrium causas recensens, eas hoc in loco tantum enarrauerit, obscuris ac conditis in aliam tractationem, & tempus reiectis. Febres autem has in tantum hæ causæ euidentes enarratæ inducunt, in quantum bilem & pituitam, id est, quoscunq; humores calore præternaturali calefacientes putredinem in eis inuehunt, cuius merito mos est Hipp. febres putridas appellare febres ex bile aut ex pituita, per bilem & pituitam humores corporis nostri putrescentes audiens. Vnde cum lib. 7. aph 43. dicebat: Si febris non ex bile habeat, multa aqua calida capiti superfusa solutio fit febris, non ad mentem Galeni vult declarare, non omnes febres fieri à bile, sed earum febrium, quæ non ex bile, id est, quæ non ex humorum putredine (perinde enim est, ac si etiam pituitæ addidisset) pendent, multa aqua calida capiti superinfusa solutionem fieri monet. Hæ autem febres sunt eæ, quæ ephemeræ dicuntur, & quæ ex procatarctica causa generantur, quales sunt illæ, quæ ab exustione, à frigiditate, à lassitudine, à meatuū constipatione, similibusque aliis pendent causis. Nec est, quod ad confirmandam eius sententiam Galenus Metonis exemplum adducat, quoniam in Metone non ad febris solutionem, sed ad enocendum sanguinis è naribus fluxum et eiusdem Hippocrat. lib. 3. reg. acut. tex. 59. præcepto, aquæ calidæ supra caput balneum administratum fuit.

109 *Rigor autem in morbis fit quidem.*

Rigor est concussio vniuersi corporis, cum insigni refrigeratione senio facta, eius duæ sunt causæ immediatæ. Altera est virtus expulsrix musculorum, qua mediante natura nititur repellere id, quod ei est noxium: nam cum ad inducendum rigorem febrilem requiratur, quod materia à venis ad extra venas, cuius merito fit, vt rigor sit passio febrium intermittentium, licet nō semper, nec propria, transmittatur, transmissa autem, erat musculorum & aliarum partium membranas, & eas vtpote partes sentientes infestet, cum innatum sit omnibus refugere à contrario lędente, ip umq; à seipso expellere, insurgens musculorum virtus expultrix ad huius materiæ ad extra venas transmissæ expulsionem, totum corpus concutit. Altera causa est calidi innati motus, cuius adeo propria actio videtur rigor, vt antiqui definierint, rigorem esse affectionem calidi innati. Modus autem, quo calidum innatum causat rigorem, talis est: Calor innatus per se, & secundum suam ipsius substantiam est semper mobilis, nec potest quiescere, alias suffocaretur. Motum autem habet duplicem, alterum ad exteriora, alterum ad interiora, id est, alterum ad circumferentiam, alterum ad centrum; per primum refrigeratur, & inde conseruatur, per secundum recipit pabulum, & inde manutenetur. Hunc motum si quæ materia prohibeat, vt fit in febribus à materia putrescente, & eius concentrationem causante, violenter insurgit ad expulsionem illius materiæ, & inde totum conquassatur corpus. Hę duæ causæ quandoq; simul concurrunt ad rigorem causandum, quandoq; altera sufficit. Sufficit vna, quando rigor inducitur ex causa externa, vt fit in vlceribus, in vulneribus, in combustione, & in similibus causis. In his enim ob violentiam illatam, & ob mordicationem recurrente calore innato ad interiora, fit motus maior, & conceditur corpus eo insurgente ad recuperandum & reuocandum pristinum statum, & ad remouendas ac expellendas aliquas materias, quę necessario simul cum calore concentratæ motum caloris ad extra impediunt. Sufficit etiam sola concentratio caloris, si circa viscera sit materia mordicans, quæ simul & semel vellicet, & impediat caloris innati motum. Hinc enim fiet rigor sine commotione partium extimarum. Talis solet quādoq; sequi ad potū aquæ gelidæ mordicante frigiditate aquæ, & calore ob eius insignem refrigerationem concentrato. Talis etiam fieri solet in tumorum notabiliū, & pręcipue internorum suppuratione. Vtraq; autē causa concur-

concurrit, cum à febrilibus accessionibus materia transmittitur à venis ad extra venas per loca sentientia: tunc enim stimulata natura, & calore concentrato simul & semel virtus musculorum expultrix, & calidum innatum se violenter mouens insurgunt, & concutiunt vniuersum corpus. Hæc concussio in rigore febrili modo est maior, modo est minor: maior est, si materia transmissa sit multa, admodum acris, celeriter moueatur, corpus admodum sensibile, & virtus infirma existat: minor erit, si materia quantitate sit minor, acrimonia remissa, non ita celeriter moueatur, corpus minus sensibile, & virtus minus infirma. Nam quæ est copia, & qualitate magis est insignis, materia magis mordicat, & pariter ea, quæ magis celeriter mouetur, quam ea, quæ minus celeriter mouetur, & ex hoc maxime, si corpus valde sensibile sit, quoniam tale corpus omnem passionem facilius admittit, etsi eius virtus sit infirma, quoniam valentes reluctantur, & tolerant omnem noxam, & causas morbificas perferunt, debiles autem cedunt, nec obsistunt, quare etiam facilius alterantur. Hæc autem omnia si valde sint remissa, ita vt materia, copia, & qualitate non sit insignis, & tarde moueatur, & corpus nequaquam sensile sit, ac virtus fortis adsit, quoniam causæ agentes sunt debiles, & virtus fortis ea contemnit & tolerat, non amplius fit rigor, nec illa corporis manifesta concussio, & conquassatio, sed fit horror, qui non est aliud, quam sensus frigiditatis cum commotione cutis, & partium externarum, non autem cum concussione totius corporis. Si autem omnia prædicta adhuc largius remittantur, non amplius nec rigor, nec horror, sed vlcerosus quidam sensus, & inæqualitas febrilis, & in summa solum frigus causatur. Quare eædem sunt frigoris, horroris, & rigoris causæ, verum non æqualiter, quibus æqualiter non concurrentibus, nec etiam eorundem eadem erit essentia. Nam frigus non erit aliud, quam sensus refrigerationis sine cutis commotione, & sine corporis concussione, vt fit in hyeme, quando frigus non est adeo vehemens, vt corpus mordicet, nec maximam caloris concentrationem faciat. Horror autem est sensus frigiditatis cum commotione cutis & musculorum, qui sunt ad cutim. Rigor vero est insignis refrigeratio cum commotione cutis, & cum totius corporis concussione. Cuius rigoris explicata essentia & causis, liquet cur rigor in aliquibus febribus sit salutaris, in aliquibus sit lethalis. Salutaris est in intermittentibus febribus, quoniam materia putrescens, quæ facit rigorem, transmittitur à vasibus internis ad extra venas, & ideo non putrescens in loco momentaneo non facit casum periculosum. Salutaris quoque est in causa, vbi materia, quę in visceribus morbum faciebat, propellitur à calore innato ad ambitum totius corporis, & inde vel per sudorem, vel per aliam euacuationem educitur. Lethalis autem est ille, qui in febre acuta, ea non desinente, & ægro debili existente, superuenit, quandoquidem talis rigor indicat calorem innatum à causa morbum faciente deuinci, nec si repetat, ægrum superesse posse, cum signa critica non soluentia mala sint. Et hoc potissimum, quoniam si aliqua euacuatio, vt inquit Galen. libr. 4. aphor. 46. rigorem subsequatur, quæ nullam faciat intermissionem, propter vtrumque hominem dissolui est verisimile, & quia vis imbecillis ferre non potest rigoris agitationem, & quia ab euacuatione virtus ea languens dissoluitur. At si casus iste ex altera parte lethalis ponitur, quia virtus debilis non possit ferre rigoris agitationem, num omnes rigores debent esse lethales, cum statutum sit ad rigorem causandum concurrere virium imbecillitatem? an num forsan ex mente Auicennæ contra Galeni assertionem statuendum est, magis facere ad causandum rigorem virium robur, quam imbecillitatem? Virium robur & languor non in puncto consistunt, sed latitudinem habent. Nam ex robustis aliæ insigniter robustæ, aliæ mediocriter, aliç quodammodo minus quam mediocriter: ex languentibus autem aliæ sunt insigniter languidę, aliæ mediocriter, aliæ minus quam mediocriter. Quæ insigniter sunt robustæ, & potissimum si corpus non admodum sit sensibile, facile omnia tolerant & contemnunt: quæ autem sunt insigniter languidæ & prostratæ, adeo cedunt, vt ad actionem, & ad propulsanda nocua non insurgant, qua de re in neutris harum solent contingere rigores. Si vero vires sint mediocriter robustæ, sicut minus, quam primæ illę causas morbificas tolerant, ita magis infestantur, & hoc potissimum, vbi corpus sit admodum sensitiuum ab illis causis: infestatæ autem, quoniam vigent, maiori violentia eis reluctantur, qua de re & maiorem concussionem causant. Quæ autem mediocriter sunt languidæ, sicuti facile infestantur, & minus reluctantur, ita facile rigorem inducunt, sed non ingétem, quia ob imbecillitatem magnum conatum facere nequeunt. Quare vires mediocriter robustæ in comparatione virium mediocriter languidarum tardius insurgent ad rigorem causandum, sed vbi insurgant, maiorem causabunt: mediocriter autem languidæ vires citius insurgent, sed minorem facient. Quæ minus quam mediocriter sunt aut robustæ, aut languidæ, coincidere videntur: quare earundé par est ratio, hac superhabita códitione, vt pro ratione fortitudinis vires difficilius insurgant ad rigorem causandum, sed insurgentes maiorem faciant: pro ratione autem debilitatis facilius insurgant, sed minorem causent. Sed his stantibus, cur dictum est, virium imbecillitatem facere ad causandum rigorem, & eum maiorem? Quoniam non summum illud virium robur ad hoc facit, sed quædam remissio requiritur. Quę remissio illius roboris dicta est imbecillitas, ea comparatiue, non simpliciter considerata. Nam vires per se imbecilles obire validas operationes nequeunt, licet à causis morbificis facillime ad eas obeundas excitentur. Sed cum liqueat ex prædictis, rigores causari à causis externis, eosdemq; fieri in tumorum notabilium suppuratione, in febribus ardentibus, & in morbis acutis, quomodo inoleuit ea opinio,

quod proprium febrium intermittentium sit rigere, continuarum autem neqnaquam? Ex rigorib. alii certas habent periodos, alii non habent. Qui habent certas & ordinatas periodos, sunt illi, qui sunt proprii febrib. intermittentib. cum enim in his materia à venis ad extra venas transmissa per loca sentientia permeet in singulis paroxismorum principiis, hinc fiunt rigores cum certo ordine ac periodo. Nam prout febres vel singulo, vel tertio quoq; aut quarto die accedunt, ita pari circuitu rigores accedunt, cuius merito ab Hip. lib. 4 aph. 63. dicebatur: quibus in febrib. quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur. Nam rigor ordinatus, & certam periodum habens, necessario febrem esse intermittentem arguit. Si autem febris est intermittens. igitur pro ratione ordinis rigorū eius fiet solutio. Vnde si fiunt quotidie, quotidie febris soluitur, sic & si tertio aut quarto accedunt die, pariter febris solutio sequitur. Rigores autem qui certas non habent periodos, alii à causis externis, alii ab internis pendent. Qui ex causa externa pendēt, remota causa non amplius repetunt, possuntq; tam sine febre, quam cum febre. vbi ea causa febri occasionem præstet, contingere. Qui vero ab internis causis producuntur, pariter possunt & sine febre, & cum febre euenire: sine febre fiunt, vt iam dictum est, à pituita acida non putrescente; cum febre autē illi accidunt, qui vel à principio, vel in processu aut febrium ardentium, aut febrium cōtinuarum, aut morborum acutorum apparere solent. Hi rigores eademmet ratione, qua illi in intermittentib. febrib. contingunt, in continuis febribus, & in morbis acutis fiunt, si illi natura transmittente materiam febrem facientem à venis ad extra venas. Quæ materiæ transmissio, & inde rigor in acutis morbis, & in continuis febribus, alias fit decretorie, alias fit symptomatice. Decretorie, cum natura materiam dominens eam ex toto à venis ad extra venas propellit. quod in vnica accessione, & per vnicum fieri rigorem consueuit, cuius ratione dictum est ab Hipp. lib. 4. aph. 58. à febre ardente habito rigore superuenien:e solutio. Nam soluitur febris transposita materia ad extra venas, quæ vel per sudorem, vel per vomitum in ea accessione purgatur. Talis solutionis exemplum habemus lib. 1. epid. sect. 3. tex. 22. in Cleonactide. qui die octuagesimo per rigorem, quem copiosus sudor subsequutus est, iudicatus fuit. Symptomatice autem fit hic rigor in his morbis, cum natura vel à copia, vel à prima qualitate peccantis materiei irritata tentat eius partem ad extra venas transmittere. Talis rigoris plurima habemus exempla in ægrotantium historiis enarratis in libris epid. ab Hipp. quorum alii periere, alii saluati sunt. Periere, Philonis vxor, de qua lib. 1. epid. sect. 3. tex 20. quæ riguit prima & octaua die, vigesimo autem animam egit; Dromidæ vxor ibidem tex. 27. quæ die prima, tertia. & sexta riguit, eademque sexta plurimo effuso sudore mortua est; Quidam, qui calefcens cœnauit & potauit text. 28. qui die septimo riguit, & vndecimo defunctus est; Euryanactis filia libr. 3. sect. 2. tex. 3. quę die decima tertia, & decima quarta riguit, decima autem septima decessit; Ille apud Bitonem angina laborans tex. 4. qui die tertia riguit, quarta autem periit; Mulier apud Palamedem degens, quæ secunda riguit, septima interiit; Mulier apud aquam frigidam in Thaso ægrotans libr. 3. sectionn. 3. tex. 75. quæ prima riguit die, octuagesimo autem expirauit; Pythio in Thaso textu 76. qui prima die riguit, decima vero mortuus est; Apollonius Abderita textu 86. qui riguit in decima quarta, die autem trigesima quarta obiit. Saluati sunt, Epicratis vxor libr. prim. epidem. section. 3. text. 21. quæ riguit in prima, in octaua, in decima quarta, in vigesima, die autem quadragesimo recte iudicata fuit; Cleonactides text. 22. cuius supra etiam meminimus, qui die octuagesima per rigorem, cui copiosus successit sudor, integre iudicatus est; Mulier decumbens in littore, textu 29. quæ die vndecima riguit, decima quarta recte iudicata est: Qui in Dealcis decumbebat horto lib. 3. epidem. sect. prima, text. 14. hic nona riguit, quadragesima autem absolute iudicatus est; Chærion libr. 3. sect. 2. text. 2. qui die tertia, septima, & septimadecima riguit, vigesima vero integre iudicatus est; Nicodemus Abderita lib. 3. sect. 3 text. 83. qui riguit in quarta, absolute autem iudicatus fuit in vigesima quarta. Ex his autem historiis hæc tria colliguntur. Primum est, quod incipere à rigore non est proprium febrium intermittentium, sicuti etiam notault Galen. lib. 1. ad Glau. cap. de signis febrium intermittentium, cum plures febres continuæ, & plures morbi acuti hinc liqueat à rigore incipere, quod idem inferius notabit Hipp. sæpius fieri in pleuritide. Secundum est, quod rigores in febribus continuis, & in morbis acutis contingere possunt, cum nihil prohibeat, naturam posse materiam ad intra venas, putrescentem ad extra venas transmittere, alias decretorie & vtiliter, vbi ei prædominetur, alias symptomatice & cum detrimento, vbi non prædominans, sed à mala qualitate irritata eam commoueat. Tertium est, quod rigores, in prænarratis febribus ac morbis contingentes, nec certum ordinem, nec certam periodum habent, sed vel semel tantum accidunt, vel si sæpius fiunt, nullum ordinem, aut certam periodum seruant. Quod animaduertens Hipp. libr. 1. epid. sect. 2. text. 25. contigisse in illis continuis febribus, quæ in ea tempestate naturam tertianarum referebant, dicebat: Rigores a. omnib. inordinati, & errantes, ac paucissimi his, minimeq; in aliis maiores. Si autem tales rigores in hisce morbis contingentes non sunt ordinati, sed inordinati. Ordinati a. & periodum seruantes sunt illi, qui fiūt in febribus intermittentib. igitur rigor ordine certo contingens arguet febrem esse intermittentem, eamq; solutionem illa periodo, qua fiunt rigores, recipere: qui autem nullam periodū seruant, arguunt non febris differentiam, sed materiæ motum vel decretorie, vel symptomatice à natura tentatum. Nec contra hanc sententiam adducatur exemplum Pythionis in Thaso lib. 3. Epid. sect. 3. tex. 76. qui cum diebus paribus affligeretur, in omni ac-

cessio

cessione vocem amittebat, & refrigerabatur, quasi quod ista refrigeratio facta alternis diebus patibus sapiat naturam rigoris, & inde attestari queat, rigores ordinatos in morbis acutis, & in continuis febribus fieri posse. Quoniam talis refrigeratio ex pennria caloris innati emorientis, cuius ratione singulis accessionibus vocem amittebat, contigit. Cuius etiam merito breuē, & exilem spiritum in illis accessionibus habebat: vix enim spiratio apparebat, cum marcescente calore insito & vires langueant, & refrigerationis necessitas sit quam minima. Immutabatur autem & spiritus, & calor totius corporis ex febrili calore accenso, cuius ratione in sequenti & spiritus mutabatur, & corpus incalescebat. Cum autem totius accessionis tempus determinum id esset, in quo cedente calore febrili corpus ex penuria caloris innati refrigerabatur, ideo hinc successit, vt die decima factus sine voce adeo refrigeratus sit, emoriente calore insito; vt ex febre subsequenti per multum, ac diaphoreticum sudorem resolutus, ae in totum extinctus expirauerit. Quapropter concludo, febrium intermittentium proprium esse habere rigores ordinatos, & certas periodos habentes, sicuti improprium est, incipere à rigore simpliciter, pariterque censeo in febribus continuis, ac in morbis acutis posse cōtingere rigores, sed q sint inordinati, & qui nullū typum, nullāne periodum seruent. Et hæc de rigore præmissa, antequam ad Hipp. literam exponendam descendamus, sufficiant.

110 *Et ab externis, ventis, aqua, serenitate, sub dio degentibus, & alijs huiusce modi. Fit autem & ab ingestis cibis, ac potibus.*

RIGORIS causam duplicem esse dicebam, alteram virtutem expultricem musculorum, irritatam à materia transmissa ad extra venas p loca sentientia, alteram motum innati calidi insurgentis ad propulsanda nocua. Vtraq; concurrit in rigore febrili; altera autem in eo, qui ab externa producitur causa, de quo nunc agens Hipp non quærit causas illas proximas, & abstrusas, sed euidentes, & externas, quales vetustissimi illi medici, dum adhuc in incunabulis medicina esset, obseruare cōsueuerunt. Inquit igitur, quod rigor ab externis causis productus causetur à ventis, ab aqua, à serenitate in his, qui sub diò degunt, & vlterius sit à cibis, & potibus, id est, fiat vel ab extrinsecus aduenientibus, vel ab intrinsecus assumptis. Extrinsecus aduenientia, quæ rigorem causant, sunt ea omnia, quæ mordicantia cutim possunt concentrationem caloris innati causare. Tales sunt ad eos, qui sub dio degunt, venti boreales, & maxime si post Austrinam constitutionem ingruant, adhuc laxatis cutis meatibus, pluuiæ frigidiores catnem irrigantes, serenitas hyemalis cum frigore ingenti, aliaque his similia. Quę cum ratione mordicationis cutis ex subsequenti caloris natiui concentratione rigorem causent, omnia ea comprehendunt, quæ talem mordicationem, & concentrationem facere possunt, sicuti combustiones, & alia exteriora, quæ vlcera, vulnera, & cutim ipsam per qualitatem calidiorē mordicare queunt. Intrinsecus autem assumpta, id est, cibus & potus, hoc idē facere apta sunt, si vel mordicationem, vel caloris concentrationem causare poterūt. Cibi & potus mordicantes, per qualitates acriores & calidas subito ingesti, hoc quandoq; faciunt: sicuti & faciunt quandoque humores pariter mordicantes ad os ventriculi consistentes, ex quibus aliquando non solum fiunt rigores, sed & conuulsiones. Aqua etiam gelida derepente epota hoc idem facere sæpe visa, quoniam ratione frigiditatis intensæ simul, & semel mordicat, & concentrationem caloris innati causat. Hoc pariter facere solet vini potentis copiosus potus, non accendens, sed ob multitudinem obruens, & quasi extinguens calorem innatum, ex quo cogitur insurgere ad propulsandam materiam noxiam, & inde rigorem causat. De quo rigore agens Hipp. lib. 7. Aph. dicebat: A multa vini potatione rigor, & desipientia malum. Quare per hæc tanquam per causas externas rigor causabitur.

111 *Maxime vero & vehementior fit, cum bilis & pituita sanguini fuerint permixta, aut altera ex his, aut vtraque. Magis tamen si pituita sola permixta fuerit: est enim pituita frigidissima ex natura, calidissimus autem sanguis. Frigidior est etiam aliquanto bilis sanguine.*

PERSEQVENS Hipp. rigoris causas, explicatis externis, descēdit ad internas dicens ab his maxime, id est, magis efficaciter, & vehementiorem, id est, in intensione, ac in extensione maiorē causari rigorem. Nam rigor ex causa interna ortus solet esse & diuturnior, & grauior eo, qui ab externa causa producitur. Ratio est, quoniam materia rigorem causans sedem stabilem habet in corpore, in penitioribus partibus reconditam, scilicet, vel circa viscera, vel in venis ipsis. Quæ sint hæ materiæ, quæ ab intrinsecus rigorem causant, hoc in loco explicat, in sequenti modum, quo causatur ab eis, explicaturus. Hæ materiæ, inquit, sunt bilis, & pituita, vbi sanguini permixta fuerint vel separatim, vel coniunctim, per quæ verba sanguis excluditur ab humoribus rigorem causantibus, & iure merito, quoniam quæ rigorē causare apta sunt, vel sunt mordacia, vel actiuitate possunt facere caloris innati concentrationem, quorum neutrū habet sanguis, cum hic sit benignæ & moderatæ naturæ nec excessum in actione habeat, pp̄ter temperamentū eius insitum, ac connaturale, & ideo non sit mirū, si in morbis pendentibus à puro sanguine, vt in synochis, siue sine putredine, siue cum putredine, & in putris inflāmationibus, non appareāt rigores. Cum autem sanguis ex se nō sit aptus rigores causare, inquit Hipp. q̄ si huic commisceatur bilis, & pituita, tunc poterit inde rigor fieri. Bilis igitur & pituita erunt illæ materiæ, quæ ex se poterunt rigoris esse causę. Sed qua ratione? Duplicē habere conditionē materiam rigorem facientem dicebam, alteram, q̄ mordacis esset naturæ, alteram, quod caloris innati cōcentrationē facere posset. Hanc vtrāq; cōditionē

 possunt

possunt habere & pituita, & bilis. Pituita quidem, vbi acida fuerit, quoniam hæc aciditate mordicat, qualitate autem frigida calorem oppugnans eum côcentrari cogit. Et ideo ad hanc fiunt rigores tam febriles, quam nô febriles. Febriles quidem, in febribus quotidianis pendentibus à putredine pituitæ vitreæ, quos auéctermandos, id est, calefieri nequeuntes libr. 6. Epid. sect. p. text. 9. vocabat Gal. 5. quia ex his patientes ægre incalescunt, & diutius molestantur, de quibus etiam Gal. egit, & in lib. de symp. caus. & in libro proprio de rigore. Non febriles autem in his, qui ex crudioribus & frigidioribus alimentis copiam crudæ & acidæ pituitæ congesserunt: cuiusmodi narratur à Galeno in iuuene illo sui coętaneo prope Alexandriam contigisse. Bilis autem, si per bilem nos intelligamus atram, hæc eadem habet, nam & insigniter frigida est, & mordax existit: quare similes prædictis, vt refert Gal. loco citato libr. 6. Epid. facit rigores, sed ab eis in hoc differentes, quod hi quarto quoq; die, quoniam fiunt in solis quartanis, illi autem quotidie, quoniam in quotidianis eueniunt, contingere solent. Bilis vero, si flaua intelligatur, eadem habere deprehenditur, quoniam ex sui natura, cum amara sit, mordax est, & præter mordacitatem calidioris est temperamenti, & tenuium partiū, cuius ratione cum in mordicando sit maxime actiuitatis, euenit, vt mordicans præbeat punctionis sensum. In punctionibus autem scimus subitum fieri motum, & concentrationem caloris, quare ratione amatoris mordicabit, & ratione punctionis, quam innehit, côcentrationem caloris causabit. Quibus actis statim succedit rigor, hinc insurgente virtute musculorum expultrice, & calore innato ad pristinum statum, ac motum recuperandum. Hic autē rigor, qui à bile causatur, ratione prædictarum causarum differt ab his, qui fiunt à pituitoso, & melancholico succo, quoniam is, qui à bile fit. cum sensu punctionis, ac si acubus vel sagittis perforarentur, is autem qui à pituita, & ab atra bile cum sensu insignis refrigerationis gignitur. Quam refrigerationem adeo rigori propriam hoc in loco Hipp. indicabat, vt inde diceret vehementiorem fieri rigorem, vbi pituita huius causa existens sanguini permista fuerit. Rationē assignabat, quoniam pituita ex sui natura est frigidissima, cum autem sit frigidissima, potest sanguinem, licet calidissimū omnium humorum refrigerare, imo magis, quam bilis eum refrigerat, cum bilis sanguine ipso sit paulo frigidior, pituita autem longe frigidissima. Si autem pituita potest magis, quam possit bilis sanguinem refrigerare, igitur à pituita magis proprie, & vehementior, quam à bile, fiet rigor. At quomodo constituitur ab Hipp. bilis frigidior sanguine, cum eius generatio, (fit enim ab immodico calore bilis, à modetato autem sanguis) & eius sapor, (cum bilis sit amara. dulcis vero sanguis) & eius substantia (cum bilis sit tenuium partium, sanguis crassarū) & eius morbi (cum à bile pendeant feruentissimi & acutissimi morbi, à sanguine autem minus feruentes, & minus acuti) & cætera omnia eam consequentia atteftentur, bilem sanguine esse calidiorem? Bilis est calidior sanguine caliditate complexionali, quia plus, quam in sanguine in eius complexione est de calido; at sanguis nô côplexionali, sed actuali, benigna, naturali, & viuificante caliditate est bile calidior, ad quem sensum dicimus sanguinem omnium humorum esse calidissimum, frigidissimū autem pituitam, quia hæc minus actualem, minus benignam, minus naturalem, & minus viuificantem ex omnibus humoribus habet caliditatem. Quam sanguinis naturam cum aliquo modo æmuletur bilis, licet complexionali temperamento sit calidior, dicitur tamen paulo frigidior sanguine, quoniam licet pituita sit bilis calidior, quo ad prædictum caloris modum, cum actuali caliditate magis vigeat, & magis benigno, & naturali, & magis viuificante, vt eius multa in corpore munia ostendunt, calore abundet, nihilominus sanguine in côparatione est frigidior, cum bilis actuali, & benigna, & naturali, & viuificante caliditate longe distet à sanguine, multumque ei cedat. Cum autem ita cedat bilis in hac caliditatis conditione sanguini, si ei administretur, omnino sanguinis moderata illa actualis, benigna, naturalis, & viuificans caliditas remittitur, hincque sanguis refrigerari dicitur, non quia complexionaliter à bile refrigeretur, sed quia ex ea eius temperamentum insitum deperditur, propria caliditate imminuta, & aduentitia ineunte. Quapropter cum in sanguinis mixtione nô ea ratione bilis ipsum sanguinem, vt facit pituita, refrigeret, iure dictum est ab Hipp. dum summam refrigerationem, quasi rigoris essentiam attendit, maxime fieri, ac vehementiorem causari rigorem à pituita, quam à bile. At contra hanc sententiam videtur esse Gal. qui lib. 2. de symp. caus. cap. 5. & lib. de rigore, & alibi nititur declarare maiorem à calidis, quam à frigidis succis causari rigorem. In rigore duo adesse diximus, alterum est corporis côcussio, alterum est refrigerationis sensus. Hipp. hoc vltimum respiciens, quoniam à frigidis succis maior refrigerationis sensus innehitur, dixit ab his maiorem causari rigorem. Galenus autem censens rigoris essentiam magis consistere in corporis concussione, quam in refrigerationis sensu, oppositum sensit in nomine, non in re discrepans ab Hippocr. Præterea rigoris magnitudo, vt superius Innui, penes duo attenditur, scilicet vel penes vehementiam & intensionem, vel penes diuturnitatem & extensionem. A calidioribus succis fiunt vehementes, & intensi rigores, sed qui cito desinunt ob eorum tenuitatem, ac celerem motum; à frigidioribus autem fiunt diuturni, sed qui ægre incalescant, ob eorum crassitiem, & tardum motū. Hos vehementes improprio nomine Hipp. illos proprio appellabat Galenus.

112 *Cum igitur hi humores ambo, aut alter solum permixti fuerint ad sanguinem, ipsum congelant, non tamen omnino: neque enim viuere posset homo, si sanguis densior, & frigidior se ipso multis modis fieret. Frigescente igitur sanguine necesse est, & reliquum totum corpus perfrigera-*

gerari; & vbi eiusmodi factum fuerit, rigor appellatur.

AD causandum rigorem non tantum requiritur materia ad hoc apta, verum etiam, vt ea commoueatur. Nam si quieta sufficeret ad hanc actionē perpetrandam, rigor non haberet periodos, nec interualla, sed semper esset continuus. Dum autem hæc materia mouetur, vel qualitate actiua, vel mordacitate partes sensitiuas stimulans, facit caloris innati concentrationem, quo concentrato simul cum eo humores, & sanguis concurrentes cōcentrantur. Hanc concentrationem vocat Hipp. congelationem, quoniam cum ex concentratione humorum fiat quædam sanguinis ad intra conculcatio, in hac actione videtur sanguis coire, & concrescere. Quæ tamen non est vera aut cogelatio, aut concretio, sed potius conculcatio: nam si verè concresceret, & coiret sanguis, non posset viuere homo, quoniam vt alias scripsi, hinc fiunt cardiacæ syncopæ, quæ subito hominem de medio tollunt. Dum fit hæc humorum concentratio, & sanguinis in intimis penetralibus conculcatio, sanguis ipse refrigeratur, spiritibus ipsis, per suffocationem ad extinctionem declinantibus, simulque reliquum corpus, iam ob concentrationem sanguine & spiritu destitutum, pariter refrigeratur, qua refrigeratione (quam maxime attendit Hipp. pro formatione rigoris) subeunte statim fit rigor. Quare hic erit modus, per quem rigor ab humoribus vel calidis, vel frigidis fiat, vt hi commoueantur, commoti autem vel mordicatione, vel qualitate actiua concentrationem caloris innati causent. In qua concentratione cōcentratis humoribus, sanguis ad intra conculcatur. In qua conculcatione cum refrigeretur & sanguis, & simul cum eo reliquum corpus, sanguine & spiritu destitutum, fit rigor. In quo rigore postea insurgens calor innatus ad propulsandam noxam violenter mouetur, & inde totum concutit corpus, quam concussionem etiam adiuuant musculi, totum corporis ambitum conquassantes, insurgente virtute expulrice ob irritationē factā à materia mordaci loca sentientia pmeante.

113 *Et si quidem vehementior fiat rigor, vehementior etiam est tremor, nam dum contrahuntur venæ, sanguine & coacto, & coagulato, corpus & contrahunt, & tremere faciunt. Si vero minus aliquanto sanguinis coactio fiat, hic rigor appellatur.*

QVONIAM in rigore, facta humorum, sanguinis, & spiritus concentratione, totum rigens corpus inde tremit, nec satis notum erat antiquioribus huius tremoris causa, ideo hoc in loco eam assignare intendit, dicens, hoc fieri, quoniam in cōcentratione sanguinis & humorum contrahuntur venæ, tanq̄ sanguine & humoribus exhaustæ, contractæ autem contrahunt, & conuellunt corporis extimas partes, in quibus motū similem motui cōuulsino ex materia neruorū principia mordicante causantes tremere eas faciunt, qui tremor non est conuulsio illa, quæ vniuersum concutit corpus, sed quæ partes extimas sanguine, & spiritus exhaustas commouet, tremorem inducens, quem tremorem inquit causari, cum sanguis concentratus ex cóculcatione coactus & concretus admodū existit. Nam tunc fit tremor, non autem rigor, cum nimiū hinc obrutus calor innatus non possit insurgere violenter ad propulsandam noxam, & suffocationem ex conculcatione imminentem. Si autem sanguis in cōcentratione non ita cōculcatus, nec ita coactus, aut ita concretus existat, sed minus aliquanto, quoniam tunc calor innatus non est vltra modum obrutus, & potest violenter insurgere ad propulsanda sibi aduersantia, fit rigor. Quo casu nō amplius solum tremunt extimæ partes, verum etiam vniuersum corpus concutitur, & inde fit rigor.

114 *Horror autem dicitur debilissimus rigor.*

SENTENTIA est clara, & ex enarratis satis euidens, cuius causas explicauimus, dum frigoris, horroris, & rigoris differentias, & causas explanaremus, monentes hęc ab inuicem distingui, vt magis, & minus, additis quibusdam cōditionibus, per quas differunt tum in essentia, tum in signis.

115 *Quod autem post rigorem necessario corripiat febris aut maior, aut minor, sic habet. Cum sanguis percaluerit, & vim depulerit, ac rursus ad suam naturā redierit, concalescit simul pituita, & bilis sanguini permista, & sanguis ipse se ipso multipliciter calidior euadit. His autem percalefactis, necesse est febrem succedere post rigorem præ sanguinis caliditate.*

ANTIQVVM erat dogma, rigori febrem necessario succedere, quoniā ætas illa insueta luxui, & gulę illecebris, non nouerat tantā ex malo victus genere, & ex crudiorū abundātia ciborū in corpore accumulari pituitæ vitreę copiam, vt ex sola sui qualitate, & natura, nullam admittens putredinē, id pituitæ genus fecerit rigorem sine febre, quę posteritas in gluuio aucta indeq; abundantibus in viuentiū corpore aliquanto crudioribus humoribus videns, prius admirata, postea testata est, hoc idem quotidiana cōprobante experientia rigori nō semper, nec necessario febrem succedere. Illud autē antiquum dogma tanq̄ axioma ab aliis desumptū intendit Hipp. hoc in loco declarare, monens qua ratione febris rigori necessario succedat. Ratio hæc est. Facta ex concentratione spirituum, ac humorū sanguinis conculcatione, calor naturalis ad ppulsandam hanc noxā insurgit, quo casu violenter insurgēs calor innatus valido mouetur motu, ex motu autē valido tū depellit noxia & ea, q̄ vim & conculcationē intulerāt, tū etiā humores sanguini admixtos calefacit. Motus enim ad hoc facit, cum nō tantū natus sit calefacere, verū ligna quoq; ac lapides ignire. Incalescentib. autē illis humoribus, sanguis se ipso multipliciter calidior redditur, multipliciter quidē, quia sanguis, id est, massa sanguinea ex quatuor humoribus cōflata, calidior fit, nō tantū in gradu, cū vltra gradū pprium, & naturalē magis incalescat, sed etiam in qualitatia essentia. Nam vbi caliditas erat cōmoderata, naturalis, & viuificās,

tunc

tunc facta est immoderata, præter naturā, & ignea potius ad destructionem, quam ad cōseruationem apta, & ideo dicitur tunc sanguis multipliciter se ipso calidior. Tali autem concepta caliditate in sanguine, & in humorum mole, necesse est febrem, id est, calorem febrilem rigori succedere; rigor enim licet sit cum sensu refrigerationis, est tamen pars febris. Quare cum dicitur rigori febrē succedere, per febrem non ipsam febrem, quæ iam cum rigore incipiente principium habuit, intelligamus, sed per febrem calorem ipsum febrilem ad exteriora prorumpentem audiamus, qui calor febrilis ex caloris innati supra materiam conculcatam, & concentratam victoria ea ab interioribus ad exteriora propulsata procedit. Quapropter rigori febris necessario subsequitur, quoniam ex rigore incalescit calore præter naturam sanguis, in quo calore præternaturali febris essentia consistit. Hic autem calor excitatur, nisi duo obstent, scilicet vel virtutis imbecillitas, vel causæ rigorem facientis magnitudo: nam ex primo casu innatus calor succumbit: ex secundo autem casu à lædente causa superatur. Vnde in huiuscemodi casib. ad rigores nullus succedit febrilis calor, quia virtus, antequam infestantia profligauerit, deuicta vel ex proprio languore, vel ex magnitudine causæ lædentis cedit morbo, & inde mors succedit: cuius merito rectè dictum est ab authore lib. Prorrh. text. 31. secundi libri: Ex rigore refrigerationes, quæ non recalescunt, malæ. Cui par est illud: A rigore obmutescere, & non recalescere malum: mala autem sunt hæc, quia mortem instare pronunciant. Quare duplex erit casus, in quo rigori febrilis calor non succedat, alter est, cum à pituita vitrea, & cruda non putrescente causatur, alter cum virtus certans prius quam ea, quæ infestent, profligauerit, fatigatur, & in certamine succumbit. Sicuti autem datur rigor, cui febrilis calor non succedit, ita sæpe contingunt horrores, & frigora, ac inæqualitates, ad quas nec febris, nec febrilis calor subsequitur. Huiuscemodi sæpe fiunt in his, qui habitu graciles, temperamento biliosi, & ventriculo simili ex inedia, vigiliis, mœrore, immoderata, vel inconuenienti exercitatione mordentia congessere excrementa. In his enim ex motu huiuscemodi excrementorum primo inæqualitas quædam, mox horror prompte incidit, quibus si humectante cibo, & quiete indicta occurrat medicus, nihil febris inde succedit. Si vero causæ illæ perseuerent, & nec quies imperetur, nec humectans cibus exhibeatur, necessario febrilis calor superueniet.

116 *Sudor vero fit hac de causa.*

HVMANVM corpus non est ita solidi habitus, vt ex eo, tanquam ex Adamante nihil diffluat. Sed ita est perspirabile, & ob innatam humiditatē, & mollitiem difflabile, vt continuatæ resolutioni subiiciatur, ex qua continuata resolutione cito interiret homo, nisi quantum ex hac resolutione deperditur, tantundem per alimenti assumptionem recuperaretur, ac restauraretur. Alimentum hoc, quod ad deperditi restaurationem assumitur, debet proportionari parti deperditæ, vnde cum partes, quæ ex resolutione deperduntur, sint corporis ipsius portiones carnosæ, vel etiam solidæ, alimentum non aqueum esse debet, sed solidum, & corpulentum, qualem habent partes deperditæ, consistentiam habens. At quoniam alimentum tale existens, scilicet solidum & corpulentum, consistentiam habens, cum plures anfractus, plura exigua vasa, plures porositates minimas, antequam parti renutriendæ apponi, & subministrari possit, permeare debeat, esset ad restaurationem hanc reparandam ineptum, ideo indiguit vehiculo, per quod dissolutum, & contemperatum, & attenuatum posset, omnes prædictas vias pertransiens, deduci ad loca, & partes per ipsum nutriendas. Tale vehiculum est aquosa substantia, quæ cibum solidum diluens & attenuans, ipsum ad transitum per angusta loca, & vasa aptum facit. Hęc aquosa substantia non modo est potus per se ab alimento solido distinctus, sed etiam est omnis ea aquositas, quæ in præparatione, in coctione, in condimento, & in masticatione ciborum solidorum admiscetur. Hæcque adeo est opportuna, vt in quibusdam sit sufficiens ad prædictum opus, nullo alio potu accedente: cuius ratione vidimus nonnullos his contentos per annos vitam produxisse sine vllo vel aquæ, vel vini potu. Hæc aquositas, quæ vel alimētis solidis admista, vel per potum separatum adhibita est vehiculum alimenti solidioris ad partes solidas, & carnosas deferendi, nutritioni inepta est. Nam cum nutrimentum nutriendæ parti debeat proportionari, & pars nutrienda sit substantiæ solidæ, nutrimentum non aqueæ, sed corpulentæ substantię esse debet. Cum autem nutritioni sit inepta, nec alium vsum peculiarem præter dictum in corpore habeat, cum munere suo functa fuerit, excretioni demandanda erit. Hanc excretionē molitur natura, vt renum attrahens hanc aquositatem per eas, & deinde per vreteres ad vesicā transmittens. Sed quoniam copiosa abundat hæc serositas in sanguinea massa, & quoniam vltra quam per iecoris anfractus pertransierit, ad consimiles vsus est necessaria, ideo non tota per renes attrahitur. Nam cum mediantibus venis ad vniuersas corporis totius partes alimentum deferri debeat, hocque per multas porositates, & minimos meatus parti nutriendæ apponi oporteat, omnino necessarium erat, huius aquositatis aliquam ad hunc vsum superesse portionem, quæ portio humiditatis apposito, & assimulato nutrimento vel caloris innati, aut initæ exercitationis vi discutitur, vel in eadem parte retinetur. Hæc aquositas, vbi non discutiatur, sed retineatur, est sudoris materia, ea autem, quæ in venis contenta per renes attrahitur, est materia vrinæ. In hoc autem hæ duæ aquositates differunt, quod illa tenuior est, & in corporis ambitu, & substantia continetur, hæc vero crassior, & ad intra vasa colligitur; quæ ambæ licet substantia, & loco differant, tamen in materia communicant, quoniam vtræque ex eadem aquositate ad nutritionem inhabili generationem habent. Hæc eadem aquositas ea ratione, qua est vehiculum sanguini,

guini, pariter est vehiculum cuicunque humori, cuius ratione facilius permeare, expurgari, & excerni per proprios meatus, & per propria vase queat. Ex hac enim humores pariter ac sanguis diluuntur, tantaq; huius aquositatis ad hunc vsum est necessitas, vt omnia fiant prçter naturam, ac prauæ essentiæ ea deficiente. Nam hinc sanguis crassior redditus non modo est minus fluxibilis, verum etiam sibiipsi viam præcludens obstructiones vasorum causat, propriamq; benignitatem deperdit. Pituita autem viscosa, & tenax, & præter id, vbi magis hac aquositate exhauriatur, tophacea euadit, bilis ed-uritur, succus melãcholicus in atram vertitur bilē. Ex aduerso autem si hęc aquositas copiosior, quam ex naturæ præscripto existat, omnium prædictorum humorum vis retunditur: quare sanguis erit serosior, pituita aquosior, bilis pallidior, & succus melancholicus valde dilutus. Ex qua occasione putredini valde obnoxia erant, qua superueniente fiunt febres, quæ vel per lotium, vel per sudorē solui consueuere, quoniam tunc ea aquositas vi caloris innati deuicta per alteram, vel per vtramq; eorum euacuationem excernitur. Per lotium excernitur, vbi solum ad intra venas retineatur. Per sudorem autem, vel si materia est in ambitu totius corporis, vnde vi caloris innati excludatur, vel si, vbi est ad intra vasa, ad extra venas, cuius ratione fiunt rigores, & horrores, transmittatur, & inde ad porositetes cutis transmissa per sudorem expelletur. Tales sudores, scilicet qui fiunt transmisse materia à venis ed extra vasa, fiunt omnes ex morbifica causa, cum natura ex hac stimulata reuret materiei peccantis euacuetionem. Huiusce qualitatis sunt, qui fiũt in febribus ardētibus, in tertianis. in quartanis, & aliquando in quibusdam quotidianis, & qui etiam fiunt copiosi ex somno sine præcedenti causa, vel qui ex somno ob alimoniæ superfluentem copiem, & qui fiunt in suppuratis, aliisque similibus causis. Qui vero fiunt ex euacuatione materiæ aquosæ solum in ambitu corporis, non intra vesa existentis, possunt quidem habere morbificā causem, non tamen omnino hinc necessario pendent, quoniam solo naturæ beneficio nulla morbifica causa instante causari possunt. Hæc autem omnia intelligantur de spontaneis sudoribus, & de his, qui fiunt, dum aquositates illæ in humoribus insitæ expurgantur. Nam præter hos alii sunt sudores à causa externa causeti, sicuti ex motu, ex nimia exercitatione, ex mora in loco calidiori, & aliis consimilibus causis, qui proficui esse possunt, dum aquositatem in embitu corporis residentem euacuant. Si autem vltra hanc ex caloris superinducti violentia aquosam quoque humorum partem excernant, superflui sunt, & non modo superflui, verum etiam edmodum noxii, si eam supra modum disperdant, qui supre modum, ac maxime noxii erunt, vbi pręcedentes & corporis substantiā quoque dissoluentes eam per sudorem excludant. Huiusce qualitatis solent etiam fieri sudores spontanei, colliquata vel humorum vel corporis substantia, qui sudores fiunt vel ob ingentem caliditatem, vel ob prauam morbi qualitatē, humores aut corpus ipsum colliquantem, & ideo tales sudores sunt meli, & lethales, quia hinc absumitur corpus, & hinc vires dissoluuntur. Tales autem sudores non habent pro meteria aquositatem illam, quę pro vehiculo humoribus data est, sed humorum ipsorū, & carnis, ac solidarum partium substantiā, & ideo ab hac consideratione excludantur, sicuti & excludendi sunt illi, qui fiunt ex superfluo motu, ac ex superflua, immoderataque exercitatione, vel ex diuturna in aere calidiori mora. His autem exclusis, concludendum est materiam sudoris esse aquositetem eam, quæ pro vehiculo deta est alimentis, & quæ vel in ambitu corporis contenta, vel à venis ad extra venas transmissa per cutis meatus insensibiliter educitur.

117 *Quicunque morbi in iudicatoriis diebus indicantur, & febriles ignes demittit, in his de pituita, & bile, quod tenuissimum est, eliquatur, & secernitur, & secedit partim extra corpus, partim intus, & isthic in corpore relinquitur, partimque caliditate attenuatur, & vapor fit, & cum spiritu permixtum foras procedit. Atque hac quidem huiusmodi sunt, & ab l[illegible] dor generatur.*

QVONIAM ad febres sæpius subsequuntur sudores, ideo cum actum sit de causis febris, cõsonum erat egere de causis sudoris, & docere, qua ratione fiant in febribus. Fiunt in febribus sudores multipliciter, alii enim sunt lethales, quales sunt colliquatiui, & qui frigidi apparent in acuta febre, alii sunt insalubres, non tamen lethales, quales sunt qui fiunt in particularibus febrium interpolatarum accessionibus, alii sunt salubres, quales sunt ij, qui morbum aliquem indicantes eundem perfecte soluunt. Illi dicuntur insalubres, quia ex morbo prouenientes morbum non soluunt: isti autem salubres vocantur, quia à morbo dependentes eundem perfecte indicant. De his vltimis hic agit Hippocrat. reiectis illis primis ab hac consideratione, quæ tamen pro parte secundis adaptari potest. Inquit autem sudores hos salubres fieri in febrium declinatione, & in statis ac certis diebus, quæ duo pertinent ad tempus. Quo autem ad modum, ait fieri, cum id, quod in pituita, & bile, id est, in humorum peccantium massa est tenuissimum, (id autem est aquositas illa, per quam diluuntur) eliquatur, id est, alteratur, & coquitur vi caloris, & postea alteratum & concoctum secernitur vi facultatis segregatricis, qua eliquatione, & separatione, id est, qua coctione, & segregatione eius aquositatis facta, pars extra prodit, pars intus remanet, quoniam non omnis equositas inde absumitur, & aliqua eius portio intra vasa, & in ambitu corporis retinetur, & alia eius pars ad vias vrinæ transumitur. Quæ autem extra, id est, ad corporis superficiem prodit, præ caliditate attenuatur, & fere in vaporis formam redigitur, ex que actione, cum multus spiritus excitetur, (ex motu enim & calore hic multiplicatur, & generatur,) hic

pro-

porrumpens, & cutis spiracula ob sui tennitatem, & calorem adaperiens, secum aquositatem illam in vaporis vicem redactam perducit, quæ aquositas extra cutim perducta & firmata, est sudor, cuius quærimus modum, & generationem. Huic similem habet sententiam antbor libri de flaribus, qui ominium terũ causas spiritui referens dicebat, spiritum per meatus carnis penetrantem compactum in aqua transmutari, & inde ad extra protumpere eodem plane modo, quo à feruentibus aquis vapor eleuatus condensatur, si obstaculum habeat, ad quod impingere possit. Sed res aliter se habet, quoniam non solius spiritus motus, sed etiam materiæ aquosæ præsentia ad hoc requiritur, quæ vi facultatis segregatricis, & expultricis agitata, & in cute firmata, sudorem ipsum format, ac constituit.

118 *Quare vero quandoq; calidus, quandoq; frigidus est, ita contingit.*

SVDORES in febribus fiunt triplici modo, & ratione, nam alii fiunt in febris inuasione, & totã accensionem, ac totum morbum semper concomitantur, alii superueniunt in morbi, aut febris in determinata parte, alii in sola declinatione contingunt. Qui totam accensionem, & totum morbum concomitantur, fiunt vel in particulari febriũ genere, vel in quibusdam acutis morbis. Illa eius generia febres appellabat Hipp. lib. 2. Epid. in principio, à continuo sudore sudoriferas, libr. autem 5. vltra medium, & libr. 7. text. p. sudorosas, vel sudatorias. Tales febres antiquitas ab humiditate cõtinua vocabat Elcodes, vt habet Gal. libello aduersus Lyeum, quarum etiam lib. 7. Aph. com. 43. meminit. Quæ febres inter prauas recensentur, tum quoniam sudor, qui febrem non soluit, non est ꝓbandus, tum quia habent fomitem iusitum, videlicet cõtinuatam illam euacuationem ad dissoluendas vires aptam. Cuius ratione dictum est ab Hipp. lib. 4. Aphor. 42. sudor multus calidus, vel frigidus, semper fluens, frigidus magis, calidus minus significat morbum: morbum, id est, ægritudinem grauem, & periculosam. Nam si intelligatur Aphorismus ad mentem Galeni de sudoribus, qui in toto morbi tempore sine iudicatione apparent, liquet tales sudores non iudicare morbum simpliciter, cum ex morbo prodeant, sed morbum, id est, magnam, & vehementem ægritudinem significare. At forsan Hipp. (mea quidem sententia) non loquitur in eo Aphorismo de sudore in ægris, & decumbentibus facto, sed de eo, qui in his fit, qui nõdum ægrotant, licet in morbum procliues sint, sicuti etiã loquebatur in præcedente Aphorismo, dum sermonem haberet de sudore in somno facto, qui duo casus non in ægrotantibus, sed in sanis pariter verificantur. Sicut enim ille sudor, si non fiat ratione plurimi cibi assumpti, indicat corpus euacuatione egere: ita hic sudor in sano semper fluens, ac continuus, significat morbum superuenturum esse, cum talis casus ex causa morbifica pendeat. ad quem sensum in libro de iudicationibus hæc habentur: Sudor multus sponte oboriens sano morbum significat, æstate minorem, hyeme maiorem.

Sed vtcunque sit, sudor semper fluens, siue in sanis, quoniam morbum futurum prænunciat, siue in ægris, quoniam grauem, & periculosam ægritudinem esse denotat, omnino malus est. Horum sudorum in hisce febribus triplex est causa, scilicet vel colliquatio, vel prauitas materiæ, vel eiusdem copia. Ex colliquatione succedunt sudores diaphoretici, non humores tantum, sed etiam carnosam quandoque corporis substantiam vi caloris ignei absumentes. Ex materiei prauitate, dissoluto & laxato corpore, humiditates tam excrementitiæ, quam naturales per corporis porositates ob naturæ irritationem, & laborem excluduntur. Ex eiusdẽ copia multa præsto adest materia, quæ vniuersum irrigans habitum, sudori continuo continuum fomitem subministrat, quamuis ea crudior, nec à natura euicta existat. Ex hac causarum diuersitate apparet, huiuscemodi febres, licet omnea malæ, & vt inquit Hipp. lib. 2. Epid. in principio, cunctæ iudicatu difficiles sint, non tamen omnes in periculo pares esse. Nam pessimæ omniũ sunt, q̃ ex colliquatione fiunt, cum hinc vniuersus habitus vi ingenris caloris absumatur: his minus prauæ sunt, quæ à prauitate materiæ pendent, cum in his non concurrat aut humorum, aut carnium colliquatio. Minime autem omnium malæ sunt, quæ ex materiei peccantis copia gignuntur, quoniam nec in his est colliquatio, nec mala qualitas, sola autem adest cruditas, quæ omnino euacuationi est infesta. Huiuscemodi sudoriferę febres, quæ ex copia materię pendent, solent præcipue fieri in pluuiosis constitutionibus, quoniã ex his multa humiditas in corpore aggregatur, & hoc potissimum sub æstatis ardoribus. Vnde hoc animaduertens Hipp. loco citato libr. 2. Epid. dicebat: In ardoribus siccitatis febres maxima ex parte absque sudore contingunt. In his autem, si semper roranerit sudatoriæ magis fiunt in principio. In tertia autem eiusdem libri lectione narrans constitutionem in Perintho factã, hæc habebat: Sub roribus autem æstate fientibus apparuit sudor in febricantibus, & quidem sudores statim à principio fiebant. Quoniam autem ex hisce sudoriferis febribus, tanquam omnium prædictarum mitissimis, plurimi in Perintho saluabantur, ideo subiungebat, non tamen maligno modo, id est, non ad mortem tales febres, qualesnę, quæ ex colliquatione, & prauitate materiæ pendent, & quales istæ ex propria natura esse deberent, terminabantur. Tales etiam fuisse illas febres sudoriferas, de quibus libr. 5. & libr. 7. Epid. per eadem fere paucis mutatis verba meminit, censendũ est. Nam cum post canem aduentante autumno factæ fuerint, credendũ est in autumni principio facta aeris permutatione pluuias quasdam superuenisse, ex quibus in corpore aggregatis, & putrescentibus pluribus humiditatibus febres, sudorosę factę sint, quæ non per sudorem refrigerarentur, quinimo nunquam intermittentes in suis periodis supercalescerent, & longe extenderentur. In his autem sitis ingens non aderat ob præsentiam copiosæ humiditatis, indicium vero fuit rutum, quia in his absente colliquatione, & mala qualitate sola relinqueba-

batur copiosa humiditas à natura per coctionem deuincenda & superanda, quæ quoniam copia & quantitate diuersa erat, ideo etiam in diuersis subiectis diuerso tempore terminabantur: in quibus enim parcior erat materia, septimo aut nono die; in quibus autẽ copiosior, vndecima, & decima quarta, in quibus vero adhuc multo magis copiosa abũdabat, in decima septima, & vigesima terminabantur. Quæ febres licet in enarrata constitutione fuerint salubres, non est tamen quod hinc colligas, omnes sudoriferas ex materię copia tales esse, nam ex sui natura prauæ sunt, & raro in sanitatem terminantur. Quæ terminatio, quoniam fuit illis febribus, & ea in constitutione peculiaris, ideo ea, tanquam singularia quædam de illa constitutione ab Hipp. narrata sunt. Et hæc de prima illa sudoris conditione, quæ in hoc febrium genere contingit. Similem continuum sudorem dixi quandoque etiam aliquos morbos acutos concomitari, cuius exemplum habemus lib. p. Epid. sect. 3. tex. 24. in Crasino, qui morbo acutissimo detentus (præcordia enim vel inflammatione vehementi, vel insigni erysipelate deprehensa erant) febrẽ perpetuo cum sudore habuit, ex qua in primo quaternario (licet in quinta videatur obiisse) expirauit. Tales vidi ego plures ex viscerum inflammatione, aut erysipelate factas, quæ continuum ac concomitantem sudorem habentes, sæpius ad necem, raro ad salutem terminatæ fuerunt. Huius sudoris non colliquatio, non materiæ qualitas vel quantitas est causa, sed solus naturæ labor, ex quo eadem emergunt symptomata, quæ ex immoderata, & supra vires facta exercitatione succedunt. Talia sunt sudores, & virium dissolutio, quæ ambæ casum lethalem esse significant. Et hæc de sudoribus continuis, continue morbum aut febrem concomitantibus. Qui autem superueniunt in indeterminata aut morbi, aut febris parte, vel quoquo pacto decretorie, vel pure symptomatice eueniunt; non enim simpliciter decretorie hi apparent, quoniam tales in vniuersali totius morbi declinatione, non in parte indeterminata, cum eiusdem morbi solutione apparent. Si pure symptomatice hi eueniant, habent easdem causas, quas superiores, nam fiunt vel ex colliquatione, vel ex prauitate materiæ, vel ex eiusdem copia, vel ex labore naturæ, qui sudores, cum non soluant febrem, aut morbum, sunt mali: decretoria enim non decernentia, aut difficile indicium, aut recidiuam, aut mortem significant: & ideo dictum est ab Hipp. libr. 4. Aph. 16. febricitanti sudor superueniens, febre non deficiente, malum. At cum postea subiungit; Protogatur enim morbus, & multam significat humiditatem, non integre (quod nec animaduertit Galen.) omnia persequutus est; vnicam enim sudoris superuenientis causam, scilicet multitudinem considerauit, cum tamen vltra copiam possit superuenientis sudoris esse causa, tum colliquatio, tum prauitas materię, tum etiam in nõnullis morbis naturæ labor. Quod autem hinc protogetur morbus, nec etiam verificatur, nisi in sola humiditatis peccantis, quæ sudorem faciat, copia. Nam quia ex colliquatione, aut ex prauitate materiæ, aut ex naturæ labore inducitur, non tantum morbum non prorogat, sed etiam ipsum cito, si copiose fluxerit, terminat, cum hinc corpus absumatur, & vires dissoluantur: corpore autem absumpto, & viribus dissolutis, necessario morbus morte superueniente cito terminabitur. Si autem decretorie, non quidem simpliciter, quia sic in perfecta declinatione esset morbus, sed medio modo apparet sudor superueniens, tunc fit natura quidem ex parte dominante, non tamen in totũ deuincente. Quo casu fit iudicium imperfectum, & quo potest aliqua subsequi morbi alleuiatio, non tamen perfecta solutio, quod iudicium imperfectum inde procedit, quoniam natura materiam morbificam alterans & concoquens ab eius vel copia, vel qualitate ad excretionem ante materiei peccantis perfectam coctionem irritata ad eius explosionem insurgit. Quo casu finem non assequitur, quoniam materia pro parte ratione cruditatis reluctatur, licet pro parte deuincta sit. Qui naturæ motus, licet non in totum laudandus, nec tamen etiam in totum improbandus erit, quoniam stante virtutis robore poterit supra residuum facilius ad eius coctionem insurgere. Et hæc de sudoribus, qui indeterminate in indeterminata morbi parte superueniunt. Qui autem in sola declinatione contingunt, in duplici sunt differentia, alii enim in declinatione febrium vniuersali, alii in declinatione febrium particulari eueniunt. Qui fiunt in vniuersali febrium declinatione, omnes sunt boni, & salubres, cum ex his vel soluatur morbus, vel eius solutio euidentior, & facilior, & magis absoluta reddatur; nullus enim patientium in vniuersali morborum à materia sparsa pendentium declinatione vi ægritudinis, & nullo interueniente errore mori potest, quod attestatur, indicia eo tempore facta omnino salubria esse, quæ indicia si fida, nullamque recidiuæ suspicionem retinentia futura sint, in diebus criticis superuenient. Ex quo dictum est ab Hippocrat. lib. 4. Aphorism. 36. sudores febricitanti si inceperint boni, & tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo, & quarto decimo, & septimo decimo, & vigesimo, & vigesimo septimo, & trigesimo quarto: hi enim sudores indicant morbos, qui vero non ita fiunt, significant & morbi longitudinem, & recidiuam. His autem hoc addatur, quod hi sudores decretorie apparentes ex toto corporis ambitu prodeant, qui enim ex singulari parte exudant, laboriosi vt plurimũ esse solent. Qui vero in particulari febrium declinatione fiunt, non omnes eiusdem sunt rationis; nam alii sunt boni & salubres, alii sunt mali aut lethales, alii medii. Boni & salubres sunt illi, qui insequentes naturam morbi, sicuti qui fiunt in tertianis intermittentibus, quarum peculiare est per sudorem terminari, febrem cum virium tolerantia, & ęgri conferentia soluunt, licet morbum nõ integre tollant. Mali simpliciter sunt illi, qui in particularibus febrium continuarum declinationibus apparentes nec febrem soluunt, nec alleuiationem morbo præbent. Mali autem & lethales simul sunt illi, qui non tantum non sol-

uunt febrem, nee morbum alleuiant, sed etiam vires labefactant, & corpus cum mala ægri tolerantia dissoluunt: hinc enim concussis viribus æger facile morbo soccumbet. Tales sudores non tantum in periodis febrium continuarum, sed etiam in nonnullis pure intermittentibus tertianis fieri obseruaui, quæ cum prauam retinerent naturam, & singulo quoque paroxismo declinante, ex copioso sudore vires cum mala ægri tolerantia labefactarent, tandem in singularis paroxismi declinatione parientes viribus concidentibus interimeruut. Medii sunt illi, qui non insequentes naturam morbi in declinatione singularium febrium superueniunt, sicuti qui fiunt in quotidianis, & quartanis febribus, in quibus non fiunt sudores ex propria morbi materia, cum ea sit crassior, sed ex serositate adiuncta, & in his supergeoita vel ratione cruditatum soperuenientium, vel ratione serosioris alimenti præsumpti. Tales autem sudores non sunt mali, cum ex his vires non labefactentur, sed nec simpliciter boni, aut salubres, quia non per hos soluitur, aut declinat febris, sed declinante febre corpore tunc laxato, & calore remittente, excluduntur non tanquam materia morbum faciens, sed tanquam materia superfluens, & abundans, quæ præsto existens in sudorem soluitur. Hi autem sudores, qui tot modis in febribus comparere solent, quandoque sunt calidi, quandoque sunt frigidi. Calidi, vbi in vniuersali totius morbi declinatione appareant, simpliciter boni sunt, quoniam fiunt dominante natura, & viribus morbum superantibus. Qui autem in paroxismorum particularium declinationibus contingunt, si eadem ratione fiant, boni etiam sunt, sin aliter, non boni, aut mali erunt, qui vero in quacunq; alia aut morbi, aut febris parte, præterq̃ in declinatione contingunt, omnes mali sunt, quoniam hi non ex dominio naturæ, nec superato morbo, sed aut ex colliquatione, aut ex materiæ prauitate, aut ex eiusdem copia, aut ex labore naturæ contingunt; nisi forsan fiant in imperfecta crisi, dominante quidem natura, non tamen penitus deuincente, quo casu non erunt mali.

Frigidi sudores, qui data casus paritate calidis sunt semper deteriores, vbi contigerint in quacunque alia morbi parte, quam in declinatione, semper mali sunt, quoniam ex iisdem causis, ex quibus calidi mali prodeuntes generantur, fiunt, nisi, vt dictum est de calidis, hi accidant in imperfecta crisi, quo caso si non simpliciter boni, nec etiam simpliciter mali erunt; qui tamen semper mali sunt, vbi toto tempore morbi apparentes sine iudicatione eueniant, quem casum licet experientia rarissime fieri testetur, tamen eum possibilem esse Galen. lib. 4. Aph. com. 42. admittit. His autem deteriores, ac admodum lethales sunt illi, qui in acutis vel morbis, vel febribus fiunt, quoniam ex deteriori causa, quam præcedentes, & quam omnes calidi generantur. Sed vnde habent sudores, quod sint aut calidi, aut frigidi? Caliditatem habent aut à materia, aut ab agente. A materia quidem vbi sit calida, qualis est bilis, & sanguinis serum. Ab agente, vbi aut vi caloris insiti, aut vi caloris præter naturam excludnotur. Nam calor agens ac superans materiam, licet frigidam, quales sunt pituitæ & succi melancholici serosæ partes, alteratur ad calidum. Frigiditatem autem habent vel à materia, vel ex defectu agentis. A materia sane, vbi adeo sit frigida, vt nec à calore agente siue naturali, siue præter naturam ad calidum alterari queat. Ex defectu autem agentis hoc habent, vel vbi calor, qui sit præter naturam, in eam materiam agens non sit adeo in gradu intensus, vt dominium supra eam habeat, vt contingit in mitioribus febribus, à frigidioribus succis pendentibus: in his enim calor non est tantus, vt materiam peccantem possit actuali caliditate statim calefacere. Quapropter tempus diuturnum ad eius coctionem, & inde ad eam calefaciendam requiritur, qui casus longis, non breuibus morbis est peculiaris, vel vbi calor insitus in parte sudante ex violentia caloris ignei interiora perurentis extinguatur. Quo casu cum partes extimæ vitalem spiritum, & calorem insitum deperdant, & inde, licet interiora à deurenti calore insitum calidum expugnante, & deuincente perurantur, admodum refrigerentur, non potest sudor, licet vi caloris vehementissimi interna perurentis excludatur, non frigidus statim euadere, cum in partem ex natiui caloris extinctione frigidam recipiatur. Qui casus cum in acutis morbis contingat, non solum est lethalis, verum etiam mortem instare prænuntiat. At sciendum est non modo in febribus, in aliisque particularibus morbis fieri sudores vel calidos, vel frigidos, sed etiam in multis, qui nullo detenti morbo à continuo, & diuturno sudore siue frigido, siue calido tantum infestantur. Quo casu qualitas sudoris vtplurimum à sola pendet materia, quæ si calidior sit, calidos; si frigidior, frigidos parit sudores, nisi in frigida materia aliquando concurrat intemperies iecoris, ac totius calidior; quo casu sudor non erit penitus frigidus, licet materia sit frigida. Tales sudores, qui continue & per longum tempus affligerent patientes, pluries vidi, & plurimos modo calidos, modo frigidos curaui, qui omnes euasere, quoniam huiuscemodi sudores licet non sint boni, non tamen vllum vitæ discrimen, si recte curentur, inferre possunt. De his sudoribus, qui extra febres, & morbos eueniont, hoc in loco non agit Hippocrat. nec etiam de omnibus illis, qui vel in morbis, vel in febribus quomodocunque accidunt, agere intendit; sed de illis tantum, qui in morborum, & febrium vniuersali declinatione fiunt. Qui cum pariter tam calidi, quam frigidi, & vtrique salubriter apparere possint, de vtrisque tractaturus est, cum eius sudoris, qui febres iudicare, & soluere consueuerit, causas quærat & declaret.

119 *Calidus quidē de supercalefacto malo, & exusto, & attenuato, & debili & non valde multo secernitur, & necesse est ipsum calidiorem ex corpore excerni.*

CALIDI sudoris calida debet esse materia, quoniam omnia propriam generationem attestantur; calida inquam vel ratione propriæ naturæ, vt est bilis, vel adscititiæ, vt est pituita putrescēs & à calore naturali deuicta. Quare si calidus debet prorumpere sudor, qui febrem soluat, necesse est, vt ex materia siue ex propria, siue ex aduentitia natura calida, & præter id exusta, & attenuata eleuetur. Talis præcipue est biliosa, potissimū dum putrescit, cæteræque omnes, vbi putredinem insignē sensere, nam putrescentes vi caloris extranei calefiunt, & exuruntur, vi autem caloris insiti concoquuntur, & attenuantur. His autem incalescentibus, & exustis, & attenuatis, non potest non secerni humiditas, & aquositas calidior, quæ sudorem firmans calidiorem ipsum reddit. Hæc eadem subiecta materia, à qua eleuatur hic sudor calidus, debilis & non multa esse debet. Porro debilis, quia debet cedere calori agenti, & calefacienti, & attenuanti: cedet autem si nec ratione substantiæ, nec ratione qualitatum ita reluctetur calori, vt ab eo impressionem recipere possit: quare nec crassior, nec frigidior erit (cuius ratione debilis ab Hipp. vocatur) alias non incalesceret. Non multa autem, quia quæ in minori mole sunt, facilius, quæ in maiori, difficilius alterantur. Hæc materia, à qua eleuatur hic sudor, dicitur ab Hippoc. mala, non quia malum sit aut signum, aut causa, sed quia ab ea morbus, à quo actionū læsiones, & omnia symptomata mala dependent, producitur, ab eaq; mala plurima in ægrotantium detrimentum succedant.

120 *Frigidus autem de ampliore malo secernitur, & de eo, quod reliquum est, & adhuc validum, & nondum putrefactum, neq; attenuatum, neq; exustum, & frigidior, & crassior, & graueolentior prodit.*

OPPOSITORVM oppositæ sunt causæ. Vnde sicuti calidi sudoris materia, à qua eleuabatur, erat calida, exusta, attenuata, debilis, & pauca: ita ex aduerso frigidi sudoris materia erit multa, valida, non exusta, nec admodum calefacta. Multa est, cum copia abundat, valida, cum frigidior est, crassa ob substantiæ crassitiem, non exusta ob humiditatis copiam, quam retinet, nec admodum calefacta, quia nondum putredinem sensit notabilem, nec à calore insito est integre alterata, aut calefacta. Quorum omniū ratione fit, vt sudor prorumpat frigidus (eleuatur enim ex materia frigidiori, quæ à multo calore nondum perpessa est,) & crassus, quia materia est eiusdem rationis, qui graueolens aliquando prodit non ratione ingentis putredinis conceptæ, sed ob excrementitiæ humiditatis copiam superfluentem. Nam graueolentia sudoris duplicem potest habere causam, altera est putredo notabilis & ingens, cuius ratione in excretione excrementorum, à graueolentia ad putredinem arguimus, vt in febribus fit pestilentibus, cæterisque similibus morbis, in quibus humores putrescant, altera est copia excrementitiæ humiditatis, quæ sine putredine graueolentiam excitare potest, vt apparet in his, qui in axillis, & pedibus naturaliter, dum nullo implicati morbo degunt, fœtidum sudorem exudant. Non enim in his vlla est putredo, sed sola copia excrementitiæ humiditatis, quæ non ex morbosa causa putredinem inducit, sed quia plurima, & non perfecte à natura decocta aut concocta per motum, & calorem ita alteratur, vt graueolentiam concipiat. Huius igitur secundæ causæ merito sudor frigidus potest esse graueolens, videlicet non quia ingentem senserit putredinem, quoniam hinc quoquomodo incalesceret, sed quia in materia, à qua eleuatur, multa adest excrementitiæ humiditatis superfluitas, quæ sine putredine potest graueolentiam excitare. Nec quis asserat graueolentiam putredinem includere, aut graueolentiam supra putredinem necessario arguere, quoniam in putrescentibus quidem graueolentia maiorem putredinem arguit, vnde in morbis, qui putredinem pro fomite habent, ex graueolentia excrementorum ingentem, ac insignem adesse putredinem arguimus, non tamen simpliciter ex graueolentia putredinem arguere possumus. Quid enim magis fœtet, quam stercora hominum, delicatis & optimis cibis vtentium, quæ tamen non ex putredine, quia sic morbosa essent, sed ex propria materia fœtent? Quot etiam sunt & plantæ, & gummata, & fossilia, quæ ex sui natura male olent, cum tamen nec putrida sint, nec vnquam putredinem senserint? Quare non est, quod à graueolentia quis ad putredinem simpliciter arguat, sed tantum hinc in putrescentibus rebus verificatur. Hæc enim dum putrescunt, si graueoleant, ex maiori graueolentia maiorem adesse putredinem indicabunt, vnde in frigido sudore, qui frigidus, & fœtidus simul prorumpat, de putredine non est suspicandum, tum quia si notabilem putredinem materia, ex qua eleuatur, passa esset, omnino incaluisset, tum quia habet alteram secum graueolentiæ manifestam causam, videlicet copiam excrementitiæ humiditatis, quæ sine putredine grauem, & malum odorem innebere apta est. Hæc autem graueolentia si in calido contingat sudore, vbi fiat ex putrescente materia, maiorem putredinem indicabit. Si autem non ea fiat ratione, nec etiam hoc simpliciter indicabit, sed copiam tantum huius excrementitiæ superfluitatis, vel per incoctionem, vel per corruptionem, vel per edulia assumpta ita alteratæ: cuius ratione in multis corporibus valetudinariis, in leprosis, in scabiosis, & in his, qui acria edulia in vsu habent, sæpius sudores graueolentes prorumpere, & abundare conspicimus.

121 *Manifestum autem ex hac re fit. Qui frigidum sudorem exudant, è longis morbis plerunque*

ægrotant, inualescente malo eo, quod in corpore relinquitur. Qui vero calidum sudorem excludunt, citius à malo liberantur.

PRÆDICTAM confirmat sententiam ex morborum successu, dicens, hinc manifestum fieri, quod sudores frigidi causentur ex materia frigidiori, quæ nondum sufficienter putruit; calidi autem ex materia calidiori, quæ insignem putredinem patiatur, quoniam illi morbi, in quibus frigidi sudores superueniunt, sunt longi, illi autem, in quibus fiunt calidi, breuiores plerunque existunt. Ratio clara est, quoniam materia frigidior morbos longos facit, tum quia tarde mouetur, tum quia lente putrescit; calidior autem morbos breues cōcitat, tum quia velociter mouetur, tum quia cito putrescit. Quare si materia, quæ facit morbos longos est frigidior, frigidos sudores non immerito producet, & quæ breues causat, calidos rationabiliter causabit. Aduertatur autem, quod in hac confirmatione non amplius loquitur Hipp. de sudore, qui morbum soluat, & in sola declinatione contingat, sed de eo, qui in quocunque alio morbi tempore fiat. Nam hoc verum est, quod ratione materiæ sudores appareant frigidi in morbis, & in febribus, quæ diu prorogari debent, cum hæ pendeant à materia frigidiori (quod intelligatur de sparsa, non conculcata materia,) appareant autem calidi in his febribus, quæ breui terminabuntur, cum hæ à calidiori generentur materia, cum tamen in declinatione febris à materia frigidiori pendentis nihil aliquando prohibeat succedere sudores calidos, cum ea materia fuerit alterata, concocta, & perfecte deuicta à natura, & inde sufficienter percalefacta.

122 *Pleuritis & Peripneumonia fiunt hoc modo.*

QVONIAM de suppuratis agens monuit tū pleuritidem, tum peripneumoniam quandoque in suppurationem terminari; ideo ad declarandū tam affectionem, quam locum affectum, vtrarumque generationem, & progressum, & terminationis modum declarare aggreditur.

123 *Pleuritis quidem, cum potiones aceruatæ, & fortes valde corripiunt. Percalescit enim totum corpus, ac humectatur à vino, maxime autem & bilis, & pituita percalescit, ac humectatur.*

PLEVRITIS est inflammatio (per inflammationem intelligendo omnem calidum tumorē) mēbranæ costas succingens. Cuius quærens Hippocrat. generationem, & generationis causas, ordditur more Antiquitatis à causis euidentibus, & procatarcticis, dicens, tunc fieri pleuritim, quando patientes multas, & validas potiones sumpserint, à quibus corpus incalescat, & humectetur. Per potationes autem multas intelligit non aquæ, sed vini, & in eodem sensu intelligebat lib. 7. Aph. 7. dicens: A multa potatione rigor, & desipientia malum, per fortes autem, & validas intelligit vini potentis potus. Quæ sententia videlicet, quod pleuritis inducatur ex potu multi, aut potentis vini, non solum penes Hipp. pro vera habetur, verum etiam penes vulgares ita vulgaris est, vt penes ipsos nihil vulgarius existat, quam pleuritim causari ex potu vini aut multi, aut vinosi. Et hoc non sine ratione, cum à vino incalescat totum corpus, præcipue autem pituita, & bilis, quibus incalescentibus & humectatis, id est, fluxibilibus factis, facile fluunt sanguis, ac humores, & inflammationem in loco, in quem declines ruunt, faciunt. Nominat antē præcipue suo more solito pituitam, & bilem, quoniam semper per hæc duo omne humoris genus, scilicet tam frigidum, quam calidum intelligere voluit.

124 *Et sane his commotis ac humectatis, contingit, vt rigor inuadat ebrium, siue sobrium. Et cum latus natura carne nudū sit præ omnibus corporis partibus, & non sit in ipso quicquā, quod renitatur, præter ventriculi cauitatem, maxime rigorem percipit. Et cum riguerit, ac perfrigeratum fuerit, tum caro, quæ est in latere, tum venæ contrahuntur, ac conuelluntur. Et quantum in ipsa carne inest bilis, ac pituita, aut in venis, quæ in ipsa carne sunt, id magna ex parte, aut totum secernitur, introq; compellitur ad caliditatem carne extrinsecus condensata, atq; id ad latus affigitur, & dolorem vehementem exhibet, & percalescit, & per caliditatem trahit ad se ipsam à vicinis venis, ac carnibus pituitam, ac bilem, atq; hoc sane modo fit.*

HVMORES, vbi ex multa potentis vini potatione percaluerint, & fluxibiles facti fuerint, ad motum concitantur. His autem concitatis, ac commotis, & per corporis ambitum peruagantibus, solent rigores succedere, tam in ebriis, id est, in his, qui multam vini generosi copiam hauserunt, quam in sobriis, id est, in his, qui nullam vini potationem fecerunt, dummodo ex alia causa, vtpura ex violenta exercitatione, vel ex alia simili occasione humores incaluerint, & commoti fuerint. In rigore autem, ad humorum fusionem & commotionem succedente, solent thoracis partes laterales maxime pati. Nam cum ex rigore totum corpus refrigeretur, latusque ipsum ex propria natura carne denudatum magis, quam cæteræ partes, existat, nihilque in ipso sit, quod resistat, cum ab interna parte nihil ei hæreat, sed sola thoracis cauitas adsit, hinc fit, vt ipsum latus rigorem & refrigerationem maxime sentiat, quo rigente, ac refrigerato, cum frigidi sit adstringere, & condensare, tum caro, quæ est in latere, tum venæ, quæ sunt in eodem, contrahuntur, & conuelluntur. His autem contractis & conuulsis, quicquid aut in ipsa carne, aut in venis, quæ in ipsa carne sunt, existit, totum secernitur, & ad interiores partes tanquam calidiores, & inde magis laxatas, vtpote exterioribus partibus

bus ex frigore, & rigore condensatis, transmittitur. Quod, hi in latus transmissum, id est, in membrana succingēte receptum, & affixum fuerit, inflammationem causat, & vehementem dolorem ob partis tum sensationem, tum continuum motum exhibet, ex qua inflāmatione, & dolore latus, ac membrana illa incalescens à viciniis tum venis, tum carnibus trahit confluentes humores, indeque perficitur, & augescit pleuritis. Hæ igitur penes Hipp. sunt pleuritidis tum causæ, tum generationis modus, circa quæ hæc notanda erunt. Primò, quod licet tanquam causa pleuritidis euidens ponatur vini vinosi præpotatio multa, quoniam ab eo incalescunt, fluxibiles fiunt, & commouentur humores, non hæc vt sola recipienda venit, quoniā quæcunque alia, quæ parem sortiri effectum queant, pariter causæ pleuritidis intelligenda sunt, quales sunt exercitia valida, & motus corporis vehementes, & hoc præcipue, vbi post motus, & exercitationes subita corporis refrigeratio successerit, inde enim illud idem, quod ex rigore fieri dictum est, pariter succedit. Secundo notandum, quod ex cōmotione & fusione humorum, ita in generatione pleuritidis solent rigores causari, vt raras pleuritides videamus, quæ à rigore non inceperint, quod signum ego ita obserno, vt minime fallax mihi videatur. Tertio notandum est, quod vbi ex occasione externa ortum habeat pleuritis, ad mentē Hippocrat. ante inflammationem factam præcedit aliqua thoracis affectio, quæ consistit in illa contractione, & conuulsione carnis, ac venarum non internarum, sed externarum, & earum simul, quę per musculos intercostales, & per canaliculos costarum perrepant. Hinc enim videntur ob præcedentem refrigerationem exprimi humores ad internam partem, & membranam afficere, qua male affecta, indeque inflammata, fit pleuritis.

125 *Vbi vero ad latus affixa putruerint, & per sputum reiecta fuerint, sani fiunt. Si vero & antiquum multum affixum fuerit ad latus, & aliud insuper accesserit, statim pereunt, præ salina copia expuere nequeuntes, aut suppurati fiunt, & partim pereunt, & partim euadunt. Indicium autem hac de se præbent in septem diebus, aut nouem, aut vndecim, aut quatuordecim.*

TRIPLICEM solutionū pleuritidis modū alias diximus esse, quorum primus est per coctionē & purgationem, secundus per corruptionem, tertius per suppurationem. Nunc eas Hipp. explicatis causis, & generationis modo, solutiones pleuritidis recensens enumerat, dicens, quod vbi humores ad latus, id est, in pleura affixi fuerint, triplici modo potest hic morbus solui, scilicet vel quia humores putrescant, id est, concoquantur, (per putredinem enim coctionem vt alias notant, sæpe intelligit Hippocrat.) & per sputum reiiciantur, quæ est legitima, vera & saluberrima pleuritidis solutio; vel quia humoribus morbum facientibus per nouam fluxionem aliis superuenientibus, indeque ob nimiam & copiam, & conculcationem excrementis exire nequeuntibus, pars affecta à morbo deuincatur, & corrumpatur, ex qua statim, id est, non prorogato morbo vltra terminum acutorum, pereunt, quæ solutio est omnium deterrima; vel quia non concocta, nec per sputum reiecta materia, nec etiā à parte affecta inde superata, & deuicta, ea ad suppurationem vergat, in eamque terminetur, quę solutio est media, quoniam ex hac nonnulli pereunt, nonnulli euadunt. Pereunt ij, in quibus suppuratio fit in inflammationis vigore, & augmēto, & ij, in quibus debito tempore suppuratione peracta, aut eruptio, aut puris purgatio nec in conuenienti tempore, nec conuenienti modo facta fuerit. Euadunt illi, qui debito tempore suppurantes, omnia ad puris qualitatem, eruptionē, & purgationem requisita, de quibus actum est superius, habuerint. Horum autem iudicia non suppurationis (quia eius iudicationes in longiora tempora, vt superius explicatum est, reseruantur) sed solutionum pleuritidis vel per coctionem, vel per corruptionem, vel per permutationem ad suppurationem fiunt, vel in septima die, vel nona, vel vndecima, vel decima quartā, qui omnes dies sunt contemplabiles, & manifesti, ac certi iudicii. Nullius autē diei vltra decimā quartam meminit, quoniam hæc dies est terminus morborum simpliciter acutorum, qui enim morbi ex his ad vigesimam pertingunt, vel vltra progrediuntur, vt factum apparet in pleuritide Anaxionis, non retinent naturam simpliciter acutorum, sed aliqua in parte, & quoquo pacto ab eis declinant. Nec etiam meminit vllius diei intra septimam, quia vix vnquam reperias pleuritidem intra septimam terminasse, quoniam licet sit morbus acutus, non tamen est peracutus. Si quæ tamen ante septimam terminabit, hæc per mortem, non per salutem soluitur, quoniam dies critici in acutis morbis hanc vim habent, vt ægrotantes, qui ex morbo euasuri sunt, hoc in diebus indicatoriis, & per certa iudicia consequantur, cum ad morbi veram ac legitimam solutionem coctiones, & excrementorum separationes, & excretiones, quæ omnia statim fieri nequeunt, requiruntur. At vbi perituri sunt, cum hinc nec coctio, nec excrementorum separatio, nec purgatio aut euacuatio expectetur, intra dies illos ad salutē statutos perimi, & interimi possunt. Quare infra septimam, si vlla pleuritidis solutio ponenda erit, hæc potius ad interitum, quam ad salutem declinabit.

126 *Dolorem quoque inducit ad humerum, & ad claniculam, & ad alas hac de causa. Vena, quæ splenitis appellatur, tendit à splene ad latus, à latere vero ad humerum & sinistram mammam. Hepatitis autem ad dextras partes eodē modo, & cum huius in latere pars à rigore contracta fuerit, & sanguis in ipsa horruerit, ad alas, & claniculam, & humerum concedit, & conuellit, ac dolorem inducit. Eodem modo & loci circa dorsum ab affixo ad latus humore pi-*

à splene, hæc à liene ortum proprie ducat, quoniam vnica est vena magna spinam perreptans, à qua tam dextrarum quam sinistrarum partium omnes pariter venæ ortum suum referunt, sed illa dicta est à splene, id est, è regione splenis, hæc ab hepate, id est, è regione hepatis tendere, illa in latus sinistrum, hæc in dextrum, quoniam lien in sinistris, hepar in dextris locatum est; in quorum respectu illa splenitis, hæc hepatitis dicta est. Dolor autem ad dorsum pertingit, Inquit Hipp. eadem ratione, scilicet, quia venæ rigentes sanguinem, ac humores peccantes ad dorsum protrudunt, quo in loco incalescentes & feruentes, ac inflammationem communicantes dolorem pariunt, pleuritidem ex dorso, de qua lib. 3. agetur, causantes. Hoc idem fieri, vbi dolor ex latere declinans in partes infra septum transuersum existat, eadem ratione ex Hipp. censendum est, scilic. quia ex venis rigentibus & contractis propellatur materia extra thoracis limites infra septum transuersum ad hypochondria, quæ materię motus si per puram fieri debet expressionem, difficile est imaginari, quando à venis thoracis ad hypochondria pertranseat. At si huic materiæ ex propria eius natura fluxibilitas, motus, concitatio, & virtutis irritatio addatur, facile erit imaginari, quomodo vagans ab vno loco ad alterum permeare queat, Qui casus est casus turgentis materiæ, quæ licet motus principium per expressionem habuerit, tamen ex sui natura facta mobilis per se vagans & turgens dici potest, cum per eum motum non amplius intra propria conceptacula retineatur, sed hinc inde fluens ad alias partes conuertatur. Hæc eadem materia, quę pleuritidē faciebat, non solum extra thoracem ad partes septo transuerso proximas, sed etiam ad valde longinquas quandoque transmittitur. Nam per venam, quæ à ramo venæ sine pari ad emulgentem sinistram pertingit, materia pleuritim faciens transmittitur ad vesicam, & per fluxum vrinæ educitur ac purgatur, quo casu lotium est multum ob materiæ copiam, & biliosum, id est, supercalefactum & mordax ob caliditatem, quam ex inflammatione contraxerat. Quæ pleuritidis purgatio & solutio sicuti rara est, ita non dicitur ei propria, quare nec inter eius tres principales solutiones est enumerata, sicuti nec ea numeratur, quę per sudorem, vti factum in Anaxione videmus, pleuritim indicat & decernit. Quod autem subiungit Hipp. Arbitrantur huius morbi causam ac principium rigorem esse, innuit seipsum non eius esse sententiæ, vt censeat simpliciter verum esse, rigorem solum esse causam & principium pleuritidis, sed hanc ab eo relatam esse, tanquam communem & acceptam ab antiquioribus medicis sententiam, quæ licet peruera ab Hipp. supponatur, non tamen vt sola pleuritidis causa acceptanda esse innuitur.

127 *Peripneumonia fit cum commota ac calefacta pituita ac bile, pulmoq́ præ caliditate traxerit in seipsum de vicinis locis ad ea, quæ sunt iam in ipso, & percalefacit quidem totum corpus, ac dolorem exhibet, maxime autem dorso & costis, & humeris, ac spina, nimirum ab ipsis in seipsum attrahens plurimam humiditatem, & supersiccantur hæ partes, & nimium calescunt.*

Qvid sit peripneumonia, quæ eius causæ, à qua materia fiat, qua ratione differat ab erysipelate pulmonis, alio loco explicaui, quare non est, quod hoc in loco eadem repetam. Superest igitur, vt solum Hipp. literam exponam. Sicuti pleuritidis generationis modum; & solutionum formas explicauit Hipp. ita peripneumoniæ generationem & solutiones explicare intendit. Generatio huiusmodi est; commota & calefacta pituita & bile, id est, fluentibus & supercalefactis humoribus tum frigidis, tum calidis, & tam crassis quam tenuibus, pulmo prę calore aliqua ex occasione seu externa, seu interna concepto, ex vicinis locis ac membris trahit in seipso prædictos humores ad ea loca, quæ in eius substantia sunt, id est, tam in vasa propria, quam in propriam substantiam. Attractis autem his humoribus, & firmatis in pulmonis substantia necessario inflammatur pulmo, quo inflammato, quoniam inflammationes partium principalium, vel cum principalibus consortium habentium, febres concomitantur, febris succedit, ex qua vniuersum incalescit corpus. Quæ inflammatio sicuti ex feruore concepto est in causa febris, ita ex colligatione, quam habet cum partibus circumstantibus ob membranarum colligantiam, dolorem parit in dorso, costis, humeris, & spina, nimirum quoniam his Inflammatio & calor cum per continuitatem & per contactum, tum mediantibus membranis communicatur. Et hoc eo magis, cum pulmo ipse ex prædictis partibus præ caloris vigore ex inflammatione resultante attrahat plurimam humiditatem, vel saltem absumat, cuius merito cum ipsæ supersiccatæ & supercalefactæ reddantur, non possunt non dolere ob excessum vtriusq; intemperiei, ac immoderantiæ, scilicet caliditatis & siccitatis. Et hæc de generatione peripneumoniæ.

128 *Postquam autem attraxit in seipsum, & tum bilis, tum pituita sedem in pulmone occupauit, putrescit, ac suppuratur. Et siquidem in diebus indicatoriis putrefacta per sputum reiecta fuerit, æger superstes euadit. Si vero & ea, quæ ab initio aduenerunt, susceperit, & alia insuper accesserint, & neq; spuens, neq; putrefaciens superarit, præ copia eorum, quæ insuper accedunt, vtplurimum moriuntur. Si vero ad dies peruenient duos & viginti, & febris remittat, & in his per sputum purgati non fuerint, suppurati fiunt. Fiunt autem maxime ex his, quibus & pleuritis, & peripneumonia vehementissima existit.*

Sicvti pleuritidis triplex est solutio, sc. per coctionē, p corruptionē, & p suppurationē: ita pariter peripneumoniæ totidē sunt solutiones. Nā a-

lia fit per coctionem superante natura, alia fit per corruptionem partis superata natura: tertia fit per suppurationem partim superante, partim superata natura. Nam in suppurationibus natura superat, & superatur simul, facta media alteratione inter coctionem & corruptionem. Nam ex parte, qua natura non prædominatur materiæ, nec eam per coctionem euincere potest, superatur à materia: ex parte autem, qua natura materiam coctioni rebellem euincit, eandem in puris substantiam conuertens, eam superat: quare motus iste erit medius inter illa duo extrema. Hos tres solutionis modos intendés explicare Hipp. incipit à primo, qui fit per coctionem, & inquit: vbi pituita & bilis, id est, humores fluentes siue calidi, siue frigidi, & siue tenues, siue crassi simul permixti obsidentes pulmonis substantiam, & inde eam inflammátes putruerint, ac suppurarint, id est, per coctionem deuicti fuerint; & in diebus (quoniam coctio in morbis, potissimum autem thoracis & pulmonis ad sanitatem non sufficit, quoniam præter eam requiritur etiam materiæ coctæ purgatio & excretio) decretoriis materię per coctionem deuictæ, per sputum reiectæ & expurgatæ fuerint, tum æger superstes ex hoc morbo per primum solutionis modum euadit. Secundus modus est per corruptionem, hac ratione factus, vbi pulmo ea, quæ ab initio morbi in eum fluxerunt, susceperit, aliaque de nouo ad eandem iterum fluxerint partem, quę neq; per coctionem superentur, neq; per sputum educantur. Eo casu pereunt ægrotantes præ copia nouæ fluxionis, pulmonis vasa & substantiam penitus obstruentis, tũ suffocati, tum in substantia pulmonum corrupti, qui est secundus solutionis modus. Tertius erit, vbi morbus ad viginti duos dies non soluta febre, sed tantum pro parte remissa, nec materia peccante per sputum excreta, imo penitus retenta prouenienś in suppurationem terminatur. Terminatur autem in suppurationem, quia perseuerétia febris indicat morbum adhuc vigere, remissio vero indicat eam deperdidisse acutiẽ, nec mortis discrimen instare, nihil autem per sputum purgatum fuisse significat materiam nondum euictam esse. Si autem materia non est euicta, nec morbus fit solutus, & febris perseueret, omnino materia peccans per suppurationem alteratur. Dixit autem: Si morbus ad viginti duos dies peruenerit, non quia ea die expectet iudicium, quia expectans iudicium dixisset ad viginti vnum, qui penes Hippocratem in hoc opere, & in li. epid. ponitur, vt alias notaui criticus, sed quia ad indicandam hanc instantem suppurationem expectanda est vigesima secunda dies, vt omnium dierum criticorum, qui morbos acutos iudicare apti sunt, quorum vltimus terminus est vigesima, aut vigesima prima dies, habita consideratione, nulloq; in eis iudicio apparente aut perspecto, habeamus certum suppurationis argumentũ. Nam si hic morbus vel salubriter vel lethaliter, prout est acutus, soluendus est, intra spatium viginti duorum dierum, id est, antequam vigesima secũda accedat dies, solutionem in aliquo dierum præcedentium critico recipiet. Quo termino elapso, & vigesima secunda die accedente, si adhuc febris quidem, sed remissa perseueret, nihilq; per sputũ expurgatum sit, arguendum est morbum ad suppurationem verti, qui est tertius solutionis modus, ac medius inter illos duos primos tãquam extremos. Talia autem tertius modus per suppurationem factus, proprie inquit Hipp. contingit in his, qui vehementissima vel pleuritide, vel peripneumonia correpti sunt. Leuiores enim facile discutiuntur, & facile soluuntur: vehemẽtiores autem vel ad mortem, vel ad suppurationem terminantur. Ad mortem illæ terminantur, quæ per corruptionem partis affectæ finiuntur, in quibus febres necessario vsq; ad finem acutæ, & vehementes perseuerant, in suppurationem autem illæ, in quibus post dies criticos febres remittuntur, & nihil interim per sputum expurgatur. Quapropter illæ pipneumoniæ, quę in suppurationem terminantur, necessario inter vehementiores recensendæ veniunt. Hanc autem suppurationem non intelligas eam, per quam dicebat peripneumonicos saluari, vbi materia morbum faciens putrescat & suppuretur, & postmodum per screatum expurgetur, quoniã per putrefactionem & suppurationem (vt iam notatum est) intelligebat Hipp. materiei peccantis coctionẽ, cum hanc quandam esse putrefactionem & suppurationem existimauerint antiquiores medici, sed audias eam, per quam suppurati patientes dicuntur, vbi materia morbum faciens in pus conuersa & permutata fuerit.

129 *Fit autem & peripneumonia & pleuritis sine sputo ambæ ex eadem causa, & præ siccitate. Siccant autem & calida, vbi nimium calefaciunt, & frigida, vbi nimium frigefaciunt: congelatur autem latus, & quæ sunt in ipso vena, & conuellitur, & quantum in ipso inest pituitæ aut bilis, id à caliditate resiccatur, & dolorem inducit, & à dolore febrem.*

NVLLA est pars inflammata, ex qua nisi operculo duriori sit circumtecta, vel cute spissa circumdata existat, non resudet à materia inflammante aliqua sanies vel ichor. Vnde fit, vt ex ore, narib. faucibus, stomacho, intestinis, ventriculo, atq; omnibus visceribus, vbi inflammatione deprehensa sint, semper aliquid resudet ac effluat. Hoc pariter euenit inflammato pulmoni, ac membranis intra thoracis cauitatem existentibus, cuius ratione fit, vt natura ad tussim percitata per sputum saniem eam ex inflammata parte resudantem excernat, & quoniam talis est sanies, qualis est materia, ex qua resudat, ex sanie illa per sputum excreta certum semper habemus signum materiei peccantis. Verum quoniam aliquando contingit, vt materia inflammationem pariens sit adeo vel crassa, vt euenit peccante sanguine crassiori, siue ex pituitæ crudioris & crassæ, qualis est vitrea, mixtione, siue per adustionem tali facto, vel viscida & tenax, vt fit abundante pituita lenta, vel conculcata, vt fit in prauis inflammationibus, in quibus materia adeo conculcatur, vt in vnum coacta & compacta vix perspiratum habeat, quoniam, inquam, contingit aliquã-

do, vt

do, vt materia inflammationem patiēs sit adeo vel crassa vel viscida, vel conculcata, vt nihil inde resudet, hinc fit, vt fiant pleuritides, & peripneumoniæ cum tussi quidem, quia natura irritatur ab inflammatione, sed sine sputo, quia cum nihil resudet, nihil etiam per tussim excreabitur, quare tussis erit sicca, & morbus erit sine sputo. Talis etiā potest esse & tussis & morbus, licet aliquid resudet, vbi materia resudans summe citra coctibilitatem, vt ait Hipp. lib. 1. reg. acu. tex. 33. glutinosa existat, hinc enim sputum non procedit, inhærente admodum ea materia parti inflammatæ, vnde fit, vt grauior casus reddatur. Nam sputum illud adhærens spiritus ad interna dilationem prohibet, prohibens autem cogit spirationem multam & frequentem fieri, hæc vero facta frequens sputum magis viscosum & lentum reddit, atq; ita vtramq; mutua opera sibi inuicem opitulantia in grauissimum discrimen ęgros deducunt, hinc facta peripneumonia, aut pleuritide sine sputo. De his agens Hipp. hoc in loco, quoniam dixerat ex ipsis vel mori ægrotātes, vel suppuratos fieri, nisi per sputum materia peccans expurgaretur, causas talium morborum explicate intendit, non coniunctas, non immediatas, sed more antiquorum magis remotas enarrans. Has autem in duo genera distinguit, quorum alterum est proximius, alterum magis remotum. Causa proximior, inquit Hipp. est siccitas, quoniam cū morbus, qui humidus esse ob excrementorum eductionem esse debet, fiat siccus his retētis, omnino siccitas retentionis sputi causa erit. Sed quo pacto inducitur hæc siccitas in his morbis? Quando materia peccans, vel quia sit crassior, vel quia sit viscidior, vel quia sit valde conculcata, ad extra resudare non potest. Quod a. non resudet & resiccetur morbus, causas magis remotas apponit Hip. dicēs, hāc siccitatē inducere calida, vbi nimiū calefaciētia humores exurūt, & inde eos crassiores reddunt: frigida a. nimiū frigefacientia humores condensant, & inde eos admodū crassos, viscidos & lentos faciunt, vtraq; autē, cum per excessum agant, cōpingūt materiam in loco affecto, & eam admodū conculcant. Hunc modum explicans Hip. ait, q ab his cōgelatur & conuellitur latus, & cum eo venæ, quæ in ipso sunt, id est, cōculcatur materia in latere affecto & in venis, quæ in ipso sunt, in qua conculcatione humores contenti ob caliditatem ex putredine supeninductam resiccantur: resiccati autem resudare nequeunt, ex quo dolorem augmentantes, febrē simul cum dolore maiorem pariunt, hac autē maiori facta, simul dolor & febris inualescunt. Quo casu nisi medicus ægrotanti vel purgatione, vel venæ sectione pro vtriusq; exigētia, sicuti loco citato & ab Hip. & à Gal. habetur, cōsulat, præcipitē morbus agit ægrum in mortē. Purgationis a. & sectionis venæ solius meminere, non quin alia remediorum genera sint administranda, sed quia hæc præcipua sunt, & quia sine his reliqua omnia incassum administrantur.

130 *Huic autem venam secare conducit in manu, splenitidem appellatam, aut hepatitidem, iuxta vtram sane fuerit morbus. Atq; sic dolor mollior fit, & lateris & aliarum partium. Nam vena & quantum in ipsa est bilis, ac pituita, & ipsius sanguinis ægrotantis diffunditur, & à calefactorius forinsecus adhibitis, ita vt morbus per totum corpus dispergatur. Vocatur autem hæc pleuritis sine sputo.*

DIu conflictatum est inter medicos, quæ vena in pleuritide, scil. an eiusdem lateris affecti, an opposita secanda veniat, tandem autem doctiorum consensu conclusum est, eam, quæ è directo loci patientis sita est, non oppositā aperiendā esse. Ratio & experientia hanc sententiā confirmant. Ratio quidem, quoniā rectitudo vasorū, consensus dextrarū partium cum dextris, & sinistrarum cum sinistris, & cōmunicantia venarum interiorū thoracis cum axillari eiusdem partis faciunt ad hoc, vt per hanc venæ sectionem simul totum corpus exinaniatur, & simul ac semel à loco affecto euacuetur, quæ duo indicantur, ac valde proficua sunt in hoc morbo. Experientia a. quoniā per hanc sectionē dolor celerius, q̄ ex opposita, omniaq; alia accidentia cedunt. Hoc a. attestante ratione & experientia, Hip. (quē si antiquiores medici, præcipue autē Arabes animaduertissent, non adeo ancipitis & periculosæ sententiæ, qualem protulerunt, fuissēt) iubet venā q̄ est è regione lateris patientis secandā esse, dicens, splenitidem aut hepatitidem, id est, aut sinistram, aut dextrā basilicā (nam vt superius notaui, basilicam sinistrā splenitidē, dextram vocat hepatitidem, quia illa è regione splenis, hęc è regione hepatis existit, non quod illa à splene, hæc à iecore ortum ducat) aperiendā esse, iuxta vtrā sane fuerit morbus, id est, ex ea parte, in qua fuerit morbus, ita vt si latus sinistrū sit affectū, sinistra basilica, si dextrum, dextra aperiatur. Hanc sententiā ex successu, ac experientia comprobat, dicens: hinc molliorem fieri dolorē lateris, & aliarum partiū, sc. ei consentientiū, id est, siue dolor ad iugulū, siue ad dorsum, siue ad mammā, siue ad aliā partē extendatur, etiā harū partiū dolor hinc remittitur. Ratio est, inquit Hip. quoniā hinc locus affectus laxatur, demittente parte affecta humorē eā affligentē: nā per hanc venæ sectionē materia impacta pro parte educitur, & à loco affecto euacuatur: pars vero, quæ ea educta relinquitur, per potiones cōcoquentes, per fomēta laxantia, & per medicamēta propria discutiēda venit. Dum a. discutitur, partim per sputū sensibiliter educitur, partim per totū corpus dispergitur, & illa per sputū educitur, quia cocta per tussim reiicitur, hæc s. in totū dispergitur corpus, quia p reuellentia retrahitur ad vniuersum ambitū, & fusa ad intra venas dispergitur, vnde non amplius morbū faciens salutis est causa. Sed si duo sunt ad tollendum dolorem principalia remedia, scilicet, purgatio, & venæ sectio, vt ex libr. 1. reg. acut. textu 33. superius adnotauimus, cur Hippocrat. solius venæ sectionis, non autem purgationis hoc in loco meminit? Quia dum materia vno in loco circumscripta continetur, nec vagans aut turgens existit, qualis hoc in morbo esse præsupponitur,

non

non est pharmaco deturbanda, nisi concocta fuerit, quæ cum talis à principio esse nequeat, nec etiam à principio tentanda pharmaco venit. At nutu alio tempore purgatio in pleuritide, præterquam ea declinante, vel concocta materia existente, administranda venit, numne tanquam teuulsoria quandoque conuenit? Dum materia est cruda (siue sparsa, siue in certo loco firmata) regulariter pharmaco electiuo non est tentanda: si tameo in pleuritide, firmata iam fluxione, nec accidentia nec morbus remittatur, declinanoq; protrahatur, non erit inconueniens pharmacum exhibere. Et hoc potissimum vbi praui succi abundent, quoniam tunc reuellens à loco affecto, potest morbum tuolliorem reddere, qui expurgationis modus conuenit etiam, vbi suppurationis fit suspitio, sicuti innuit Hipp. lib. 2. Prognost. tex. 52. ad eam euitandam & præcauendam. In qua expurgatione si humores peccantes sint biliosi, & à bile, & à calidioribus humoribus pleuritis pendeat, cauenda sunt ea, quæ facile in bilem conuerti possunt, qualis præcipue est Manna, quæ quia habet mellis naturam, & dulcedinem insignem obtinet, facile bilescit, & facillime accenditur, cuius tamen vsus frequens est, licet non tutus penes multos medicinam communiter facientes. Sed in morbis grauibus & periculosis suspecta vitentur, noxiaque ad tale tu vsum haudquaquam administrentur, cum plurima alia ad hanc eandem opportuna intentione suppetant & abundent.

131 *Peripneumonia vero, cum pulmo etiam ipse superresiccatus fuerit, & quantum in ipso inest bilis aut pituitæ, neq; putrefacit æqualiter, neq; per sputum reddit, & quantum in ipso est humiditatis aut à potu, aut à sorbitione, aut à vicinis locis, hoc totum exurit præ nimia siccitate & caliditate. Huic potiones bibere conducit, à quibus pulmo humectatur, ac sputum reiicit, si enim sputum non reiecerit, & durior fit, & concrescit, & hominem perimit.*

Eadem quæ de pleuritide siue sputo dicta sunt, de peripneumonia veniunt dicenda. Nam hæc pariter sine sputo, quemadmodum pleuritis, fit, vbi materia inflammationem causans sit vel crassior, vel viscidior, vel admodum conculcata, quorum ratione nulla inde sanie resudante, peripneumonia sine sputo redditur. Huius euentus causam Hipp. pariter ac pleuritidis censet esse siccitatem, videlicet cum pulmo ex validiori inflammatione supra modum ob nimium feruorem inde contractum superresiccatur. Resiccatur autem, quoniam & quod in ipso est humoris, nec concoquitur, nec per sputum excreatur. Coctio enim & excreatio ad humectationem faciunt, & quod in ipso est vel naturalis humiditatis, vel humiditatis à potu, aut à sorbitionibus, aut à vicinis locis contractæ, à nimia & superabundanti pulmonis siccitate & caliditate absumitur. Quapropter in tanta visceris resiccatione (præmissa venæ sectione, de qua superius in curatione pleuritidis sermo factus est, reliquisq; propriis huius affectus medicamentis administratis) plurimū bibere conuenit, potiones autem sint actu & potentia humectantes, vt pulmo inde humectatus possit saniem resudare, & eam resudantem per sputum reiicere. Nam nisi humectetur, nec saniem resudare, nec sputum reiicere potens, ex impacta & valde conculcata materia fit durior, vnde more scyrri concrescens, ac sibimetipsi vias spiritus præcludens, tandem hominem suffocat ac perimit.

132 *Febris ardens corripit magis biliosos, corripit item pituitosos.*

Egit Hipp. de pleuritide, & de peripneumonia, non vt de eis principali intentione ageret, sed consequutine, cum eius propositum fuerit in hac sectione de suppuratis agere, cumque suppurati maxime fiant ex pleuritide & peripneumonia, ideo de his ambabus eorum occasione tractauit. Pariter quoniam febrium ardentium quandoque fit transmutatio in peripneumoniam, de qua actū est in gratiam suppuratorum, ideo de febre ardenti hoc in loco agit in gratiam peripneumoniæ, dicens, febrem ardentem corripere tam biliosos, quā pituitosos habitus, verum potius biliosos, quam pituitosos. Sed cur dixit illos potius, quam hos à febre ardenti deprehendi? quia cum febris ardentis signa pathognomonica fiant summū incendium, & summa sitis, hæc duo à bile potissimum & vehementius causantur, vnde causus exquisitus dicitur ille, qui fit à bile. Qui autem fit à pituita, licet sit incensiuus, & siticulosus, non tamen tantum habet incendium, nec tantam sitim, vt qui à bile. Nam ratione aduentitiæ qualitatis in materia peccante, non autem ex propria eius natura, vt prouenit ex bile, fiunt in tali febre incendium & sitis, & ideo dicitur potius causus per analogiam ad illum, quā per se, cuius ratione non dicitur simpliciter causus, sed causus nothus, sicut ille dicitur exquisitus. Qui exquisitus est, fit ex putrescente bile vel in venis magnis solis prope cor, vel in iisdem, & in omnibus aliis simul, vel in hepate, vel in ventriculo, vel in pulmone, vel in alio quolibet viscere, & ideo ratione materiæ & loci, in quo putrescit, potest summum incendium, & summam sitim parere. Qui autem nothus est, fit ex putrescente pituita, non quacunque, sed ea tantum, quæ salsa existat, quæ pituita ratione basis & fundamenti est frigida, ratione autem aduentitiæ qualitatis salsæ, quam ex puttedine concepit, est calida, & ideo quidem feruorem & sitim, non tamen adeo in sutumo, sicuti bilis ex propria natura totaliter calida, inducere valet. In his non, sicuti in illis apparent excretionis biliosæ siue per vomitum, siue per secessum, sed ratione pituitæ solum deiectiones aquosæ, tenues & crudæ, nullo facto vomitu. Huiusce modi febres vagabantur in Perintho, vt narratur ab Hip. lib. 2. epi. sect. 3. in pr. quæ licet essent molestissimę, & satis protrahentur, non tamen erant penitus lethales, quemadmodum ipse testatur, dicēs: Neq; omnino sub hac constitutione moriebantur. Quare videntur hæ censendæ minus periculosæ, quā biliosi, cum biliosi causi his sint acutiores & vehementiores.

tiores. Mihi tamen experientia & ratio oppositum dictant. Experientia quidé, quoniam vidi plures ex causis à pituita salsa pendentib. peremptos, quã ex causis à bile. Ratio a. quoniã cũ pituita salsa sit humor ex propria in alienam naturam transmutatus, coctioniq; ac alterationi inde satis rebellis existat, difficilius q̃ bilis à natura deuincitur, cuius ratione fit, vt omnes morbi à pituita salsa pendentes sint curatu difficiles, & remediis opportunis parum cedentes, hincq; omnes fere, qui à morbis acutis ab huiuscemodi pituita genitis deprehenduntur (vt longa experientia obseruaui) pereant, vel cum maxima difficultate saluentur, omnibus his pariter à sæuissimis symptomatibus conflictatis. Vnde qui pleuritim à pituita salsa pendentem patiuntur, immani lateris dolore, & supra quam ex aliis causeter humoribus, cruciantur. Tales igitur sunt causi nothi. Exquisiti autem licet vehementes & acuti admodum, indeq́ue valde periculosi existant, si recte curentur, non ita rebelles alterationi aut coctioni sunt: quare facilius cedent, & falius soluentur, nisi bilis peccans sit syncera per consumptionem propriæ humiditatis, nisiq́ue exusta fuerit: nam à synceris humoribus omnes morbi sunt malefici. Hi auté exquisiti causi non omnes pares sunt, quoniam aliqui sunt synceri causi, ex puta & syncera bile (per synceram bilem hic audio non quæ exustionem passa, aut proprio ichore destituta, sed q alteri humori non est admixta) pendentes: alii a. nõ synceri, nec ita germani, ex bile quidé n, non tamen synceriori, sed vel ex temperamento, vel ex alterius humoris mixtione immissa facti. Hi parem curandi rationem requirunt, cum in essentia paré sint sortiti naturã, licet per magis & minus differentem, nõ tamen à natura easdem solutiones & crises recipiunt. Nã quæ germanæ sunt, & simpliciter synceræ, per sanguinis nariũ fluxũ indicari solent; quæ a. nõ sunt synceræ, nequaq̃; conueniunt tamẽ in indicio per sudoré facto, quorũ neutrum solet esse propriũ causis nothis, eũ hi potius per abscessus & excretiones iudicétur, q̃ per sanguinis nariũ fluxũ, vel p sudoré. Cum igitur ita differant hi duo causi, & ille q à bile, exquisitus, qui a. à pituita pendet, nothus dicatur, cumq; ille summum incendium, & sum̃am sitim, q̃ duo sunt peculiares characteres febris ardẽtis, habeat, hic a. horũ neutrum in summo retineat, iure dictum est ab Hip. febré ardenté magis corripere biliosos, q̃ pituitosos, id est, ea febris ardens, q̃ fit à bile putrescẽte in habitu bilioso, est magis ꝓprie ardens, q̃ ea, quæ fit ex pituita putrescente in habitu pituitoso. Sed nũ omnis febris ardẽs pendet ex putredine vel bilis, vel pituitæ salsæ, vel num datur aliud febris ardentis genus, ꝙ in alterũ ae diuersum à bile & pituita putrescenté humoré suam referat generationé? Si per febrem ardenté verũ causum intelligim⁹, nulli fit dubiũ ab his duob. humorib. tantũ causari eam. Si a. per ardenté audiamus omnem febré, quæ summũ accendat caloré, & quæ fit ex deurentium genere, sub ardentiũ nomine etiam synochas, & potissimũ eas, quę à principio vsq; ad solutioné semper similes perseuerãt, cõprehendemus: hę a. sunt deurentes, & peracutæ, vt docuit Gal. lib. 2. de cris. c. 6. cum tamen non ex putredine aut bilis, aut pituitę, sed sanguinis, vt docuit libr. 9. meth. c. 4. & lib. 6. epid. sect. 1. com. 2. pendeant. At si hæ febres fiunt ex sanguine putrescente, cur loco citato lib. 2. de crisib. dicuntur hæ febres à Gal. biliosæ? Per biliosam febré eo loci nõ intelligit Gal. eã quæ à bile est, sed quę summũ accendit caloré, paré, vel similé ei, qualem accendit bilis: quare ratione magni incendii, ꝙ facit in similitudiné ardentium, ab eo dicitur biliosa. At ex aduerso dices, imo dicitur biliosa, quoniã putrescente sanguine, & accẽso immoderato calore, hic sanguis in bilis naturã transmutatur. ꝑterea dicitur biliosa, quoniã cũ tria tantũ sint febriũ putridarũ genera, vt lib. citato de cris. c. 6. cap. 9. & c. 12. sæpe inculcatur à Gal. quorũ vnũ à bile, alterum à pituita, tertium ab atra bile pendeat, cum nec in pituitam, nec in atram bilé putrescẽtem possit referri, necessario ad bilem putrescenté referetur, cuius merito biliosa dici debet. Verũ ad hoc sciendũ est, sanguinem putrescentem, dum nõ tanta in eo accenditur putredo, vt propriam naturam conseruare queat, sub forma sanguinis putrescere, indeq; synocharũ febriũ aliquod genus causare, in qua putrescentia eũ accendatur in sanguine calor, moderato & naturali maior, dicit̃ hæc febris quodammodo non simpliciter biliosa, quoniã sicut sanguis à moderato fit calore, bilis a. ex maiore q̃ sit moderatus, vt habetur lib. 2. de nat. facul. c. 8. generetur, ita in putredine sanguinis accẽditur calor moderato & naturali adeo maior, vt fit deurens. Ad quod respiciens Gal. lib. 2. de cris. c. 12. dicebat: Quę enim ex sanguinis putredine fit, quodammodo biliosa est. Dixit a. quodam̃odo, quoniam nõ vere biliosa est. Quod a. sanguis putrescens in bilis naturã transeat, nõ est vndequaq; verum, quoniã nisi conculcatus in loco particulari putrescat (ad qué sensum semp loquutus est Gale. cum de tali agit transmutatione) vel summum incendiũ patiatur, cuius merito lib. 2. de diffe. feb. c. 10. dicebat: Quod si sanguis supra modũ afferuet, pars quidem eius subtilior ac pinguior omnino in flauam conuertitur bilem, quæ a. crassior, in atram. Nunq̃ sanguis putrescens in naturã bilis transmutatur, sed ꝓpriã naturam seruans febriũ synocharũ, pro ratione diuersitatis obstructionũ varias profert differentias. Quæ synochæ febres nõ sunt appellandę biliosæ, vt ad vnũ illorũ trium generum simpliciũ febriũ reducãtur, quoniã Gal. triplex tantũ febrium putridarum esse genus asserens, loquitur de illis tantũ, q̃ periodicationes habent, quales habet tertiana, quartana, & quotidiana; synochæ a. nihil periodicationis habent, & ideo nec ad earũ differentias deduci debẽt. Nec est, quod dicas, non esse tantum tria febrium putridarum genera, cum lib. 1. epid. sect. 3. Hip. meminerit & quintanæ, & septimanæ, tum quoniam Gal. has non admittit, tũ quoniam harum est rarissimus vsus. Qua de re cõcludo febré synocham improprie in ardentium recenseri numero, hancq; ex sanguine putrescente fieri, sicuti fiunt vere ardentes ex sola aut bile, aut pituita salsa putrescente.

133 *Corripit a. hoc modo: Cum bilis cõmota fuerit per corpus, & contingit vt vena & sanguis attra-*

bant

hant bilem, eamq́ plurimam ex carnibus ac ventriculo ad eum, qui prius inest, vtpote cum etiam natura calidissimus sanguis in corpore existat: cum itaq; percaluerit ex carnibus, & ventriculo supra eum, qui iam inest, adhuc magis à bile percalefacit etiam reliquum corpus.

FEBRIS ardentis generationis modus, qui hoc in loco explicatur, idem est cum eo, qui traditur lib. 4. reg. acut. in pr. videlicet, quod febris ardens fiat, cum venę ex carnibus & ventriculo biliosos ichores traxerint, qui postea ad intra eas putrescentes febrem excitent. In carnibus & ventriculo generantur biliosi, & acres ichores ex aeris constitutione calidiori, ex immoderato labore, ex longa naturalis potus abstinentia, vel ex potionis præternaturalis, quales sunt aquæ marinæ, & salsæ assumptione, ex ira, ex vigiliis, ex vsu ciborum praui succi, & præcipue salsi, ex aliisque similibus occasionibus. Quibus generatis, si venæ sint arefactæ & exiccatæ, vt pręcipue fit sub æstiuo sole, per vim naturalem attractricem, quę non ex ratione, sed naturaliter operans, quæ præsto sunt, indistincte attrahit ex carnibus & ventriculo humores biliosos, & acres ichores in seipsas transsumunt, qui ichores & succi biliosi accendentes sanguinem, qui sui natura calidissimus est, feruorem in eo faciunt, indeq; febrem ardentem excitantes totum corpus calefaciunt, & summam sitim, & summum incendium in eo inducunt. Hunc febris ardentis generationis modum pariter hic, & in lib. 4. reg. acut. traditum explicauit Hipp. non tantum volens, ita vt per eum solum fiant causi, sed tanquam exemplar, ad docendum bilem in venis feruentem esse harum febrium immediatam causam: siue enim ex causa externa abundet, siue ex interna peccet, dummodo in venis contineatur & ferueat, nihili refert quoad constituendam huius febris essentiam.

134 *Et quædam sane partes præ multa humiditate penitus resiccari non possunt, si vero resiccatæ fuerint, homo moritur. Externæ vero corporis partes, vtpote natura sicca, resiccantur, & plurima humiditas ex ipsis exuritur, & si ipsas contingere velis, frigidas comperies & siccas. Quapropter his, qui à febre ardenti corripiuntur, internis quidem partibus à febri exuruntur, exterius autem frigida sunt, & lingua ac fauces ab interno spiritu ac caliditate exasperantur & arescunt.*

PER hunc textum respondet Hipp. tacitæ obiectioni. Nam cum statutum sit febrem ardētem generari, cum venæ à carnibus attrahunt bilem, quæ postea in venis putrescens, & summam sitim, & summum incendium inde causans huiuscemodi febrem inuehit, videretur potius ex aduerso dicendum, quod partes carnosę & exteriores, vtpote magis à causis externis exiccatæ, deberent potius ipsæ attrahere à venis, & præcipue ab internis, vtpote ex copia & humiditate succorum non arescentib. quam quod venæ, vtpote humidiores attrahant à carnibus tanquam partibus ex propria natura sicrioribus. Ad hoc respondens Hipp. inquit: Quod ex partibus corporis nostri quædam sunt, quæ prę innata & copiosa ab ortu ingenita humiditate, quales sunt viscera principalia, & pariter venę internæ maiores, nec penitus resiccari, nec resiccatæ vitam conseruare possunt. Nam cum vita consistat in calidi & humidi innati conseruatione, hoc autē in viscerum penetralibus vigeat, manuteneaturq; ex sanguinis, qui in venis maioribus, & in visceribus existit, copia, non potest absumi harum partium humiditas, quin simul cum ea etiam vita aboleatur. Stante autem hac viscerum & internarum venarum propria, & connaturali, ac ad vitam necessaria humiditate, cui dubium, cum natura omni conatu sui conseruationem tentet, quod si aliqua ex parte exhauriantur venæ, & simul cum his corporis extremæ ac extimæ partes, quod potius venæ, vt validiores, & ex necessitate naturæ attrahent à carnibus, quam carnes, vtpote debiliores, & non ex necessitate naturæ à venis attrahēt? Quod eo facilius fiet, quoniam venæ & partes intimiores ex sui natura sint humidiores, carnes autem, & extremæ partes ex sui natura illis sunt sicciores. Humiditas autem illa naturalis, sicuti hæc naturalis siccitas per talem attractionem conseruatur. Quapropter dum fit hæc attractio, quoniam multa humiditas partium extremarum absumitur, & cum ea humiditate etiam quicquid fere calidi inest, ad venas retrahitur, hinc partes extremæ in hac attractione actu sentiuntur frigidæ & siccæ, quod tunc temporis est, cum occasio febri datur, non autem cum febris est genita. Cum enim febris est genita, quoniam vt dixerat, ab ea totum corpus percalescit, extrema licet sicca, nequaquam tamen frigida sentiuntur, nisi febris sit cacoethe, & maximum ad intra viscera pariat incendium, quo casu ea tanquam cucurbitulæ attrahentia, omnem sanguinem, & cū sanguine calorem ad seipsa retrahunt, & inde partes extimæ sanguine, & calore destitutæ refrigerātur. Qui casus lethalis est, quoniam internorum viscerum exustionem significat, quæ exustio & incendium sunt etiam in causa, vt lingua & fauces ob nimiam caliditatem exustæ exiccentur, & exasperentur simul. Notandum autem est, quod simul dixit linguam & fauces siccari & exasperari, quoniam ex intenso quidem calore siccātur solum, at ex immoderato & immenso non solum siccantur, verum etiam exasperantur. Talis autem est calor in febribus illis ardentibus, quæ ad intus summum causantes incendium partes extremas refrigerari cogunt. Quare in his lingua & fauces necessario simul arescent, & exasperabuntur. Exasperari enim est in plus, quam siccari, & ideo à potentiori causa producitur, siccari autem ab imbecilliori. Exemplo hoc pateat de terra, quæ temporib. æstiuis primo ab æstu solis siccatur, postmodum autem si intendantur ęstiui ardores, siccata exasperatur & finditur. Quapropter omnis lingua ex febris ardore exasperata est sicca, non tamen vbi sit ex febre siccata, semper est exasperata, quoniam ad hoc maius

requi-

requiritur, ad illud minus incendium sufficit.

135 *Quantum autem in ventriculo, & in vesica inest bilis, quod quidem in ventriculo est, aliquando deorsum exturbatur, plerumq; vero in primis dieb. vomitur, aut in quatuor aut quinq;. Vomitur autem hac de causa. Cum supremus ventriculus supercalefactus fuerit, attrahit in seipsum, & fit vomitus.*

Dixi in febre ardenti exquisita, id est, in ea, quæ ex bilis putredine accenditur, fieri vomitus, & excretiones biliosas. Qua ratione hæc fiant, hoc in loco explicat Hipp. dicens, in hisce febrib. superuenire deiectiones biliosas, quoniam, quod in ventriculo, & in vesica inest bilis, dum expurgatur iecur ab hoc humore, quandoq; deturbatur deorsū, & hinc biliosa deiiciuntur; quandoq; a. cū ventriculus calidior fuerit vel ob intemperiē innatam, vel ascititiā, indeq; ad seipsum (cū calidi sit attrahere) attrahat id, quod bilis est in circumstantib. partibus, insurgente natura ob irritationem factam à bile in ore ventriculi, fit vomitus, qui eo facilior est, quo materia peccans est tenuior, & ob feruorem commota ad partes superiores conuertitur. Sed qua ratione dictum est, huiusmodi vomitum fieri primis diebus, aut in quatuor, aut quinq;? Quoniam vomitus est ex his symptomatib. quę potius sequūtur ad copiam, & ad modum materiæ, quam ad naturam morbi. Talia autem symptomata sunt maiora in principiis morborum, & fiunt dum natura à copia & motu materiæ irritatur, quæ autem sequuntur naturam morbi in processu maiora fiunt, & vsq; ad statum inualescunt; vnde fit, vt vomitus potius fiat in principiis febrium, quam in processu. Sed cur addit particulariter, aut in quatuor, aut in quinq;? Quoniam tales vomitus solent in primo morbi quaternario contingere, quod si morbus diebus imparib. moueatur, vsq; ad quintam diem vomitus vel prorogatur, vel mouetur: nam dies quinta correspondet & tertiæ, & primæ. Si autem diebus paribus moueatur, vel continuato & consimili motu periodi progrediantur, vltimus primi quaternarii dies est quartus.

136 *Et ob hoc ipsum etiam ex febre ardenti, & ex pleuritide ad peripneumoniā maxime morbi trāsmutantur: vbi enim supremus ventriculus supercalefactus fuerit, trahit in seipsum, & suscipit pulmo, & fit peripneumonia. Et plerumq; pereunt, nimirum debiles iam existentes, & morbo alio nouo supergenerato, dies transigere nequeuntes, donec sputum in pulmone concoquatur. Verum vtplurimum pereunt pro debilitate, aliqui tamen euadunt.*

Eadem causa, cuius merito vomitus in febre ardenti eueniat, facit, vt ex febre ardenti, & ex pleuritide fiat transmutatio ad peripneumoniam. Nam quemadmodum ventriculus, ob intemperiem calidiorem bilem attrahens, biliosos vomitus patiebatur, ita pulmo eandem intemperiem calidiorem vel ex febre ardenti, vel ex pleuritide concipiens, attrahit in se humores ex circumstantibus partibus, quibus humoribus attractis, & ad intra pulmonem susceptis, fit peripneumonia, inflammationem inde patiente pulmone. Hi autem, quibus talis morbus, qui ex acutis est, ęgrotante iam ex priori morbo conflictato, & debili, superuenit, quo casu vires vsq; ad perfectam morbi solutionē sufficere non valentes, succumbunt, vnde ęgrotantes de medio tolluntur. Quod si vires sint adeo constantes, quia ex præcedenti morbo non langueant, vt sufficere vsq; ad coctionem morbi possint, tunc fieri potest, vt ægri è morbo euadant, quod tamen ita rarum est, vti ex aduerso frequens est, quod pereant. Nam ex acutis in acutos morbos transmutationes solent esse lethales.

137 *At quibus in vesicam confluit quid bilis, his crassa vrina mingitur, crassa autem à pituita. Biliosa vero alui egestio prodit, eo quod combusta sint ea, quæ sunt in ventre.*

Solutiones febri ardēti peculiares sunt sanguinis è narib. fluxus, sudor copiosus, deiectio biliosa, & vrinæ profluuium. De sanguinis per nares fluxione haud meminit, nec de sudore, quoniā non omnia hic exacte, quæ ad hos morbos pertinent, erat explanaturus. Meminit a. solum de solutione vel per vrinā, vel per alui fluxum facienda, in exemplar cuiuscunq; solutionis, per quam materia peccās euacuetur. Inquit autem, quod quib. solutio febris per vrinam contingit, hoc euenit confluente bile per lotiū in vesica, quo casu lotium solet esse crassum, quoniam simul cū bile ad has partes pituitæ portio, cuius mixtionis merito crassum redditur lotiū, transmittitur. Quib. a. solutio fit per deiectionē alui, non liquida aut tenuia, aut cruda deiiciuntur, sed tantū biliosa, quoniā vi febris ardentis bilis exuperat, inde combustis his, quæ in ventre continētur: quare ea educta febris solui debet, quoniam ea peccante & augescēte, fit & inualescit febris. Quod a. hic de biliosis deiectionib. dicit, non est idem, quod in textu 133. dicebat, nam ibi causam reddebat, cur bilis deorsum euacuaretur, hic a. cur deiectiones sint biliosæ. At de deiectionib. in febre ardenti cōtingentibus sciendum est, non semper eas esse biliosas, id est, bilē ipsam excerni. Nam aliquando in hac febre deiiciuntur aquosa, tenuia, & cruda, quę nec sunt bilis, nec eadem ratione, qua bilis excernitur, deiiciuntur, non enim ad solutionem febris educuntur, nec proportionari morbo videntur, cum febris pendeat à bile, educta autē sint cruda, aquosa, & tenuia. Sed qua ratione hæc in febrib. ardentibus excernuntur? In febribus ardentibus deiiciuntur aquosa, tenuis & cruda, quæ nec iuuant, nec pro ratione morbi exeunt, triplici ratione. Primo in febre ardenti exquisita, quæ à bile pendet, talia excernuntur per sedem, quia in primis venis lacteū, & circa sinus iecoris cruda collecta sint, & contineantur, licet in tota mole corporis accumulata sit, & abundet bilis, vt habet Gal. lib. 3. epi. sect. 2. com. 8. Secundo in febre ardenti à bile tenuia, aquosa & cruda deiiciuntur, quia aquositas in venis accumulata, & quę diluebat bilem, excernitur à

P toro

toto corporis ambitu, ex quo bilis reddita magis syncera euadit deterior, & calidior, cuius ratione fit febris vehementior, & morbus euadit sęuior. Quæ aquositas ad intra venas ex praua victus ratione abundans in febre ardenti per lotium pariter ac per aluum quãdoq; educitur, excreta multa aquosa & cruda vrina. Quorum duorum exempla habemus lib.3. epi.sec.3. deiectionum q̃dem tex. 40. vrinarũ autẽ tex. 41. In quib. duob. casibus non iuuant tales fluxiones, quin imo lędunt, quia materia peccans & faciens febrẽ non educitur, imo excreta serosi humoris in corpore abundantis copia syncerior redditur. Biliosa a. educitur quãdoq; in febrib. ardentib. sed cruda & tenuis præcipue in his, in q̃b. hepar aut ventriculus est sedes huius febris, vt habet Gal. lib. 4. reg. acut. com. 4. nam his solent superuenire deiectiones liquidæ, & (sicut habetur in textu) pallidæ, id est, biliosę, quæ tamen potius symptomatis vice, quam naturæ dominantis robore deiiciuntur, & ideo sæpius inutiliter prodeunt. Tertio deiiciuntur cruda & tenuia in febre ardẽti notha, ex pituitæ salsæ putredine pendente, non secundum humoris cuiuspiam formam speciemq;, sed iis, quæ in alimento ministrata sunt, corruptis, vt habet Gal. li. 4. reg. acut. com. 13. Ex quib. pateat, nõ semp in febre ardenti biliosas esse deiectiones, nec lotium semper crassum esse, in eademq; tenuia & aquosa & cruda, quandoq; per sedem, quandoq; per vesicam excerni. Quæ non ad solutionem febris, sed symptomatis vice quandoque inutiliter, quandoque cum detrimento insigni deiiciuntur aut minguntur.

538 *Phrenitis hoc modo se habet. Sanguis, qui est in homine, maximã partem ad prudentiã confert, quidã dicunt totũ. Cum igitur bilis cõmota ad venas & ad sanguinẽ ingressa fuerit, sanguinẽ ex consueta cõpage ac motione dimouet, & serosum facit, & calefacit. Calefactus a. etiã reliquũ corpus totũ pcalefacit, & desipit homo, & nõ sibi constat p̃ febris copia, & sanguinis ad serositatẽ transmutatione, & motione nõ solita cõtingẽte.*

QVONIAM dixerat Hip. de suppuratis agẽs, ex eis aliquos, dũ pereunt, omnia intelligere, quasi diceret, quosdã ex suppuratis nunq̃ delirare, quoniam q̃ superius egit de febre ardenti, in qua consueuerunt patientes nõnunq̃ delirare, ideo delirii causam, & vnde homines delirẽt, explicare hoc in loco intendit, dicens: Phrenitis hoc modo se habet. Phrenitis hoc in loco in proprio significato nõ sumitur ab Hip. videl. p delirio insequẽte ad cerebri, & mẽbranarũ eius inflãmationẽ, sed in communi, prout etiã quandoq; sumpsit in libris epid. in quib. nõnunquã phreneticos vocat quoscunq; delirãtes, vtcũq; sint mẽte alienati. Phrenitis igitur hoc modo se habet, id est, deliria hac ratione, & hac de causa, q̃ exponẽda est, fiunt. Vt a. hæc causa innotescat, (quoniã oppositorũ oppositę sunt rationes) declarat prius, qua ratione homines mente constent, & rationis compotes sint, ad hoc tali præsupposito, tanquã firmo & necessario vtens. Præsuppositum hoc est, q̃ sanguis, qui est in homine, maximã partem ad prudentiã cõferat. Sed quomodo hoc? Cõstat (vt ex libro, q̃ animi mores corporis temperaturam sequantur, patet) q̃ animæ facultates recte sua munia obeunt, dũ corpus multa intemperie laborat; si a. intempatũ sit, pro ratione intẽperiei noxa sequitur. Quoniã a. in commoderato tẽperamẽto facultates vigent, & p illud idẽ recte operantur, igitur corpora dũ temperata sunt, secundũ omnes virtutes recte agunt: ex actionib. a. omnib. cum nobiliores sint rationales, eo magis hoc in his verificabitur. Nam cum hæ sint nobiliores, tẽperamẽto admodũ temperato egẽt, secundum q̃ operari debeant, q̃ temperamẽtũ si peruertatur, peruertũtur etiã virtutis rationalis operationes; vnde sequũtur desipientię, demẽtię, memoriæ deperditiones, deliria, & furores, nõ amplius sibi integre cõstãte homine. Hæc cõmoderata tẽperatura, ad cuius læsionẽ læditur rationalis virtus, consistit in corporis ipsius temperie naturali. At quoniã tale est corpus in propria temperie, quale est nutrimentũ, ex quo nutritur & cõseruatur, nutrimẽtum a. corporis immediatũ est sanguis, cum ab eo solo corpus nutriatur & cõseruetur: igitur sanguis in tali corpore cõmoderatam debet habere temperiem. In qua temperie dũ conseruatur & persistit sanguis, nec corporis immutabitur temperamentũ, nec anima rationalis aliq̃d læsionis percipiet. Quare poterit (co moderato existente) omnia sua munia recte obire. Hinc dictũ est ab Hip. & ab antiquorib. medicis sanguinem, dũ moderatam conseruat tẽperiẽ, & nullũ excessum in sui essentia patitur, maximã partem ad prudentiã cõferre, qui tamẽ si ex hac tẽperie ad aliquem excessum permutatur, statim virtuti rationali suam noxã impartitur. Vnde nõ immerito in libello de flatib. hæc habẽtur: Opinor a. inter omnia q̃ in corpore sunt, nihil magis ad prudentiã conferre q̃ sanguinem: hic ergo cum in constanti habitu persistit, consistit & prudentia: sanguine vero permutato, cõcidit & prudentia. Sed ad horũ locorum integrã intelligentiã duo hæc declaranda sunt. Primum est, q̃ per prudentiã hic non intelligenda est ea virtus moralis, per quam ex præteritis futura cõiicientes, & recte operantes dicimur prudentes, sed mentis constantia, per quam homines recte intelligentes mente constare, & intellectus compotes esse dicũtur. Quapropter hic ad deperditionem prudẽtiæ intelligamus hominem desipere, aut delirare, nõ imprudentem fieri. Alterũ est, q̃ quoniã cerebrũ est immediata sedes ac domicilium animę rationalis, ideo sanguis, vbi noxam huic animæ impartiri debeat, ex impropria commoderatione hoc perpetrabitur, vel dum in cerebro talis consistit, vel ad cerebrum talis confluit, vel ad cerebrum similes euaporationes transmittit. Si in cerebri substantia sit impactus, vbi sit biliosus, fiunt phrenitides veræ: si melãcholicus, timores & mœstitiæ cum delirio: si pituitosus, fiunt desipientiæ, dementiæ, memoriæ iactura, & lethargicæ passiones. Si autem non sit in substantia cerebri impactus, sed in ventriculis solum, non fiunt phrenitides, nec melancholiæ veræ, nec lethargicæ passio-

passiones, sed solum deliria à bile, timores & mœrores à melancholia, operationum recticium diminutiones à pituita. Si autem conflatur sanguis ad cerebrū à parib. inferiorib. pro ratione humoris, & pro ratione loci, in quem recipientur, noxa erit. Si autem solæ sanguinis euaporationes ad cerebrū attollantur, in eumq; recipiatur, pariter pro ratione humoris, à quo illæ euaporationes eleuantur, noxa consequetur. Verum quoniam Hipp. peculiariter rem ad sanguinem contrahit, ideo de solo sanguine per intemperiem calidam excessum patiēte, & inde in cerebrū euaporante agens, inquit, quod tūc deliria fiunt, cum bilis commouetur ad venas, & sanguini cōmiscetur, quoniā tunc temporis sanguis ex consueta & cōmoderata temperatione dimotus hęc tria patitur, sc. quod in motu constituitur, tenuior fit, & calidior redditur, quorum trium ratione desipit homo, & necessario delirat: nam ca lidior factus, non caliditate naturali, sed febrili & ignea, totum corpus & inde cerebrum valde calefacit. Ex motu autem concepto facile dimouetur, & quoniā tenuia & leuia facile sursum ex propria natura ascendūt, ideo ex motu, ex leuitate, & ex tenuitate concepta ad cerebrū eleuatur, quod iam ex febre supercalefactū vel in propria substantia, vel cū ꝓpriis & calidiorib. euaporationib. petens, facit hominem necessario delirare. Hanc vnicā delirii causam attulit, tanquam ardenti febri, ex cuius consequutione de delirio egit, propriam, plures tamen alię supersunt delirii causæ. Nā & à venenato pharmaco, & à percussione cerebri, & à partiū inferiorum consensu, sicuti ab vtero nouimus plura deliria sine sanguine fieri. Et si per deliriū omnē mentis alienationem intelligamus, non ea sola aut bile, aut sanguine, sed etiam à succo melancholico, & à pituitoso multas noxas impartiri animæ rationali nouimus: hinc n. alii melancholici, alii desipiētes, alii obliuiosi, alii fatui & amentes reddūtur, quæ omnia sunt cerebri & animę rationalis nocumenta.

139 *Assimiles autem maxime sunt hi, qui phrenitide tenentur, his, qui ab atra bile delirant. Nā & hi vbi sanguis ex bile & pituita corruptus fuerit, morbum habent, & dementes fiunt, aliqui vero & insaniūt, & qui phrenitide correpti sunt codē modo. Tāto a. minor insania, ipsūq; deliriū fit, quantū paucior & debilior est bilis, quā pituita.*

DELIRIA ex aliis humorib. quā ex bile & sanguine posse fieri, dictum est, inter quos adnumerabatur succus melancholicus, vtpote qui multa & varia deliria causet. Hæc a. varietas consistit in hoc, quod licet semper fiat cum timore ac mœstitia præter rationē, attamen modo leuia, modo vehementiora existunt. Leuia sunt cum ex solo timore & mœrore cruciantur, vehementiora a. cum etiam insaniunt. Hanc varietatē, inquit Hip. æmulātur deliria à bile, & à sanguine, quoniam hæc etiam in magnitudine variant, cū alia sint leuiora, alia vehementiora. Cur autem à succo melancholico ita varia fiant deliria, docet, dicens hoc fieri ratione vel maioris, vel minoris corruptionis sanguinis. Per corruptionem autem intelligas non verā sanguinis corruptionem, (quoniā hinc potius interitus, quā delirium expectandum foret) sed sanguinis à propria natura transmutationem. Transmutatur a. in his, cum ex temperato sanguine melancholicus ob mixtionem succi atrabilaris fiat. Quoniam a. melācholici in morbi progressu tum ob caloris imbecillitatem, tum ob incoctionem colligere multum pituitosi succi solent, ideo hac augescente melancholia eo magis sanguis à proprio temperamento transmutatur, cuius ratione dicitur ab Hip. de delirantib. vitio succi melancholici loquente: Nam & hi, vbi sanguis ex bile (intellige atra) & pituita, sc. in eis ob caloris languorem, & ob cruditatis accumulata, corruptus fuerit, id est, à proprio temperamēto, per quod ad prudentiam maximam partem cōferebat, immutatus, morbū habent, id est, morbum melancholiam dictum patiuntur, (atra n. bilis vocabatur ab antiquis hic morbus) & dementes fiūt, quia sano iudicio carent, aliqui vero etiam insaniunt, quia præterquam ꝙ delirant, insaniunt quoq;, & tanquam furiosi redduntur. Sed qui sunt hi, qui solum delirant, & qui sunt illi, q præterquam ꝙ delirant, etiam insaniunt? Hi, inquit Hip accumulata bile atra & pituitoso succo, solum delirant, in quib. superabundat pituita: illi a. in quib. bilis atra est copiosior, etiam insaniunt. Ratio est, quoniam atra bilis est succus deterior, acrior, & naturæ infestior, quam sit pituita ipsa, & ideo inquit: Tanta autem minor insania atq; ipsum delirium fit, quanto paucior & debilior est bilis, quam pituita, id est, tanto minor est insania, & tanto minus est deliriū, quanto minor sit abundantia, & vigor atræ bilis, quam ipsius pituitæ. Nam vbi atra bilis est copiosior, & in quantitate, & in qualitate validior, non solum deliria, sed etiam insaniæ ob succi prauitatem causari possunt. Si autem in hoc sanguine à propria natura immutato, magis abundauerit pituita, & bilis atra sit debilior, non insaniunt ægrotantes, sed solum delirant, ꝙ deliriū etiam remissius erit, quo debilior bilis atra extiterit. Nam tunc patientes ob pituitæ frigiditatem ad fatuitatem & amentiam potius, quam ad delirium, & ad insaniam declinabunt. Hanc varietatem, vt dixi, æmulantur deliria à bile & sanguine causata, quoniam vbi sanguinis transmutatio modica fuerit, solum delirabunt; si autem immodica, etiam ob nimium cerebri superinductum à feruente sanguine ardorem insanient.

140 *Porro subcruentum ac liuidum est sputum in pleuritide & peripneumonia, idq; ob hanc causam: Principio quidem plerunq; neutrum spuunt, neq; liuidum, neq; subcruentum, vnde nosse cōuenit, morbum vehementem esse. Cum autem sputum subcrassum spuere cœperint, tunc maxime purgantur.*

POSTQVAM egerit de febre ardenti & de phrenitide, id est, delirio in gratiam pleuritidis & peripneumoniæ, cum in harum vtraq; quandoq; & febres ardentes, & deliria fiant, nunc redit ad eatūdem tractationem, vt declaret, qua ratione in eis modo fiant excreationes subcruentę, modo autem liuidæ: Quas excreationes animaduertit plerunq;

à principio nõ apparere, & hoc ob morbi vehemẽtiã. Nã vbi morbus mitior est, statim apparet sputũ, q est indiciũ breuitatis morbi, vt habet Gal. li. 1. aph. 12. & salubritatis, vbi sputũ laudabile existat. Si a. est vehementior, sputũ tardius apparet, quoniam reluctatur inflãmatio vel ob duritiẽ, vel ob renixũ, vel ob materiei crassitiẽ, vel ob naturæ imbecillitatẽ, q̃ omnia sunt mala, & vehementiã morbi attestantur. Quod tamen sputũ, licet tardius appareat, si subcrassum sit (quoniã q̃ tenuia sunt, coctionẽ subterfugiũt, necà calore innato deuicta sunt) maxime confert, vt per eum morbus purgetur: nam ista mediocritas indicat materiam morbum facientem à natura superari & concoqui.

141 *Spuitur autem id à distentione venarum in pleuritide quidem earum, quæ in latere sunt, in peripneumonia a. earum, quæ sunt in pulmone, & caliditatem ad seipsam affectio trahit.*

TRIA sputorum genera in pleurit. ac in pipneumonia excreantur, alterũ salubre, alterũ exitiale, tertium mediũ. Salubre est subcruentũ, quoniã hoc indicat morbũ à sanguine, q ex omnib. humorib. est benignissimus, pendere. Exitiale est viride, liuidũ, & nigrũ, quoniã talia sputa significant materiam morbũ facientem exustionẽ pati. Mediũ est ruffum & flauũ, q medium est, cum ex se nõ sit penitus salubre, nisi permixtum admodum appareat, nec sit omnino exitiale, quia pendet ab humore, licet calidiori, qui tamen potest corrigi, & à natura deuinci. De his omnib. sputis non egit Hipp. sed de extremis tantũ, scilic. de salubri & exitiali, quib. notis mediũ per se patere supponit. Subcruentum fit resudante sanguine, vel sanguinis ichore, & ideo salubre est. Liuidum a. est exitiale, quoniã fit à causa, quę exitũ ægrotantis portendit. Si n. vel in principio, vel in augmẽto morbi appareat, indicat materiei peccantis, vt dictũ est, exustionẽ, quã pariter attestatur color viridis & niger: hæc n. significant vel bilẽ flauã exustã, vel atram pariter exustã peccare. Si vero in statu sputũ liuidum tãtummodo appareat, non solũ potest exustionẽ indicare, verum caloris quoq; innati extinctionẽ, p quam liuida omnia fiunt. Cuius ratione, sc. quia liuor vel summã humorũ exustionẽ, vel virtutis extinctionẽ significat, ideo semp tanq̃ exitialis in omni occasione damnat᷑. Vnde lib. 1. pg. 12. habemus: Si peruertitur, aut liuida palpebra est, aut labrũ, aut nasus cũ aliquo alio signo, mortẽ prope esse sciendũ est. Et li. 2. tex. 8. Si vero præter grauitatẽ vnguis quoq; ac digiti liuidi sint, expectanda mors cõtinuo est. Et lib. eo. tex. 63. Si suppurat pus viride, & liuidũ spuant, exitiale est. Et eo. lib. loquens de vomitione, liuidã malã dicebat, & pariter deiectionem. Quapropter color liuidus vbiq; damnatur, tanq̃ exitiale signũ, vnde non immerito hoc in loco ab Hip. tanq̃ alterũ ex duob. extremis recensetur. His a. tanq̃ exemplar aliorum positis, incipit declarare, qua de causa sputũ salubre, id est, subcruentũ excernatur, dicens hoc fieri ex distentione venarũ, id est, fieri quia venę ex inflãmatione distentæ, & tanq̃ cõpressæ ac rigidæ factę, sanguinẽ ipsum resudent, & quasi expuãt, sicuti superius aliquando de sputo cruẽto ex venarũ fractura dicebatur. Venę a. taliter sanguinẽ expuentes, & resudantes in pleuritide sunt eæ, q̃ sunt in latere: in pipneumonia a. sunt eę, quę sunt in pulmone ipso, quæ venæ ob caliditatẽ ex feruore inflammationis conceptã attrahunt in seipsam sanguinẽ ex circũstantib. partib. repletæ a. eo eundẽmet ad exterius fundunt & resudãt. At quomodo dictũ est subcruentũ sputũ esse salutare, cũ habeamus ex Hip. li. 3. de morb. c. de pleurit. sanguineã pleuritidẽ esse fortẽ, dolorosam & lethalẽ? Ad hoc sciendũ est, duplici ratione in pleuritide sanguinẽ excreari. Nã alias resudante ex inflãmato loco sanguine sputũ reddit᷑ cruentum, alias nõ resudante, sed ex inflãmato pleura eo erũpẽte, sanguis merus expuit᷑. Cũ primo modo apparet, attestatur mitiss. esse pleuritidẽ, cum à sanguine, q omniũ humorũ benigniss. est, & q recte à natura in eo morboso affectu regulatur, pẽdeat. Cũ a. secũdo modo, significat sane pleuritidẽ à sanguine pendentẽ, at sęuam admodũ, & q̃ à sanguine malefico, q à natura coerceri in loco inflãmato nequeat, generetur. Tales pleuritides solẽt esse illæ, quæ à sanguine vel feruido, vel salso, vel ex alia occasione corrodendi vim habẽte generantur. De primis loquens Gal. plurimis in locis, p̃cipue antẽ li. 6. epid. sec. 3. cõ. 44. dicebat: eos morbos laterales esse mitissimos, in qb. patientes sputa cruenta eiiciunt. De secundis a. loquitur Hip. li. 3. de mor. dũ inqt: biliosam pleuritidẽ esse mitiorẽ sanguinea, sanguineã a. esse fortem, dolorosam & lethalẽ. Nam p sanguineam nõ intelligit eã, in qua sputũ cruentũ excreatur, & in qua sanguis à natura regulatus in ꝓprio loco coercetur, sed eã, in qua sanguis syncetus, nõ sputũ sanguineũ excreatur, q sanguis educitur non p resudationẽ, sed per ruptionẽ ex praua sanguinis qualitate causatũ, q animaduertẽs Hip. dicebat pleuriticos sub biliosa reiicere, nisi ruptiones habuerint, si v. habuerint, etiã sanguinẽ à ruptionib. reiicere. His dictis subdit: Est a. & sanguinea pleuritis, in qua reiicit. id est, paritet est alia pleuritis, in qua per ruptionẽ cruenta reiiciuntur: & hæc est ea, q̃ sanguinea appellata est fortis, quia fit à multa calidioris sanguinis copia. est dolorosa, qa in pleura, & in loco inflãmato p̃ter extensionẽ est ruptio. est lethalis, quia ex prauo sanguine pẽdẽs praua infert symptomata. Quę sentẽtia est adeo vera, vt nihil magis, cum expientia testetur, tales pleuritides esse sæuissimas, & maxime lethales, cum ab his vllus vix euadat. Quo a. pacto, & qua ratione has ab illis distinguas, facile ex dictis dephendes, vbi noueris in his sanguinẽ, in illis sputũ cruentũ excreari. Spumm a. quantũ differat à sanguine, nemo sanæ mẽtis ignorat, nõ est tamẽ, q cũ sanguine etiam nõnunquam aliqua sputi portio excreetur. Tunc a. cum in pleuritide videris sanguinẽ syncerũ excerni, male sentias de ægritudinis euentu, cũ ea pendeat ex prauo & malefico sanguine, qui nõ tantũ inflãmationẽ pariat, verũ etiã ruptionẽ inflãmatæ partis p corrosionẽ faciat. Maius a. an min⁹ impendeat piculũ, ex maiori vel minori sanguinis synceritate & copia habebis.

142 *Si vero ægro abscessus fuerit ruptus, ac purulentus fuerit, prima mox die sanguinem, & pus subcruendum ac liuidum cum saliua spuit.*

Qvo-

QVONIAM est quidam particularis casus, in quo simul excreatur sputum cruẽtum & liuidum, hocq; ex ea parte, quod fit subcruentum, nõ est exitiale, & ex ea parte, qua est liuidum, nñ est salubre, iden hunc casum tanquam aduertendum, & ex illis duob. mixtum exponit, dicens: ꝙ in suppurãtn abscessu, vbi disrumpatur, snlet eadem die excreati sanguis, sputum subcruentum, & sputum liuidum. Sanguis quidem, quia disrupto abscessu, nmnino aliquæ venæ simul disrumpnntur, quæ sanguinem fundunt, sicuti pariter euenir in omnl externorũ ablcessuũ suppuratorũ sectione, ex qb. semper aliqua sanguinis portio cum pure effunditur. Sputnm a. lub. ruentum, qunniã dum exit materia, quæ penitus non est deuicta, nec in pns synterum permutata, sputum quoquo pacto est subetuentum. Sputum autem liuidum succedit ex puris, nnn ex msteriæ morbum faciẽtis enlnte. Quniam autem hic casus nec est salnbris, nec exitialis rstione dictorũm colorum, sed talis eusdit ex tempnre & modo disruptionis & purgationis, iden talis sputi cognitio non facit sd prognosticum vel pleuritidis, vel petipneumoniæ, quæ tali adnenlẽte casu nõ amplius psistunt, sed in suppnrationẽ cnnuersæ sunt. Et iden talia sputa super eos morbos nihil atrestantur, nec quantnm sit ex eis, lunt autem lèthalia aut salubria in respectu eotnm.

143 *Liuidum a. fit à sanguine, si modicus ad multam salinam commixtus fuerit, & non statim spuatur, sed semiputrefactum & effœminatum in corpore manet.*

SVBCRVENTI sputi causa explicata, descendit ad declarationem causarum sputi liuidi. Quod, inquit, fit, cum materia morbum faciens (quã salinã improprio nomine, ac si diceret excrementitiã, appellat) multa pauco sanguini cõmixta existit, id est, cũ in venis alii humores à sanguine abũdauerint, & vel pleuritidẽ, vel pipneumoniá fecerint, si nõ statim spuantur, sed tarde aut propter materiæ inobedientiism, aut propter virtutis imbecillitatẽ excreentur, nec per suppuraoonẽ, sed quandã mediã putredinem, per quá cnrrumpũtur vel putrefacta vel exusta patiuntur, & inde effœminãtur, id est, innatum & ptopriam naturam depetdentes in alienã & prauam connertũtur. Cuius ratione cũ integre nõ possint expurgari, faciunt casum lethalẽ, in quo ex parte aliqua prædictę materiel pnrtione excreta sputum liuidum excreatut tanquã id, quod ex materis cotrupta, & malam putredinẽ patiẽte resudet.

144 *Moriuntur a. ex pleuritide, vbi & multum pituita ac bilis ab initio lateri fuerit affixa, & malũ insuper ex reliquo corpore affluxerit, & neq; spuens, neq; putrefaciens superarit præ materia affluentis copia. Implentur autẽ arteria ab his, quæ insunt, pituita ac pure, deinde stertit, & frequenter, & illinc statim respirat. Tandem vero omnia obturantur & moritur. Eodem modo ex peripneumonia pereunt.*

TRADITO pleuritidis ac peripneumoniæ signo exitiali, explicat quib. ex causis pleuritici ac peripneumonici pereant, has in bina capita redigẽs: alterum est copia materiæ antecedentis, quæ morbum simul facit, & simul fouet, cuius merito morbus declinationẽ recipere nequit; alterũ est excrementorum copia, quę ex parte affecta resudant, vbi nõ excreentur. Hæc n. retenta viã spiritus primo impediũt, postea a. in tntũ obturãt. Verũ & qa morbus non potest declinare, & qa spiritus via nbturatur, necessario ægrotãtes ex his suffocari pimũtur.

145 *Quicunq; vero ex febre ardẽti moriuntur, & resiccãtur primum extremæ ipsorum partes, manus ac pedes, deinde partes sicciores. Vbi autem humiditas ex corpore penitus fuerit exusta & resiccata, sanguis quidem congelatur penitus ac refrigeratur, reliquum vero corpus exiccatur, ac sic homo moritur.*

SICVTI tradidit modnm, quo pleuritici & peripneumonici pereunt, ita nunc tradit modũ, quo ægrotantes ex febre ardenti moriantur. Mndus a. hic est. vt omnes præ siccitate moriantur. Nam cũ ex præferuida febre omnia torreantur, non pntest nnn subsequi summa siccitas, primo quidem circa extremas partes, vtpote magis excarnes, deinde etiã circa nmnes partes sui natura sicciores, vtpote sunt cutis, membranæ, nerui, quorũ exiccationis ratione sæpe solent cõuulsiones vel motus cõnulsiui ardẽtib. febtib. superuenire. His a. exiccatis, febre non remittente, sed augescente, etiã viscerum propria & naturalis humiditas exuritur & resiccatur, quo casu sanguis cõgelatur, id est, absumpta ichorosa & humidiori parte, ad formã cõcreti sanguinis reducitur, & inde iam ex inanitis spiritib. & emoriente calore innato, refrigeratur. Quẽ affectũ non tantũ patiente sanguine, sed etiã corde, ꝙ ex pferuida febre torridũ factum, & inde in eo euanescente calnre innato refrigeratũ est, quoniã omne cot prope mnrtẽ. vbi calnr innatus resoluatur, non a. sustineatur, est frigidũ, simul & semel totũ corpus refrigeratnr, & homo moritur. At si sanguis, cor & vniuersum corpus ex ardenti febte supra modum exiccatur, & inde præ nimia siccitate patientes moriũtur, qua rstione in nnnnullis ex febre ardenti pereuntib. antequam expirent, fiunt sudores, cũ sudor potius humiditatẽ, ꝗ siccitatẽ attestetur? Sudores in huiuscemodi febre morientib. ęgris apparentes nõ fiunt in omnib. sed in his solum, qui multornm humorum pleũ corpus habent, vnde, vt omnis humiditas ante mortẽ absumatur, per sudorem vi feruidi caloris discutitur, qui sudor tunc tẽporis proueniens, non alleuiationem, sed syncopam inferẽs, in mnrtẽ ægrotantes pcipites ducit. Hinc magis exiccato, non humectato corde & sanguine, quoniã quæ superest, tota ad cutim propulsa magis exiccatum relinquit cor & sanguinem, & simnl cum illis omnes solidas & carnosas partes: quare sudnr hic potius siccationem, ꝗ humectationẽ attestabitur. Sed cur in aliquib. ex hac febre pereuntib. cum antea vitali vi, cnrde ad interitum properante, euanescente corpus refrigeratum esset, pnstea incalescũt? Quoniam in his, qui plenum mulenrũ hnmorum corpus nõ habent, & ideo ex præferuida febre exacuetur, pro sudorib. calidus vapnr simul cũ eo expirãte & euaporante calore innato, ad cutẽ exhalat.

Cuius ratione dicebatur ab Hipp. ad hunc sensum lib. 6. epid sect. 4. tex. 29. signa mortifera per cutim, nares calidus vapor; potius nares frigidum spiritum reddunt. Quem casum non considerantes imperiti medici, dum vident tales ægrotantes antea refrigeratos iterum hoc pacto incalescere, hanc mutationem tanquam salutarem comprobant ac laudāt, non aduertentes hinc caloré vitalem expirare, simulq; interitum ac mortem instare, quæ pariter inuadit, vbi febris corpus cordis cremauerit, & eius omnem innatam humiditatem & calorem insitum absumpserit. His autem hac ratione pereuntibus, solet corpus, quamprimum animam egerint, nonnunquam magis, quam ante mortem incalescere, non quia in his adhuc quid vitæ supersit, vt vidi aliquando à nonnullis iudicatum, sed quoniam pereunte corde, mortemque cum vita ob præferuidam febrem commutante, ad extra corpus expirat vna cum calore vitali & innato, calor etiam febrilis ac igneus & præternaturalis, qui permeans totum corporis ambitum, ad extraque vniuersim expirans, corpus iam emortuum calefacit, præbens insipientibus, ac inexpertis imaginem aliquam perseuerantis vitę, quam tamen febrilis calor ob summum incendium paulo antea ex toto aboleuerat.

146 *At ex phrenitide ita pereunt. Desipiunt in hoc morbo semper, nimirum sanguine corrupto, & ex consueta motione emoto, & cū desipiant, nihil eorum quæ ipsis exhibentur, accipiunt, quod saltem memoratu dignum sit. Cum vero progressum fuerit tempus, marcescūt, ac imminuti consumuntur, tum ex febre, tum quod nihil alantur. Et primum quidem extremæ partes consumuntur ac refrigerantur demum ipsis proximæ.*

SICVTI tradidit modum, quo pereunt suppurati, pleuritici, peripneumonici, & hi, qui ex febre ardente moriuntur, ita & modum, quo delirantes (quoniam de his sicuti de illis egerat) pereunt, explicare intendit. Modus est hic, quod cum isti, quos phreneticos improprie à continuo delirio, non à loco affecto appellat, desipiant, nec mente cōstent, inedia & febre conficiuntur. Inedia quidem, quoniam desipientes nec alimenti indigentiam, nec viuendi necessitatem agnoscētes, nihil cibi assumūt, vnde corpus extenuatur & consumitur, cum non habeat, vnde restauretur. Febre autem, quoniam, cum intellectus compotes nequaquam existant, nullum medicamenti genus admittunt, morbus incalescit. Incalescente autem morbo, & viribus ex corporis extenuatione, & consumptione languentibus, necessario mors subsequitur, indeq; ineuitabiliter peribunt ægrotantes. Has duas causas attulit Hipp. tanquam magis euidentes, non quod immediata mortis causa eæ existant; nam multoties sępiusque pereunt ex morbi violentia, quam ex eo, quod vel medicamenta, vel cibum renuant.

147 *Sed & frigiditatis, & febris, & dolorum principium hoc habet: Cum sanguis qui est in venis perfrigeratus, fuerit à pituita transmutatus, & conuellitur aceruatim alias alia parte, & tremit, tandem autem omnia perfrigerantur, & moritur.*

QVA ratione febris, horror, rigor, & frigus fiāt, superius explicatum est, quare non est, quod hic eadem repetantur. Hoc tantum moneo, non etiam esse Hipp. intentionem, vt hoc in loco tradantur modi & causæ, per quas omnia prædicta generentur & fiant, sed vt hinc pateat, qua ratione ex frigore febrili aliquando ægrotantes in continuis febribus & morbis acutis (nam de his eius est tractatio) pereant. Ratio autem hæc est, quod vbi sanguis in venis à pituita perfrigeratus fuerit, id est, vbi humores frigidi in venis sanguinem copia ita superauerint, vt sanguis ex eorum mixtione propria natura frigidior factus fuerit, transmutatur, & conuellitur aceruatim alias alia parte, & tremit, id est, commouetur, & pro parte transmittitur à venis ad extra venas, & in ista transmissione ab vna parte ad aliam aceruatim conuellitur, id est, totus simul accumulatur. Cum autem totus simul accumulatur hic sanguis, qui ex aduentitia natura frigidior est factus, facit caloris maximam concentrationem, & viscerum ac humorum conculcationem, ex qua conculcatione & concentratione ingenti tum refrigeratur vniuersum corpus, tum etiam extinguitur vitalis calor, idque præcipue si vires langueant, cum hinc facilius ægri succumbant, cuius ratione dictum est ab Hip. lib. 4. aph. 46. si rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili, lethale est. Illud autem refrigeratur, quia spiritu & sanguine, & omni calido humore destitutum est. Hic vero extinguitur, quia sicut lucerna ex immodica aquosi olei superfusa quātitate extinguitur, ita pariter hic ab immoderata frigidorum succorum mole obruitur, cuius ratione nec insurgere ad propulsandam noxam potest, nec frigiditatem succorum vehementem tolerare valet. Quare necessario peribit, & inde patiens vitam cum morte commutabit.

Finis commentariorum in Hippocratis librum primum de Morbis.

PETRI

PETRI SALII DIVERSI COMMENTARIA IN LIBRVM SECVNDVM DE MORBIS.

Præfatio.

QVANQVAM PRISCORVM MEdicorum Hippocrati nullus aut in verborum proprietate, aut in scribendi concinnitate, aut in sententiarum grauitate, aut in doctrinę veritate, comparandus veniat, non est tamen, quod eorum volumina, & scripturas negligamus, aut nihili pendentes reiiciamus. Nam ij pro ratione illius sæculi artem nostram excolentes multa tradidere, quæ medicinam tunc temporis in cunabulis existentē exornarunt, eamque suæ ætatis hominibus & venerandam, & admirandam reddiderunt. Multa enim humano generi vtilia, & necessaria docuerunt, quæ tunc temporis in summa rerum caligine, ac cæcis ignorantiæ tenebris latebant, & occulta erant. Inde tantam penes antiquiores authoritatem hi consequuti sunt, vt cum vnum Hippocratem omnes venerarentur, & tanquam medicæ artis numen colerent, huic vni multa priscorum illorum medicorum, qui vel ei coæui, vel eius auditores fuerint, vel ex eius schola prodierint, omnium pene consensu adscripta sint. Et hoc vel quia illi, qui hæc volumina in vnum congessere, certum authorem ignorantes, ac vni Hippocrati omnia tribuenda censentes, in hunc vnum priscorum medicorum scripta tanquam ei propria referebant; vel quia ex Hippocratis inscriptione his voluminibus, tanquam in re medica facienda vtilibus, ac necessariis existimationem, ac fidem parere tentabant. Et hoc non immerito fortasse factum est, quoniam cum ars curatiua, morborumque singularium ac particularium curatio, quam neutiquam aggressus est, nec integre docuit Hippocrates, medico necessaria, ægrotantibus autem vtilissima futura esset, quæ tradiderunt prisci illi medici ad particularium morborum curationem spectantia, in vnum Hippocratem retulerunt, vt vel videretur ipse artem medicam integre docuisse, vel ex eius fide ac existimatione auderent medici particulares morborum curationes, quæ tunc tem-

poris in tenebris versabantur, aggredi. Quod propositum ficuti nō inutile, pariter nec damnandū censeo. Verum in recipiendis his voluminibus non indistincte, sed omnia summo cum delectu legenda, & perscrutanda sunt. Nam quamuis Hipp. nomen eis multum authoritatis tribuerit, non tamen omnia tanquam Hippocratica à nobis in manus desumenda sunt. Nec etiam eadem, licet non Hippocratica, erunt negligenda, aut spernenda, nam plurima vtilia & digna scitu comprehendunt, quæ à medicis nequaquam reijcienda, imo summa cum vtilitate amplexanda sunt, siq; sit medicus, qui artem perfecte callere cupiat, his incumbere, & operam nauare debet. Nam hinc plures morborum particularium differentias, medicamentorum penes antiquiores diuersos vsus, varios ac distinctos curationum modos excipit. Quæ omnia nouisse sicuti non indecorum, ita nec inutile erit: imo hæc maximo emolumento erunt his, qui curatiuam medicæ artis partem exercere aut cupiunt, aut profitentur. Qui sicuti omnia ex Hippocrate excerpere nequeunt, ita non dedignentur plurima à prisca illa antiquiorum medicorum schola desumere, ac haurire. Plures ad hæc præstanda extant libri, inter quos recensentur, liber de Affectionibus, liber de internis Affectionib. libri tres vltimi de Morbis, liber de Natura muliebri, libri de Morbis muliebribus, liber de Sterilib. liber de Superfœtatione, alijque nonnulli, qui licet Hippocratis non sint legitimi, multa nihilominus Hippocratica, & ipso Hippocrate non indigna, sicuti & plura alia ad artem quam maxime conducentia continent. Ex his cum iam commentaria in librum primum de Morbis, qui vere Hipp. est, compleuerim; consequutione inscriptionis enarrandos sumpsi, libros tres vltimos de morbis, qui cum multa difficilia, & declaratione digna, & plura ad artem necessaria, plurimaq; ad eandem vtilia contineant, non indigni commendatione aliqua mihi visi sunt, vt hinc difficilia declarentur, necessaria demonstrentur, vtilia significentur, & ab inutilibus, & incommodis vtilia, & commoda secernantur. In hoc autem opere faciundo, eam commendandi rationem mihi propono, vt non fuso stylo omnia sim declaraturus, cum plurima in his libris per se clara, & manifesta legantur, sed cōpresso, ac coarctato, & in modum Scholiorum, ac Annotationum, formato. Hanc tamen breuitatem non ita perstringam, vt quæ obscura sunt, aut silentio prætercam, aut verborum angustia magis confundam. Nam omnia pro viribus & ad authoris mentem, & prout posterioribus medicis, ac veritati conformantur, declarare & explicare conabor. Quæ autem per se facilia & aperta sunt, percurram, solam authoris mentem innuens, ac libans, ne in accidentibus lectoris animum tædio afficiam, in abstrusis autem hærentem, & magis dubium aut relinquam, aut faciam.

PETRI

PETRI SALII DIVERSI COMMENTARIA IN LIBRVM SECVNDVM DE MORBIS.

Textvs I.

Multum vrinæ emittitur, vbi caput nimium incaluerit. Liqueſcit enim in ipſo pituita, liqueſcens autẽ ſecedit partim ad nares, partim ad os, partim per venas, quæ ducunt ad pudendum. Quum autem ad pudendum peruenerit, mingit homo, & patitur, quemadmodum ab vrinæ ſtillicidio.

QVIS FVERIT HVIVS voluminis author, an ſcilicet Hippocrates Theſſali filius, an Polybius (Hippocratem Coum, certiſſime omnibus in hanc ſententiam coeuntibus, excipio) an quiliber alius, parum inter ſcriptores conſtat. Quemadmodum autem id parum cõſtat, ita & parum id nouiſſe prodeſſet, cum hoc in opere non ſcriptoris authoritas, ſed ſententiarũ veritas ſit attendenda. Nõ enim arti medicę authoris nomen viui eſſe debet, ſed doctrinæ integritas, ex qua rerum difficilium, & abſtruſarum cognitionem haurire, & vtiliſſima ad medendũ documenta, & leges excerpere valeamus. Hæc cõmoda præſtiturus hic author, eo ordine in tradenda artis curatiuæ parte, q̃ aggreſſus eſt, ꝓcedit, vt exordium à capitis affectibus ducẽs, indeq; ad plures, tum particulares, tum vniuerſales morbos ſe extendens, ꝓpoſito morbo, eius cauſas, & ſigna, ac iudiciũ præmittat; poſtremo autem curandi rationem tradat, in eaq; tradenda, ſi quid momenti adſit, illud admoneat. Quæ docendi ratio ita probabilis, & cõmendatione digna viſa eſt, vt nullam aliam poſteriores medici, qui artem curatiuam docuerint, ſequi aut ꝓfiteri voluerint. Exordiens igitur hic author, quẽ nomine Hipp. iuxta operis titulũ appellabimus, à capitis affectibus, ab his incipit, qui pręcedente interioris cauſæ diſpoſitione ex cauſa externa ortum, & occaſionem recipiunt. Ex his enim primum recenſet illum, in quo caput repletũ, vel à cibis, vel à ſole, vel à frigore, vel à labore, vel à calore febrili, vel ab alia ſimili cauſa incaluerit, vnde & doleat, vt varia ſymptomata patiat. His autẽ duabus cauſis concurrentibus, & cerebri repletione ꝓ diſpoſitione, & cauſa interna, ac illis exterioribus pro cauſa externa, cuius merito cerebrum incaleſcere potuerit, quid mali hinc ſequitur? Si hinc cerebrũ leuiter incaleſcat, momentanea eſt afflictio, & quæ parum quidẽ corpus alterare queat; at ſi multum caloris concipitur, inde caput male affectum dolet, & materia in eo contenta, ex qua cerebrum replebatur, colliquatur. Hæc autem colliquata, neceſſario aut per vaſa interiora dilabitur, aut per meatus exteriores erumpit. Cum per vaſa interiora dilabitur, deſcendit per venas, nec firmatur quouſque ad vias lotii penetrauerit, vnde per vrinam eo modo, & ratione qua in ſtrangurioſis prodit, excernitur. Cum vero per meatus exteriores erumpit, vel per nares, vel per os, vel per aures (quod rariſſimum eſt) emergit. Eiuſcemodi fluxiones vocant Latini deſtillationes, quoniam non alia fiunt ratione, quam deſtillante à cerebro materia, & hoc vitio intemperiei, quæ intemperies ſicuti eſt doloris, ita & fluxionis exiſtit cauſa. Nam incaleſcente admodum ab exteriori cauſa cerebro, dolet caput, & liqueſcit materia, quæ deinceps in diuerſas deſtillat partes. Quare hic affectus erit morbus in intemperie, vrinæ autẽ, & cæterorũ excrementorum fluxiones erunt ſymptomata in genere excretorũ immodice, ac præter naturam. Hæc dum explicare intendit Hipp. primum vniuerſale hoc dogma proponit, videlicet ꝙ multum vrinæ emittitur, vbi caput incaluerit, circa quod hæc animaduerto. Primũ quod huiuſcemodi ſententiæ ego nec Galenum, nec Hippocrat. alio in loco teſtem habeo. Secundum, quod hęc ſententia, non tantum in morboſis affectibus, verum etiam in ſalubribus ſtatibus crebro verificatur. Nam in his qui ſunt calidioris cerebri, ſi quid acrius comedant, ſi vina aquoſiora bibant, ſi gulæ indulgentes, cibo & potu ſe repleant, ſi vina potentia copioſe hauriant, ſimiliaque faciant, & hoc præcipue aduentante autumno, aereque ad frigidum declinante, vrinæ crudioris copia, & fluxus quamprimum erumpit. Veruntamẽ hoc non ratione liqueſcentis materiæ, ſed quoniã cerebrum tunc temporis calidiores partes ob ſui temperaturam & ſitum, cum ſit ſupra reliquum corpus tanquã cucurbitula locatũ, attrahens, materiã aquoſam ſatis tenuem, & crudam relinquit, quæ

ad

ad emulgentes venas transmissa à renibus quamprimum & facile attrahitur, indeque per vreteres ad vesicam, ex qua deinceps erumpat, transmittitur. Tertio animaduerto, dixisse Hippocratem hoc fieri, vbi caput nimium incaluerit, quoniam non præcedentem affectum, qui frequenter sanis absq; insigni cerebri calore contingit, sed morbosũ, qui à vehementi tantummodo calore producitur, insinuabat. Cuius rationem reddens subiungit, hoc inde causari, quoniam ex insigni illa intemperie pituita, q̃ in cerebro & capite redũdabat, liquescit, liquescens autem partim secedit ad nares, coryzam causans, partim ad os, branchum vel catarrhũ vulgari nomine appellatum inducens, partim ad venas, quæ in vasa vrinaria finiunt, affectum stranguriæ similem inferens. Dixit antè hanc materiã partim per os, partim per nares effluere, non quia eodem tempore per has nunquam nõ erumpat vias, sed vt modos, per quos effluere potest, traderet; quinimo si fluat per lotium, vbi superueniat eruptio aut per os, aut per nares, solet, quemadmodũ inferius docebit, vrinæ fluxio vel imminui vel firmari. In hac autem vrinæ fluxione inquit hominem pati, quemadmodum à stranguria, quoniam sicut in stranguria patiens stimulatur, vel ob vrinæ acrimoniam, vel ob vesicæ imbecillitatem, ad festinam & crebro repetitam mictionẽ, pariter in hoc casu, quoniam materia fluens, vi caloris insignis calefacta aliquam concepit acuitatem, plurimaque est quæ stillat, vnde & qualitati, & quantitati molesta existit, insurgunt patientes crebro & festinanter ad exonerandam vesicam, indeque plurimum lotii emittunt, qui tamen non est stranguriæ casus cum hæc habeat proprias & magis stabiles causas, præsens autem casus momentaneas. Quare iure dictum est hominem pati, tanquam à stranguria, nõ autem stranguriosum factum esse. Animaduerto autem caput in hoc affectu, necessario male affici, indeque dolorem, si non vehementem, aliqualem tamen pati, nam omnis insignis intemperies inæqualis apta est dolorosos affectus parere; & hoc præcipue, vbi membrum ab ea intemperie alteratum, materia excrementosa repletum existat; cuiusmodi est in præsenti casu. Huius autem doloris, si nullam Hippocrates hoc in loco verbum fecit, inferius tamen, vbi huiusce morbi essentiam & signa repetit, curationemque tradit, mentionẽ habet, doloreque omnino caput, ac male affici asserit. In qua capitis morbosa affectione diximus liquescentem materiam, aut per vias internas, aut per externas destillare; per internas, venas; per externas os & nares intelligentes, nec cõfundentes eam, quæ per trachæam asperam, ad instrumenta spiritualia, ne ceam, quę per gulam ad naturalia descendit, cum ea, quæ per vias internas fluit; quoniam quæ per trachæam, & per gulam desinit, per manifestos meatus, ad oris internas partes desinentes transit. Et ideo hæc per exteriores, non per internos ductus exitum habere dicitur.

2 *Cæcutiunt autem, quum ad venas in oculis peruenerit pituita. Aquosior enim fit visus & turbulentior, & splendor in oculis non similiter splendidus est, neq; in ipso comparet, si videre voluerit, similiter sicut ante, quum splendidus & purus esset.*

HOc tanquam addidamentum, & non principale propositũ nunc superadditur. Nam cum docuisset Hippocrates, quomodo liquescens pituita modo ad os, modo ad nares, modo ad venas, quæ ducunt ad pudendum, destillet, subiungebat: Vbi ea materia per illas venas destillat, hominem multum mingere, & ea, quæ à stranguria fiunt, symptomata pati. Verum quoniam nonnunquam hæc materia, non tantum ad venas inferiores, quæ in vrinaria vasa finiuntur, sed etiam ad eas venas, quæ in oculis terminantur, secedit, quid in hac fluxione ad oculos superueniat, admonet, dicens, hinc cæcutire patientes, Id est, visum hebetari, non autem penitus tolli. Illa enim dictio ἀμβλυώττουσι non cæcitatem, sed obtusum fieri visum importat. Huius symptomatis ea est causa, quod liquescens illa pituita, & inde aquosior reddita destillans, ad oculi venas in eius tunicis splendorem oculorũ obtundens, ac hebetans, albuginesque & maculas his similes, quæ cicatrizatis succedere consueuerunt, crebro inducens imbibitur. Cuius merito nec visio est integra, vti prius erat, cum splendidus esset oculus, nec res integrę, sed dimidiatæ, vt inferius docebit, nonnunquam conspiciuntur. Nam ratione humiditatis visio, splendore oculi imminuto, hebetatur: ratione autem illarum albuginum, quæ modo pupillæ partes superiores, modo inferiores, modo laterales occupant, pro ratione situs eorum, modo videt oculus per partem pupillæ inferiorẽ, modo per superiorem, modo per dextram, modo per sinistram; cuius merito quæ directo pupillæ obiiciuntur, integra videri nequeunt. Quandoque etiam occupata integre pupilla, pari ratione obiecta conspicit, sed obscure admodum, hinc ea fere penitus occæcata, non omnino tamen: nam in hoc affectu, nec integre visio aufertur, nec materia fluens sedem permanentem habet, sed modo ad partes inferiores, modo ad superiores, modo ad laterales, modo alia ratione mouetur, & modo minor, modo amplior apparet, quarum differentiarum merito facile distinguitur ab albuginibus, quæ vlcerum cicatricibus superueniunt, vt alias notaui in annotationibus super lib. 3. Auicennæ.

3 *Hic in quadraginta diebus maxime sanatur.*

EXpicato morbo & eius causis, indiciũ proponit, docens hunc affectũ quadraginta dieb. solui ac terminari. Sed num loqtur de capitis affectu, an de oculorum morbo? vtrumque sub hoc termino concludit. Nam capitis affectus, qui ex causa externa, vtpote ea insolatione, ex aeris refrigeratione, aliaue simili occasione, vbi causa sit vehemens, & cerebrum fuerit repletum, ortum habuere, ad quadragesimum diem, qui est primus lõgorum morborũ terminus, perdurare solent. Vnde tusses, ex eiuscemodi causis ortum ducentes, circa quadraginta dies, vt etiam notat Hippocr. lib. 4. Epid.

Epid. 74. cessare nouimus. Quo autem ad oculorũ morbum, experientia testatur, hos, si nõ negligantur recteq; curentur, rarissime hunc circuitum superare, crebertime autẽ intra eundẽ conquiescere.

4 *Si vero longo tempore postea morbus reuertatur, cutis capitis crassescit, & reliquum corpus attollitur, & crassescit ac bonum calorem habet. Hæc pituita ad carnes conuertitur, & ab hac crassius esse videtur. Nam carnes cum sunt perrigatæ & eleuatæ, ac rariores, sanguinẽ ex venis trahũt, & propterea bene colorati esse vidẽtur.*

QVONIAM, semel insigniter male affecto, ex insigni intemperie cerebro, solet imbecillum caput reddi, quę imbecillitas contracta, nisi aut naturæ, aut artis beneficio tollatur, solet diu reseruari, vnde caput causis præter naturam tam internis, quã externis facile obnoxium redditur, hinc procedit, vt denuo caput pari ratione male affectum alterius morbi à prædicto admodũ diuersi sit fons & origo. Nam sicuti in priori casu materia ex calore liquata per meatus, & vias intra cranium cõtentas destillabat, ita in secundo materia extra craniũ prodiens, & extra caluam erumpens per meatus, & vias exteriores in cutim capitis recipiatur, indeque etiam in vniuersum corpus, ex quo cutis capitis & reliquum corpus attollitur & crassescit, dilabitur, in summaq; morbum eum, quem crassum prisci & vetusti appellabant medici, parit. At quis est crassus hic morbus? & quot eius sunt species? an vnica, an diuersæ? Crassum morbum appellabant eum antiquiores, in quo totum corpus intumesceret, indeq; crassius appareret; hac enim de causa nomen hoc sibi vindicauit. Huius quatuor species, in libr. de inter. affect. versus finem recensebat Hippocrat. Prima species gignitur ex cacochymia pituitosa & biliosa simul mixta, quæ in ventre & in totius corporis ambitu redundans, vniuersum corpus tumidum & crassius reddit. Nam cum hinc sanguis extra naturæ limites deprauetur, indeque calor innatus hebetetur, nutrimentum appositum, nec alteratur, nec assimilatur, quo nec alterato, nec assimilato, corpus necessario in tumorem, recepta in carnosam corporis partẽ copiosa & non discussa materia, attollitur, qui tumor pariter à pituita vi cõmixtæ bilis efferuescente, & quasi bulliente, cuius ratione plurimum caloris & roboris, in diuersis corporis partib. concipiunt, assidue fouetur. Hic morbus ea ratione, quoniã à redundante cacochymia calor innatus obtunditur ac hebetatur, diuturnus est, tamdiuq; protrahitur, vt ad sex annos testetur Hipp. eum posse perseuerare, quo tempore si recte curetur tolli potest. Sin minus vsq; ad decẽ annos, id est, toto vitæ tempore (determinatum tempus ꝓ indeterminato positum est) concomitatur. Occasionem hic morbus habet ex potu aquę, ex fructuũ & rerum crudiorum copioso vsu, eo tempore, quo prius corpus, vel ex aere æstuoso, vel ex labore, vel ex alia simili causa nimium incaluerit. Quæ errata cum plurimũ assueta sint hominibus ruralibus, & ruralia opera exercentibus, hinc fit, vt agrestibus & rusticanis sit hic morbꝰ vt experientia notani diuturna, peculiaris; vrbanis autem ac ciuilibus rarius cõtingat. Secunda species causatur, à copiosiore bile in venis coacetuata, indeq; in hepar regurgitãte, simulque in caput irruente. Hinc intumescit hepar non per verã introductã inflammationẽ, quoniam materia nõ recipitur in porositatibus membri, sed per modũ ac similitudinẽ inflãmationis ad intra vasa, & intra spatia, & circũstantia loca, præcipue autẽ in cauitate mẽbranæ, illud ambientis recepta materia. Tale tumoris genus vocabat Hipp. lib. 4. Epi. 104. in historia illius, qui subuiscosas deiectiones egerebat, nõ inflammationẽ sed tumorẽ eo modo, quo venæ ex repletione intẽduntur, factum. id est, factum in similitudinẽ repletionis, q̃ in cauitatibus manifestis, & in amplo spatio continetur. Dicebat autẽ Hypochondrium intentum apparuit, modo venoso circa sextã. Tale autẽ in hoc ægrotante hypochondrium, scil. dextrum (nã simpliciter hoc ꝓlatum dextrũ intelligitur, vti docuit Gal. lib. 3. Epid. sect. p. text. com. 5.) nõ inflãmatione affectum fuit, quoniã hinc detrimentum ægrotanti, inflammato principali membro, successisset, sed recepta in eius vasibus, per modum crisis morbum facientẽ materia, hinc intumuit, vnde tantum præsidii subsecutũ est, vt æger in septima melius habens dormiuerit, & circa nonam integre iudicatus fuerit. Similẽ tumorem, scilicet non simpliciter inflammatorium, sed recepta materia intra vasa, patitur in hoc crasso morbo hepar; vnde adeo intumescit, vt totum abdomẽ tumeat, pręcipue autem partes eius superiores: cuius ratione septum transuersum attingens, idem in cõsortium morbi adducit. Nam humores calidi ac tenues facile ascendunt, & altiora petunt: cuius merito in caput etiã multa huius bilis copia irruens, illud idem male afficit. Hæc biliosa materia in motu cõstituta efferuescens horrores, febres, dolores, excitates, surditates, corporis imbecillitates, somnos turbulentos, insomnia horribilia, respirandi difficultates, mentis alienationes, deliria, aliaque similia mala patit, non tantum ex propria natura, cum sit humor calidus, acris, feruidus, & praua qualitate donatus, verum etiam quoniam septum transuersum, & cerebrum lædens huiuscemodi accidentia, facile inuehere est apta. Hincque morbum acutum, vt plurimum lethalem, & qui sæpius in septima per mortem terminari, rarius autẽ salubriter decimamquartam attingere solet, procreat. Huius morbi occasionem assignat Hippocr. qualem febris ardentis in principio libri quarti, de ratione victus in acutis assignabat, scilicet peregrinationẽ, & per loca deserta iter factum. Hinc enim corpus incalescens, sitimq; lõgam & vehementem, absumptis ex æstu dulcioribus humiditatibus, incurrens, multũ accumulat bilis in venis ipsis. Quæ vbi eiuscemodi materia repletę fuerint, si irruat subitus ex aliqua occasione timor (quoniã ex timore sanguis, & humores ad viscera affatim cõfluant) regurgitãt in partes internas, hanc bilis copiã, indeq; hunc, de quo loquimur, affectũ pariunt. Quod explicãs Hip. postq̃ peregrinationẽ, & iter p deserta loca factũ enumerasset, hęc addebat: Et timor ipsum ex

ſpectro

spectro corripiat. At sicut peregrinatio & iter per deserta loca factum, sitisque longa recensentur huius morbi causæ, quia hinc copia bilis gignitur, in venisque accumulatur: ita pariter quæcunque aliæ causæ, quæ parem bilis copiam in venis coaceruare idoneæ existunt, sicuti vinorum potentium immodicus potus, salsamentorũ & acrium eduliorũ immoderatus vsus, insolationes, æstuaria sicca, iter æstuosa & sabulosa via longo tempore factũ, aliaque huiusce classis, inter huius morbi occasiones recenseri queunt. Quæ tamen ad hoc patrandum nequaquam sufficiunt, nisi accumulatæ bili ansam ad irruendum in partes inferiores aliqua occasio p̃buerit, eaq; vel externa, qualis est timor, vel interna, qualis esse potest venarum virtus expultrix, à copia & praua qualitate materiei peccantis irritata & male operans, cum ad extra, non ad intra materiam peccantem protrudere potius debeat. Pręter has nihilominus causas vidi etiam, hunc eundem morbum in his, qui venenum hauserunt, factum fuisse. Nam in his facta sanguinis, & humorũ corruptione, cuius merito bile per impotentiam retentricis facultatis, & propter irritationem expultricis in partes tum interiores, tum exteriores effusa, & in spatia ampliora regurgitante, vidi abdomen primo, & inde totum reliquum corpus intumescere, patiq; omnia prænarrata, quæ huic morbo peculiaria sunt mala, quorum violentiam non sustinentes ægri, vitam cum morte miserabiliter commutarunt. Huius igitur morbi crassi hæ sunt causæ. Tertia species fit à pituita non naturali, quæ ex se fuerit acida, sed póstea ex corruptione à propria natura immutata, nidorosam qualitatem conceperit. Gignitur pituita acida à frigiditate, vt ait Gal. lib. 3. Aph. com. 12. frigiditate, scilicet ventriculi & reliquorum propinquorum viscerum. Hæc autem genita, & in corpore coaceruata in propria natura immutatur, & corruptionem concipit, vbi ab intempestiuo, & incõmoderato calore sit deprehensa; nam à tempestiuo & moderato concoquitur, ab illo autem præter naturam immutatur. Intempestiue porro, & incommoderate incalescit, vt docet Hipp. lib. p. de morbis sect. 3. text. 108. vel à cibis & potibus, id est, ab interius assumptis, scilicet vel alimentis, vel medicamentis, vel à laboribus, vulneribus, & aere calido, nimium per propriam temperiem calefaciente, & frigido per nimiam constipationem calorem internum augente, id est, ab exterioribus causis, quæ ipsam possent vltra modũ, & præter rationem calefacere. Hac ratione incalescens pituita, à propria natura immutatur, per corruptionem quandã conceptam alterata. Hanc corruptionem appellat Hipp. improprio nomine putredinem, nam in hoc morbo proprie non putrescit pituita; si enim putrescerer, necessario febrem, aut hepialam, aut simpliciter quotidianam inueheret; at huic morbo nulla connectitur febris. Ex hac autem corruptione, cum pituita quendam nidorem conceperit, hinc fit, vt ea in ventre abundante eructent patientes odorem similem ei, qui à comesto raphano ascendit, qui & acri, & acido sapore simul mixto componitur. Hic morbus à prędicta pituita ortum habens, primam de se significationem præbet, ab incipiente in cruribus ędematoso tumore, qui paulatim augescens, tandẽ ad ipsum ascendit abdomen. Hæc autem pituita, quæ viscerum vitio genita, antea ad partes inferiores, & externas, vnde & abdomẽ, & crura intumuerant, decurrens, cum in illis partibus, ex ea tumentibus & repletis, nullum amplius habeat locum, in quem recipi possit, rursus decurrit ad viscera, id est, licet natura per vim expultricem conetur eam ad loca consueta transmittere, tamen cum nullibi recipiatur, ad viscera recurrit, & in eisdem firmatur. Vbi autem in ijs constiterit, μύζει, id est, mussat (verbum metaphorice positum. Nam sicuti mussare dicuntur, qui submissa voce loquuntur, ita materia hæc circa viscera commota, quoniam facit gurgulationem, & sonitum vix strepentem, ideo dicitur mussare, quam actionem recte referens, & interpretans Galen. murmurare dixit) & mussando, id est, murmurando commota vomitum facit, per quem vomitum excernitur pituita illa, ex sui natura acida quidem, verum ex corruptione quoquo pacto nidorosa facta. Excitato autem hoc vomitu, multa prosequuntur mala; nam materia hæc, quæ sui natura deses, & quieta iacebat, vbi ex hoc vomitu agitatur, prauos vapores ad cerebrum transmittens, & os ventriculi sui acrimonia mordicans, ac viscera ex motu & eruptione dilanians, est in causa, vt ęger ex hoc vomitu deterius se habeat, nec sibi constare videatur, & circa viscera admodum angustietur, dolore capitis vehementi deprehendatur, auditus fere adimatur, visu quodammodo orbetur, & sudor ratione materiæ male olens, ex dolorum violentia proliciatur. Qui sudor tamen postmodum vsui est, cum morbum leuiorem & magis tolerabilẽ, excreta materiei peccantis parte, reddat. Color in hoc ægro, inquit Hippocrates, apparet arcuatus, id est, albus; nam hoc in loco icterum quatinum, de quo superius egerat, & qui fit à pituita, intelligit. Hic morbus paulo minus lethalis est superiore, in quo si æger triginta dies transgressus fuerit, in hoc enim tempore indicat, an sit lethalis vel non, sanus euadit. Sed quomodo hoc, cum hic morbus sit diuturnus, & à pituita pendeat, quę morbos longiores facit, & hoc eo magis, cum in eo febris non cõtingat? Sciendum est Hippocratem casum lethalem vocare, non à principio morbi, cum plurimo tempore nullum minans periculum duret, sed à die, in quo non amplius materia, ad partes inferiores & externas transmissa, sed ad intra viscera retecta vomitum causat. A die enim illo discrimina, & difficultates impendent, quæ si vltra triginta dies superauerit æger, sanitas succedere potest. Verum quoniam ob multa illa incommoda ex vomitu concitato res in notabile deducitur discrimen, ideo dictus est hic morbus, paulo minus priori lethalis, qui nec intra terminum acutorum, cum transcendat quartumdecimum, iudicetur, nec terminum longorum, scilicet quadragesimum, cum intra trigesimum solui possit, attingat. Hæc de tertio morbo crasso. Quarta species fit à pituita alba, id est, naturali. per naturalem eam intelligo, non quæ ex reliquiis

liquis alimenti necessario in prima cibi mutatione & coctione generatur naturaliter in ventriculo, & quæ per vlteriorem coctionem, vel in hepate, vel in venis acquisitã, in benignum sanguinem permutari debet, sed eam, quæ ex imbecillitate ventriculi ac viscerũ copiosior genita, nec corruptionem, nec alterationem vllam præter naturam subierit, id est, quæ nec acida, nec salsa, nec dulcis, nec vllo pacto corrupta existat. Huiusce pituitæ generatio occasionem ex diuturnis morbis, quales sunt febres longinquo tempore ægrum detinentes, habere solet. Nam ex his caloris viscerum innati robur, cuius virtute & abundantia coctiones perficiuntur, dissoluitur & hebetatur, quo acto alimentorum imperfectæ ac impuræ coctiones, cum hinc notabilis cibi pręassumpti quantitas crudior superfit, succedunt. Vnde demandato crudiori ex pituita supra modum congesta sanguine ad partium nutritionem, hinc primo facies, non perfectè alterato, nec assimilato eo sanguine, intumescit, postmodum tumor ad ventrem descendit, in quem vbi materia tumorem faciens constiterit, non solum ventrem in amplam attollit molem, verum etiam hinc facultatem animalem obruens, est in causa, vt tanquam ex nimio labore totum delassetur corpus, ventrisque summam incurrat grauitatem, ac etiam ex nimia repletione, & extensione dolorem. Atque iam morbo complementum recipiente, tument & crura, & pedes, & adeo in anhelitu ex copia materiæ obstruentis, & omnia vasa cõprimentis, æger angustiatur, vt ex omni tetto & graui odote, qualis est odor pulueris admodum exusti, dum in pluuia irrigatur, fere suffocatus animo concidat. Hic morbus est difficilis, & exquisita curatione eger, & adeo diuturnus est, vt ad sex annos eũ perdurare posse testetur Hippocrates; ego autem vidi hunc quidem protractum ad tertium & quartũ annum, non autem ad sextum. Et hæc de quarto morbo crasso, cuius in lib. de inter. affect. factus est sermo. At cum tot sint species morbi crassi, hic crassus morbus, de quo nunc loquitur Hippocrates, num coincidit eum prædictis? Nequaquam: licet enim ex parte materiæ videatur Indentificari cum quarta specie, attamen ratione causæ & modi diuersificatur. Nam in quarta illa specie pituita ex viscerum imbecillitate generabatur, in hoc autem à capite, in quo gignitur, descendit, & ad exteriores ac inferiores corporis partes transmittitur. Præterea pituita in illa quarta specie est crassior, in hac antem tenuior, cuius ratione in illa patientes sunt pallidi & albi, in hac autem sunt sufficienter bene colorati. Nam cum ex pituita tenuiori irrigentur, & eleuentur partes carnosæ, nihil obstat, quin carnes ex venis sanguinem, ex quo bene colorati videantur, cum hinc aliqualiter colore rubro suffundantur, in seipsas attrahant. Hunc morbũ crassum, quoniam in eo tumet corpus, vt in anasarca, maleque nutritur ob fluxionem irruentem, vt male etiam nutritur in hydrope, appellat Hippocrates in libro de locis in homine paulo post principium hydropem, cum tamen non sit vere hydrops: cum hydropis generatio à iecore, hic autem morbus à fluxione ex cerebro pendeat. Quapropter quinque constituendæ sunt crassi morbi distinctæ species. Prima fit à copiosa bile, & pituita simul mixtis: secunda à bile sola, morbum acutum causante: tertia à pituita acida corruptionem patiente: quarta à pituita, naturali vitio viscerum genita: quinta à pituita, naturali vitio cerebri generata. His cõstitutis, liquet hunc morbum reponendum esse in genere tumorum, qui ab inuicem distinguuntur, & ratione materiæ, & ratione modi quo fiunt. At num hoc morbi genus alicui, de quo posteriores artem curatiuam docentes scripserint, identificatur? Videri alicui posset, vel cum cachexia, vel cum leucophlegmatia, de quibus omnes scribentes agunt, identificari, at qui rem exactè perpendat, nouerit hæc ab inuicem longe distincta esse. Nam in cachexia, & leucophlegmatia morbi sedes est hepar, cuius calor innatus, vel hebetatus, vel dissolutus in sanguificandi munere delinquat; at in his crassis morbis, morbi fomes & origo non est ab hepate, sed ab aliis membris, imo in eis hepar illæsum supponitur. Quapropter omnino hæc ab inuicem distincta sunt, & distinctam, vti facile causæ eorum præmonstrant, indicant & quærunt curationem. Quam distinctionem ignorantes medici sæpius, cum eis huiuscemodi morbi offeruntur, ægrotantes, curatione cachexiæ, & leucophlegmatiæ cruciarunt, nihil proficientes, cum horum morborum essentiam, generationem, & causas attendere debuissent. In quartum rerum declaratione sicuti fuerunt diligentes prisci medici, ita nec negligendi sunt.

¶ *Alius morbus. Caput vlceribus impletur, & corpus intumescit, & color morbi regii est, & alias alia corporis parte vlcera erumpunt: & febris alias, atq. alias corripit, & ex dorso aqua fluit. Huic cum in capite pituita subbiliosa connutrita fuerit, vlcera fiunt, vbi sinciput pituita, & bile perrigatum fuerit, & vbi pituita rara, & aceruata fuerit, itemq. bilis. Hac enim consistit, putrescit, & exulceratur. Attenuata vero pituita ad aures penetrat, at in reliquo corpore vlcera eadem ratione, qua in capite, fiunt, sanguine & bile putrefactis, quacunque in parte fuerint collecta. Hac enim parte caro putrescit, & exulceratur, & antecedentem pituitam, ac bilem insuper putrefacit, & fit pus.*

MORBVS hic infantibus ac pueris solet esse peculiaris. Nam in illis ratione viciati lactis, in his vero ex prauo victus regimine plurimum pituitæ ac bilis gigni, & accumulari consueuit. Hæ materiæ primo in caput, vtpote corporis partem humidissimam, & excrementosissimam à natura reiiciuntur, quæ vbi sinciput perrigauerint, & in carnosam & cutaneam capitis partem receptę fuerint, tumorem & vlcus inducunt; tumorem quidẽ ob copiam materiæ transmissæ, vlcus autem, quia materia vim erodendi habet. Tale vlceris ac tumoris genus Gręci achorea, nostræ mulieres lactumina

mina vocant. Achores dicuntur ob accessionum, quæ ad hanc affectionem consequuntur, proprietatem, nam valde tenuibus foraminibus cutis capitis eroditur, quæ tenuem in se humorem modice viscosum complectuntur. Talis aut sordes achor à Græcis vocatur. Lactumina autem appellantur à mulieribus, quoniam eę affectiones præcipue fiunt ipsis pueris lactentibus, eosdemque sæpius vsque ad ablactationem concomitari consueuerunt. Quod vitium, si modica est materia expurganda, per solam capitis cutem, ea vlcerata existente, expurgatur; vbi autem copiosior extiterit, non solum caput, sed etiam reliquum corpus corripit. Ex quo & tumet, cum ἀφρῶδες φλέγμα, id est, fungosa pituita, (talis enim est quia & pluribus spiritibus scatet, & vigore bilis incalescens turget) in eo recipiatur, & vlceretur, cum bilis mordicantis ratione cutis erodatur. Quod vlceris genus sordidum esse solet, quoniam bilis pituitæ mixta viscositatem concipiens cuti inhæret, & inde crustosum & sordidũ vlcus facit. Dum autem ob bilis & pituitæ copiam non tantum caput, sed & corporis modo has partes, modo illas corripit morbus, communicata sanguini cacochymia, totum corpus male habet. Hinc enim notabiliter tumet, recepta in partibus exterioribus copiosa materia, hincque sæpius febrem incurrit, quæ non ex vera putredine humorum in venis, sed ex alteratione in materia transmittenda concepta, & ex inflammatiuncula in parte affecta causata, ortum habet. Ex hac eadem cacochymia succedit, vt facile præter caput corporis reliquum vlceribus scateat, quoniam hinc caro prauo nutrimento imbuta, & ad putredinem disposita, superaccedente noua bilis & pituitæ mixtione, facillime vlceratur, & putrescit, superinductis vlceribus sordidis & pus manantibus: cuius metiro etiam à nõnullis, talis morbi vlcera manantia appellantur. Morbus igitur de quo loquitur Hippocrates, est illud vitium, cum ob superabundantem cacochymiam nõ tantum caput, sed etiam vniuersum corpus, ex quo & tumeat, & vlcera in diuersis partibus patiatur, deprehenderit. Quod licet infantibus ac pueris sit peculiare, in adultis tamen quandoque superuenit, in hisq; est grauior, quam in illis, quoniam in infantibus & pueris ob cutis & totius habitus mollitiem facilior, & minus dolorosa est excretio, quam in adultis. In quibus cutis & habitus durior factus, maiori cum dolore vlcerãtur, maiorique cum molestia & tædio affliguntur; cum in adultis fiat continue minor per cutem humorum peccantium transpiratio, quam in pueris, & in infantibus. Hæc quo ad sensum. Quo autem ad literam, duo addenda sunt. Primum est, quomodo dictum est ab Hipp. quod color est in his morbi regii: secundum qua ratione dictum est, quod in his aqua ex dorso fluit. Quo ad primum, cuiq; notum est, in hac afflictione non modo non vitiari corporis colorem, quinimo, si sit vitiatus, ex facta per hęc vlcera vitiosi humoris euacuatione emẽdari; quare ad hunc sensum litera non verificatur. Quid igitur dicendum? Inferius tex 22. quo in loco iterum de hoc morbo agens curationem explicaturus est, hanc rem declarat Hipp. dicens, & si premas, color morbi regii apparet. Sciendum est enim quod in omni corpore, si digito premas, recurrit sanguis à loco compresso, vnde albidior cutis compressa apparet. In hoc morbo autem, cum caro cacochymia illa sit irrigata, & imbuta, si premas digito, cutis nõ albidior apparet, sed colorem morbi regii præ se fert, & talis videtur, qualis in ictericis comparet. Nam ex compressione recurrens sanguis remanet biliosa cacochymia, ex qua nutrita est cutis, & ex qua icterício colore suffusa colorẽ morbi regii referat. Quo ad secundum, experimento non constat in his aquam ex dorso fluere, nisi per aquam intelligamus sudorẽ, in febris terminatione superuenientem. At sicut sudor in dorso terminante febre apparet, ita & in aliis etiam superuenit partibus; quare si per hanc aquam sudor audiendus est, non soli dorso ascribendus erat. Qua de re in eã eo sententiam, vt de corruptione literæ ambigam. Nam cum paulo infra dictorum rationem assignans, doceat pituitam attenuatam ad aures peruenire, & inferius text. 22. dicat in hoc morbo aquam ex auribus (non ex dorso) fluere, suspicor non ἐκ νώτου, id est, ex dorso, sed ἐκ ὤτων, id est, ex auribus legendum esse, & facilis potuit esse lapsus addita ν. in principio, eademq; in fine in ο. permutata. Quæ sententia sicuti rationabilior est, & ad mentem authoris in duobus locis citatis, ita etiam experimento magis cõprobatur, cũ nouerimus in plurimis ab hoc morbo detentis ex auribus ichorosos & aquosos, licet aliquãdo purulentos, quandoq; purgari humores.

6 *Alius morbus. Dolor circum circa caput vexat, & vomit bilem, & difficulter mingit, & desipit. Hic caput quidem dolet præ nimia eius calefactione, desipit autem, cum sanguis in capite à bile ac pituita fuerit calefactus, & plus solito commotus. Vomit autem bilem, vtpote commota ipsa in corpore, & caput præ caliditate trahit in seipsum, & crassissimum quidem vomit, tenuissimũ vero in seipsum trahit. Mingit autem & in hoc morbo ab iisdem, velut etiam in superiori dictum est.*

MORBVS hic grauis admodũ, ac perdifficilis existit, cum intra terminũ acutorũ, nisi naturę beneficio soluatur, aut ab arte summũ recipiat leuamentũ, interimere ægrotantes cõsueuerit. Huius quatuor notabilia recenset accidẽtia. Primũ est dolor circum circa caput deprehendens: secundũ est bilis vomitus: tertiũ est difficultas lotii: quartũ est desipientia. Fit autẽ hic morbus, cũ vberior biliosi humoris cacochymia in corpore cõmota ad cerebrũ ascẽdens, nõ in eius substantiã, quoniã hinc inflammationes verę & phrenetides causarentur, sed in eius vasa recipitur, nõ inflammationẽ veram, sed affectũ inflammationi similẽ, qualem dixi ex Hipp. lib. 4. Epid. fieri per repletionẽ vasorum in hepate, & qualẽ dixit Gal. libr. 2. Aph. com. 42. à sanguine fieri in cerebro, causans. Ad hunc affectum, id est, ad bilẽ in vniuerso corpore commotam & ꝓ parte in vasa cerebri receptã, monet Hipp. quatuor pręcipue.

cipue.

elpue aduertenda superuenire accidentia: primum est dolor circum circa caput deprehédens: secundum est bilis vomitus: tertium est difficultas lotii: quartum est desipientia. Quorum omnium causas recensens, inquit, dolorem causari ex immodica cerebri à bilioso succo calefactione: nam cum omnis insignis intemperies commoderantiam soluat, hinc dolores facillime producuntur. Desipientia autem causatur, quoniam ex hoc bilis influxu, sanguis in cerebro pręter naturæ ordinem, tum calidior, tum mobilior redditur: calidior quidem ex propria bilis feruida temperie, mobilior autem, quia à bile attenuatur, & inde cócitato calore mouetur. Sanguine autem feruido & mobili facto, insequitur desipientia, quoniam cum sanguis, vt in primo libro de morbis sect. 3. tex. 137. habetur, maximam partem ad prudentiam conferat, quidam etiá dicunt totum (quod legitur in libr. de flatibus) eo intemperie alterato, & in substátia permutato, non sibi constabit homo, quoniam hinc eius commoderatio, cuius merito homines sapiunt, tollitur. Vomitus autem insequitur, quoniá commota bile pars tenuior in cerebrum repit, ex qua prædicta symptomata resultant, pars auté crassior circa viscera inundat, quæ cum sui natura facile ad ventriculum refluat, hinc ex leui motu, & causa vomitum concitans, per eum educitur. Difficultas vero lotii superuenit, nó quia propriá dysmiam patiantur, sed quia ex redundante bile, reddito acriori lotio, mingunt cum aliquali labore, ac extra naturæ ordinem stimulo. Et hæc de morbo & causis.

7 *Alius morbus. Si circa cerebrum venulæ supereuomant, nomen quidem rectum morbo non est, (neq. enim fieri potest, vt aliqua vena, siue parua, siue magna supereu[illegible]) nominant tamé, & dicunt supereuomi[illegible] vero etiam quam maxime supereuomant, morbum ab hoc fieri non est verisimile. Nam à bono malum fieri non potest, neq. à malo vtiq. bonum fiat. Neque rursus bonum plus iusto fieri potest. Verum supereuomere videntur, quum ad venas bilis, aut pituita ingressa fuerit. Eleuantur enim venæ, & pulsant, & dolor per totum caput dispergitur: & aures sonitum percipiunt, ac nihil audiunt. Et sonitum quidem percipiunt, vtpote venis pulsantibus, & palpitantibus. Tunc autem sonitus est in capite. Grauiter autem audiunt partim præ interno strepitu, ac sonitu, partim quum cerebrum, & venæ circa ipsum eleuantur. Præ nimia enim caliditate vacuam circa aurem partem cerebrum de se ipso implet: & quum æqualis aeris copia non insit, velut priori tempore, neq. æqualem sonum exhibeat, ea, quæ dicuntur, non æqualiter se imprimunt, atque ex hoc grauem auditum habent. Hic si quidem erumpat ipsi ad nares, aut ad os, aqua & pituita, sanus fit; si vero non erumpat, septima die maxime moritur.*

SANGVIS naturalis in venarũ (per venas nunc tam arterias, quã venas proprio nomine dictas audiamus; antiquiores enim medici nomine venarum vtrasque appellabant) cauitate naturaliter continetur, qui postea per earundem porositates & capellamenta proportionaliter, & conuenienti ordine à membris, pro ipsorum debita nutritione transsumitur. Hic idem sanguis, si qualitate & admixtione prauorum succorum, vel quantitate copiosior, quam sit ex naturæ præscripto, peccauerit, vix amplius in venis coercetur à natura, imo sæpius irritatione facta, earum aut adapertis osculis, aut rarefactis tunicis, ad diuersas corporis partes effunditur. In qua effusione, vel ad intra membrorũ porositates, vel in ampla quædam, quæ inter ipsa mediant, spatia recipitur; ex quo diuersa vel tumorum, si in porositates, vel abscessuum, si in cauitates receptus fuerit, genera oriuntur. Hunc effusionis modum, per quem sanguis ex venis erumpens non in porositates, sed in spatia corporis partes mediantia recipitur, vocat Hippocrates venarum superuomitum, metaphorice sumpto nomine à vomitu proprie dicto, & ratione ventriculi facto. Nam sicut in isto irritato ore ventriculi, à materia vel qualitate, vel quantitate peccante, insurgit ventriculus ad talem excretionem, & extra se per os materiam peccantem secernit: ita in hac effusione irritatæ venæ à sanguine, qualitate & quantitate viciato, sui ipsarum adapertis, vel porositatibus, vel osculis, insurgunt ad eructandum, hunc sanguiné vitiosum, & eum in spatia illa effundunt. Talé casum (quem maxime à medicis, cum aliquando contingat, nihil tale ipsis cogitantibus, aduertendum duco) duplici ratione fieri in capite, cuius passiones nunc docere intendit Hippocrates, monet. Nam cum ex capitis partibus, quas mediat cranium, aliæ sint exteriores, aliæ interiores, in vtrisque hunc casum contingere posse asserit. Primum appellat, (de quo nunc agitur) superuomitum venarum circa cerebrum: secundum vocat, (de quo in sequenti) superuomitũ venarum in capite. Agens autem, de primo, inquit, improprie dictum esse hunc morbum superuomitum venarum, quoniam vomitus nó est venarum, sed ventriculi affectus. Sed & si supereuomant ꝓprie addit Hippocrates, venę, morbum ab hoc ipso superuomitu fieri non est verisimile, id est, nó est censendum, hunc superuomitum, cum hinc venæ materiam sibi infestam excreuerint, & inde alleuiatæ fiunt, essentialiter morbũ esse, nec in eo morbi essentiam consistere. Nam à bono malum fieri nõ potest, id est, nam in eo quod est salutare, (salutare autem est venis materiam peccantem exclusisse) non potest morbus consistere. Neque à malo vtique bonũ fiat, id est, sicuti nec in eo, quod est morbosum, sanitas subsistit. Neque rursus bonum plus iusto fieri potest, id est, nec si dixeris naturã in hoc superuomitu plus iusto, cum intra venas coercere, non extra mittere sanguinem debeat, operantem morbosum affectum in eo constituisse, hoc affirmandum est, quoniam quod salubre est, cum sanitas sit perfectio, plus iusto esse nequit salubre, quare si in hac sanguinis excretione fuit salutare venis

eam materiam excernere, non plus Iusto factum dici debet, quoniam bonum per intensionem bonitatis malum euadere non potest. Sed si hic superuomitus non est morbus, quis igitur hic erit, de quo hoc in loco agit Hippocrates, & cuius inferius curationē explicabit? Hic erit instrumentalis morbus, pendens à materia sanguinea, replente & obstruente eas cerebri cauitates, & spatia, quæ ex præscripto naturæ vacua, & ab omni materia nuda & inania esse debent. Quare superuomitus illæ venarum circa cerebrum, vt rectè dictum est ab Hippocrate, nō est is morbus, cuius essentiam & curationem quærimus, licet eius sit causa cum bonū mali, & malum boni causa, licet per accidens, esse queat. Hunc superuomitum inquit Hippocrates, hæc accidentia significant, commota bile & pituita, receptaque in venas, sanguis æstuat, ex quo attolluntur venæ, eo in ampliori mole tumente, & pulsant arteriæ, pituita in flatus conuersa, & inflammatoria affectione superinducta, & dolor per totum caput dispergitur, eo non tantum ex copia grauato, verum etiam ex inflammatorio affectu supercalefacto, & à vaporoso flatu in partibus membranosis dilaniato, aures sordescunt, sonitum externum nō percipientes, internum autem, pulsantibus & palpitantibus ex prædictis causis interioribus vasis, solum sentientes, nam vt dicebat Philosophus, intus existens prohibet extraneum. Quæ surditas fouetur etiam ex eo, quod cerebrum ex æstuante illo sanguine supercalefactum tumet, tumens autem internam cranei cauitatē replet. Qua repleta aeris interni copia, ex qua cerebrum euentabatur, deest, indeque, quoniam hic ad sensus auditus perspicacitatem confert, surditas concepta adiuuatur, aurium etiam meatibus, & neruis ex tumentibus vasibus angustiatis. Hæc ad hunc morbum, dum est in fieri, succedunt: ad factum autem, sicuti inferius docebit, subsequitur febris vehemens, dolor tempora, syncipat, occiput, & in summa vniuersum caput occupans, anxietas magna, iactatio ingens, ex quibus vel in quinta, vel in sexta, vt infra habetur, vel ad summum, vt hoc in loco monet, in septima pereant ægrotantes, nisi naturæ aut artis beneficio aqua, aut pituita, id est, materia peccans per coctionem, aut per suppurationem deuicta ex naribus, aut ex ore erumpat.

8 *At si in capite venæ superuomant, id, quod ab iisdem fit, & quæ prius relata sunt. Signum vero, quod tali modo superuomat, hoc est. Quum quis aut manum, aut aliam quandam corporis partem, hoc patientem incidat, sanguis niger profluit, & turbatus, ac morbosus: quanquam neq. sanguis nominari iuste mereatur, nisi tunc quū rubicundus, ac syncerus fluit. Quum itaq. superuomant ab iisdem causis, dolor, & vertigo, & grauitas caput occupant. Dolor quidem præ nimia sanguinis caliditate: vertigo autem, quum aceruatim ad faciem processerit sanguis. Grauitas autem, quod copiosior sanguis sit in capite, & turbulentior, ac morbosior, quam intrinsecus.*

HIc secundus est superuomentium venarum in capite casus, videlicet, cum sanguis non intra, sed extra cranium à venis effunditur. Ad hanc effusionem inquit, subsequi eadem accidentia, quę in superiori relata sunt, scilicet venarum tumor, & pulsatio, dolor vniuersum caput occupans, qui vt inferius habebit, communicatur collo, surditas & tinnitus ad intra aures, insuper vertigo, cæteraque omnia præter febrem, quæ huic morbo non connectitur, vt infra docebit. Signum autem talis superuomitus satis remotum tradit, dicens hoc deprehendi, vbi vulnerata qualibet corporis parte sanguis non floridus & syncerus, sed niger, & turbatus, ac morbosus prodeat. Sed quomodo hoc? quoniam hinc cacochimiam deprehendi, ex qua vitiatur sanguis, significare intendit. Nam sanguis floridus & syncerus, qui per Antonomiam sanguis vocari debet, in tali casu apparere nequit: niger autem, & turbatus, & morbosus exiens, vbi cætera prænarrata adsunt symptomata, clare attestari possunt in capite venas sanguinem superuomisse. Qui sanguis in causa dolons est præ nimia caliditate, vertiginis autē, quoniā affatim irruens in faciē, indeq; euaporās, partes inferiores inficit, grauat autē ex copia, & quia magis turbulentus, & magis morbosus est, q̄ ille qui est in interioribus capitis partibus.

Cerebri corruptio.

9 *Si cerebrum corruptum fuerit, dolor ex capite spinam occupat, & ad cor animi deliquium procedit, & sudor adest, & somni expers est, & ex naribus sanguis fluit: sæpe etiam sanguinem vomit. Corrumpitur autem cerebrum tali modo, quum aut nimis calefactum, aut perfrigeratum, biliosum, aut pituitosum plus solito factū fuerit. Vbi vero horum aliquid perpessum fuerit, etiam spinalem medullam supercalefacit. Et quoniam etiam hac percalescit, dolorem spina inducit. Animo vero linquitur homo, quum pituita, aut bilis ad cor consistit. Consistere autem necesse est commotis ac humectatis. Sudor autem fit præ labore. Sanguinem vero vomit quū venæ, quæ sunt in capite, à cerebro fuerint calefactæ. Quæ vero circa spinam sunt, à spina: spina autem à spinali medulla: medulla vero à cerebro, vnde sane originē trahit. Quū igitur calefactæ fuerint venæ, & sanguis in ipsis efferbuerit, quæ quidē in capite sunt venæ, distribuunt ipsum ad os, & ad nares: quæ vero circa spinam sanguisluæ, in corpus. Hic tertia aut quinta die plerunq. perit.*

PERSEVERANS Hipp. in explicatione morborum cerebri sub titulo sphacelismi, tres eius species, q̄ summopere lethales sunt, & vt plurimū patientes pdunt, recenset; quatū prima fit à causa & humore calido: secunda à causa & humore frigido: tertia ab ebrietate. Primā autē explicans eā proprio nomine cere-

cerebri sphacelum, seu corruptionem appellat, vel quia in eo proprie sphacelletur, id est, integre corrumpatur cerebrum, vt fit in moribundis, vel quia ex caussa morbifica prope ad sphacelum; id est, ad corruptionem, vt contingit in his, qui saluantur, accedat. At vnde hæc cerebri corruptio caussatur? Ex ingenti inflammatione, quæ corpus & substantiam ipsam cerebri corripiat. Hinc enim deuicta à magnitudine inflammationis natura, cerebrum nigrescit, & morticinum colorem, qualem in gangrænatis partibus carnosis superuenire nouimus, adipiscitur, tandemque intermortua eius substantia corrumpitur. Verum si inflammatio non ita vehemens existat, sitque adeo in magnitudine remissa, vt natura morbo reluctari queat, nō amplius quidem integre cerebrum inde corrumpitur, attamen per quandam analogiam, non ad effectum sed ad caussam, quoniā ex ea inflammatione periculum corruptionis initit. dicitur etiam in tali casu, licet nomine improprio, vt notauit Gal. lib. 7. Aph. com. 51. cerebrum sphacellatū, seu corruptum esse, nō quia vere corruptum, sed quia in via corruptionis fuerit. Agens igitur de hac cerebri corruptione Hipp. monet, ad hunc morbum, dum est in fieri (ad factū enim vt alias de cerebri inflāmatione scribens notaui, alia succedunt symptomata) subsequi huiusmodi mala. Ex quibus primus est dolor capitis qui ad spinam communicatur, nam feruente sanguine, & succis calidioribus in cerebro, dum fit inflāmatio, non potest non dolere caput ex ingenti feruore intemperiei calidioris, ab ipsa inflammante materia concepto; pariterq; spina non potest nō esse particeps dictarū passionum, quoniā medulla spinalis in ea contenta, originem ab ipso cerebro trahit. Secundo animi deliquium succedit, quoniam facta humorum in toto corpore, ob ingruentē inflammationem, commotione, valdeq; ad affectum cerebrum ore ventriculi, quod antiqui vulgari nomine, vt nunc vocat Hipp. cor appellabant, compatiente, cuius ratione in eranet fractura, & in præcisione cerebri biliosi vomitus, & serosarum materierum excretiones fiunt, necessario ad os ventriculi praui decurrunt humores, qui ratione turbationis humorum commoti ac humectati, illud obsidentes sunt in causa, vt ægri animo delinquant. Tertio sudor adest ex labore naturæ superueniens. Quarto somnus ablegatur, vel quia supercalefacta à calidioribus succis parte vigilia inducatur; vel quia his ægrotantibus, vt in proprio capite notaui, in continuo motu, & agitatione existentibus videantur nunq̄ dormire, sed perpetuo vigilare. Quinto his fluit sanguis ex naribus, nam ex nimia sanguinis copia cerebrū occupante venæ aperiuntur, ex quibus in morituris stillans, in his, qui saluari possunt, copiosus erūpit. Sexto & vltimo (addit Hipp.) sæpe etiam sanguinem vomunt, id est, aliquando, non semper his erumpit sanguis per os. Talem sanguinis per os eruptionē vocat Hipp. vomitū, ad differentiam eius quę fit per nares, non q̄ sentiat eam fieri à ventriculo, per quem verus & simpliciter dictus vomitus caussatur. Nam declarans qua ratione sanguinis vomitus in his cōtingat, aperte eum à cerebro efferuescente in eius, ac in circumstantium & contiguarū partium venis sanguine ipso in os eructari monet. Tot igitur sunt symptomata hūc morbum cōsequentia, & cerebri corruptionē attestantia. Ex qua autē occasione cerebrum hanc incurrat passionem, declarans Hipp. inquit: Corrumpitur vero cerebrum tali modo, cum aut nimium calefactum, aut nimium perfrigeratum biliosum, aut pituitosum plus solito factum fuerit. Quæ sententia duplicem, & vtrumq; veritati consentaneum recipit sensum. Primus est, q̄ cerebrum corruptionis discrimen incurrit, aut cum nimium calefactum, & valde biliosum redditum occasionem ingentis inflammationis ex suscepto feruore cōcipit, aut cum nimium refrigeratum, & pituitosum factum ex refrigeratione cōstipationem, ex pituita obstructionem concipiens, valde intrinsecus incalescat, calore intus cohibito, & vaporibus introclusis, ex quibus feruens inflammationi occasionem præbeat. Secundus est, q̄ cum sub titulo sphacelati cerebri agat, & de pręsenti cerebri corruptione, quæ à calidis fit succis, & de sequenti affectu, qui à frigidis generatur humoribus, hic intēdat Hipp. tradere vtriusq; caussas, præsentis quidem, dum caussas & occasiones calidas; sequentis autē, dum frigidas recenset. Huius autē corruptionis cerebri iudiciū proponens, an ex hoc morbo ęgrotantes tertia aut quinta die interire. Quod pereant in die tertia vt plurimum ægrotantes ex hoc morbo, & inferius, & lib. 7. Aph. 51. etiam testatus est. Quod autem in quinta, hoc in loco tantum dixit, ex quibus pateat, quod potius in tertia, q̄ in quinta pereant. Sed cur in tertia potius, q̄ in quinta? Quoniam sicuti febres deterrimæ, & signis affligentes difficillimis, vt habetur libr. 3. Prog. tex. 2. quarto, aut citius interimunt, ita hic morbus cum sit deterrimus, & signis affligat difficillimis, citius quam in quarto, qui erit tertius, potius q̄ in quinto perimet patientes. Sed cur addidit nunc in quinta? quoniā nonnunq̄ in robustissimis corporibus possunt iudicia, & mortes prorogari, vnde si patiens sit roboris vehementis, poterit nō in tertia perire, sed ad quintā prorogari. Quartam autē diem pertransibit, quoniā cum hic morbus fiat à feruido sanguine, qui rationem bilis habet, alternis diebus imparibus iudicia habebit. Nā si crises & mortes fiunt in vigore accessionum, in quarta non peribit, cum ea sit dies minoris accessionis, & inter illas duas quietior.

10 *Alius morbus. Derepente dolor occupat caput, & statim vox intercapitur, ac sui impotens fit. Hic in septē diebus moritur, si non febris innaserit. Si autē hæc innaserit, sanus euadit. Patitur autē hæc, quū atra bilis ipsi in capite cōmota fluxerit: maxime in partē, in qua plurima sunt venæ, in collum inquā & pectus. Deinde postridie syderatus fit, ac impotens, sanguine membrū perfrigato. Et si superior euaserit, ita vt sanguis calescat, siue ab his, quæ exhibentur, siue à seipso, attollitur ac diffunditur, ac mouetur, & spirationem inducit, & spumescit, & à bile separa-*

tur, & sanus euadit. Si verò superior non euaserit, adhuc magis perfrigeratur, & vbi penitus perfrigeratus fuerit, & calor ex ipso defecerit, congelatur, & moueri non potest, sed moritur.

SECVNDVM casum, qui sub titulo corruptionis cerebri cōprehenditur, & qui à causa, & materia frigida ortū ducit, nunc explicat Hipp. dicens, huic affectui repentinū antecedere capitis dolorē, subsequi autem subitam vocis interceptionē, & corporis impotentiā. Sed quis est hic morbus, in quo præcedente capitis dolore, statim vox intercipiatur, & corpus impotens reddatur? Vocis interceptio, q̄ græci aphoniam appellant, non tantū ipsius vocis, verum etiā omnium sensuum tam internorū, q̄ externorum carentiā penes Hipp. significat. Hæc carentia tribus morborum generibus solet esse peculiaris, scilicet epilepsiæ, apoplexiæ, ac syncopæ cardiacæ, & ideo Hippoc. communi nomine aphoniæ, vti notat Gal. libr. 4. reg. acut. com. 23. tres prædictos affectus intelligit. Vteri autem perforationes, aliasque similes passiones, in quibus nonnunq̄ & vocis, & sensuum interceptiones carentiæq; accidunt, sub eo nomine non cōprehendit, quoniā quæ subito fiunt interceptiones, aphonias vocat, at in perforationibus, aliisque similibus morbis non subito hæ fiunt, sed præludia plura, vt animi defectiones, anxietates, inquietudines, desperationes, mœstitiæ, aliaque similia temporanea antecedunt mala. Sed q̄uis epilepsiam, apoplexiā, & syncopen cardiacam vocis subita interceptio cōmuniter denotet, nō tamen hoc in loco hæ omnes passiones intelligendæ sunt. Nam cum vltra vocis interceptionem adsit & corporis impotentia, id est, imbecillitas, & motus carentia, clare hinc excluditur epilepsia, cum in ipsa nō immobilitas, sed conuulsiuus annectatur motus. Excluditur etiam syncope cardiaca, quoniam hæc subito interficit, præsens autem, de quo agitur, affectus vsque ad septimam perdurare potest. Quare sola venit intelligenda apoplexia: nam in hac omnia ista contingunt, & præter hæc, vt inferius proprio loco text. 38. annotabit, stertor superuenire, vbi affectio sit ingens, solet. Nam in forti apoplexia solet stertor accidere ob respirationi destinatorum instrumentorū resolutionem, ac imbecillitatē. Ex hoc morbo, inquit Hipp. pereunt ęgrotantes in septima, nisi febris deprehenderit. Quam eandem sententiā habens lib. 6. Aph. 51. dicebat: Quicunque sani dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit. Hic autē addit: Si autem hęc inuaserit, sanus euadit. Quæ sententia sicuti non semper verificatur, cum nonnulli apoplectici etiam superueniente febre pereant, cuius ratione nec in aphorismo hęc adscripta sunt, ita regulari debent, per ea quæ inferius, de hoc eodem morbo habentur, quo loci habet Hippocrates: Si vero corripiat, plerunque sanus fit. Nam hæc sententia in pluribus, non semper, vera esse deprehenditur, cum in subiectis debilioribus, ex tam graui morbo, licet febris superuenerit, mors potius quam salus succedat, ex qua tamen robusti euadere possent. Sed quale iuuamentum præstat febris huic morbo? pręstat coctionem per calorem proprium. Nam licet coctio primo, & principaliter fiat ab ingenito calore, attamen etiam calor pręter naturam, quandoq; coctionem procurat, quoniam hinc attenuatis, & percalefactis succis crassis & frigidis, natura deinceps coctionem facile perficit. Huius merito dicebat Hipp. libr. 5. Aph. 70. conuulsos quartana superueniente liberari, & lib. 6. Epid. sect. 2. text. 10. grauedinosos minus grauedine tētari, si febre corripiantur. Qua eadem ratione hic asserit, si vero febre corripiantur, quoniam hinc humor apoplexiam causans cōcoctioni disponitur, sanitati pristinæ restitui posse. His duobus de hoc morbo explicatis, scilicet essentia, & iudicio, duo alia subnectit Hippocrates maxime consideranda; quorum alterum est, à qua materia, & qua ratione fiat hic morbus; alterum quo pacto, & qua ratione, vel ad salutem, vel ad mortem terminetur. Quo ad primum, inquit Hippocrates: Patitur autem hæc, id est, tunc inuadit hic morbus, cum atra bilis ipsi in capite fluxerit, id est, cum melancholicus succus commotus in capite fluxerit. Sed quo fluxerit? fluxerit ad cerebri ventriculos, & irruerit in vasa ampliora, & venas, ac arterias ipsius, in eisque obstructiones fecerit. Subdit Hippocrates, maxime in partem, in qua plurimæ sunt venæ, in collum inquam & pectus, id est, qui succus adeo copiose abundat, vt non solum in cerebri vasa, sed etiam in alias partes, in quibus plurimæ sunt venæ maiores, sicuti in collum, & in pectus, irruat, quas etiam pari ratione, vt illas cerebri, obstruat. Necest, quod per illam dictionem, maxime, intelligas materiam in capite commotam fluere in cerebro in partem, in qua plurimæ sint amplæ venæ, quale est collum, & thorax, in easque solum, non in cerebro obstructionem causare, tum quoniam ex sola harum venarum obstructione, vt alias declaraui, non potest fieri subitus apoplexiæ casus, tum quoniam hic morbus sub titulo corruptionis cerebri comprehensus, clare arguit in cerebro eius essentiam, & affectum non in aliis membris consistere. Quod non animaduertens Auicenna, qui forsan ex hoc loco ab Hippocrate transcripsit, ex obstructione venarum iugularium, & arteriarū carotidum apoplexiam fieri in manifestum incidit errorem. Subiungit, deinceps, Hippocrates, id est, causata in prædictis membris obstructione, postridie syderatus fit, ac impotens, id est, sensu ac motu, vna cum detentione principum facultatum postridie priuatur. Sed quomodo dictum est postridie, cum ad has obstructiones, & ad hunc factum morbum, non intermedient dies, sed subitus succedat casus? quod idem affirmans Hippocrates superius dicebat: De repente dolor occupat caput, & statim vox intercipitur, & fit impotens fit. & libr. 7. Aphorism. dicebat: Quicunque sani dolore capitis repente corripiuntur, & statim muti fiunt. Si autem statim, quomodo postridie hoc dictum est fieri? Solutio

est

est facilis, quoniam huic difficultati non Hippo. sed interpretes occasionem dederunt, cum illa verba καὶ τῇ ἑξῆς male interpretati fuerint. Nam illa dictio ἑξῆς non postridie, sed continuum & nullo intervallo interposito immediatum tempus significat, vt verborum Hippocratis talis sit sensus: Deinceps & continuo nullo interposito tempore syderatus sit ac impotens, sanguine nimirum perfrigerato, id est, hinc videlicet tum ex materia, tum ex obstructione refrigerato existente sanguine ipso: ex obstructione enim calor suffocatur, à melancholico autem succo refrigeratur. Sed num solus melancholicus succus huiusce morbi est causa? Nequaquam. Nulli enim est dubium, quin etiam à pituita causetur, sed Hippoc. hoc in loco deterrimi succi meminisse voluit, vt deterrimam huius morbi causam exprimeret, & eiusdem tanquam exemplar proponeret, quod idem lib 4. reg. acu. tex. 27. similem passionum causam assignans, egit; & 83. confirmauit. Et hæc de primo. Quoad secundum, docens rationem diuersitatis terminationis huius morbi, inquit, tunc patientem ex hoc morbo euadere, cum vel naturæ, vel artis beneficio sanguis iterum incaluerit: incalescens enim non amplius in illis vasibus angustiatur, sed diffunditur ac mouetur, & spirationem inducit, id est, spiritus permeare concedit, & spumescit, id est, non amplius compactus & condensatus est, sed ad formam spumæ rarescit, & à bile scilic. atra separatur, ea videlicet à natura euicta, & sanus euadit, id est, sanguis, qui prius morbosus ob nimiam refrigerationem inductis obstructionibus erat, nunc sanati corporis proportionatus & accommodatus euadit. Si autem huius oppositum contigerit, videlicet, quod nec naturæ nec artis beneficio recalescat, magis perfrigeratur. Infrigidatione autem hac augescente, calor proprius sanguinis ac eiusdem spiritus extinguitur, indeq; coit sanguis, & congelatur, ac immobilis euadit. Ad tantam autem refrigerationem & ad concretionem, & ad immobilitatem ineuitabiliter ac necessario mors succedit.

11 *At si ex ebrietatibus hæc patiatur, (nam & hoc contingit) itidem moritur.*

TERTIVM casum sub titulo corruptionis cerebri comprehensum nunc explicat, dicens: Si ex ebrietate quis eadem, quæ de superiori morbo dicta sunt, patiatur, id est, si quis ebrius vocis interruptionem incurrat, & impotens fiat, hoc est, si vna cum principum facultatum detentione sensu & motu priuetur, (hæc enim eadem mala, quæ de superiori morbo dicta sunt, ex ebrietate pariter gignuntur) itidem moritur, id est, eademmet ratione, qua in priori casu dictum est, peribit, cum euadere nequeat, nisi febris superueniat, vel nisi vocem, vt addit lib. 5. aph. 5. (quo loci de hoc eodem casu loquutus est) ea hora, qua crapulæ terminari solent, recuperet. Eadem, inquam, ratione pereunt hi ac priores, non tamen eadem die: nam illi in septima, sicuti superius dictum est, hi in tertia, vt inferius docebit, perire solent. Ratio diuersitatis est, quoniam superior morbus à materia frigida pendens longior esse potest, cum tamen septimam excedere nequeat, quia pars affecta est quam maxime principalis. Tales vero partes non diu, vt habet Galen. lib. 6. aph. 51. fortes tolerant passiones. hic autem breuior est, nec vltra triduum prorogatur, quoniam vitio crapulæ generatur, cuius solutio tertium diem non excedit. Si autem tertia die ad summum crapulæ soluuntur, nec ebrius in ea die ab apoplectico casu releuetur, igitur non soluta crapula, nec releuato ægro, mors eadem die necessario subsequetur, nisi tamen febris, quæ hunc morbum soluere apta est, superueniat. Quare hic morbus cum sphacelismo cerebri in die terminationis communicabit, cum vtriq; in tertia die patientes interimere apti sint, cum apoplexia autem in solutionis modo, cum in vtrisq; febris superueniens sit salutaris, solutionem passionis procreans. At vnde est, quod ex ebrietate generetur passio adeo sæua, vt citius interimere patientes possit, quam consueuerit apoplexia, quæ nihilominus est grauissimus, & perniciosissimus morbus? & hoc maxime cum ebrietas à vino, quod est alimentum homini accommodatissimum & vtilissimum, generetur? Vinum homini, cum opportune, & in debita assumitur quantitate, est proportionatum & iucundum alimentum. Opportune assumitur, si ieiuno ventriculo non bibatur, quoniam hoc modo sumptum tentans neruos, & cerebrum conuulsionibus epilepsiæ, apoplexiæ, similibusque morbis bibentem disponit: & si longe à cibo in medio coctionis tempore, vbi ventriculus sit languidior, non potetur, quoniam tunc coctionem perturbat, & si in bibente nulla sit dispositio, quæ vini potum renuat, vt si non sit dolor capitis, delirii suspicio, febris cum cruditate, destillatio crudior, inflammatio interna, vel quid aliud simile: ex potu enim vini omnia hæc exacerbantur: in debita autem quantitate assumitur, si cibum assumptum proportione non excedat, nec supra ventriculi robur copia immineat. Si enim his non proportionetur, fluctuationes, supernatationes, cruditates, flatus, vaporationes, aliaq; similia procreat mala. Si autem præter improportionem ad hæc insuper addatur, quod vitium sit potens, copioseq; admodum haustum sit, non modo ventriculum lædens prædicta, verum etiam cerebrum offendens maiora & deteriora parit mala, non tamē eadem ratione. Priora enim inde ortum ducunt, quoniam grauata ex nimia vini copia facultate concoctrice, indeq; coctionem perficere nequeunte, vinum per coctionem à natura non euictum inquinationem patitur: inquinationem autem patiens crudum remanet, sicuti omnia inquinationem patientia remanent, fluctuationes parit, quia copia abundans non regulatur à natura, supernatat, quia non perfecte amplexatur à ventriculo. flatus generat, cum semicoctum relinquatur, vaporationes multas edit, quoniam ab innato calore non euincitur, in summaq; crudum remanens, aliorum etiam malorū causa est. Nam à iecore ob iucunditatem, tenuitatē, & familiaritatē facile alliciente, crudum attrahitur. In qua attractione cū vinū ob festinatā, & ante debitū tempus attractionē factā simul,

& chylum crudiorem secum deferat, hoc succedit, vt ex frequenti potu humorū crudiorum, ac frigidorū copia in corpore potatorum, & crapulantiū cumuletur. Nam cum vini, licet potentissimi, basis & substantia, in qua odor, sapor, & substantia eius residet ac fundatur, sit aquea, hæcq; plurima, vt experientia in eius sublimatione, per quam minima calidæ substantiæ portio educitur, plurima remanente substantiæ aqueę testatur, existat, hinc ex vino inquinationem patiente, cum per imperfectam illam coctionem partes vini calidiores euaporantes pro maiori parte digestæ sint, plurima superest aqueæ eius substantiæ, quæ non euicta à natura crudior remanens, & inde propriam & innatam qualitatem frigidam reseruans, simulq; crudum adhuc chylum deferens, est in causa, vt temporis tractu ex vsu vinorum potentium frequenti & immodico multi frigidiores succi aggregentur, qui variorum murborum fomites existentes, attamen potius morbos cerebri frigidos, quales sunt apoplexiæ, epilepsiæ, sopores, aliosq; similes, quam aliarum partium inuehunt, quoniam vinum, dū in ventriculo inquinationem patitur, multas euaporationes humidas & semicoctas ad cerebrū, p quas humescens refrigetatur, labefactatur, & imbecillius redditur, transmittit. Huiuscemodi etiā potus vini solet quandoq;, & hoc sæpe in potatorib. hydropē causare, non per generationem crudorum succorum, vti cerebri morbi fiunt, sed quia aquea vini substantia, quæ ex inquinatione in ventriculo facta superest, naturam & qualitatem propriam reseruans, continue iecur petens, eadem accidentia, quæ ex aqua frigida causarentur, in eo parit, iecoris calorem innatum obtundens & imminuens, quo per continuatam aqueæ & frigidæ substantiæ actionem imminuente, & ad extinctionem declinante facile succedit hydrops. Ex quibus pateat, quomodo ex continuato & immodico vini potentis vsu immediate illæ ventriculi passiones, mediate autem ea, quæ posterius declarata sunt mala, succedant. Ea autem, quæ ad immoderatum & copiosum vini potum subsequuntur, alia ratione eueniunt. Nam cum quis immodice vinum vinolum ingurgitauerit, multa inde detrimenta sentit: nam hoc ad caput euaporans humiditate cerebrum irrigat & perfundit, eiusdem multitudine grauat, & opprimit; caliditate autem non tantum ventriculos & vasa, verum etiam cerebri substantiam subintrat, simulq; humores, quales in corpore abundát, secum ad caput deuehit, hincq; tandem ebriū hominem facit, in qua ebrietate ebrius ex humiditate in somnum procliuis redditur, ex eorundem multitudine grauatis facultatib. ad motum, & ad operationes animales impotens euadit; ex caliditate autem, per quam datur penetratio, exhalationib. & succis ascendentibus, ventriculorum, vasorum, & substantiæ obstructiones incurrit. Qua si leuiores sint, vel stupidus, vel iracundus, vel furiosus, vel timidus, pro ratione succorum in cerebro receptorum, euadit: si autem sint maiores & magis vrgentes, deperdito sensu & motu, tāquam apoplecticus concidit. Quo casu facto morbus seuior, quam sit ipsa apoplexia ex interna causa, factus est; ratio est, quoniam in apoplexia ab interna causa solummodo factæ sunt obstructiones in vasibus & ventriculis. At in ista ebrietate sunt etiam factæ in substantia, & ideo in hoc casu, nisi febris ad discussionem humiditatum, & vaporationum à vino, ascendentium, subsequatur, vel nisi naturæ beneficio hæ euaporationes euincente, & discutiente intra triduum, cum hic sit crapulatum vltimus terminus, earundem fiat solutio, tertia die pereunt, vbi illi ad septimam ob qualitatem succi peccantis peruenire consueuerint, & hoc maxime cum obstructio in his tantum sit in ventriculis & vasibus, non in substantia. Si enim & in interna apoplexia sint factæ etiam obstructiones in substantia cerebri, non amplius ad septimam, sed & in secunda, & in tertia, & ad summum in quarta pereunt. Quare hinc pateat, quare vinum potens immodice haustum tot mala pariat, & casum apoplecticum, qui in tertia patientes interimat, causare possit.

Caries ossis capitis.

12 *Quum caries facta fuerit in osse, dolor ex osse corripit. Temporis autem progressu cutis de capite alia atq; alia parte abscedit. Talia vero patitur is, cui in secundis ossis lamina pituita superueniens resiccata fuerit. Hac enim parte rarum fit, & omnis humiditas ex ipso deficit, & quia aridum est, cutis ab ipso abscedit. His morbus lethalis non est.*

OSSA ex seminis crassiore & pingui parte vi insiti caloris indurata formantur, vti docet Hippocrates in lib. de Carnibus: cum autem ex eisdem nutriantur, ex quibus constamus, ideo ex pingui & crassa materia nutriri debent. Hanc materiam in parua ossibus disseminauit natura in eorundem cauernulis, in maioribus autem efformauit cauitatem, in qua prompte ad nutritionem contineretur, hanc proprio medullam nomine vocamus, licet re cum priori conueniat, nequaquam voce. Cum autem vtrarumq; sit idem vsus, & eadem materiæ ratio, hunc modum & materiæ, & nutritionis non seruauit natura in ossibus capitis, sed medium quendam modum machinata est: nam cum ossa capitis sint magna ratione circumferentiæ, non debebant regulari vt parua, nec etiam poterant regulari vt magna, quoniam si natura in his voluisset apponere medullam, in formatione cauitatis ad eam continendam necessarium erat fabricare ossa crassiora, vt continendæ medullæ essent conuenientia. At ista crassities fuisset nimis ponderosa, & grauis admodum, quam grauitatem & pondus natura vitans, fecit hæc ossa tenuia, sed hac ratione formata, vt pars exterior & interior esset durior, intermedia autem pars spongiosa, vt per eam fistulæ & venæ, & caruncula disseminarentur, quæ rationem medullæ habentes, & alimentum suggerentes, nutritioni dictorum ossium sufficerent. Cum igitur per hanc spongiosam partem ossibus capitis conueniens, & proportionata defer-

desertur alimentum, ossa cranii optime nutriuntur, & in naturali statu conseruantur: si vero vitiatum comportatur, ossa ipsa vitiantur, & extra naturalem statum deducta corrumpuntur. Nam hoc prauum alimentum intra illa ossa duriora conclusum feruorem concipit, concepto autem feruore acrimoniam contrahit. Hinc duo sequuntur, alterum vt ossa proprio & vtili destituantur alimento, alterum, vt ab acri illo humore corrodantur. Ex primo exiccatur, ex secundo cariem qualem ligna vel ex vetustate, vel ex putredine subeunt, patitur. Ad exsiccationẽ illam succedit, vt à pericranio destituatur. Nam cum hæ partes ad inuicem connectantur per quandam insertionem, quæ ex abundantia optimi & proportionati alimenti manutenetur, hinc absumpto ossis vtili ac conuenienti nutrimento, os ipsum à cranio separatur. Sed cum propter contiguitatem etiam in ipsum pericranium pars prędicti acrioris succi imbibatur & transmittatur, hinc etiam hac parte sentiente male affecta, dolor in capite succedit. Ad cariem autem sequitur in osse inæqualitas, raritas, asperitas, corrosio, & tandem ipsamet corruptio. De hoc casu agens Hippocrates inquit: Cum caries in osse fuerit, dolor ex osse corripit, id est, doloris occasio incipit ex osse: nam hic affectus ortum habet ab humore in osse contento & pericranio communicato, ex quo cum absumatur vtile nutrimentum, hinc pericranium ab osse separatur, & ideo cutis de capite alia atq; alia parte abscedit. Talia vero patitur is, inquit Hippocrates, cui in secunda lamina, hoc est, in spongiosa illa parte, in qua alimentum ossi opportunum reseruatur, pituita superueniens, id est, alimentum superueniens, (pituitam vocat ossium nutrimentum, quoniam cum ossa sint partes seminales, & frigidę, censet ea ex frigido inceo, elaborato tamen, & à natura concocto nutriri) exsiccata fuerit. Nam ex pra[illegible] concepta vtile alimentum prorsus absumitur, quo absumpto os rarum euadit, & omnis eius naturalis humiditas deficit, ex quo aridum factum à pericranio secedit, & inde cutis capitis ab eodem abscedens tactu separata sentitur. Hæc huius affectus sunt signa & causæ, optime & diligenter à medicis aduertendæ, quoniam talis dolor capitis quandoq; cursodus c[illegible], vt etiam alias notaui, dum de dolore capitis agerem, curantique medico multum facessit negotium, licet morbus hic ex se nequaquam lethalis, sed curabilis existat.

13 *Alius morbus. Si syderatus fiat, anteriorem capitis partem dolet, & oculis non æqualiter videt, & separatur, & venæ pulsant, & febris debilis tenet, & corporis impotentia. Hic patitur hæc, quum venæ in capite fuerint calefactæ, & calefactæ pituitam in seipsas traxerint. Et principium morbi ex hoc quidem fit. Anteriorem vero capitis partem ideo dolet, quod venæ in hac sint crassissimæ, & cerebrum ad anteriorem capitis partem magis situm est, quam ad posteriorem. Et oculis ideo non videt, procumbente eo cerebro, ac inflammato. Impotentia vero ideo corpus occupant, postquam venæ pituitam in seipsas traxerint, necesse est præ pituitæ frigiditate, sanguinem magis nunc sisti, ac perfrigeratum esse, quam priori tempore, dum autem sanguis non mouetur, fieri non potest, vt non etiam corpus quiescat, ac torpeat. Et siquidem sanguis ac reliquum corpus superarint, ita vt calescant, homo euadit. Si vero pituita prævaluerit, sanguis magis perfrigeratur ac congelatur. Et si frigiditas ac congelatio augescant, penitus congelascit ac perfrigeratur homo, & moritur.*

APOPLEXIÆ duplex est species, altera est exquisita, altera non exquisita. Exquisita ea est, in qua irruente subito in cerebri ventriculos crassiosi materia, eaq; in illis totalem obstructionem faciente, statim sensu ac motu vna cum principalium functionum detentione concidit patiẽs. Et de hac locutus est lib. 16. aph. 51. Hipp. & pariter superius tex. 10 ponens in huius exemplar eam, quæ à succo gignitur melancholico, quæq; potissimũ senescẽtibus à quadragesimo anno ad sexagesimum contingit, vt monet lib. 6. aph. 57. Ex hac autem, vt locis citatis habetur, mori in septima patientes consueuere, siue à succo melancholico dicto, siue etiam à pituita, vt superius dictum est, genita fuerit. Non exquisita ea est, in qua materia crassior in ventriculos cerebri irruens, vel in eis non firmatur, vel in eis firmata à principio totalem non facit obstructionem, sed in processu, nisi arte malum præcaueatur. In primo casu duplex sequi solet euentus, nam ex robore naturæ vi facultatis expellentis quandoque materia irruens per eadem vasa, per quæ fluxerit, reiicitur, indeq; cito & facile nullo relicto signo morbus soluitur, quandoq; autem ad posteriora cerebri, & ad medullam spinalem, vel ad alias neruorum origines reponitur, indeq; membra illis partib. quę materiam peccantem imbiberunt, subiecta paralyticantur, illęso remanente cerebro, quod sicuti frequens est, ita raro euenit, vt nullo relicto signo morbus soluatur, qui tamen ex aphonia, ex ignorantia, ex mẽtis percussione, ex stupore, ex omnium fere virtutum animalium concidentia, nulla facti casus reseruatã memoria, deprehenditur. In secundo casu, cum materia irruens non facit à principio totalem obstructionem, dolent ægri, & grauantur anteriori capitis parte, cæcutiunt, surdescunt, lingua impotentes fiunt, obliuiosi omnium rerum euadunt, voce destituuntur, soporantur, & in summa tanquã vertiginem magnã patientes, cum ignorantia rerũ præsentium stare nequeunt. Quę omnia sunt inditia certa iminentis, nõ tamen in totũ factæ obstructionis, seu exqsitæ apoplexię, qb. nisi arte medicus resistat, facile est, vt totalis vẽtriculorũ cerebri obstructio, & inde exquisita succedat apoplexia. De hoc vltimo casu, scil. de hac nõ exquisita apoplexia hoc in loco verba facit *Hip.* dicens: Si quis [Greek], id est, apoplecticus nõ exquisite fiat, videl. qa materia existens

existens in cerebro totalem nõ fecerit obstructionem ventriculorum, anteriori capitis parte dolet, materia ad hanc partem irruente, oculis nõ æqualiter videt, quoniam spiritus ex motu huius materiæ conturbatur, quæ conturbatio sicuti facit ad læsionem visus, ita etiam intelligatur facere in omni sensorio & opere voluntario. Soporatur humectato, inde & grauato cerebro, & venæ capitis pulsant ex humorum commotione, & febris debilis accidit non putrida, sed diatiæ naturam referẽs, genita ex agitatione & conturbatione spirituum. Et tandem nisi arte imminens malum tollatur, facta totali obstructione corporis impotentia, id est, omnium operationum tam externarum, quam internarum priuatio, & in summa integra & absoluta apoplexia succedit, quæ non est exquisita, dum in priori illo statu æger perseuerat, cum in eo sensuum vestigia reseruantur, quæ per apoplexiam factam integre tolluntur. Causas huiusce morbi assignans Hippocrates duas recenset: alteram, cum venæ capitis fuerint calefactæ: alteram, cum calefactæ pituitam in seipsas traxerint. Quoad primam, hoc sciendum est, raro huncapoplexiæ casum contingere, quin ex causa procatarctica occasionem non habeat. Nam vel ex insolatione, vel ex aere æstuante & igneo, vel ex potu vini vinosi, vel ex capitis tegumentis grauioribus, vel ex embrocha calidiori, vel ex nimia refrigeratione, cuius merito facta cutis constipatione calor intus ferueat, vel ex alia simili causa nimium incalescens cerebrum, & hoc pręcipue vbi sit imbecillum, disponitur, & ad receptionem, & ad attractionem. Ad receptionem, quia calidi est rarefacere, ad attractionem autem, quoniam calidi pariter est attrahere. Hoc pacto disposito cerebro, si in corpore succi abundent pituitosi & crassi, facile secunda succedit causa: nam cerebrum incalescens pituitosos humores prompte attrahere, ob insignem calorem conceptum, & prompte eos recipere, quoniam ex illo calore eius vasa sunt ampliata, potest. His autem ad intra vasa cerebri attractis & receptis, ex quibus principium morbi fit, vt inquit Hippocrates, facile apoplexia succedit, hinc facta vel non totali, vel integra eorũ vasorum obstructione. His explicatis, descendit Hippocrates ad declarandas symptomatum causas, dicens, anteriorem capitis partem in his dolere, tum quoniam in hac parte venę sunt crassissimę, & ideo magis aptæ, vt ex materia attracta repleantur, tum quoniam cerebri maior portio sita est ad partem anteriorem, quam ad posteriorem, cuius gratia si quandam concipit totum cerebrum lęsionẽ, potius dolere parte anteriore, quam posteriore debet. Oculis autem non videt, inquit Hippocrates, procumbente eo cerebro, ac inflammato: nam cũ maior lęsio concipiatur ob dictas causas in parte anteriori, quam posteriori, & pars anterior sit proximior oculis, inde etiam ob proximitatem necessario oculi patiuntur, ad partem anteriorem procumbente cerebro, quod cum sit calefactum ex præcedenti causa, etiam magis ad eandem partem prominet, & maiorem communicat lęsionem, ex qua etiam calefactione incalescentib. spiritib. potest febris quędam leuis subsequi. His autem factis indicantibus autem & præsagientibus incipientẽ, at nondum factam apoplexiam, nisi arte morbi fomes & causa tollatur, solet subsequi impotentia corporis, id est, omnium sensuum, tam internorũ quam externorum, & omnis motus priuatio. Cuius eandem assignat causam, quam superius tex. 10. assignabat in exquisita apoplexia, scil. sanguinis ex pituita in venis recepta refrigerationem & immobilitatem: cum enim hic sistitur ac refrigeratur, virtutes sopiuntur, spiritus enecantur, & omnes virtutes deperduntur, quoniam hinc vasa obstruuntur, nec spiritus permeare sinuntur. Qui sanguis, si vel artis, vel naturæ beneficio, iterum incalescat, ęgrotantes restituuntur; sin minus, necessario peribunt: cum hinc omnes virtutes integre aboleantur. Peribunt autem non in septima, vt solent apoplectici exquisiti, sed à prima die morbi, vsq; ad vigesimam, vt inferius tex. 47. habebit, superuiuere possunt, tum quoniam per primos dies potius habent apoplexiæ præludia, quam quod apoplexiam patiantur, tum quoniam per primos dies virtus cibo manuteneri potest, tum etiam quoniam non ea valida fit in ventriculis obstructio, vt in exquisita fit apoplexia. Quæ ab hac diuersa erit, tum ex modo inuadendi, cum hæc pedetentim ingruat, illa autem subito occupet, tum ex progressu morbi, cum in hac sensus per plures dies reseruentur, in illa subito tollãtur, tum etiam ex terminatione, cum hæc vsq; ad vigesimam perdurare possit, illa autem septimam tantum attingat. Communicant autem in hoc, quod sicuti exquisita apoplexia dicta est causari à succo melancholico, causatur etiam à pituitoso, ita pariter non exquisita dicta causari à pituita, causatur etiam à melancholia.

Angina.

14 *Angina siue cynanche est, quum pituita in caput commota aceruatim deorsum fluxerit, & in maxillis & circa collum constiterit. Hic neque saliuam deglutire potest, respirat autem violenter, ac stertit, & aliquando etiam febris ipsum corripit, & morbus sane ex hac causa fit, & aliquando sub ipsam linguam, aliquando paululum supra pectus.*

ANGINAM vocat Hippocr. omnem eum affectum, in quo ægrotantes degluttiendi ac respirandi difficultatem patiuntur. Morbi; & horum duorum symptomatum causæ, in quatuor distinguuntur passiones: nam hæ fiunt inflammatis aut male affectis vel musculis internis gutturis, vel externis, vel faucium interioribus musculis, vel exterioribus. In primo casu summa est anhelitus, & degluttiendi difficultas, nullo ad sensum apparente affectu: in secundo non ita ingentia sunt hæc symptomata, attamen magna sunt: in tertio minora sunt: in quarto autem adhuc minus molesta, in hisq; duobus inflammatoria affectio visu percipitur, cum in secundo etiam quid parum vix appareat, in hisq; omnibus, cum periculosior est morbus, deglu-

deglutione impedita solent assumpta ad nares resilire. Huius morbi vt plurimum est causa sanguis pituitosus, ad prædictas partes destillans à capite, qui nonnunquam est adeo copiosus, vt non solum male afficiat quatuor partes prædictas, sed etiam circumstantes, sicuti maxillas, vnde plures videmus anginosos, qui nec os aperire, maxillis communicata passione, queunt, nec collum mouere, cuius ratione nonnulli etiam nec collum circumuertere, aut annuendo inclinare possunt, sed distenti ac recti, vt tetanici, manent. De hoc morbo agens Hippoc inquit: Anginam fieri, cum pituita in capite commota, id est, pituitosus sanguis in capite ex causa vel externa vel interna agitatus, aceruatim deorsum fluxerit, id est, affatim & cumulate in partes gutturis, aut faucium irruerit, & in maxillis, & circa collum constiterit, id est, & morbum partes inter maxillas & collum constitutas, quæ sunt guttur & fauces, affligentem causauerit, & quæ si copiosa est, non tantum guttur & fauces, verum etiam maxillas, & collum male afficiat. Hic nec salinam assumptum, verum etiam nec saliuam, vbi affectio fit vehementior, deglutire potest, vel saltem cum difficultate deglutit. Respirat autem violenter angustiato asperæ arteriæ orificio, ac stertit, si materia destillet & recipiatur in asperam arteriam, & aliquando etiam febris ipsum corripit. Nam si humiditas pituitosa admodum, vel sanguis pituitosior & frigidior est, qui has partes madefecerit, & tumorem in eis fecerit, vt etiam declarat Galenus lib. 4. aph. com. 34. non superuenit febris, quæ tamen in omnibus aliis calidis inflammatoriis succedit. Et morbus sane ex hac causa fit, scilicet, ex sanguine pituitoso, vtplurimum à cerebro destillante, & aliquando sub ipsam linguam, aliquando paululum supra pectus, id est, quandoque ista affectio firmatur sub ipsam linguam, ad radicem ipsius, affecto gutture, & principio tracheæ arteriæ, vt fit in apparentibus inflammationibus, faciens difficultatem in suprema eius parte, quandoque paululum supra pectus firmatur, male affecta intimiori asperæ arteriæ parte, vt fit in inflammatione musculorum interiorum laryngis, faciens difficultatem non in suprema, sed in magis interna eius parte, non tamen in thorace ipso, vt contingit in asthmate, vel in peripneumonia, aliisque morbis difficultatem respirandi ex affectu intra thoracem existente causantibus. Quam differentiam difficilis spirationis non habet angina, ideo dicta est ab Hippocrate paululum supra pectus anginam fieri quandoque, sicuti etiam quandoque fit sub ipsam linguam, id est, in radice ipsius.

Vua morbus.

11 *Vua fit, quum pituita de capite ad gurgulionem descenderit, & gurgulio præceps dependet, ac fit rubicundus: temporis autem progressu nigrescit. Nigrescit autem hoc modo: Venosus est gurgulio, & crassus, & postquam inflammatus est, calescit: & præ caliditate sanguinem ex vena attrahit, ac ab ipso nigrescit. Quapropter & si non turgentem feces, statim inflammantur. Nam vena calefacit, & præ caliditate partes circa gurgulionem sanguine replet: & breui suffocatur.*

VVA quis morbus sit, & quæ eius causæ, & quid penes antiquiores denotet, & quid Hippocrati proprie significet, iam in commentario primi libri de morbis, explicaui. Quare solum superest, vt literam exponam. Vua fit, inquit Hippocrates, cum pituita de capite ad gurgulionem descendit. Gurgulio est pars affecta. Affectio dicitur vua. Causa est pituita. Per pituitam intelligo vel destillationem pituitosam, vel sanguinem pituitosum, ab vtrisque enim intumescit, & præceps descendit, qui fit rubicundus à principio ex noua defluente materia, procedente autem morbo, & temporis progressu nigrescit. Nigrescit autem hoc modo: (inquit Hippocrates) Venosus est gurgulio, & crassus, & postquam inflammatus est, calescit, & præ caliditate sanguinem ex vena attrahit, ac ab ipso nigrescit, id est, cũ gurgulio ex materia destillante intumuerit, eũ venis scateat, & carnosus sit, incalescit, incalescens autem sanguinem ex venis circumstantibus attrahit. Attracto autem sanguine copioso in parte tam parua, hinc sequitur, quod deprehensus ingenti inflammatione nigrescat, quoniam calor eius insitus à copia sanguinis suffocatur, indeque in gangrænam & corruptionem declinans, nigrum colorem concipit. Quo casu superueniente, monet Hippocrates, secandum statim esse gurgulionem, alias suffocationis periculum imminet. Ratio hæc est, quoniam hæc pars admodum inflammata ratione caliditatis intensæ est in causa, vt partes circumstantes simul inflammentur, indeque & spiritus meatus coarctentur, quibus inflammatis & coarctatis, certum suffocationis discrimen impendit, quod discrimen euitabitur, si gurgulio secetur, non per abscissionem, quoniam hinc partis affectæ substantia, non humor solum tolleretur, sed per scarificationem quale etiam in cæteris corporis partibus ad gangrænam ex insigni inflammatione declinantibus ad eam euitandam, & euetandam pariter partis affectæ substantiam, vtimur. In textu autem Græco animaduerto illam dictionem, ἀποπαρθίζουσι longe melius interpretari à Caluo, qui animam agunt, id est, moriuntur, transtulit, quam ab aliis, qui inflammantur eam interpretati sunt, quoniam ridiculum est dicere, quod hæc pars iam inflammata, & ob ingenté inflãmationem denigrata, nisi secetur, inflã natur, cum, nisi sectione prohibeatur via in gangrænam & corruptionem, certum sit periculum mortis, communicata partibus circumstantibus affectione, ex qua postea suffocationis discrimen pendet. Illud autem verbum, παραχρῆμα, id est, statim quod intermediat inter dictionem, τάμνῃ, id est, secea, & dictionem, ἀποπαρθίζουσι, id est, animam agunt, nil vt alii dicunt, inflamman-

flammantur, copuletur cum antecedenti, non cum subsequenti, sicuti interpretes existimarunt. Quoniam ea est Hipp. sententia, quod si denigratam gurgulionem statim non feces, quoniam partes circumstantes male afficerentur, suffocationisque discrimen inde impendet, mortis periculum imminet, non autem quod si denigratam gurgulionem non fecemus, hinc statim pereat patiens, vel saltem mors non impendet, nisi prius cæteris partibus communicata affectione, ex qua postea breui, vt habetur in textu, non autem subito aut statim pereunt. An autem talis lectio conueniat, vt hic probatur, vel non, quemadmodum Hippocrates lib. 3. Prognost. tex. 23. sensisse videtur, inferius in loco curationis declarabo.

Tonsillæ.

16 *Tonsillæ & partes sub lingua, & gingiuæ, & lingua, & quæcunque huiuscemodi hoc loco consistunt: hæ omnes partes è pituita ægrotant. Pituita autem de capite descendit. Caput autem ex corpore trahit. Trahit autem vbi fuerit calefactum: percalescit autem à cibis, & sole, & frigore, & laboribus, & febrili calore. Quum vero calefactum fuerit, tenuissimum ex corpore ad se trahit, vbi vero traxerit, rursus id ad corpus descendit.*

Cvm lingua duplicem habeat vsum, alterum discernendi sapores ex insertione partis neruorum tertii paris, alterum loquendi & deducendi cibum per os, & reiiciendi excrementa ibi decurrentia ex insertione neruorum à septimo pari propagantium, & ad eius motum inseruientium, quoniam vtrique muneri insufficiens & inepta foret, si omni humiditate destituta resiccata esset, (nam siccata nec moueri apte possunt, nec alienas humiditates aut sapores cum mediocritate, in qua vera consistit sensatio, recipere queunt) ideo vtrinque ad linguæ basim instituit natura duas glandulas carnosas & spongiosformes, à quibus continuo lingua naturali humiditate proluerétur, sicuti & paulo inferius alia glandosa corpora apposuit, vt hinc larynx & aspera arteria irroretur, leniorique humiditate humectetur: nam si istæ partes prorsus exsiccatæ essent, nec voci nec respirationi facile inseruirent. Illarum glandularum, quæ à Latinis tonsillæ appellantur, ad linguæ latera resident, & earum, quæ paulo inferius sitæ ad latera laryngis parichthmiæ vocatæ, situantur, substantia rara & spongiosa existit, quare etiam est prona ad recipiendam omnem ex capite fluxionem, vnde vel tumeant simpliciter, vel etiam tumentes simul inflammentur. Illarum priorum affectus Antiades proprie dicitur, secundarum autem parichthmia, sumpto nomine à parte affecta, appellatur. Verum cum ob vicinitatem harum partium ad inuicem raro contingat, quin alterius affectus alteri communicetur, hinc euenit vt indifferenter etiam quandoque vtrisque nomen idem tribuatur, cum tamen vtriusque sint signa distinctiua. Nam in antiadibus maior est deglutiendi difficultas, in parichthmiis autem minor est, sed ei additur quædam vocis raucedo & respirandi difficultas. De his affectibus loquens Hippo. ambos comprehendit sub eodem titulo, & quoniam ad harum affectiones & inflammationes compatiuntur quandoque partes oris circumstantes, & lingua ipsa, ideo inquit declarans Hippocr. harum partium passiones & passionis causas, tonsillæ, & partes sub lingua, id est, antiades, per quas tonsillæ inflammantur, & partes sub lingua, id est, parichthmia & gingiuæ his compatientes, & lingua pariter ob communicantiam affecta, & quæcunque huiusmodi hoc loco consistunt, id est, quæcunque partes dictis partibus adiacentes, supple, iisdem morbis deprehenduntur per communionem illarum duarum dictarum partium, hæ omnes partes ex pituita, id est, ex destillatione pituitosa, vel ex sanguine pituitoso ægrotant. Pituita enim de capite descendit, scilicet, ad dictas partes, caput autem ex corpore trahit. Nam præter id, quod euaporationes ab vniuerso corpore, & humores ascendentes, cum capiti corpus vniuersum sit substratum, recipiat, etiam vi propria, vbi præter naturam constitutum fuerit, ab inferioribus partib. attrahit. Præter naturam ad attrahendum constituitur (cum calidi sit attrahere) vbi incaluerit. Et ideo subiungit Hippoc. Trahit autem vbi fuerit calefactum, non quidem ingenito, sed alieno, & præternaturali calore. Ab ingenito roboratur, ab alieno autem languidum & fluxionibus recipiendis obnoxium redditur. Causas autem caloris præternaturalis assignans, inquit: Percalescit autem à cibis: per cibum intelligit omnia ad intus assumpta, siue sit cibus ipse, siue potus, siue medicamenta. Talia a. sunt cibaria acriora, nidorosa, mali succi, calidi, vina potentia, aromata, hisque alia congenita: & à sole, id est, ab aere calidiori, siue talis sit ex solis ardore, vel ex æstuario, vel ex camino ardēte: & frigore, id est, ab ambientis frigiditate cutis meatus constipante, indeque calore interno, ex quo inclusus augetur, & angescens præternaturalis euadit, transpirare prohibente, quod idem & Embrochæ frigidæ & pluuiæ superingruentes, & medicamenta vel actualiter vel potentialiter frigida importune administrata facere possunt, dum ad intimiores cerebri partes frigus non permeat: & laboribus, id est, ab immoderato exercitio in corpore vel plerotico, vel ex bile & succis calidioribus cacochymo facto: hinc enim fusis humoribus facile in cerebrū irruunt, eumque supra modum calefaciunt: vel à laboribus, scilicet, solis capitis, id est, ab omnibus causis, quæ laborem capiti inferre possunt, vt capitis superfluæ frictiones, immoderatæ pectinationes, vehementes concussiones, immodicæ sternutationes, vociferationes, spiritus detentiones, cantus altiores, tibiarum & tubarum sonantium exercitationes, aliæque consimiles operationes, ex quib. caput multum laborans etiam multum incalescit: ac febrili calore, nam in febribus creberrime cerebrum incalescit per febrem vel vaporationum, vel humorum copia in illud ascendente, quo calefacto, postea maior humorum & succorum sequitur

tur attractio, nisi vel tenui victu, vel medicamētis, vel sanguinis missione reloctetur medicus. Tot autem modis incalescens cerebrum ab inferis partibus, quod tenuissimum est (nam tenuiora facilius mouentur, & facilius ascendunt) attrahit. Vbi vero hoc traxerit, quoniam ex imbecillitate nec ad coctionem materiæ susceptæ sufficit, nec etiam continere potest, rursus hoc idem ad inferum corpus transmittit. In hac autem transmissione, cum tonsillæ & parichtmia fuerint ad hoc præparata, facile recipient, & inde vel tumorem, vel inflammationem, de quo casu non loquitur Hipp. incutient.

Morbi à capite orientes.

17 *Quum repletum fuerit caput, & ab aliquo ex relatis percalefactum,*

EGIT hucusque Hippocrates de prædictis capitis affectibus, per generalem quandam explicationem declarās tantum eorum generationem, causas & iudicium. Nunc autem particularem eorundem & aliorum plurium morborum curationem explicaturus, eadem, quæ in superioribus enarrata fuerunt, quodammodo repetit. In similitudinem enim dictorum generationem, causas & iudicia eadem, licet sub aliis verbis, & dissimili quodam modo, replicat, vt his conuenientem & proportionatam superaddat curationem. Incipiens autem à primo affectu, de quo in primo egit textu, primo ponit causam, secundo signa, tertio iudicium, quarto curationem apponit. Quoad primum, duo aduertit ad causandam hanc affectionem concurrere; alterum est capitis dispositio, alterum est efficiens extrinsecum. Capitis dispositio pendet ex eius repletione, vbi enim humoribus superfluis scateat, facile omnem concipit labem. Efficiens autem extrinsecum sunt omnia ea, quæ supercalefacere caput apta sunt, qualia sunt relata superiori textu, in referendis anginarum causis, scilicet assumpta per os, aer calidior, frigus non proprium, sed externum, capitis labores, & febrilis calor. Vbi igitur hęc duo, scilicet capitis ex humorum copia repletio, & externum agens, à quo possit caput supercalefieri, concurrunt, præsto sunt huius morbi causæ, & ab his facillime procreabitur affectus, de quo quęritur in præsenti casu curatio.

18 *Torpor caput tenet, & frequenter mingit, & alia patitur, quæ ex vrinæ stillicidio contingere solent.*

AD secundum intentum descendens, tria huius morbi signa proponit. Primum est capitis torpor: secundum est frequens minctio: tertium accidentia qualia in stranguriosis fieri solent. Capitis torpor non intelligatur verus stupor, qualis vel à medicamentis, vel ab humoribus frigidioribus, & ab intemperie eiusdem rationis causatur, quoniam in casu præsenti calor, non frigus superinducitur, humoresque non densantur nec firmantur, sed liquescunt, & in motu constituuntur. Sed per torporem intelligamus quandam capitis confusionē, ex introducta caliditate, & humorum motu causatam, qualem in ebriis videmus, qui non stupidi, sed mente confusi videntur. Ex tali autem confusione, cum non sint prompti ad proprias functiones obeundas, hinc videntur torpidi, seu stupidi, cum tamen nec verus stupor, nec verus torpor sit. Minctio autem frequēs prouenit ex materia liquescente, & per venas destillante, quę cum decumbat ad renes, hinc statim trahitur, ad vesicamq; transmittitur, quę cum sit copiosa, inde stimulata natura à multitudine lotii frequenter insurgit ad exonerandam vesicam. Accidentia vero stranguriosis similia patiuntur, quoniam hæc materia ex calore aliquam acrimoniam concipit, ex qua si non ardorem, qualem stranguriosi sentiunt, saltem irritationem similem percipiunt.

19 *Idem per dies nouem patitur hæc. Et si quidem per nares, aut aures aqua, & mucus erumpat, à morbo liberatur, & vrinæ stillicidium sedatur, mingitq; citra dolorem vrinam multam & albam, ad viginti dies. Et dolor capitis cessat, & intuenti splendor ex oculis subtrahitur, & dimidiatas rerum facies se videre putat. Hic quadragesima die penitus sanus euadit. Multis vero quandoq; morbus redit septimo aut decimo quarto anno. Et cutis capitis ipsi crassescit, & ad tactum cedit, & de paucis cibis tener ac bene coloratus apparet, & non acutum auditum habet.*

IVDICIVM huius morbi, quod erat tertium propositum, declarans, quatuor ad hoc pertinentia declarat. Primum est, quanto tempore molesta accidentia ad minus perseuerent: secundum, quomodo accidentia sedentur, & morbus soluatur: tertium vltimum solutionis terminum: quartum quoto anno, si morbus rediturus sit, repetat, & quę accidentia inferat. Quoad primum, inquit, quod ægrotantes prædicta accidentia solent pati vsq; ad nonam diem; ratio est, quoniam in morbis longis, quorum primus terminus est quadragesima dies, saltem quarta pars morbi solet procedere, cum signis continuę & notabilis cruditatis: stante autem & perseuerante eadem cruditate, eadem etiam accidentia sequi solent. Quare cum à principio huius morbi illa tria accidentia inuadant patientem, & cruditas ad quartam partem morbi sit duratura etiam ad quartam partem morbi eadem accidentia perseuerabunt. Ea propter vsque ad decimam diē, quæ quadragesimi termini est quarta portio, permanebunt: & ideo iure, vt inquit Hipp. patiens saltem per nouem dies, id est, vsq; ad decimam, quo tempore cruditas, & cruditatis signa permutari & imminui solent in salubribus morbis, ea patientur accidentia. Quoad secundum, monet hæc accidentia sedari, & morbum in solutionem procedere, si aut per nares, aut per aures aqua, & mucus erumpant. Hæc autem eruptio regulariter ante vigesimam fieri non potest, quoniam cum hęc fiat ex naturæ dominio, & ea per coctionem materiam peccantem euincente, tempus autē manifestæ coctionis sit in longis dimidium tempus morbi, iure ante vige-

te vigesimam coctio huius materiæ fieri non poterit in hoc morbo, qui die quadragesima terminandus erit. Quare non immerito insinuauit Hippocrates hęc ad viginti dies fieri, cum vrinam multam & albam citra dolorem, id est, lotium concoctum, nec mordicans, copiose excerni asserat ad viginti dies, id est, vsq; ad integram morbi solutionē, quæ quadragesima die futura est, ita vt sensus sit, quod ad eruptionem muci & aquæ factæ in vigesima sequatur vrinæ multæ & concoctæ, per quam residuum materiæ morbi pro magna parte euacuatur, per alios viginti dies excretio, qui duo termini totum morbi curriculum commensurantes, quadraginta dies, quo tempore soluendus est morbus, constituunt. Hæc autem eruptio ad vigesimam facta indicat materiam peccantem per coctionem euinci à natura, quę residuum materiæ per lotium educens morbum die quadragesima soluit. Ab eruptione autem vsque ad vltimum morbi terminum dolor capitis remittitur, & vrinæ stillicidium per coctionem aquosæ materiæ ad renes declinantis sedatur, sique pars aliqua materiei in capite existentis ad oculorum venas transmissa fuerit, ex qua visio hebetetur, & pupilla per maculas quasdam albicantes ex materia intra tunicas corneæ recepta pro parte veletur, cuius merito dimidiatas tantum rerum facies videre potest, eadem remouetur, & iam euicto morbo & dominante natura discutitur. Indeq; patiens ex omni praua affectione vindicatur. Terminus autem vltimus, quo hæc omnia terminari debent, quod est tertium propositum, monet Hippocrates, quadragesimam diem esse. Inquit enim: Hic quadragesima die penitus sanus euadit. Hoc autem tempus est primus terminus morborum longorum, & qui peculiaris esse solet capitis affectibus longis, sicuti destillationibus ex aeris intemperie obortis. vnde dicebat Hippocrates lib. 7. epid. 57. tusses ab hoc pendentes ad quadraginta dies perseuerare; ratio est, quoniam tot diebus soluitur morbus per coctionem firmata destillatione; qui casus est huic similis, & similem habens terminationem & terminum. Quoad quartum, monet, hunc morbum à solutionis tempore aut septimo aut decimo quarto anno repetere. Sed cur septimo aut decimoquarto? quoniam sicut recidiuæ in morbis acutis fiunt per dies indicatorios, ita recidiuæ in morbis longis fiunt, aut per menses, aut per annos criticos, septimus autem aut decimusquartus annus est decretorius, vt constat ex ætatibus, quæ per septennios commensuratæ maximas in corpore mutationes & morborum aut accessus, aut recursus, aut solutiones faciunt. His autem annis recurrens hic morbus maiorum accidentium est in causa: nam non amplius materia per os aut nares erumpit, aut per venas ad lotii vasa descendit, sed in capite genita extra cranium per spatia, & vacua corporis loca transmissa, indeq; ad vniuersum ambitum communicata corpus tumefacit, cutimque capitis incrassat, tandemque morbum crassum, de quo superius abunde egi, introducit. In quo morbo hæc potissimum accidunt, primo, vt corpus molle existens & ad tactum cedens vestigium tangentis corporis reseruet: secundo vt paucis cibis contentus sit, cum præ tali tumore non fiat humorum aut corporis discussio & euaporatio, quorum ratione appetentia augescit: tertio vt non admodum male coloratus existat, cum sit pallidus quodam leui rubore suffusus, & hoc quoniam non vitio hepatis, sed materiæ exterius transmissæ fit pallor & tumor, reseruata adhuc in iecore perfecta sanguinis generatione: quarto vt non acutum habeat auditum. Nam cum plurima fiat transmissio humorum per partes capitis posteriores, non mirum est, si aures, cum sint constitutæ in parte laterali, etiam compatiantur, & inde auditus lædatur. Et hæc de indiciis huius morbi.

20 *Quum ita habentem offenderis in principio morbi, priusquam erumpat aqua per nares & aures, & tenueris ipsum dolor, deraso capite vtrem coriaceum circum frontem deligare oportet, aqua plenum calidissima, quantum sustinere potest, atque hinc ipsum calefieri permittere, & vbi perfrigeratus fuerit, alium adhibere: si vero hinc debilitetur, desistere, ac tempore interposito eadem repetere, donec remiserit dolor. Et si aluus non egerat, infusum per clysterem immittere, & vrinam cientibus in potu datis aquam mulsam aquosam insuper bibendum exhibere, & calore quam maxime foueatur. Sorbeat autem ptisanæ succum tenuem. Si vero venter non subeat, mercurialem in aqua coctam terito, ac succum excolato, & de ipso, ac de ptisanæ succo parem mensuram permisceto, & modicum mellis adiicito. Hunc succum ter in die sorbeat, & vinum mellei coloris, aquosum, album, modicum à sorbitione insuper bibat. Postquam autem eruperint ipsi per nares mucosa, & vrinam crassam eiecerit, & à dolore capitis liberatus fuerit, vtre amplius ne vtatur, sed multa calida lotus vrinam coeuntia, & aquam mulsam bibat. Et primis quidem diebus milium delingat, & cucurbitam edat, aut betas per triduum. Deinde cibis vtatur mollissimis, ac quam maxime per aluum subeuntibus, ita vt semper modicum ad cibos priores addat. At vbi quadraginta dies præterierint, (sedatur enim morbus maxime in tanto tempore) capite ipsius purgato, prius medicamento exhibito, ipsum deorsum purgato, si tempus anni hoc permittat. Deinde serum ad septem dies bibendum dato, aut pauciores, si debilis existat.*

PRÆNARRATI morbi curationem, quod erat quartum principale, nunc explicaturus

eam

eam duplicem apponit, alteram primitiui, alteram recidiuantis. Primam aggrediens eam hac ratione instituit. Quoniam hic morbus fit à pituitoso succo, cerebrum replente, & ab extraneo calore fuso ac commoto, cuius gratia & caput dolet, & fluxiones materierum crudiorum succedunt, ideo coctioni crudioris materiei cerebrum replentis intentus, eam tum per medicamenta localia, tum per victus tenuis rationem, ne à copia cibi distrahatur natura ab ea concoquenda, procurat, qua procurata & integre adepta, materiam peccantem tandem euacuare ad totalem morbi solutionem monet. Quoad primum, videlicet, quoad medicamenta localia, quatuor docet. Primum quo tempore hæc administranda veniant: secundo, quo modo: tertio, quæ debeant hæc esse: quarto, qua ratione sint admouenda. Tempus est, inquit Hippocrates in principio morbi, priusquam erumpat aqua per aures, aut per nares, & dolor patientem adhuc detineat. Tres igitur conditiones ad obseruationem temporis obseruari monet. Prima est, vt dum morbus est in principio ea administrentur. Sed quousque durat principium morborum? Durat vsque dum signa manifestæ coctionis appareant, ista autem apparere solent in dimidiato morbi tempore: quare principium huius morbi, qui in quadragesima terminari debet, vsque ad vigesimam protrahetur, vnde per viginti primos dies hęc localia medicamenta admouenda erunt. Secunda conditio est, vt hæc admoueantur ante eruptionem aquæ, sed hæc eruptio fiet ad vigesimam, si natura dominante, & per coctionem materiam euincente, fieri debet, vti superius etiam declaraui; igitur hęc secunda conditio docet pariter per viginti primos dies hæc agenda esse. Tertia conditio, vt hæc fiant, vbi ipsum patientem adhuc dolor vrgeat: at tale tempus est, dum cruda est materia; coctio enim materiam deuincens etiam symptomata ex cruditate dependentia demulcet, cruda autem est per viginti dies, quanto tempore principium durat: igitur ex dolore etiam habemus localia primis viginti diebus administranda esse. Modus autem quo hęc applicanda sunt, est, vt deraso capite admoueantur. Nam abscissa coma, & capillis abrasis, remedia admota immediate nullo interposito obice partem affectam tangunt, ut eamque validius agere possunt. Medicamentum autem locale & proprium ab Hippocrate propositum est vter coriaceus aqua calida plenus, quo fouere caput, & coctionem procurare intendit. Sed cum fomentorum plures sint formæ, vt habetur apud Hippocr. lib. 2. reg. acut. Nam alia fiunt per vtrem, alia per vesicam, alia per vas æneum, alia per vas testaceum, alia per spongias, alia per sacculos, & insuper alia fiunt per pannos, vel simpliciter calefactos, vel etiam suffumigatos, cur ex omnibus potior modus visus est Hippocrati, qui fit per vtrem? Quoniam coctioni, quæ fit primario à calido innato, principaliter intendens medicamentum ei conforme procurauit. Nam fomentum ex vtre nihil ignei habens, sed per caliditatem humiditati iunctam agens, consimilem calori natiuo operationem prodit, & inde coctioni procurandæ aptissimum est. Cætera autem neglexit, vel quia male capiti applicantur, vti vasa illa ænea, aut testacea, vel quia vim potius igneam, quam calori innato conformem habeant, qualem habent fomenta per pannos, aut per sacculos facta. Quæ vero per spongias fiunt, non recepit, quia nimis humectant, & plures requiruntur, sicuti etiam, quę per vesicas, cum non vnica sufficiat, at vnicus vter totum caput ambit, in cuius defectu nec etiam vesicas reiicerem, quoniam idem præstant, sicuti nec spongias, si pannis obuoluantur: verum Hippocrates huius vtri plurimum vsum habebat, vt ex aliis locis patebit, & ideo hunc tanquam principale proposuit. Ratio autem applicandi hunc vtrem, hæc est, vt circumligetur capiti circa frontem, id est, ad sinciput, repletus aqua calidissima, quantum æger sustinere potest, id est, sit plenus aqua calida in eo summo caloris gradu, in quo gradu non sit molesta ægrotanti, sed placida: calidissimam enim hanc appellauit Hippocrates non simpliciter, quia sic læderet, & magis funderet materias, & coctioni non proficeret, cum calorem igneum sic seruaret, sed calidissimam dixit ad ægrotantis sensum, qui aquam tantopere calidam ferre conueniet, quantum ex ea demulceri, non irritari, aut molestari debeat. Calidissima igitur sit hæc aqua, id est, calida in eo summo gradu, in quo eam æger sustinere potest, id est, qualem æger iucunde ac sine molestia sustinere potest. Talis autem erit, vbi plus quam tepida exstat, nec tamen mordicet. Hac autem repletus vter capiti & fronti circumligetur, caputque inde calefieri permittatur, si vero appositus spatio temporis refrigeretur, alter vel idem noua aqua calida repletus adhibeatur. Quoniam vero hinc quandoque sudor perlicitur, & ex sudore, ac ex calore illo actuali patientes quandoque sibi ipsis deficere videntur, & debilitantur, ideo ne vires hinc langueant, desistere ab vtris applicatione continua iubet, cum in hoc casu interposito ad restaurandas ægri vires temporis spatio eadem repetere vsque ad doloris remissionem, quod est tempus manifestę coctionis, conuenit. Dum hæc fiunt, si aluus sponte non egerat, per clysterem subleuanda est, & diuretica, quæ cum vitrositate aquositatem, qualia sunt melonis semina, habent, ad demulcendas materias ad vrinæ vias decurrentes, exhibenda sunt. Pro potu autem mulsa aquosa, & admodum diluta, pro cibo autem ptisanæ succus tenuis, id est, ptisana colata exhibeatur, interimque hanc victus tenuem rationem seruans ratione prædicta fomentur. Procedente autem morbo, & ad coctionem prodeunte, si nec ex prædictis aluus subeat, cibum aliqualiter medicamentosum instituens, iubet mercurialis in aqua coctæ, & postmodum contusæ, succum colatum pari portione ptisanæ succo admisceri, modico melle adiecto, cuius ter in die, scilicet, summo mane, in meridie, & ad noctis primas horas patiens sorbeat, & post hunc

vinum mellei saporis, id est, dulce, aquosum, album, & modicum superbibat: hinc enim aluus emundabitur, & excrementa omnia crassiora deponet. Nam præter ptisanam, quæ vim detergendi habet, additur mercurialis succus, qui stercoraceum est medicamentum, aliqua etiam biliosa quandoque simul educens. Preterea superbibitur vinum, quod mercuriali admistum etiam ad euacuandum valentiorem reddit, cuius merito dicebat Orib. libro septimo coll. medic. capite vigesimo septimo, loquens de mercuriali: Si vero decoctum vino admistum bibat, valentius aluus deiiciet. Vinum autem superbibendum monet Hippocrates, oportere esse μελιχρὸν, id est, mellei saporis, quod est dulce: quoniam vinum etiam hoc per dulcedinem ad leniendam aluum faciet. Qui autem interpretantur illam dictionem Hippocratis mellei coloris, non animaduerterunt inferius huius vini colorem determinari, & album vocari. At si est albus, quomodo potest esse mellei coloris, cum hoc flauum vel subflauum sit, illud autem album existat? Vinum igitur sit dulce, quod superbibendum est, sed simul etiam aquosum, ne petat caput, & sit modicum, ne quantitate ptisanæ, aut mercurialis succum excedat, sed earum tantum sit vehiculum Hoc autem non singulis diebus, sed pro necessitatis occasione agendum esse intelligatur. His explicatis subdit Hip. Postq̃ autem eruperint ipsi per nares mucosa & vrinam crassam eiecerit, & à dolore capitis liberatus fuerit, vtre amplius ne vtatur, sed multa calida lotus vrinam cientia, & aquam multam bibat, id est, posteaquam procurata fuerit, tum per tenuem victum, tum per fomentum ex vtre humorum coctio, quam indicabunt hæc tria, scilic. eruptio mucosarum humiditatum per nares, aquea enim simpliciter cruda sunt, mucosa autem aliqualem indicant coctionem, vrina crassa, cum tenuis cruditatem attestetur, & doloris capitis remissio, tunc amplius ne vtaris fomento ex vtre, sed in ratione medicamentorum bibas aquam mulsam, cui diuretica ad expurgandam materiam pituitosam, & per viam lotii prodeuntem, admixta sint. In ratione autem cibi milium delingat, id est, in pauca quantitate, & optime coctum, ac maceratum assumat, & cucurbitam tanquam cibum pauci nutrimenti, simulq; betas ad aluum subducendam edat. Et hoc per triduum agendum esse monet, quoniam sicut lib. 1. reg. acut. text. 25. docebat ab indicatione per duos dies ptisanam etiam exhibendam, & victum tenuem seruandum esse, ita hoc in loco per triduum hanc victus tenuiorem rationem seruandam esse à die eruptionis, quæ formam indicationis habet, præcipit. Transactis autem tribus dieb. monet vtendum esse cibis mollissimis, & quam maxime per aluum subeuntibus, id est, alimentis, quæ & in substantia sint mollia, non sicca, & quæ aluum molliendi facultatem habeant In affectibus autem capitis maxime animaduertendum est, vt aluus mollis sit, & pro ratione cibi assumpti respõdeat. Hac autem ratione cibus est exhibendus, vt pro ratione declinationis, id est, prout magis procedit declinatio, in maiori etiam quantitate exhibeatur, quod quoniam sensim fit in morbis longis, ideo etiam sensim cibus augendus in declinatione venit. Quod explicans Hippocrates inquit, ita vt semper modicum ad cibos priores addat. Subdit autem: At vbi quadraginta dies præterierint, id est, vbi integre morbus declinauerit, nam in tanto tempore soluitur hic morbus, ne recidiuæ per morbi reliquias occasio detur, iubet caput ipsum purgari, vbi tamen prius per medicamentum deorsum purgans totum corpus euacuatum fuerit, si tamen hoc anni tempus concedat. Nam, vt monet in lib. de aq. ster. & loc. solstitia & æquinoctia vitanda sunt, & in lib. 4. aph. 5. canis decursum cauere oportet, quo tempore si medicamenti occasio tollatur, ad euitandam recidiuam, æger cum optima victus ratione seruetur ac reguletur. Si autem nihil medicamenti exhibitionem prohibeat, à pharmaci potu ad diluendas omnes malas humiditates, & ad contemperandum corpus iubet per septem dies serum dari, quod si æger debilior sit, paucioribus diebus, vel in minori quantitate exhibeatur.

21 *Si vero morbus reuertatur, fomento per totum corpus adhibito, postridie veratrum bibendum dato: deinde quanto tempore tibi visum fuerit, intermittito, & tunc capite purgato, medicamento deorsum purgante exhibito, crustas octo capiti inurito: duas circa aures, duas in occipitio, hinc atq; hinc ad ceruicis neruum, duas in naso circa angulos. Venæ autem circa aures vrendæ sunt, donec pulsare desinant. Ferramentis vero cuneoli formo paratis obliquas venas perurito. Atq; hæc vbi feceris, sanitas contingit,*

EXPLICATA curatione morbi primitiui, nunc recidiuantis curationem proponit. In qua ad validissima deuenit medicamenta, quoniam morbus etiam vehemens & contumax admodum curandus venit, & qui non solum caput, verum etiam vniuersum corpus deprehẽdat. Nam in hoc crasso morbo non sola cutis capitis, verum vniuersum quoq; corpus intumescit, maleque affectum ad omnes operationes languidius euadit. Ex his autem validioribus medicamentis alterum respicit vniuersam corporis cacochymiam, & malum habitũ, alterum respicit caput tanquam fontem omnium malorum. Primum est hellebori albi assumptio: secundum est capitis iunstio. Pro primo monet per triduum ante hellebori potionem totum corpus calido fomento fouendum esse. Sed ad quam intentionem? Monebat Hippocrates lib. 4. apho. 13. eorum, qui non facile per superiora purgantur, corpora ante hellebori potionem pluri cibo, & quiete humectanda esse; humectata enim corpora facilius euacuantur, cum hinc ambitus facile solubilis euadat, & humores fluxioni & euacuationi valde paratos habeat. Ad hanc similitudinem

nem hoc in loco monet per triduum totum corpus fouendum esse, scilicet, vt hinc habitus laxior euadat, & humores ex calore fusi euacuanti medicamento facile cedant, & prompte educantur. Nec quietem sane, nec cibum humectantem in hunc vsum recepit, quoniam quies nequaquam sufficiens est ad proportionem tantæ cacochymię: cibus autem humectans inconuenit, tum quia debet esse copiosus, vnde potius naturæ grauis, quam vtilis in malis his habitibus foret, tum quia humiditate potius morbum, qui siccatione indiget, foueret, quam quod humores præpararet. Cum igitur hæc duo nusquam conueniant, hoc tertium machinatus est Hippocrates ad præparandum corpus ad hellebori sumptionem, qui helleborus intelligatur albus, tum quoniam veratrum simpliciter prolatum penes antiquiores medicos albũ designat, tum quoniam propter huius albi præcipuum apud priscos vsum albus potius, quam niger intelligendus venit. Hoc autem exhibito non contentus hac sola euacuatione Hippocrates monet, quoniam ex hoc medicamento fit magna corporis concussio, & notabilis spirituum resolutio, quorum merito patientes debilitantur, Interposito ad restaurandas vires commodo temporis interuallo, exhibendum esse alterum medicamentũ deorsum purgans, quo dato iubet pro præparatione ad alterum validum remedium, sc. ad vstionem, purgandum esse euacuatione particulari caput, quod cum fuerit, & sit omnium in hoc morbo malorum fons & origo, huic principaliter incumbendum est, ea ratione, vt fluxus humorum intercipiatur, simulq; caput exsiccetur. Hæc autem duo quid magis aptum est facere, quam ipsius capitis vstio? Nam ignis & vim siccandi summam continet, & vasa, per quæ fluit materia, vstione occæcare potest. Quapropter ad hanc intentionem monet Hippocrates, vrendum esse caput in locis octo, & crustas octo inurendas esse: sex quidem ad siccandum præcipue, quarum duæ circa aures, duæ in occipitio, duæ etiam in naso circa angulos: duæ autem reliquæ ad intercipiendam potissimum, & occludendam fluxionis viam, ad arterias (quas antiqua voce venas appellat) iuxta aures, quæ ferramentis cuneiformibus oblique, non per transuersum, aut recta inurentibus sunt tamdiu inurendæ, donec pulsare desinant. Hoc enim erit indicium, interceptam esse fluxioni viam, cum partes inferiores non amplius pulsauerint. Hoc autem facto, inquit Hippocrates, ęger sanitati pristinæ restituetur.

Ex his curationibus hæc à medico adnotanda, & memorię mandanda sunt. Primum est, quod in morbo longo, & qui quadragesima terminari debet, victu tenui sola ptisana & mulsa aquosa exhibita vsq; ad vigesimam vtitur: ratio est, quoniam tanto tempore crudus est morbus. Ex quo hoc documentum recipiant medici, quod dum crudus est morbus, dummodo vires valeant, tenui victu ægrotantes detineant.

Secundum est, quod ab eruptione per triduum leuia, & quæ minimi sunt nutrimenti cibaria exhibet, antequam cibi quantitatem augeat; quod cum in similitudinem eorum, quæ docuit libr. 1. reg. acut. tex. 25. factum sit, admonet, post crises & euacuationes à natura factas, non statim pleno victu vtendum esse, sed per biduum aut triduum seruandos esse ægros in acutis tenui, in longis autem paulo minus tenui, non tamen aut crasso, aut pleno, cuius oppositum plurimi medicinam communiter facientes agunt, cum à criticis euacuationibus statim repleant ægrotantes, quasi ex illis debilitatos.

Tertium notandum est, quod declinante morbo pro ratione declinationis augendus est victus, & hoc sensim fiat, modico semper ad priores cibos adiecto. Nam sicuti in sanis, ita in ægrotis subitæ repletiones damnantur, quę autem sensim fiunt, facilius tolerantur, cum ea his assuescat natura, quod præceptum sicuti est conuenientissimum, ita à paucis in actu practico seruatur.

Quartum est, quod maximam habet curam, vt aluus conuenienter subeat, quod præceptum licet in omni morbo sit attendendum, nihilominus in capitis affectibus maxime obseruandum est, ne hinc prauæ euaporationes sursum attollantur, maiorq; indies excrementorum copia cumuletur.

Quintum est placidissimum medicamentum ad subducẽdam aluum, compositum ex succo, qui ex mercuriali prius in aqua cocta, & postea contusa exceptus & excolatus sit, ptisanæ æquali portione admista, cui parum mellis (nos saccarum libentius addere possumus) additum sit, quibus vinum album, aquosum, dulce, & modicum superbibatur. Ex quibus elegans ad subducendam aluum medicamentum in morbis habemus, in quibus, si sint acuti, vel ab humore calidiore pendeant, poterimus à vino abstinere, in reliquis autem exhibere.

Sextum est, quod capitis purgationi vniuersalem corporis euacuationem præmittendam esse, monet, quod præceptum, sicuti obseruandum est, ita nunquam non fuit à Galeno animaduersum. Septimum est, quod in exustione capitis hunc ordinem seruat, vt prius vniuersum corpus medicamento deorsum purgante euacuat: postea secundo ipsum caput particulari euacuatione purgat: tertio & vltimo, vt caput octo vstionibus inurat. Qui ordo notandus & obseruandus est, quoniam vniuersalia particularibus semper præmittenda sunt, nec particularia membra medicamentis magnis ante euacuationem tractanda sunt. Octauum est, quod non vnicam aut alteram, vt communiter medicinam nostris temporibus facientes agunt, iubet administrandam vstionem, sed plures vsque ad octo, quod mirum videri potest nostris hominibus, sed ratio diuersitatis hæc est, quoniam prisci medici in morbis contumacibus, & potissimum in his, quia pituita pendent, potissimam curationis partem in exustione ponebant: has autem faciebant, non vt inde vlcera ad perpetuam & continuatam euacuationem inducerentur, qualia nunc per cauteria vsualia fiunt à medicis, sed vel ad exiccandam, vel ad euocandam

deglutione impedita solent assumpta ad nares resilire. Huius morbi vt plurimum est causa sanguis pituitosus, ad prædictas partes destillans à capite, qui nonnunquam est adeo copiosus, vt non solum male afficiat quatuor partes prædictas, sed etiam circumstantes, sicuti maxillas, vnde plures videmus anginosos, qui nec os aperire, maxillis communicata passione, queunt, nec collum mouere, cuius ratione nonnulli etiam nec collum circumuertere, aut annuendo inclinare possunt, sed distenti ac recti, vt tetanici, manent. De hoc morbo agens Hippoc. inquit: Anginam fieri, cum pituita in capite commota, id est, pituitosus sanguis in capite ex causa vel externa vel interna agitatus, aceruatim deorsum fluxerit, id est, affatim & cumulate in partes gutturis, aut faucium irruerit, & in maxillis, & circa collum constiterit, id est, & morbum partes inter maxillas & collum constitutas, quæ sunt guttur & fauces, affligentem causauerit, & quæ si copiosa est, non tantum guttur & fauces, verum etiam maxillas, & collum male afficiat. Hic nec saliuam deglutire potest, id est, non solum cibum assumptum, verum etiam nec saliuam, vbi affectio sit vehementior, deglutire potest, vel saltem cum difficultate deglutit. Respirat autem violenter angustiato asperę arteriæ orificio, ac stertit, si materia destillet & recipiatur in asperam arteriam, & aliquando etiam febris ipsum corripit. Nam si humiditas pituitosa admodum, vel sanguis pituitosior & frigidior est, qui has partes madefecerit, & tumorem in eis fecerit, vt etiam declarat Galenus lib. 4. aph. com. 34. non superuenit febris, quæ tamen in omnibus aliis casibus inflammatoriis succedit. Et morbus sane ex hac causa fit, scilicet, ex sanguine pituitoso, vt plurimum à cerebro destillante, & aliquando sub ipsam linguam, aliquando paululum supra pectus, id est, quandoque ista affectio firmatur sub ipsam linguam, ad radicem ipsius, affecto gutture, & principio tracheæ arteriæ, vt fit in apparentibus inflammationibus, faciens difficultatem in suprema eius parte, quandoq; paululum supra pectus firmatur, male affecta intimiori asperę arteriæ parte, vt fit in inflammatione musculorum interiorum laryngis, faciens difficultatem non in suprema, sed in magis interna eius parte, non tamen in thorace ipso, vt contingit in asthmate, vel in peripneumonia, aliisque morbis difficultatem respirandi ex affectu intra thoracem existente causantibus. Quam differentiam difficilis spirationis non habens angina, ideo dicta est ab Hippocrate paululum supra pectus anginam fieri quandoq;. sicuti etiam quandoq; fit sub ipsam linguam, id est, in radice ipsius.

Vua morbus.

15 *Vua fit, quum pituita de capite ad gurgulionem descenderit, & gurgulio praeceps dependet, ac fit rubicundus: temporis autem progressu nigrescit. Nigrescit autem hoc modo: Venosus est gurgulio, & crassus, & postquam inflammatus est, calescit: & prae caliditate sanguinem ex vena attrahit, ac ab ipso nigrescit. Quapropter & si non turgentem feces, statim inflammantur. Nam vena calefacit, & prae caliditate partes circa gurgulionem sanguine replet: & breui suffocatur.*

VVA quis morbus sit, & quæ eius causæ, & quid penes antiquiores denotet, & quid Hippocrati proprie significet, iam in commentario primi libri de morbis. explicaui. Quare solum superest, vt literam exponam. Vua fit, inquit Hippocrates, cum pituita de capite ad gurgulionem descendit. Gurgulio est pars affecta. Affectio dicitur vua. Causa est pituita. Per pituitam intelligo vel destillationem pituitosam, vel sanguinem pituitosum, ab vtrisq; enim intumescit, & præceps descendit, qui fit rubicundus à principio ex noua defluente materia, procedente autem morbo, & temporis progressu nigrescit. Nigrescit autem hoc modo: (inquit Hippocrates) Venosus est gurgulio, & crassus, & postquam inflammatus est, calescit, & præ caliditate sanguinem ex vena attrahit, ac ab ipso nigrescit, id est, cũ gurgulio ex materia destillante intumuerit, cũ venis scateat, & carnosus sit, incalescit, incalescens autem sanguinem ex venis circumstantibus attrahit. Attracto autem sanguine copioso in parte tam parua, hinc sequitur, quod deprehensus ingenti inflammatione nigrescat, quoniam calor eius insitus à copia sanguinis suffocatur, indeque in gangrænam & corruptionem declinans, nigrum colorem concipit. Quo casu superueniente, monet Hippocrates, secandum statim esse gurgulionem, alias suffocationis periculum imminet. Ratio hæc est, quoniam hæc pars admodum inflammata ratione caliditatis intensæ est in causa, vt partes circumstantes simul inflammentur, indeq; & spiritus meatus coarctentur, quibus inflammatis & coarctatis, certum suffocationis discrimen impendit, quod discrimen euitabitur, si gurgulio secetur, non per abscissionem, quoniam hinc partis affectæ substantia, non humor solum tolleretur, sed per scarificationem quale etiam in cæteris corporis partibus ad gangrænam ex insigni inflammatione declinantibus ad eam euitandam, & enectandam pariter partis affectæ substantiam, vtimur. In textu autem Græco animaduerto illam dictionem, ἀποπαρθιζουσι longe melius interpretari à Caluo, qui animam agunt, id est, moriuntur, transtulit, quam ab aliis, qui inflammantur eam interpretati sunt, quoniam ridiculum est dicere, quod hęc pars iam inflammata, & ob ingentẽ inflãmationem denigrata, nisi secetur, inflãmatur, cum, nisi sectione prohibeatur via in gangrænam & corruptionem, certum sit periculum mortis, communicata partibus circumstantibus affectione, ex qua postea suffocationis discrimen pendet. Illud autem verbum, παραχρῆμα, id est, statim quod intermediat inter dictionem, τάμνε, id est, seces, & dictionem, ἀποπαρθιζουσι, id est, animam agunt, nil vt alii dicunt, inflamman-

flammantur, copuletur cum antecedenti, non cum subsequenti, sicuti interpretes existimarunt. Quoniam ea est Hipp. sententia, quod si denigratam gurgulionem statim non seces, quoniam partes circumstantes male afficerentur, suffocationisque discrimen inde impendet, mortis periculum imminet, non autem quod si denigratam gurgulionem non secemus, hinc statim pereat patiens, vel saltem mors non impendet, nisi prius cæteris partibus communicata affectione, ex qua postea breui, vt habetur in textu, non autem subito aut statim pereunt. An autem talis sectio conueniat, vt hic probatur, vel non, quemadmodum Hippocrates lib. 3. Prognost. tex. 23. sensisse videtur, inferius in loco curationis declarabo.

Tonsillæ.

16 *Tonsillæ & partes sub lingua, & gingiuæ, & lingua, & quæcunq; huiuscemodi hoc loco consistunt: hæ omnes partes è pituita ægrotant. Pituita autem de capite descendit. Caput autem ex corpore trahit. Trahit autem vbi fuerit calefactum: percalescit autem à cibis, & sole, & frigore, & laboribus, & febrils calore. Quum vero calefactum fuerit, tenuissimum ex corpore ad se trahit, vbi vero traxerit, rursus id ad corpus descendit,*

CVm lingua duplicem habeat vsum, alterum discernendi sapores ex insertione partis neruorum tertii paris, alterum loquendi & deducendi cibum per os, & reiiciendi excrementa ibi decurrentia ex insertione neruorum à septimo pari propagantium, & ad eius motum inseruientium, quoniam vtriq; muneri insufficiens & inepta foret, si omni humiditate destituta resiccata esset, (nam siccata nec moueri apte possent, nec alienas humiditates aut sapores cum mediocritate, in qua vera consistit sensatio, recipere queunt) ideo vtrinque ad linguæ basim substituit natura duas glandulas carnosas & spongiosformes, à quibus continuo lingua naturali humiditate proluereretur, sicuti & paulo inferius alia glandosa corpora apposuit, vt hinc larynx & aspera arteria irroretur, lenique humiditate humectetur: nam si istę partes prorsus exsiccatæ essent, nec voci nec respirationi facile inseruirent. Illarum glandularum, quæ à Latinis tonsillæ appellantur, ad linguæ latera resident, & earum, quæ paulo inferius sitæ ad latera laryngis parichtniæ vocatæ, situantur, substantia rara & spongiosa existit, quare etiam est prona ad recipiendam omnem ex capite fluxionem, vnde vel tumeant simpliciter, vel etiam tumentes simul inflammentur. Illarum priorum affectus Antiades proprie dicitur, secundarum autem parichtmia, sumpto nomine à parte affecta, appellatur. Verum cum ob vicinitatem harum partium ad inuicem raro contingat, quin alterius affectus alteri communicetur, hinc euenit, vt indifferenter etiam quandoq; vtrisque nomen idem tribuatur, cum tamen vtriusq; sint signa distinctiua. Nam in antiadibus maior est deglutiendi difficultas, in parichtmiis autem minor est, sed ei additur quædam vocis raucedo & respirandi difficultas. De his affectibus loquens Hippo. ambos comprehendit sub eodem titulo, & quoniam ad harum affectiones & inflammationes compatiuntur quandoq; partes oris circumstantes, & lingua ipsa, ideo inquit declarans Hippocr. harum partium passiones & passionis causas, tonsillæ, & partes sub lingua, id est, antiades, per quas tonsillæ inflammantur, & partes sub lingua, id est, parichtnia & gingiuę his compatientes, & lingua pariter ob communicantiam affecta, & quæcunq; huiusmodi hoc loco consistunt, id est, quæcunque partes dictis partibus adiacentes, supple, iisdem morbis deprehenduntur per communionem illarum duarum dictarum partium, hę omnes partes ex pituita, id est, ex destillatione pituitosa, vel ex sanguine pituitoso ægrotant. Pituita enim de capite descendit, scilicet, ad dictas partes, caput autem ex corpore trahit. Nam præter id, quod euaporationes ab vniuerso corpore, & humores ascendentes, cum capiti corpus vniuersum sit substratum, recipiat, etiam vi propria, vbi præter naturam constitutum fuerit, ab inferioribus partib. attrahit. Præter naturam ad attrahendum constituitur (cum calidi sit attrahere) vbi incaluerit. Et ideo subiungit Hippoc. Trahit autem vbi fuerit calefactum, non quidem ingenito, sed alieno, & præternaturali calore. Ab ingenito roboratur, ab alieno autem languidum & fluxionibus recipiendis obnoxium redditur. Causas autem caloris præternaturalis assignans, inquit: Percalescit autem à cibis: per cibum intelligit omnia ad intus assumpta, siue sit cibus ipse, siue potus, siue medicamenta. Talia a. sunt cibaria acriora, nidorosa, mali succi, calidi, vina potentia, aromata, hisque alia congenita: & à sole, id est, ab aere calidiori, siue talis sit ex solis ardore, vel ex æstuario, vel ex camino ardēte: & frigore, id est, ab ambientis frigiditate cutis meatus constipante, indeq; calorem internum, ex quo inclusus augetur, & augescens pręternaturalis euadit, transpirare prohibente, quod idem & Embrochæ frigidæ & pluuiæ superingruentes, & medicamenta vel actualiter vel potentialiter frigida importune administrata facere possunt, dum ad intimiores cerebri partes frigus non permeat: & laboribus, id est, ab immoderato exercitio in corpore vel pletorico, vel ex bile & succis calidioribus cacochymo facto: hinc enim fusis humoribus facile in cerebrũ irruunt, eumque supra modum calefaciunt: vel à laboribus, scilicet, solius capitis, id est, ab omnibus causis, quæ laborem capiti inferre possunt, vt capitis superfluæ frictiones, immoderatæ pectinationes, vehementes concussiones, immodicæ sternutationes, vociferationes, spiritus detentiones, cantus altiores, tibiarum & tubarum sonantium exercitationes, aliæq; consimiles operationes, ex quib. caput multum laborans etiam multum incalescit: ac febrili calore, nam in febribus creberrime cerebrum incalescit per febrem vel vaporationum, vel humorum copia in illud ascendente, quo calefacto, postea maior humorum & succorum sequi-

tur

tur attractio, nisi vel tenui victu, vel medicamentis, vel sanguinis missione reluctetur med eus. Tot autem modis incalescens cerebrum ab inferis partibus, quod tenuissimum est (nam tenuiora facilius mouentur, & facilius ascendunt) attrahit. Vbi vero hoc traxerit, quoniam ex imbecillitate nec ad coctionem materiæ susceptæ sufficit, nec eam continere potest, rursus hoc idem ad inferum corpus transmittit. In hac autem transmissione, cum tonsillæ & paristhmia fuerint ad hoc præparata, facile recipient, & inde vel tumorem, vel inflammationem, de quo casu non loquitur Hipp. incurrent.

Morbi à capite orientes.

17 *Quum repletum fuerit caput, & ab aliquo ex relatis percalefactum,*

EGIT hucusque Hippocrates de prædictis capitis affectibus, per generalem quandam explicationem declarãs tantum eorum generationem, causas & indicium. Nunc autem particularem eorundem & aliorum plurium morborum curationem explicaturus, eadem, quæ in superioribus enarrata fuerunt, quodammodo repetit. In similitudinem enim dictorum generationem, causas & iudicia eadem, licet sub aliis verbis, & dissimili quodam modo, replicat, vt his conuenientem & proportionatam superaddat curationem. Incipiens autem à primo affectu, de quo in primo egit textu, primo ponit causam, secundo signa, tertio iudicium, quarto curationem apponit. Quoad primum, duo aduertit ad causandam hanc affectionem concurrere; alterum est capitis dispositio, alterum est efficiens extrinsecum. Capitis dispositio pendet ex eius repletione, vbi enim humoribus superfluis scateat, facile omnem concipit labem. Efficiens autem extrinsecum sunt omnia ea, quæ supercalefacere caput apta sunt, qualia sunt relata superiori textu, in referendis antiadum causis, scilicet assumpta per os, aer calidior, frigus non proprium, sed externum, capitis labores, & febrilis calor. Vbi igitur hæc duo, scilicet capitis ex humorum copia repletio, & externum agens, à quo possit caput supercalefieri, concurrunt, præsto sunt huius morbi causæ, & ab his facillime procreabitur affectus, de quo queritur in præsenti casu curatio.

18 *Torpor caput tenet, & frequenter mingit, & alia patitur, quæ ex vrina stillicidio contingere solent.*

AD secundum intentum descendens, tria huius morbi signa proponit. Primum est capitis torpor: secundum est frequens minctio: tertium accidentia qualia in stranguriosis fieri solent. Capitis torpor non intelligatur verus stupor, qualis vel à medicamentis, vel ab humoribus frigidioribus, & ab intemperie eiusdem rationis causatur, quoniam in casu præsenti calor, non frigus superinducitur, humoresque non densantur nec firmantur, sed liquescunt, & in motu constituuntur. Sed per torporem intelligamus quandam capitis confusionẽ, ex introducta caliditate, & humorum motu causatam, qualem in ebriis videmus, qui non stupidi, sed mente confusi videntur. Ex tali autem confusione, cum non sint prompti ad proprias functiones obeundas, hinc videntur torpidi, seu stupidi, cum tamen nec verus stupor, nec verus torpor sit. Minctio autem frequẽs prouenit ex materia liquescente, & per venas destillante, quę cum decumbat ad renes, hinc statim trahitur, ad vesicamq; transmittitur, quę cum sit copiosa, inde stimulata natura à multitudine lotii frequenter insurgit ad exonerandam vesicam. Accidentia vero stranguriosis similia patiuntur, quoniam hæc materia ex calore aliquam acrimoniam concipit, ex qua si non ardorem, qualem stranguriosi sentiunt, saltem irritationem similem percipiunt.

19 *Idem per dies nouem patitur hæc. Et si quidem per nares, aut aures aqua, & mucus erumpat, à morbo liberatur, & vrina stillicidium sedatur, mingitq; citra dolorem vrinam multam & albam, ad viginti dies. Et dolor capitis cessat, & intuenti splendor ex oculis subtrahitur, & dimidiatas rerum facies se videre putat. Hic quadragesima die penitus sanus euadit. Multis vero quandoq; morbus redit septimo aut decimo quarto anno. Et cutis capitis ipsi crassescit, & ad tactum cedit, & de paucis cibis tener ac bene coloratus apparet, & non acutum auditum habet.*

IVDICIVM huius morbi, quod erat tertium propositum, declarans, quatuor ad hoc pertinentia declarat. Primum est, quanto tempore molesta accidentia ad minus perseuerent: secundum, quomodo accidentia sedentur, & morbus soluatur: tertium vltimum solutionis terminum: quartum quo anno, si morbus rediturus sit, repetat, & quę accidentia inferat. Quoad primum, inquit, quod ægrotantes prædicta accidentia solent pati vsq; ad nonam diem; ratio est, quoniam in morbis longis, quorum primus terminus est quadragesima dies, saltem quarta pars morbi solet procedere, cum signis continuę & notabilis cruditatis: stante autem & perseuerante eadem cruditate, eadem etiam accidentia sequi solent. Quare cum à principio huius morbi illa tria accidentia inuadant patientem, & cruditas ad quartam partem morbi sit duratura, etiam ad quartam partem morbi eadem accidentia perseuerabunt. Et propterea vsque ad decimam diẽ, quæ quadragesimi termini est quarta portio, permanebunt: & ideo iure, vt inquit Hipp. patiens saltem per nouem dies, id est, vsq; ad decimam, quo tempore cruditas, & eruditatis signa permutari & imminui solent in salubribus morbis, ea patientur accidentia. Quoad secundum, monet hæc accidentia sedari, & morbum in solutionem procedere, si aut per nares, aut per antes aqua, & mucus erumpant. Hæc autem eruptio regulariter ante vigesimam fieri non potest, quoniam cum hęc fiat ex naturæ dominio, & ea per coctionem materiam peccantem euincente, tempus aorẽ manifestæ coctionis sit in longis dimidium tempus morbi, Ine ante vige-

te vigesimam coctio huius materiæ fieri non poterit in hoc morbo, qui die quadragesima terminandus erit. Quare non immerito insinuauit Hippocrates hęc ad viginti dies fieri, cum vrinam multam & albam citra dolorem, id est, lotium concoctum, nec mordicans, copiose excerni asserat ad viginti dies, id est, vsq; ad integram morbi solutioné, quæ quadragesima die futura est, ita vt sensus sit, quod ad eruptionem muci & aquæ factæ in vigesima sequatur vrinæ multæ & concoctæ, per quam residuum materiæ morbi pro magna parte euacuatur, per alios viginti dies excretio, qui duo termini totum morbi curriculum commensurantes, quadraginta dies, quo tempore soluendus est morbus, constituunt. Hæc autem eruptio ad vigesimam facta indicat materiam peccantem per coctionem euinci à natura, quę residuum materiæ per lotium educens morbum die quadragesima soluit. Ab eruptione autem vsque ad vltimum morbi terminum dolor capitis remittitur, & vrinæ stillicidium per coctionem aquosæ materiæ ad renes declinantis sedatur, sique pars aliqua materiei in capite existentis ad oculorum venas transmissa fuerit, ex qua visio hebetetur, & pupilla per maculas quasdam albicantes ex materia intra tunicas corneæ recepta pro parte veletur, cuius merito dimidiatas tantum rerum facies videre potest, eadem remouetur, & iam euicto morbo & dominante natura discutitur. Indeq; patiens ex omni praua affectione vindicatur. Terminus autem vltimus, quo hæc omnia terminari debent, quod est tertium propositum, monet Hippocrates, quadragesimam diem esse. Inquit enim: Hic quadragesima die penitus sanus euadit. Hoc autem tempus est primus terminus morborum longorum, & qui peculiaris esse solet capitis affectibus longis, sicuti destillationibus ex aeris intemperie obortis. vnde dicebat Hippocrates lib. 7. epid. 57. tusses ab hoc pendentes ad quadraginta dies perseuerare; ratio est, quoniam tot diebus soluitur morbus per coctionem firmata destillatione; qui casus est huic similis, & similem habens terminationem & terminum. Quoad quartum, monet, hunc morbum à solutionis tempore aut septimo aut decimo quarto anno repetere. Sed cur septimo aut decimoquarto? quoniam sicut recidiuæ in morbis acutis fiunt per dies iudicatorios, ita recidiuæ in morbis longis fiunt, aut per menses, aut per annos criticos, septimus autem aut decimusquartus annus est decretorius, vt constat ex ætatibus, quæ per septennios commensuratæ maximas in corpore mutationes & morborum aut accessus, aut recursus, aut solutiones faciunt. His autem annis recurrens hic morbus maiorum accidentium est in causa: nam non amplius materia per os aut nares erumpit, aut per venas ad lotii vasa descendit, sed in capite genita extra cranium per spatia, & vacua corporis loca transmissa, indeq; ad vniuersum ambitum communicata corpus tumefacit, cutimque capitis incrassat, tandemque morbum crassum, de quo superius abunde egi, introducit. In quo morbo hæc potissimum accidunt, primo, vt corpus molle existens & ad tactum cedens vestigium tangentis corporis reseruet: secundo vt paucis cibis contentus sit, cum præ tali tumore non fiat humorum aut corporis discussio & euaporatio, quorum ratione appetentia augescit: tertio vt non admodum male coloratus existat, cum sit pallidus quodam leui rubore suffusus, & hoc quoniam non vitio hepatis, sed materiæ exterius transmissæ fit pallor & tumor, reseruata adhuc in iecore perfecta sanguinis generatione: quarto vt non acutum habeat auditum. Nam cum plurima fiat transmissio humorum per partes capitis posteriores, non mirum est, si aures, cum sint constitutæ in parte laterali, etiam compatiantur, & inde auditus lædatur. Et hæc de indiciis huius morbi.

20 *Quum ita habentem offenderis in principio morbi, priusquam erumpat aqua per nares & aures, & tenuerit ipsum dolor, deraso capite vtrem coriaceum circum frontem deligare oportet, aqua plenum calidissima, quantum sustinere potest, atque hinc ipsum calefieri permittere, & vbi perfrigeratus fuerit, alium adhibere: si vero hinc debilitetur, desistere, ac tempore interposito eadem repetere, donec remiserit dolor. Et si aluus non egerat, infusum per clysterem immittere, & vrinam cientibus in potu datis aquam mulsam aquosam insuper bibendum exhibere, & calore quam maxime foueatur. Sorbeat autem ptisanæ succum tenuem. Si vero venter non subeat, mercurialem in aqua coctam terito, ac succum excolato, & de ipso, ac de ptisana succo parem mensuram permisceto, & modicum mellis adiicito. Hunc succum ter in die sorbeat, & vinum mellei coloris, aquosum, album, modicum à sorbitione insuper bibat. Postquam autem eruperint ipsi per nares mucosa, & vrinam crassam eiecerit, & à dolore capitis liberatus fuerit, vtre amplius ne vtatur, sed multa calida lotus vrinam coeuntia, & aquam mulsam bibat. Et primis quidem diebus milium delingat, & cucurbitam edat, aut betas per triduum. Deinde cibis vtatur mollissimis, ac quam maxime per aluum subeuntibus, ita vt semper modicum ad cibos priores addat. At vbi quadraginta dies præterierint, (sedatur enim morbus maxime in tanto tempore) capite ipsius purgato, prius medicamento exhibito, ipsum deorsum purgato, si tempus anni hoc permittat. Deinde serum ad septem dies bibendum dato, aut pauciores, si debilis existat.*

PRÆNARRATI morbi curationem, quod erat quartum principale, nunc explicaturus

eam

eam duplicem apponit, alteram primitiui, alteram recidiuantis. Primam aggrediens eam hac ratione instituit. Quoniam hic morbus fit à pituitoso succo, cerebrum replente, & ab extraneo calore fuso ac commoto, cuius gratia & caput dolet, & fluxiones materierum crudiorum succedunt, ideo coctioni crudioris materiei cerebrum replentis intentus, eam tum per medicamenta localia, tum per victus tenuis rationem, ne à copia cibi distrahatur natura ab ea concoquenda, procurat, qua procurata & integre adepta, materiam peccantem tandem euacuare ad totalem morbi solutionem mouet. Quoad primum, videlicet, quoad medicamenta localia, quatuor docet. Primum quo tempore hæc administranda veniant: secundo, quo modo: tertio, quæ debeant hæc esse: quarto, qua ratione sint admouenda. Tempus est, inquit Hippocrates in principio morbi, priusquam erumpat aqua per aures, aut per nares, & dolor patientem adhuc detineat. Tres igitur conditiones ad obseruationem temporis obseruari monet. Prima est, vt dum morbus est in principio ea administrentur. Sed quousque durat principium morborum? Durat vsque quo signa manifestæ coctionis appareant, ista autem apparere solent in dimidiato morbi tempore: quare principiom huius morbi, qui in quadragesima terminari debet, vsque ad vigesimam protrahetur, vnde per viginti primos dies hęc localia medicamenta admouenda erunt. Secunda conditio est, vt hæc admoueantur ante eruptionem aquæ, sed hæc eruptio fiet ad vigesimam, si natura dominante, & per coctionem materiam euincente, fieri debet, vti superius etiam declaraui; igitur hæc secunda conditio docet pariter per viginti primos dies hæc agenda esse. Tertia conditio, vt hæc fiant, vbi ipsum patientem adhuc dolor vrgeat: at tale tempus est, dum cruda est materia; coctio enim materiam deuincens etiam symptomata ex cruditate dependentia demulcet, cruda autem est per viginti dies, quanto tempore principium durat: igitur ex dolore etiam habemus localia primis viginti diebus administranda esse. Modus autem quo hęc applicanda sunt, est, vt deraso capite admoueantur. Nam abscissa coma, & capillis abrasis, remedia admota immediate nullo interposito obice partem affectam tangunt, in eamque validius agere possunt. Medicamentum autem locale & proprium ab Hippocrate propositum est vter coriaceus aqua calida plenus, quo fouere caput, & coctionem procurare intendit. Sed cum fomentorum plures sint formæ, vt habetur apud Hippocr. lib. 2. reg. acut. 2. Nam alia fiunt per vtrem, alia per vesicam, alia per vas æneum, alia per vas testaceum, alia per spongias, alia per sacculos, & insuper alia fiunt per pannos, vel simpliciter calefactos, vel etiam suffumigatos, cur ex omnibus potior modus visus est Hippocrati, qui fit per vtrem? Quoniam coctioni, quæ fit primario à calido innato, principaliter intendens medicamentum ei conforme procurauit. Nam fomentum ex vtre nihil ignei habens, sed per caliditatem humiditati iunctam agens, consimilem calori natiuo operationem prodit, & inde coctioni procurandæ aptissimum est. Cætera autem neglexit, vel quia male capiti applicantur, vti vasa illa ænea, aut testacea, vel quia vim potius igneam, quam calori innato conformem habeant, qualem habent fomenta per pannos, aut per sacculos facta. Quæ vero per spongias fiunt, non recepit, quia nimis humectant, & plures requiruntur, sicuti etiam, quę per vesicas, cum non vnica sufficiat, at vnicus vter totum caput ambit, in cuius defectu nec etiam vesicas reiicerem, quoniam idem præstant, sicuti nec spongias, si pannis obuoluantur: verum Hippocrates huius vtri plurimum vsum habebat, vt ex aliis locis patebit, & ideo hunc tanquam principale proposuit. Ratio autem applicandi hunc vtrem, hæc est, vt circumligetur capiti circa frontem, id est, ad synciput, repletus aqua calidissima, quantum æger sustinere potest, id est, sit plenus aqua calida in eo summo caloris gradu, in quo gradu non sit molesta ægrotanti, sed placida: calidissimam enim hanc appellauit Hippocrates non simpliciter, quia sic læderet, & magis funderet materias, & coctioni non proficeret, cum calorem igneum sic seruaret, sed calidissimam dixit ad ægrotantis sensum, qui aquam tantopere calidam ferre conuenit, quantum ex ea demulceri, non irritari, aut molestari debeat. Calidissima igitur sit hæc aqua, id est, calida in eo summo gradu, in quo eam ęger sustinere potest, id est, qualem æger iucunde ac sine molestia sustinere potest. Talis autem erit, vbi plus quam tepida existat, nec tamen mordicet. Hac autem repletus vter capiti & fronti circumligetur, caputque inde calefieri permittatur, si vero appositus spatio temporis refrigeretur, alter vel idem noua aqua calida repletus adhibeatur. Quoniam vero hinc quandoque sudor perlicitur, & ex sudore, ac ex calore illo actuali patientes quandoque sibi ipsis deficere videntur, & debilitantur, ideo ne vires hinc langueant, desistere ab vtris applicatione continua iubet, cum in hoc casu interposito ad restaurandas ægri vires temporis spatio eadem repetere vsque ad doloris remissionem, quod est tempus manifestę coctionis, conuenit. Dum hæc fiunt, si aluus sponte non egerat, per clysterem subleuanda est, & diuretica, quæ cum vitrositate aquositatem, qualia sunt melonis semina, habent, ad demulcendas materias ad vrinæ vias decurrentes, exhibenda sunt. Pro potu autem mulsa aquosa, & admodum diluta, pro cibo autem ptisanæ succus tenuis, id est, ptisana colata exhibeatur, interimque hanc victus tenuem rationem seruans ratione prædicta foueatur. Procedente autem morbo, & ad coctionem prodeunte, si nec ex prædictis aluus subeat, cibum aliqualiter medicamentosum instituens, iubet mercurialis in aqua coctæ, & postmodum contusæ, succum colatum pari portione ptisanæ succo admisceri, modico melle adiecto, cuius ter in die, scilicet, summo mane, in meridie, & ad noctis primas horas patiens sorbeat, & post hunc

nem hoc in loco monet per triduum totum corpus fouendum esse, scilicet, vt hinc habitus laxior euadat, & humores ex calore fusi euacuanti medicamento facile cedant, & prompte educantur. Nec quietem sane, nec cibum humectantem in hunc vsum recepit, quoniam quies nequaquam sufficiens est ad proportionem tantæ cacochymię: cibus autem humectans inconuenit, tum quia debet esse copiosus, vnde potius naturæ grauis, quam vtilis in malis his habitibus foret, tum quia humiditate potius morbum, qui siccatione indiget, foueret, quam quod humores præpararet. Cum igitur hæc duo nusquam conueniant, hoc tertium machinatus est Hippocrates ad præparandum corpus ad hellebori sumptionem, qui helleborus intelligatur albus, tum quoniam veratrum simpliciter prolatum penes antiquiores medicos albũ designat, tum quoniam propter huius albi præcipuum apud priscos vsum albus potius, quam niger intelligendus venit. Hoc autem exhibito non contentus hac sola euacuatione Hippocrates monet, quoniam ex hoc medicamento fit magna corporis concussio, & notabilis spirituum resolutio, quorum merito patientes debilitantur, interposito ad restaurandas vires commodo temporis interuallo, exhibendum esse alterum medicamentũ deorsum purgans, quo dato iubet pro præparatione ad alterum validum remedium, sc. ad vstionem, purgandum esse euacuatione particulari caput, quod cum fuerit, & sit omnium in hoc morbo malorum fons & origo, huic principaliter incumbendum est, ea ratione, vt fluxus humorum intercipiatur, simulq; caput exsiccetur. Hæc autem duo quid magis aptum est facere, quam ipsius capitis vstio? Nam ignis & vim siccandi summam continet, & vasa, per quæ fluit materia, vstione occæcare potest. Quapropter ad hanc intentionem monet Hippocrates, vrendum esse caput in locis octo, & crustas octo inurendas esse: sex quidem ad siccandum præcipue, quarum duæ circa aures, duæ in occipitio, duæ etiam in naso circa angulos: duæ autem reliquæ ad intercipiendam potissimum, & occludendam fluxionis viam, ad arterias (quas antiqua voce venas appellat) iuxta aures, quæ ferramentis cuneiformibus oblique, non per transuersum, aut recta inurentibus sunt tamdiu inurendæ, donec pulsare desinant. Hoc enim erit indicium, interceptam esse fluxioni viam, cum partes inferiores non amplius pulsauerint. Hoc autem facto, inquit Hippocrates, ęger sanitati pristinæ restituetur.

Ex his curationibus hæc à medico adnotanda, & memorię mandanda sunt. Primum est, quod in morbo longo, & qui quadragesima terminari debet, victu tenui sola ptisana & mulsa aquosa exhibita vsq; ad vigesimam vtitur: ratio est, quoniam tanto tempore crudus est morbus. Ex quo hoc documentum recipiant medici, quod dum crudus est morbus, dummodo vires valeant, tenui victu ægrotantes detineant.

Secundum est, quod ab eruptione per triduum leuia, & quæ minimi sunt nutrimenti cibaria exhibet, antequam cibi quantitatem augeat, quod cum in similitudinem eorum, quæ docuit lib. 1. reg. acut. tex. 25. factum sit, admonet, post crises & euacuationes à natura factas, non statim pleno victu vtendum esse, sed per biduum aut triduum seruandos esse ægros in acutis tenui, in longis autem paulo minus tenui, non tamen aut crasso, aut pleno, cuius oppositum plurimi medicinam communiter facientes agunt, cum à criticis euacuationibus statim repleant ægrotantes, quasi ex illis debilitatos.

Tertium notandum est, quod declinante morbo pro ratione declinationis augendus est victus, & hoc seorsim fiat, modico semper ad priores cibos adiecto. Nam sicuti in sanis, ita in ægrotis subitæ repletiones damnantur, quę autem sensim fiunt, facilius tolerantur, cum ex his assuescat natura, quod præceptum sicuti est conuenientissimum, ita à paucis in actu practico seruatur.

Quartum est, quod maximam habet curam, vt aluus conuenienter subeat, quod præceptum licet in omni morbo sit attendendum, nihilominus in capitis affectibus maxime obseruandum est, ne hinc prauæ euaporationes sursum attollantur, maiorq; indies excrementorum copia cumuletur.

Quintum est placidissimum medicamentum ad subducẽdam aluum, compositum ex succo, qui ex mercuriali prius in aqua cocta, & postea contusa excerptus & excolatus sit, ptisanæ æquali portione admista, cui parum mellis (nos saccarum liberius addere possumus) additum sit, quibus vinum album, aquosum, dulce, & modicum superbibatur. Ex quibus elegans ad subducendam aluum medicamentum in morbis habemus, in quibus, si sint acuti, vel ab humore calidiore pendeant, poterimus à vino abstinere, in reliquis autem exhibere.

Sextum est, quod capitis purgationi vniuersalem corporis euacuationem præmittendam esse, monet, quod præceptum, sicuti obseruandum est, ita nunquam non fuit à Galeno animaduersum. Septimum est, quod in exustione capitis hunc ordinem seruat, vt prius vniuersum corpus medicamento deorsum purgante euacuat: postea secundo ipsum caput particulari euacuatione purgat: tertio & vltimo, vt caput octo vstionibus inurat. Qui ordo notandus & obseruandus est, quoniam vniuersalia particularibus semper præmittenda sunt, nec particularia membra medicamentis magnis ante euacuationem tractanda sunt. Octauum est, quod non vnicam aut alteram, vt communiter medicinam nostris temporibus facientes agunt, iubet administrandam vstionem, sed plures vsque ad octo, quod mirum videri potest nostris hominibus, sed ratio diuersitatis hæc est, quoniam prisci medici in morbis contumacibus, & potissimum in his, qui à pituita penderent, potissimam curationis partem in exustione ponebant: has autem faciebant, non vt inde vlcera ad perpetuam & continuatam euacuationem inducerentur, qualia nunc per cauteria vsualia fiunt à medicis, sed vel ad exiccandam, vel ad euocandam

miam, quæ non facile, & cum labore expurgatur, significat, curandus venit. Cum autem dupliciter inuadat, scilicet vel solum caput, vel simul cum capite reliquum corpus deprehendens, nemini etiã dubium est, cum solum apprehenderit caput, leuiorem & curatu faciliorem, cum autem cum capite etiam reliquum corpus, grauiorem & curatu difficiliorem esse; ratio est, quoniam ex priori minor, ex secundo maior & abundantior cacochymia indicatur. De primo non agit Hippocrates, quoniam licet is in adultis curationem poscat, tamen cum sæpius etiam in his, sicuti in pueris ad purgationem potius, quam ad inferendam noxam faciat, ideo beneficio naturæ crebro relinquitur. Sin hoc non patiatur aut æger, aut medicus, curatio ex se non erit difficilis, nisi vltra illam cacochymiam aliqua prauitas addatur. At de secundo, in quo non tantum caput, sed & crura, & aliæ etiam quandoque corporis partes male afficiuntur, quoniam hic & sæuior est, & curationi magis reluctatur, agere intendit, replicans primo huius morbi accidentia, secundo curationem tradens. Inquit igitur, quod in hoc affectu caput vlceribus, quæ ex cacochymia pituitæ bili admistæ generantur, impletur, & crura eiusdem cacochymiæ parte ad ea demandata, intumescunt, velut ἀπὸ ὑδροποσίης, id est, velut fit in his morbis, qui ex potu aquæ oriundi, crurum tumorem faciunt, qualis est anasarca, & aliquando ascites, in quibus humores in tibiis sparguntur, & infarciuntur. Quas tibias tumentes si pręmas, recurrente ad compressionem sanguine, cutis citrino colore, qualis in ictericis visitur, ob præsentem cacochymiam cuti infarctam colorata apparet: in iisque sicuti & in aliis partibus (nam eadem & in coxis, aliisque pluribus membris contingere solent) vlcera alias alia corporis parte erũpunt. Verum in tibias hæc plurimum fieri consueuere, malum aspectum præ se ferentia, nam sordida, manantia, crustosa, pruriginosa, dolentia, & inflammata apparent: quæ tamen, vbi inflammatione liberata sunt, cito sanantur, nõ tamen hinc sublato morbo, cum alterius loci sanationi, dum viget cacochymia, alterius vlceratio succedat. Febris autem erratico modo in his superuenire solet, modo insequens inflammationem locorum vlceraturũ, modo insequens materiæ agitationem, & transmissionem. Hoc vnum tamen peculiare est, vt caput calidum sit, cum hoc præcipue affectum sit, & ex auribus quandoq; aqua (hic est ille locus, quem superius notaui) fluit. Nam secernente natura materiam peccantem ex cerebro, non tantum per cutim eam purgat, sed etiam quandoque per aures educit eam sub formam non puris simpliciter, sed aquosi ichoris, aut ichoris purulenti, vti experientia sæpe in actu practico ostendit.

23 *Cum ita habet, medicamentum ei dandum est, à quo bilis & pituita sursum purgentur, si quidem frigus fuerit, præfoto, ac calida loto. Deinde tribus interpositis diebus caput purgato. Postea etiam deorsum purgans medicamentũ bibendum dato. Si vero tempus anni ferat, etiam serum postea bibat: sin minus, lac asininum. Post purgationes cibis quam paucissimis, & quam maxime per aluum subeuntibus vtatur, & non lauet. Si vero caput exulceretur, fæcem vini ad smegma faciendum, comburito, & glandis corticem tritum leuigatum admisceto, & pari vino admixto, his defrictus multa calida lauetur. Inungat autem caput baccis lauri tritis, & gallis, & myrrha, & thure, & argenti flore, adipeq; suillo, ac oleo laurino: his permixtis inungatur. Post hoc autem tempus vomitibus vtatur bis in mense, & exerceat se, ac calida lauet. At si his adhibitis ex reliquo quidem corpore morbus fuerit exclusus, verum in capite adhuc vlcera ipsi fiant, rursus capite purgato medicamentũ deorsum purgans postea bibendum. Deinde raso capite, fissuras raras incutito, & vbi sanguis effluxerit, confricato. Postea lanas succidas vino imbutas superligato, & postquam exolueris, spongia detergito, & ne humectato. Deinde oleo sublinito, cupressum inspergito. Laneis autem deligamentis, donec sanus fiat vtatur.*

EXPLICATO morbo, eiusque accidentibus, ad curationem descendit, ea ratione illam exponens, vt non in pueris, sed in adultis eam administrandam esse insinuet. Nam medicamentorũ formæ, & robur ætati infantili, aut puerili non adaptantur, cum supra vires eorum sint, nec eis vsquam proportionentur. Adultos igitur curaturus hac ratione curandi formam digessit. Quoniam morbus hic à cacochymia biliosa & pituitosa causatur, ideo hanc prius tollere destinat, postea ad vlcerum curationem deueniens, ea per medicamenta abstergentia primo, postea ad siccantia, & discutientia deueniat, ex admistis quibusdam adstringentibus, tum ad repulsionem, si quid nouæ materiæ fluxura foret, tum ad roborandam cutim, quę ex humore fluxo labefactata fuisset. Quod si nec hæc sufficiant, putans nutrimentum cutis totum vitiatum esse, per scarificationem cutis id educit, & postea cicatrices per commoda medicamenta sanat. Hac igitur ratione procedens primo exhibet pharmacum, bilem, & pituitam sursum purgare aptum, quo non nominato, an debeat esse veratrum, non constat, tamen hoc esset aptũ, vel saltem medicamentũ ex raphanis ad hoc recipiatur. Cum autem in exhibendis hisce pharmacis sursum purgantibus, corpus debeat esse laxatum & humectatum, monet, si frigidior fuerit constitutio, quo tempore humores sunt concentrati, & meatus corporis adstricti, prius corpus fouendum, & aqua calida lauandum, vt hinc fundantur humores, & corporis meatus laxentur, indeque facilis succedat prædictorum humorum enacuatio. Hoc facto caput purgat, & ne in applicatione particularium capitis medicamentorum, quæ calida, & acriora erunt, humores ab

consulo. Tertium ex hac curandi forma notandum est cyparissi vsus ad fissuras arte paratas, vt inde omnem putredinosam humiditatem absumat, quē vsum non tantum in fissuris, sed etiam in vlcerationibus sponte factis probo, cum hæc apta sit ex sui natura omnem superfluam humiditatem in profundo existentem depascere, & vlteriorem non attrahere.

24 *Alius morbus. Dolor caput corripit, & si paululum moueatur, bilem vomit. Quandoq; etiam vrinam difficulter emittit, ac desipit, & septima die quandoq; moritur, & nona quoque ac vndecima, septimam transgressus, si non eruperit per nares, aut aures, si vero eruperit, euadit. Fluit autem aqua subbiliosa, deinde temporis progressu putrefacta pus fit.*

HIc morbus fit à cacochymia biliosa, regurgitante bile, & reiecta à venis ad extra venas, in capite quidem ad vasa, & spatia inania cerebri, in imo autem ventre ad ventriculum ipsum. Hinc dolet caput duplici ratione, scilicet ex præsentia bilis, & per consensum à ventriculo, bile ipsa cerebri membranas vellicante, & irritante, ex qua eadem causa delirium sequitur, cum bilis sua acrimonia, caliditate, motu, ac multitudine spiritus, & sanguinem, & cerebri facultates conturbet. Vnde morbum sæuum inducit, qui adeo grauis est, vt sit aptus in septima patientem interimere, qui si septimam pertranseat, non vltra nonam, aut vndecimam vitam prorogat, nisi per nares, aut per aures materia peccans eruperit, facta crisi, & eiusdem materiei peccantis euacuatione. Hæc materia in eruptione solet esse ichor subbiliosus, qui postea procedente tempore perfectiorem coctionem adipiscens, tandem pus laudabile euadit. Dum autem à morbo cōflictatur ægrotās, hoc solet esse peculiare. Quod si moueatur, prompte bilem euomat, nam cum ad pronocandum vomitum faciat motus; vnde dicebat Hippocrates libr. 4. Aphorism. 15. Cum volueris magis ducere helleborum, moue corpus, & in ventriculo sit præsto materia ad euacuationem prompta: bilis enim existens in viis communibus facile euacuatur, & propter eius subtilitatem, & propter eius irritationem, inde est, quod in hoc morbo ex ægrotantis motu facile bilis vomitus succedat. Quandoque etiam hoc alterum symptoma prædictis additur, videlicet, quod lotium cum difficultate, id est, cum aliquo dolore emittitur: nam feruente bile, & agitata in corpore, non est mirum, si eius aliqua portio ad vias vrinæ demandata, & per easdem excreta lotium acrius reddat, & mingendi aliquam difficultatem faciat. In tanta autem humorum agitatione, & feruore fieri non potest, quin etiam febris succedat, quæ morbum magis periculosum, & magis tremendum facit, cuius si modo non meminit, inferius tamen in sequenti textu eius mentionem faciet. Et hæc sunt ea symptomata, quæ ad hunc grauem morbum subsequi consueuere.

25 *Cum igitur ita habuerit, quamdiu quidem dolor tenuerit in principio, priusquam ex auribus, ac naribus erūpat, spongias aqua calida imbutas cito capiti admoueto. Si vero his non laxetur, vtre vtaris eodē modo velut in superiori morbo. Bibat autem mulsam aquosam: sin minus, aquam de farina crassa in ipsa macerata. Sorbeat ptisanæ quoque succum, & vinum album aquosum insuper bibat. Postquam vero per aures eruperit, & febris ac dolor remiserit, cibis vtatur per aluum subeuntibus, à modicis initio facto, semper aliquid addendo. Et caput calida lauetur, & aures colluat aqua pura, & spongiam melle tinctam indat. Si vero neque sic resiccetur, sed diuturna fluxio fiat, collatione facta, argenti florem, sandaracham, cerussam, singula æquis portionibus trita, lauigataq; in aurē indito, eamque expleto: & si quid prælabatur, de medicamento, amplius superaddito. Vbi vero resiccata fuerit, aures expurgato, ac medicamentum eluito. Postea (obsurdescit enim primum resiccata) lenibus fomentis aures foueto. Nam & sic vix, ac longo tempore sedabitur. Moriuntur autem etiam, si dolor in aure fuerit, & nihil in septem diebus eruperit. Hunc multa calida lauato, & spongias aqua calida imbutas exprime, & tepidas ad aurem appone. Si vero neque sic eruperit, auri fomentum adhibeto. Sorbitionibus autem, ac potionibus iisdem vtatur, quibus in superioribus.*

HIPPOCRATES in hoc morbo coctioni tantum materiei peccantis in cerebri anfractibus receptæ intentus, nec de vlla euacuatione sollicitus, per duo remediorum genera eam procurat. Quorum primum est, vt per spongias aqua calida imbutas caput foueatur: ex humiditate enim aquæ bilis acrimonia retunditur, ex caliditate laxatur caput, ex vtrisque autem coctio procuratur. Quod si hic fotus non sufficiat, monet vtendum esse vtre coriaceo, aqua calida repleto, ea ratione, qua administrandum esse in prima curatione docuerat. Ac cur spongiarum vsum primo proponit, & cur non sufficientibus ad coctionem spongiis, postea vtris vsum commendat? Quoniam per spongias ratione humiditatis actualis, quæ ex ipsis exhalat, primo quærit demulcere acrimoniam bilis, quam humiditatem actualem non habens vter, cum in eo humiditas actualis ob densitatem corii non resudet, nec etiam à principio in vsum recipitur; sed tantum post vsum spongiarum ad laxandum, & coquendum, quoniam minus ad hæc valent spongiæ, quam vter, ex spongiis enim facile calor euaporat, qui diu reseruatur in vtre, & in vtre aqua calida actualiter & copiose continetur, cum in spōgiis vapor tantum aquosus reseruetur. Quare vtris

vtris magis quam spongiarum vsus faciet, tum ad laxandum, tum ad coquendum: cuius ratione post vsum spongiarum, ad vsum vtris summa cum ratione deuenit. Hæc autem monet agenda, dum dolor tenuerit à principio, prinsquam ex naribus, aut auribus aqua ernmpat, id est, hęc administranda sunt, donec morbns crudus fuerit. Secundum remediorum genus, quod ipse ad hoc instituit, est victus ratio tennis seruanda, ne ex copioso cibo natura granata à proprio coctionis opere distrahatnr. Talis antem victus duplicem habet partem, cuius altera est potus, altera est sorbitio sumenda. Pro potu laudat mnlsam aqnosam: quæ enim meracior est, biliosis affectibus est infesta, cum mel facile io bilem conuertatur. At quę est admodum diluta, coonenit, quoniam mel aquæ penetrationem præbet, nullo imminente de eo in bilem conuersione ob aquę multæ admixtionem. Sin minus, inquit Hippocrates, id est, vel si non exhibeatnr mulsa aquosa, vel si æger hanc reüciat, bibat aquam de farina crassa. Sed quis est iste potus, aut qualis? Antiqui plura potionnm genera factitia ad refrigerandum formabant, inter quæ hoc vnnm erat. Accipiebant farinam triticeam, & eam aqua copiosa macerabant, & optime snbigebant, eamq; colatam in potu ad refrigerandū exhibebant. Hine dicebat Hippocrates libr. 2. de Dięta, farina pnra in aqua pota frigefacit, & lotura pollinis tritici. Cū igitur none per potum refrigerare vellet Hippocrat. ideo hune ex aqua de farina crassa commendat. Sed cur dicit de farina crassa? Quoniam hic potus si fiat ex farina tenuiori, & in minutissimas partes molita, & per tenue cribrum transmissa, multum huius farinæ secum deuehit: quare & hinc potus crassior, & qui multum nutrire possit, efficitur. Cnm autem Hippocrates hanc crassitiem non affectaret, iubet talem potum fieri ex farioa crassa, id est, quæ non sit per molam admodnm comminora, & non sit per eribrum optime mundata, vt hinc aqua copiam farinæ secum non deuebeos potus tenuior, & qui parum alat, euadat. Pro sorbitione antem laudat succum ptisanæ, cui vinum album aquosum superbibat: ex succo ptisanæ refrigerationem, ex vino aquoso bilis contemperamentum sperans. Nam à vino debili bilis dilui, & attemperari magis quam ab aqua, solet. His dnm morbus est crudus actis, si procurata coctiooe fiat vel per aures, vel per nares eruptio, victum immntandum esse monet, inbens à sorbitionibus ad cibos esse transenndnm. Sed hac habita cōsideratione, vt cibis aluum facile subeuntibus, à modica eorū quantitate initio factn, semperque aliquid sensim eis addendo, æger vtatur. Et, quoniam erumpente materia per aures, & nares, ex qua morbi solntio pendet, fieri potest, vt euacuatio ex aliqua interna causa intercipiatur: & quoniam eo dncere oportet, quo natura vergit, si per cōuenientes regiones hoc fiat, ideo monet ad manutenendum hanc salutarem & conuenientem euacuationem, capnt calida lanandum esse. Nam sicuti in bis, in quibns minus quam decet, fluit sanguis è naribus, caput calida lauare, vt babetur lib. 3. reg. acut. 59. iubet ad eiusdem fluxionem pronocandam, & adiuuandam: ita pari ratione in pręsenti casu faciet, ad procnrandam & fouendam capitis pnrgationem à natura inchoatam. Verum quia materia per anres erumpens, per viam minus quā per nares conuenientem fluit, ideo Hippocrates per vnicum medicamentum materiæ euocationē, purgationem, & siccationem tentans, iobet lotis auribus per aquam puram, id est, optime à materia fluente mundatis indendam esse spongiam melle tinctam. Nam spongia euocat, & attrahit, mel abstergit, & vtraque siccanti facultate dotata simul fluxionem resiccare possnnt. Verum si nec ex his resiccetur, cum ex hac fluxione plnra mala sequi possint, sicnti vlcera praua, putredines, surditates, aliaque similia, censet Hippocrates ad validissima medicamenta transeundū esse, vnde snmit argenti florem, & cerussam, ambo frigida & sicca, quibus admiscet sandaracam, vl quidem vstoria præditam, sed per illa temperatam, simulque facultate discussoria, & extersoria admodum valida dotatam, quæ portionibus æquis admista, & optime læuigata, ad intra aures indenda, hisque aures explendas esse monet. His antem siccis propter fluxionem aquosam, quę eorum vim refundere apta est, vtitnr, monens ἐν παραῤῥύῃ, id est, si quid ex aute aquosi apposito medicamento præterfluat, rursus de eodem medicamento superindendum esse, quo ad fluxio sit resiccata. Qua resiccata auris expurganda, & medicamentum elueodum erit. Et quoniam ex summa siccitate à medicamento inducta, quoniam omnis insignis intemperies facultatem labefactat, auris surdescit, ideo ad remittendam illam siccitatem lenibus fomentis, qualia fiunt per spongiam aqua calida imbntam, auris fouenda erit. Quod diutius agendnm est, quoniam intemperies sicca difficillime remouetur, & ideo ad eam tollendam plurimo egemus tempore. Quoniam antem hic affectus, qui vninerso capiti est cōmunis, aliquando solins auris est particularis, ideo etiam monet, quid affecta aure sola succedat, & quid circa eam agendum est. Moriuntur, inquit, si dolor ex prædicta causa in aure fuerit, & nihil ex ea septem primis diebus eruperit. Nam minores natu ex hoc in septima, natu autē maiores mnlto tardius, vt habetur lib. 3 dog. 16. pereunt. Dnm autem dolor vrget, & nihil ex aure erumpit, monet ad tentandā coctionem, multa calida lanandum esse. Nam balnea, sicuti doloribus oculorum, ita & aurinm prodesse possunt, & ad aurem spongias aqua calida imbutas, & expressas apponendas esse tepidas. Quod si nec per eas fiat eruptio, foueatur fomento ad suppurationem faciente, eademque victus ratione, quam affecto toto capite seruandam esse dictum est, vtatur.

Ex hac eurarione illud memoriæ mandandum est, quod erumpente materia per aures & nares caput calida lauat aqua. Quod præsidium in huiuscemodi casibus non est prætermittendum, quoniam adiuuat naturæ operationem, quæ tamen si sit sufficienter parata, non debet per vlteriorem proritationem prouocari. Quare seruetur id, quod de fluxu sanguinis narium tex. 3. de reg. acut. dictnm est,

est, videlicet, quod si minus quam deceat, euacnatio fiat, caput calida balneetur. An autē cura Hippocratis sit à nobia aeceptanda, diaerim duo potissimum hoc in loco prætermissa esse, alterum est sectio venæ, quæ bic connenit, cum morbus sit acutus, & cum febre, nisi tamen tanta sit cacochymia, ea qua vires labefactentur, cuius præsid.i sicuti nec alio in huius libri loco meminit, ita nec eius mentionem hic fecit, alterum est purgatio, cuius nos partem à principio ex medicamentis lenientibus, cuius copiam habemus, tentare possumus. Quibus cum caruerint antiqui, non sit mirum, si à principio purgationis non fiat mentio ab Hippocrate, nisi in materia turgente, quæ cum in hoc casu non turgeat, nec etiam sua validis medicamentis purganda, cum sit cruda, erat. Quo ad medicamentum illud ex sandaraca, nisi esset parata, & lota, non veniat in vsum, quoniam vim vrentem habens vi caustica aurea inureret, & vlceraret.

26 *Alius morbus. Si aqua in cerebro fuerit, dolor acutus per synciput, & tempora emergit, alias alio loco, & rigor, ac febris alias atque alias & regiones oculorum dolent: & cacutit, & pupilla finditur, & ex vno duo se videre putat, & si surrexerit, vertigo ipsum corripit, & ventum non sustinet, neq. solem, & aures tinniunt, & inter audiendum strepitu offenditur, & vomit saliuam, ac pituitam, quandoque etiam cibos, & capitis cutis attenuatur, & contactu gaudet.*

HIc affectus à posterioribus Græcis, vt habetur ex Aetio lib. 6. cap. p. qui ex Leonida antiquiore ea transcripserat, vocatur proprio nomine hydrocephala affectio, quasi hic morbus nil aliud existat, quam aqua in capite, qui tamen morbus non est vnius rationis, cum hæc aqua possit esse multiplex, sicuti & multiplex est locus, in quem effunditur, & multiplex est causa, per quam fit effusio. Aqua autem hæc est multiplex, quoniam quandoque est humor aqueus & tenuis, quandoque est aqueus & crassus quandoque crassior, & admodum fæculentus, quandoque vero, nequaquam aquæ colorem referuans, est sanguinei coloris & cruentus penitus existit, quæ diuersitas prouenit ex diuersitate succorum, qui in venis existentes in capitis cauitates reiiciuntur. Locus etiā est multiplex, quoniam hæc aqua quandoque recipitur ac colligitur inter cutim & pericranium, quandoque inter pericranium & caluam, quandoque inter caluam & cerebri membranas. Causa pariter est multiplex, cum fiat hæc aquosi humoris ex vasibus eruptio, alias ex interno & spontaneo naturæ motu, alias ex externa, & vim inferente causa, quæ ambæ in hoc communicant, vt rarefactis vasibus materia in eis contenta resudare, & extra prorumpere possit, quę rarefactio vel ex laxitate, & humiditate vasorum superflua, vel ex violentia ob casum, contusionem, plagam, aliamque similem externam causam occasionem habeat. Cum igitur tam multiplex sit hic affectus, non de omni eius specie agere intendit Hippocrates, sed de eo tantum, in quo ex causa interna è venis & vasibus resudauerit inter caluam, & membranas cerebri aquosus humor. Qui aquosus humor, vbi in intima hac parte continea ur, inquit Hippocrates plura mala subsequi; nam dolor acutus per synciput, & per tempora emergit. Acutus equidem quoniam membranas, quibus affectis proprie fit dolor acutus, materia peccans affligit. Per synciput autem & per tempora, quoniam in his partib. materia copiosior colligitur; qui tamen alias alio etiam in loco communicatur, quoniam hæc materia etiam ad alias partes dispergitur. Rigor atque febris alias atque alias succedit, quoniam fiunt febres inordinatæ rigorem causantes in eatramissione materiei. Regiones oculorum dolent, quoniam per membranas oculorum radicibus materia dolorem faciens communicatur. Cæcutit, quoniam ab aquoso humore nimium humectatis oculi humoribus visus hebetatur. Pupilla finditur, id est, vel ea nimia humorum contentorum aquositate ita distenditur pupilla, vt findi videatur, vel vere finditur, nimium turgentibus internis oculi humoribus. Et ex vno duo se videre putat, quoniam læsa pupilla visio non æqualis succedit, & hoc eo magis, cum ea materia contenta vertiginosi facti stare nequeant, cogitantes omnia duplicia esse, & circumuolui. Nec hic potest ex summa contracta ob grauantem, & loca inconuenientia occupantem materiam imbecillitate quid violentum sustinere, vnde nec ventum flantem, nec solem, nec strepitus tollerare valet, ab his enim omnibus valde infestatur, cum à vento impellātur, à sole dissoluantur, à strepitu in auribus, quæ ex humiditate superflua tinniunt, crucientur. Vomunt saliuam, & pituitam, & quandoque etiam cibos, compatiente ad cerebrum ventriculi ore, ea quo materia vtplurimum crudior eructatur, quoniam in ipso similis ei, quæ in cerebro redundat, materia continetur. In his cutis capitis attenuatur, quoniam aquosa illa materia abundans in capitis venis indicat sanguinem pariter aquosum esse, quo tali existente nutritio imperficitur, & ideo cutis attenuatur. Et contactu gaudent, quoniam materia intus existens ex copia distensionem in capite patit, quam facile contactus, & circumligatio lenit. An autem fieri queat, vt ex materia contenta, vbi copiose abundauerit, vti notat Aetius ea Leonida, suturæ capitis disparari possint, sicuti nec animaduertit Hippocrat. ita nec ego credo fieri posse, nisi in puerulis. In adultis enim in quib. ligamenta fere ossea facta sunt, hoc nō ita possibile censendum, licet ea aduerso diceret Aetius, à materia aquosa intus existente ea madefieri ligamenta, & inde posse dissolutionem tollerare. Sed cum hoc nec viderim, nec ab alio factum audierim, nec Hippocratem huic rei attestantem viderim, in cōtrariam eo sententiam, vt potius sentiam patientem ante ex hoc morbo periturum, quam quod suturę disparentur. Casus enim hic exitialis admodum existit nec tantam diuturnitatem, vt ligamenta dissoluantur, & suturæ in adultis disparentur, tolerare potest.

27 Cum

27 *Cum sic habuerit, primum dandum est ipsi medicamentum, quod sursum pituitam educit, & postea caput purgato. Deinde interposito tempore medicamentum deorsum purgans bibendum dato. Postea cibis aluum quam maxime subeuntibus ipsum reficito, semper modicum addendo. Postquam vero comederit cibos sufficientes, vomitibus ieiunus vtatur; lenticula decocta mel & acetum miscens, & olera antea comedens: & in die illa, qua vomuerit, primũ cyceonem bibat tenuem, postea ad vesperam cibis modicis vtatur, & non lauet: & à cibo deambulet, itemq; mane, vitans ventum ac solem, & ad ignem ne accedat. Et si quidem talia faciens sanus fiat, bene est: sin minus, vere vbi prius ipsum purgaris, primum veratro, postea etiam in nares medicamentum infundito, & pauco tempore interposito deorsum purgato, deinde cibis reficito. Postea inciso capite iuxta synciput, ad cerebrum vsq; perforato, & veluti sectionem ac perforationem curato.*

HÆc hydrocephala affectio, in qua materia aquosa inter caluam, & cerebri membranas continetur, est admodum exitialis, vnde sæpius in interitum, quam in salutem terminari consueuit. Discrimen autem, & periculum ex duobus pendet: nam hic morbus difficillime tum cognoscitur, tum curatur. Quoad cognitionem enim nihil certi habemus, cum omnia signa ab Hippocrate tradita sint pure coniecturalia: nam eadem signa & accidentia pluribus aliis morbis sunt communia. Ex quibus tamen, si habita prius præcedentis victus ratione, ex qua ichorosos humores potuisse generari & abundare coniiciat, oculorum præcipue symptomata, per quæ hebetato visu videtur pupilla findi, aduertat, & cum his annexo vertiginoso affectu, per quem stare nequeunt, capitis cutem attenuari, & ad contactum delectari deprehendat, maximam habebit huius morbi coniecturam. Aetius ex Leonida monet expectandum esse pro huius morbi cognitione, vt suturæ ad inuicem disparentur, sed hæc res penes me difficultatem habet & mihi tunc portenderet casum perniciosum, & omnino lethalem, quia si tanto tempore, & in tanta copia hæc materia ad intra caluam contenta, potuerit ossa ab inuicẽ disparare, quanto magis cõiectandum est, partes internas, quę non sunt osseę, tum ex copia, tum ex mora aquosæ materiæ vitium indelebile contraxisse? Quare non sensus, sed coniecturæ dictæ faciant ad huius morbi cognitionẽ. Quo ad curationem autem, difficillimam esse coniectandum est, tum quoniam materiæ aquosæ coctionem non recipiunt, nec alterationem à natura, sicuti etiam nec recepta in hydero pulmonis, tum quoniam cõtinentur in cauitatibus, quæ vias apertas ad excretionem non habent. Verum hanc curationem Hippocrates duplici ratione tentat. Primus modus est per sola purgantia, seruata recta victus ratione, vnde monet corpus euacuandum esse medicamento sursum purgante, postea & caput purgandum, & medicamentum deorsum purgans exhibendum esse, vt vndequaque corpus à prauis humoribus exinaniatur. In qua re hoc animaduerto, vt præter medicamentum sursum purgans etiã tum caput, tum vniuersus habitus per pharmacum aquosas materias ducens, quale est elaterium, euacuetur. Medicamentum enim materiei peccanti proportionari debet, vnde cum in hoc morbo peccet materia aquosa, aquosam materiã ducens medicamentum dandum erit. Victus autem ratio debet esse à principio tenuis, postea purgato vndequaque corpore, crassior, sumptis alimentis aluum maxime subeuntibus, & facta sensim ad priores additamento. Cum autem æger ad eam quantitatem deuenerit, vt cibi sufficientem copiam assumat, iubet, vt vomitibus ieiunus vtatur, hac ratione vomitum prouocans, vt cum olera antea comederit, assumpto lentis decocto, cui mel & acetum sit admistum, vomitum procuret. Hic autem vomitus ieiuno ventriculo, non à cibo, vt aliis in locis docebit, procuratur, quoniam, cum ex se facilis sit vomitus in casu isto, vnde sponte sæpius saliuam, & pituitam, vt superius dictum est, vomunt, non est è re, vt multis argumentis vomitus teneretur, sicuti expedit in his, in quibus humores difficulter à ventriculo eluuntur, & educuntur. Monet autem olera antea comedenda esse, id est, herbas in acetariis dandas esse, quoniam hinc etiam ratione murię & olei ventriculus laxatur, & materia facilius ad vomendum paratur. Exhibet autem lentis nõ secundum, sed primum decoctum, quoniam secundum vim adstrigentem habet, mel autẽ supernatans in ventriculo facile illum subuertit, quod facilius aget admisto aceto, quorum loco nos oximel recipimus, à vomitu, quoniam cibos crassiores, ne ex his grauetur ventriculus à vomitu laxatus, & vini, quod facile caput petit, præcipue autem inanito ventriculo, læsionem timet, ideo cibum sorbilem, quem vocat cyceonem, format, simul cum vino subigens cibum exhibendum. Hunc autem cyceonem vult tenuem esse. Sed cur tenuis esse debet? quoniam à vomitu laxatus ventriculus crassiori cibo non est obruendus. Sed qua ratione formabitur tenuis cyceon? Si ea, quæ tenuiter alunt, recipiat, vt si formetur ex farina bordeacea, vel si ad vinum aqua admisceatur. Cyceon enim nil aliud est, vt docet Gal. lib. 6. Epid. sect. 6. com. 5. quam miscella cibi, & potus aquare tenuitatem, & crassitiem ab iisdem recipiet. Nam vbi cibus crassior, & potus, qui magis alat ad eam componendam conueniant, erit crassa, si autẽ cibus tenuior sit, & potus minus nutriens, tenuis erit. Assumpto cyceone à vomitu in cœna cibos modicos exhibet, balneum prohibens, ne ex eo supra modum, aut humectetur, aut laxetur. Deambulandum autem à cibis, vt facilius ad fundum ventriculi descendant, non autem ad os iam resupinatum ascendant, monet, hoc idem die sequenti seruandum, & à vento, & à sole, & ab igne, ne ex his caput magis labefactetur, cauendũ esse monens. Et hæc de primo curationis modo

per

per sola purgantia, seruata simul tecta victus ratione tentato. Secundus autem modus est per localia, & chyturgica præsidia, quæ adminiſtrari iubet, vbi præcedentia sufficienter morbum leuare nequaquam valuerint. Quo casu ad validiora præsidia descendens, iterũ corpus purgat helleboro albo exhibito, & caput & vniuersum ambitum per medicamentum deorsum purgans euacuat. Qua euacuatione expedita iuxta syncipur secandum esse, & os vsque ad cerebrum, vt hinc materia contenta expurgari queat, perforandum esse monet, hac habita curandi ratione, vt postea sectio, & perforatio, tanquam vulnus inflictum curetur ac sanetur. Ex hac autem curandi forma hoc aduertatur, quod vbi facilis sit vomitus, & materia præsto sit euacuationi, potius ieiuno ventriculo, quam à cibo repleto prouocandus est vomitus. Præterea quod à vomitu leuioribus cibis, & qui tenuiter alant, est reficiendus æger, qui postea etiam in cæna modicis vti cibis debet. Tertio aduertendum est, quod post cibum à vomitu sumptum deambulare proficuum est, ne cibus assumptus ad os ventriculi ex vomitu laxatum, ascendat, indeque vel euomatur, vel male, cum supernatet, concoquatur, sed potius ad ventriculi fundum, quo loco coctio perficitur, dilabatur, vt inde conuenienter concoquatur. An autem conueniat curatio per sectionem, posset esse dubium, quoniã, si vulnera capitis, quę fiunt osse patiente, sunt lethalia, non videtur proficuum esse tale vulnus patrare, & os vsque ad cerebrum aperire. Attamen in casibus desperatis etiam quid tentare oportet, & hoc eo magis cum medicamenta à ratione dirigantur. Nec adeo lethale est capitis cutem vsq; ad caluam secare, osque ipsum, si medicus dormitans non sit, aperire. At non ex apertione, sed ex affectus cognitione tota penes me est difficultas, & discrimen.

28 *Alius morbus. Rigor, dolor, & febris: maxime ad aurem, & ad tempora, & ad syncipur, & ad oculorum regiones dolet, & supercilia ipsi incumbere videntur, & grauitas caput detinet, & si quis ipsum mouerit, mingit, & multum, ac facile mingit, & dentes torpent, & stupor ipsot tenet, & venæ attolluntur, ac pulsant in capite, & non potest quietus esse, sed anxius est, & desipit præ dolore. Huic si quidem per nares aut aures eruperit, aqua profluit subpurulenta, & sanus euadit, sin minus, plerunque in septem diebus moritur. Hic morbus maxime fit ex febri lipyria, quum liberatus à febre, nondum purgatus, aut cibis se impleuerit, aut inebriatus fuerit, aut in sole laborauerit.*

DOCEBAT Gal. libr. p. ad Glauc. cap. vlt. dolorem capitis cum pulsu inflammationẽ, cum grauitate multitudinem materiæ peccantis denotare. Quæ duo cum potissimum in præsenti morbo, de quo agitur, reperiantur, liquet Hippocratem hic agere de dolore capitis, ex inflammatione à multa materia pendente. Si autem pendet ab inflammatione, non erit mirum, si huic rigor ac febris per caput, id est, quæ potissimam sedem, & potissimum febris & rigoris sensum habeat in capite, connectatur. Et quoniam in fluxu humorum ad caput solent materiæ calidiores vt plurimum fluere ad partes anteriores, frigidiores autem ad posteriores, ideo in casu huius inflammationis, quæ à materia calidiori pendet, vt inferius clare habebitur, potius quam occiput dolor syncipur corripiet, se extẽdens ad tempora, & vsque ad nares propter maximam venarum & vasorum communionem, & ad oculorũ regionem, propterea quod ex membranis cerebri oculorum membranæ formantur, pertingens. Huic dolori sensus grauitatis annectitur à multitudine materiei, inflammationem facientis, quæ grauitas tanta est, vt supercilia ipsi incumbere, id est, onerosa & grauia super oculos inniti, ac insistere videantur. Hinc si quis moueatur, inquit Hippocrat. multum minget: nam vt dicebat in principio libri, multum vrinæ emittunt hi, quibus caput nimium incaluerit, sed facilem, nõ stranguriosam, vt in primo casu fieri dictum est, habet hanc excretionem. Ratio diuersitatis est, quoniam in præsenti casu, materia calidiori sursum irruente, depuratur lotium ab acribus succis, qui mordicare queant, at in eo materia calidior à capite per venas lotii descendens vrinam mordacem, & acriorem reddere potest. Ex motu autem hic potius, quam per quietem mingit, quoniam quiescens parum stimulatur, at vbi mouetur, excitatur ad actiones obeundas. In hoc dentes torpent, & stuporem patiuntur, ait Hippocrates. Sed vnde hoc, & quę dentibus est cum cerebro communicantia? Experientia testatur, (& hoc sæpius annotaui) plurimos patientes, vbi insigni capitis dolore corripiantur, duriores cibos nequaquam posse dentibus atterere, quo casu videntur sibi dentes redditos esse impotentes, & debiles pariter, ac si ex molli materia formati essent, quos si comprimant, & in attritione cibi eis vim inferant, patem dolorem, ac sentiunt hæmodia & stupore affecti, imo sæuiorem quandoque patiuntur. Ratio est, quod cum dentes recipiant neruos à tertio pari neruorum cerebri, communicentque cum eo in venis & arteriis, quas ex iugularibus recipiunt, indeque fiat, vt in dentes, vt habetur libr. 2. Epid. sect. p. text. 12. succedant abscessus, non per effluxionem, sed per receptionem facti. Hinc fit, vt vel communicata materia, quæ in cerebro facit morbum, ipsis dentibus, vel ipsis ob neruorum communicantiam cerebro consentientibus dentes torpescant, & vbi vim ex attritione patiantur, tanquam hæmodia affecti, doleant. Quę affectio sicuti ab Hippocrate in casu isto exprimitur, ita etiam in multis aliis capitis affectibus superuenire solet. Venæ attolluntur, & pulsant, ait Hippocrates, in capite, quoniam inflammatio vasa attollit, & amplificat, arterias autem comprimens inducit pulsationis sensum, qui ex renixu propinqui loci causatur. In tali patiente nulla fere est quies, sed anxietas ingens, tum propter acerbum dolorem, tum propter febrem superuenientem,

quorum duorum ratione, etiam delirium, & desipientia superuenit: nam feruente ex inflammatione cerebro, non potest non delirare homo. Hic morbus solet naturæ beneficio tolli, quandoque facta eruptione, & aqua subputrida profluente, aut per os, aut per aures, aut per nares. Ad quem sensum loquente Hippocrate libr. 6. Aphorism. 10. dicebat Galen. in com. quando propter inflammationem fieri dolorem in capite contigerit, suppurata inflammatione fieri solutionem morbi, si excreta per os, aut aures, aut nares aqua aut pure, vel vt nunc dicitur, vtrisque simul complexis, aqua subpurulenta. Hae autem non excreta, plerunque septem diebus moritur patiens, nisi (superaddas) vel per repumentia, vel per discutientia inflammatio sedata fuerit. Huius morbi causam recenset triplicem occasionem externam, scilicet vel crapulam, vel ebrietatem, vel laborem sub sole factam, potissimum in his, qui ex febre lipyria liberati nulla facta, vel ab arte, vel à natura materiei peccantis euacuatione imperpurgati remansere. Sed quorsum, & qua ratione hæc dicta sunt? vt insinuet hunc morbum causari ex calida occasione, & ex calidis succis. Calidam occasionem indicat per crapulam, ebrietatem, & laborem sub sole: nam ex his cerebrum incalescit, repleturque multis tum vaporibus, tum succis. Succorum autem caliditatem insinuat, dum inquit ex prænarratis occasionibus fieri hunc morbum in his, qui ex febre lipyria liberati nequaquam purgati fuerint. Nam ex omnibus febribus solam lipyriam recenset, non tanquam vnicam, in qua peccent calidi humores, sed tanquam exemplar earum, quas certo succi calidiores pariunt. Lipyria enim febris est ea, in qua, exterioribus partibus frigentibus, interiora vruntur. Vruntur autem ex putredine biliosi humoris, cuius ratione dicebat in libr. de Coae. prænot. in prędictionibus febrium: Febres lipyricæ, bilis sursum ac deorsum effusione non accedente non soluuntur. Quæ putredo in vasibus interioribus, & circa cor, non autem in membrorum interiorum substantia, ipsis videlicet membris internis inflammatis, concipitur. Nam vbi cute refrigerata corpus intus ardet vi inflammationis sanguinem, & calorem ad intra reuocantis, refrigerantur extremæ partes, scilicet pedes, crura, brachia, & manus, costæ autem & venter summe calent, vt habetur lib. 2. Prognost. tex. & com. 4. At in lipyriis non tantum extrema membra, sed & costæ, & venter, & dorsum, & in summa omnes corporis partes exteriores frigent. Et frigent non in parte aliqua morbi, vt fit in acutis, dum euincitur natura, sed per totum morbi tempus, ita vt semper à principio vsque ad finem exteriores omnes corporis partes frigeant, interiores vero vrantur. Vruntur igitur interiores ex putredine bilis in vasibus magnis, & circa cor contentæ: frigent autem exteriores infrigidatis adeo venis, & arteriis partium exteriorum, vt calor febrilis in eas recipi nequeat. Cuius ratione fit, vt in lipyriis febribus arteriarum remotarum motus non proportionetur motui cordis, quamuis illæ à corde motum hunc influentem recipiant, vt docet Galen. libr. 3. de præsag. ex puls. cap. 5. Nam à motu cordis magnitudine, celeritate, & vehementia dissident, semper his conditionibus magis immutatis, & imminutis, quo longius distant à corde. Nec est, quod censeas cum Arabibus hanc febrem fieri nō tantum à bile, sed etiam à plegmate crasso, quoniam præter id, quod hæc sententia Hippocrati non est consona rationi, & sensui contradicit, quoniam phlegma putrescens nō facit incendium, & illud minus, quod crassius existit; quoniam propter crassitiem non vniformiter putredini obnoxium redditur, vt pariter in casu febris bepialæ, in qua ob succi vitrei crassitiē portio putrescit, & portio, à qua refrigeratio pendet, imputrida diu reseruatur, constat. Ea propter cum à sola bile pendeat hæc febris, pro exemplari earum, quæ fiunt à succis calidioribus, recipiatur. Quæ cum non soluatur, id est, non perfecte nec critice, nec fideliter iudicetur, nisi facta, vt inquit loco citato libr de Coac. prænot. bilis aut sursum, aut deorsum effusione, si cessauerit nulla admissa euacuatione, æger adhuc morbi reliquias reseruabit, quæ vbi vel ex crapula, vel ex ebrietate, vel ex labore sub sole facto commotę fuerint, ad caput ex eisdem causis supercalefactum facile decurrent, ibidemque morbum hunc producent. Vt igitur & occasionem huius morbi externam propalaret, & succum eundem causantem insinuaret, dixit hunc morbum potissimum fieri in his, qui ex febre lipyria liberati, & nequaquam purgati vel crapulæ se dederint, vel inebriati fuerint, vel sub sole, id est, in aere calidiori laborauerint.

29 *Quum sic habuerit primum sanguinem de capite mittito vndecunque tibi visum fuerit. Et post sanguinis missionem raso capite perfrigeratoria ipsi adhibeto, & si aluus non subeat, infusum per clysterem immittito. In potu vero ptisana succum frigidum dato & insuper aquam bibendam. Si vero ad perfrigerationem non remittat, transmutatione facta vtere vtitor, ac calefacito. Postquam autem quieuerit dolor, cibis vtatur aluum subeuntibus, & ne impleatur. Vbi vero vigesimum diem attigerit, sedato dolore fomento capiti ipsius adhibito, ad nares medicamentum apposito, & interposito triduo medicamentum deorsum purgans exhibeto.*

DVPLICEM huius morbi curandi normam tradit. Prima est per ea, quæ inflammationem retundere, & remittere, altera per ea quæ eandem inflammationem concoquere valent. A prima autem incipiens ad euentandam materiam per conculcationem morbum facientem, & ad eam minuendam monet ex ipso capite sanguinem mittendum esse, non limitans partem secandam, sed dicens, vndecunque mittatur sanguis, intentionibus prædictis satisfacere posse.

Misso

Misso sanguine caput, vt medicamenta admouenda commode adaptari, & locum affectum contangere possint, radatur; cui perfrigerantia medicamenta, quæ siue in forma Cataplasmatis, siue inunctionis, siue embrochæ, siue alterius speciei extistant, nõ est curandum, admoueantur. Quo tempore si aluus sponte non egerat, immisso clystere proluatur. Et quoniam affectus est inflammatorius, morbum acutum, qui plerunque in septem diebus patientes interimit, pariens, ideo pro victu solo ptisanę succo cõtentus, aquam superbibendam non vinum, vt superius dicebat, iubet. Ex hac curatione, quæ per refrigerantia medicamenta & per refrigerantem victum ad calorem temperandum, & refrigerandam inflammationem procedit, si morbus non cedat, ad alteram curandi formam transiens, monet, hanc per concoquentia tentandam esse: ea propter iubet vtre illo coriaceo aqua calida repleto, de cuius vsu superius dictũ est, vtendum esse. Ex hoc autem, tum coctionem, tum caloris mitigationem sperans, inquit, hinc dolore ca procurata coctione sedato, cibis vtatur aluum subeuntibus, sed modica in quantitate, quoniam repletio in hisce morbis, sicuti in omni inflammatione interna est mala, & ideo vitanda. Quoniam autem sedato dolore, ex cuius violentia plerunque in septima pereunt, morbi acuties, & vehementia remittitur, his autem remissis morbus prorogatur, & vsq; ad vigesimam quandoque producitur, ideo cum ad hæc deuenerit, monet coctionem fomentis prorsus tentandam esse, qua adepta ad eruptionem materiei coctæ, & ad eam euocandam iubet errhina admouenda esse. Quo acto, & interuallo trium dierum interposito, ad tollendũ omne materiei peccantis residuum, vniuersum corpus medicamento deorsum purgante euacuandum esse docet.

Ex hac autem curandi forma hoc notandum est, quod non cedente refrigerantibus medicamentis inflammatione, trãsmutatione curationis facta ad anodyna, & concoquentia pertransit. Quod sicuti in hoc morbo faciendum esse monet, ita etiam pariter in omni doloroso affectu, qui ex inflammatione causetur, non est improbandum. Nam cum dolor sit in causa vt copiosior materiæ quantitas ad locum dolentem attrahatur, dolorem lenientia, quæ anodyna sunt, & coctionem temperatam procurant, vbi dolor vrgeat, nec inflammatio refrigerantibus prę sidiis cedat, valde proficua erunt. Hinc enim lenito dolore, & procurata aliquali coctione, morbi sęuities & vehementia retunditur. Quapropter moneo in hisce casibus talem curandi formam non vtique negligendam sed amplectendam esse.

An autem hæc curandi norma sufficiat ad tollendum hunc morbũ, & an simpliciter amplexanda veniat, non me latet cuique notum esse, cum in inflammatorio affectu, qui naturam acutorũ morborum seruans, plerunque in septem diebus patientes interimere sit aptus, veniat secanda vena, cuius non meminit author, sicuti nec vsquam de ea verba fecit; vena inquam cubiti ad minuendam, & deriuandam à capite materiam, & ad locum affectum, & totum corpus refrigerandum. Quam enim secat in capite vel venam, vel partem cutis capitis alteram, particulare est præsidium, non vniuersale, & ab eo ad solius capitis feruorem remittendum excogitatum, quod tamen non præmissa totius euacuatione, nec rationabile, nec tutum est. Quo autem ad curandi per localia rationem, eam laudo formam, vt prius refrigerantia ad remittendum feruorem admoueantur, postea anodyna, nõ cedente aut dolore, aut inflammatione, & cum contemperamento coctionem procurantia administrentur. Hęc enim euidentiorem vtilitatem hoc modo, quam si à principio admouerentur, præstabunt. Animaduerto autem, quod dum in vsu localium Hippocrates meminit vtris, non vter testaceus, aut figulinus recipiatur, sicuti videtur docuisse Galen. in expos. ling. Hippocrat. in voce ἀσκὸς, tum quoniam ad mentem authoris scribentis, qui superius in affectibus capitis limitauit vtrem coriaceum sumendum esse, nequaquam figulinus recipiendus venit, tum quoniam figulinus & ratione formæ, & ratione modi admodum inconueniens est. Ratione formæ quoniam cum sit testaceus, capiti commode adaptari nequit. Ratione autem modi, quoniam cum figulini sit vsus, vel ipso calefacto, vel carbonibus accensis repleto, nemo sanæ mentis eo in inflammatorio affectu vteretur, cum ab eo terrestrior, acrior, & mordacior calor eleuetur, qui non tantum ad sedandum dolorem & inflammationem ineptus esset, verum etiam omnis ob acrimoniam, & mordacitatem irritaret, morbumque sęuiorem redderet. Quare cum vtris vsus in hoc casu sit ad demulcendum dolorem, & concoquendam inflammationem, vter coriaceus aqua calida repletus intelligatur. Ab hoc enim non acris, aut mordax, sed suauis, & moderatus calor, qui naturali magis, quam qui ex vtre figulino, proportionatus existens, vere inter anodyna, & inter ea, quæ cum contemperamento coctionem procurare idonea sunt, erit recensendus.

30 *Alius morbus. Si venæ circa cerebrum sanguinem superenomuerint, ac cerebrum calefecerint, febris emergit fortis, & dolor ad tempora, & synciput, ac posteriorem capitis partem, & aures tinniunt, ac flatu implentur, & nihil audit, & anxius est, & seipsum præ dolore iactat. Hic quinta die aut sexta moritur.*

SANGVIS in cerebrum irruens triplici ratione illud male afficit, scilicet vel quia in eius porositates recipiatur, vel quia venas, & eius vasa ingenti copia nimium repleat, vel quia in eius cauitates, & inania spacia reiiciatur. Ex primo modo fiunt inflammationes & tumores phlegmonodes: ex secundo fiunt apoplexiæ, epilepsiæ, & aphonię: ex tertio fit affectus, de quo in præsenti agitur, & quem Hippocrates superuomitum venarum in cerebrum appellat. Hic autem gignitur, dum venæ

ſanguinem contentum, & propria vaſa vel praua qualitate, vel nimia quantitate irritantem, & inde aut eorum tunicas rarefacientem, aut oſcula aperientem in ſpatia cerebri inania eructant. Ex hoc ſanguine cerebrum incaleſcit, febris ingens emergit, dolor circum circa totum caput infeſtar, aures, ac ſi flatu implerentur, tinniunt, auditus deperditur, anxietas magna ſuccedit, & iactatio continua, cum præ dolore quieſcere nequeant, concomitatur. Nec iſta præter rationem eueniunt: nam erumpens ſanguis, cum ſit calidior, calefacit; quoniam replens vaſa inania obſtructiones cauſat, & in cauitates receptas tandem putreſcit, ideo febris emergit, quæ vehemens eſt, & ratione materiei morbum facientis, & ratione loci affecti, qui eſt ex maxime principalibus; quoniam omnes vacuitates cerebri replet, ideo totum caput circumdolet; quoniam aer internus occluditur, ideo aures tinniunt, ac ſi flatu repletæ eſſent; quoniam nerui ad aurium ſenſationem demandati à copia ſanguinis comprimuntur, ideo auditus deperditur, quo deperdito, etiam cæteri ſenſus tam externi, quam interni deperduntur. Nam ſicut per aphoniam ſenſus & motus abolitionem, vt ſuperius declaratum eſt, alibi Hippocrates intelligebat, ita per auditus amiſſionem omnium ſenſuum priuationem, reſeruato motu, intelligit. Quoniam autem reſeruatur motus, & naturæ vis ingens ex ſanguine effuſo infertur, ideo maxima anxietas ſuccedit, quam continua iactatio, vt inde nunquam quieſcant, concomitatur. Effugiunt enim è manibus aſtantium, è lecto, niſi contineantur, ſæpe decidunt, ad parietes incumbunt, pedibus calcitrant, manibus omnia diſcerpunt, & tandem immodice ſe iactantes mirum in modum fatigantur. Interim autem nec ad interrogata reſpondent, nec vllius rei intelligentiam aut cognitionem præ ſe ferunt, nec cibaria aut medicamenta admittunt, ſed tanquam inſani ſine vllius rei ſenſu degunt, tandemque niſi aut artis, aut naturæ beneficio ſubleuentur, quinta aut ſexta, vel ad ſummum maxime, vt ſuperius docebat, in ſeptima pereunt. Caſus enim admodum lethalis eſt, & qui diligentiam medici maximam deſideret, quem tamen caſum nullus medicinam communiter facientium notauit, aut curationem docuit, cum nihilominus in praxi curandus nonnunquam efferatur.

31 *Quum ſic habuerit, perfrigeratoria ad caput apponita, & poſtquam dolor, ac fluor ceſſarit, apij ſuccum in nares inſtillato, & ne lauet, quamdiu dolor obtinuerit, & ſorbeat milium tenue, modico melle affuſa, & bibat aquam. Si vero aluus non ſubeat, braſſicas edat, & ſuccum ſorbeat, ſin minus, folia ſambuci eodem modo. Et poſtquam tempeſtiuum tibi eſſe viſum fuerit, cibos quam maxime aluum ſubeuntes ipſis exhibeto. Et ſi depulſo fluore, ac dolore, grauitas ipſi ſuper ſupercilia incumbat, & in naſo mucus craſſus, ac putridus fuerit, fomento ex aceto & aqua, & origano ipſi adhibito, deinde calida aqua loto, florem æris, & myrrham ad nares apponito. Atque his factis plerunque ſanum efficies. Morbus autem non eſt lethalis.*

QVONIAM ſanguinem, ſi in ventrem, id eſt, in cauitatem aliquam, & inter inania corporis ſpatia præter naturam effundatur, neceſſe eſt, vt habet Hippocrates libr. 6. Aphoriſm. 20. ſuppurari, cuius merito febris & plura alia pro ratione membri recipientis, mala induci, ideo ſanguis in cauitatibus cerebri, & inter eius vacua ſpatia effuſus itidem ſuppurabitur. Hæc autem ſuppuratio, ſi natura ſuperante fiat, optima & laudabilis, ex qua patiens euadere poteſt, ſuccedit. Si autem natura ſuperata, & euicta fiat, ſuppuratio mala, & quæ potius eſt appellanda corruptio, ex qua cerebrum pariter corrumpatur, & patiens interimatur, ſubſequitur. Hoc ſtante vnica emergit indicatio curatiua in hoc morbo, vbi factus ſit, quæ erit ſanguinis effuſi, & ad ſuppurationem tendentis coctio. Nam ſanguis è vena eiectus nec reprimentia indicat, cum non amplius retrocedere poſſit, nec refrigerantia requirit, cum hinc magis mortificatus in deterrimam ſuppurationem inclinaret, ſed ſola calefacientia depoſcit, vt hinc in eius ſuppuratione laudabilem adipiſcatur coctionem. Cum igitur in hoc morbo hæc ſola detur curatiua iudicatio, hac ſola contentus Hippocrates ad procurandam ſanguinis effuſi coctionem monet caput calefaciendum, id eſt, vel per vtrem, vel per alia fomentorum conuenientium genera caput fouendum eſſe, vt procurata per hæc coctione, materia peccans à natura deuicta poſſit per aures, aut per nares, aut per os in ſalutem ægrotantis erumpere. Qui ſi ob coctionem procuratam poterit ſextam diem, vtpote quæ eſt mali & lethalis indicii, ſuperare, victus ei præſcribatur, qualis in ſuperioribus ſtatutus eſt, ſcilicet vt victu tenui, qui in dies augmentum habeat, detineatur, indito ad nares medicamento errhino, vt hinc cerebrum ſubleuetur, & poſtea medicamento deorſum purgante euacuetur. Ex hac curatione hoc verum obſeruetur, vt in ſanguinis ad intra corporis ſenſibilis cauitate effuſione per calorifica, & per ea, quæ laudabilem ſanguinis effuſi coctionem procurare poſſunt, procedamus, reiectis refrigerantibus, & repellentibus medicamentis. An autem hæc ſola pro hac curatione ſufficiant, animaduerto hæc pro facto morbo ſatis eſſe, at pro eius vel generatione, vel augmentatione prohibenda, ſcilicet vt ne amplius ſanguis effundatur, omnia reuulſionum genera conuenire moneo, præcipue autem venæ ſectionem, vtpote, quæ & ſanguinem minuere & ipſum reuellere poſſit.

32 *Alius morbus. Si venæ ſuperuomant in caput, dolor grauis totum caput tenet, & ad collum,*

collum, & alias ad alias capitis partes transit. Et vbi surrexerit, vertigo ipsum corripit, febris autem non inuadit.

VBI sanguis ex venis extra caluam existentibus in spatia capitis inania, earum osculis adapertis, eruperit, quem affectum venarum in caput superuomitum appellat Hippocrates, dolor grauis, id est, cum grauitatis sensatione totum occupat caput. Nam irruente sanguine in interiacentibus spatiis capitis omnino caput grauatur, & grauitas est tanta, vt etiam collo, & omnibus circumstantibus partibus communicetur. Hinc autem adeo grauato capite, si patiens commotus assurgit, omnia ei in gyrum circumferri videntur, cum prae grauitate non sibi constet, nec motui aut surrectioni sufficiat; cum enim mouemur, & surgimus capite id magis, quam cruribus agimus. Quod si ex grauante materia langueat, nec ad hoc potens aut validus sine aliqua ipsius noxa erit. Febris autem in hoc venarum vomitu, sicuti in priori, non adest, quoniam materia intra cauitates maiores, & patentes, quales sunt intra caluas in cerebri inuolucris, & anfractibus, & quas Hippocrates lib. 6. Aphorism. 20. per dictionem ventris designabat, non recipitur, & ideo nec, vnde febris emergit, supputatur. Nam in hoc venarum vomitu effunditur tantum inter inania, & vix ob contiguitatem sensibilia spatia, quae sunt inter carnem, & membranas, & partes caeteras sibi inuicem annexas, & quae sicuti parua, & vix sensibilia existunt, ita pari ratione nec materię copiam recipere possunt; nec si recipiunt, cum sint externo aeri exposita, ita supputationem concipere, vt internae cauitates, possunt. Quare iure merito notauit Hipp. febrem huic vomitui non annecti.

33 *Quum igitur sic habuerit, deraso capite, si non calefactoriis cesserit, frontem ea parte, qua capillus desinit, à capite findito: vbi vero secueris disparata, ac deducta cute, quum sanguis defluxerit, salem tenuissimum inspergito: & postquam effluxerit sanguis, fissuram componito, & duplici filo totam ipsam includito. Deinde splenium, cera ac pice illitum, vlceri imponito, & lana sordida super imposita deligato, & ad dies septem ne soluito, si non dolor vexet, si vero dolor adsit, exoluito. Donec autem sanus fiat, aquam, demacerata in ipsa crassa farina, bibendam dato, & ptisanae succum sorbendum, & aquam insuper bibendam exhibeto.*

DVPLICEM huius affectus curandi rationem tradit, altera est p discutientia, quam per calefactoria tentandam esse monet, altera est, vbi prima curandi ratio non sufficiat, per chyrurgicam manum. Quo ad primam remittens se ad superiora eius modum clarum supponit. Quo ad secundam, cum de ea ne verbum vllum antea fecerit, exacte modum & normam tradit, monens deraso capite frontem ea parte, qua capilli desinunt, secandam, hincque sanguinem effluere ad capitis euacuationem, & sanguinis effusi purgationem sinendum esse. Vbi autem sanguis sufficienter effluxerit, monet hanc sectionem siccanti ratione curandam, & sanandam esse. Vnde iubet primo salem tenuissimum ei inspergendum, postea eam cõponendam, & filio duplici cõnectendam, deinceps splenium, cera & pice illitum, superponendũ, & tandem lana sordida super imposita deligandam, nec ad dies septem, si non doleat, soluendam fore; quae tamen, si dolor vexet, ante septimam soluenda sit. Haec curandi ratio ab Hippocrate probatur, quoniam euacuato per sectionem factam eo sanguine, qui morbi causa, & fomes erat, nulla supputandi indicatio datur. Vt igitur hanc vitet, siccanti vtitur curatione, pro qua maxime opportunũ est sal, cum siccanti admodum facultate dotatum sit. Splenium etiam ex cera & pice illitum ad idem facit pro agglutinatione, quam per suturas ex duplici filo factas procurat. Sed quae sunt suturae duplici filo factae? Suturae simplici filo fiunt, dum per vnicum filum acu adactum continua suitione, vti sartores faciunt, conficimus. Duplici autem filo illę constant, quae fiunt duplici principio, & duplici filo, per idem foramen vtrinque deducto, sicuti sellularii sutores faciunt, vel quae simplici filo, sed duplici principio vtrinque apte ad nodum faciendum adacto formantur. Primum modum non intelligit Hippocrates, quia & nimis dolorosus est, & satis inepte partes diuisas simul agglutinat, cum partem interiorem tantum, non exteriorem vniat, cuius merito chyrurgis non est in vsu. At secundum, qui fibularum nomine donatus est ab antiquis, audit, tum quia est minus dolorosus, tum quia aptissime membra separata vnire potest, vnde non immerito ab omnibus chyrurgis in vsu receptus est. His igitur suturis ad vniendã partem sectã factis, & superposito ad agglutinandum splenio, ex pice & cera formato, lana sordida, vt molliter locus tractetur, apposita deligandum, nec ante septimam, vt integre locus agglutinetur, soluendum esse iubet, nisi dolor vrgeat, quo casu soluendum monet, ne ex dolore locus inflammetur, & inde supputet. Interim autem, dum haec fiunt, tenuem victum praescribendum esse docet, vt scilicet aquam, in qua macerata fuerit farina crassa (huius potionis superius meminimus) bibat, & ptisanae succum sorbeat, cui aquam simplicem superbibat. Haec autem victus tenuis ratio faciet tum ad morbi solutionem, tum ad prohibendam loci secti inflammationem.

Ex hac curatione memorię demãdetur illa frõtis sectio, cum in rebellibus morbis capitis quandoque sit admodum proficua, vnde Graeci posteriores hanc receperunt, & potissimum in fluxionibus ad oculos contumacibus laudauerunt, & periscyphismum, vel hypospatismum pro ratione diuersitatis actionis appellauerunt, vt docet Aet. libr. 7. cap. 96. & 97. & Paul. libr. 6. cap. 6. At alia ratione Hippocrates, alia ratione Paulus, & Aet.

administrant. Hi enim per suppurantia eam procurant, at Hippocrates suppurationem abhorrens siccandi vtitur ratione.

An autem curatio Hippocratis sit simpliciter admittenda; animaduerto sectionem venæ, in hoc casu admodum necessariam fuisse omissam. De sectione autem illa, num integre, à tempore ad tempus, vti Paul. & Aet. docent, sit facienda, dixerim actionem admodum dolorosam, & tremendam mihi videri. Quare sicuti à nemine illam fieri vidi, ita nec ego vnquam tentaui, cum tamen viderim eam in parte laterali administratam in oculorum fluxionibus, & in hemicrania multum contulisse.

34 *Alius morbus. Si cerebrum bile suffundatur, febris emergit debilis, & rigor, & dolor per totum caput, maxime ad tempora, ac sinciput, & ad regiones oculorum, & supercilia ipsis impendere videntur, & ad aures dolor procedit, & quandoque per nares bilis defluit, & oculos hebetes habent, & plerisque dolor ad dimidiam capitis partem extenditur, quandoque etiam per totum caput.*

DE hoc affectu omnes practici tractant, eum appellantes cephalalgiam à bilioso succo, in qua dolores sunt mordicantes, & eam concomitantur quandoque febres debiles vna cum rigore inuadentes; à bile enim potissimum rigores fiunt. Dolores quandoque occupant vniuersum caput, quandoque autem inducta hemicrania alteram capitis partem vel dextram vel sinistram tantum inuadunt. Et si partes internæ sint affectæ, ad oculorum regionem, id est, ad oculorum radices se extendunt: supercilia autem non incumbere, vt in inflammatorio affectu, de quo text. 28. actum est, nec supergrauare, vti Caluus sentit, ὑπερβάρυνειν supergrauare interpretans, sed insuper pendere videntur. Pendere autem videntur, quoniam biliosus humor non grauitatem, nec innixum, sed solum suspensionem facit, vti exemplo patet, vbi in visceribus abundat, nam ex eo non grauata, aut compressa sed suspensa videntur habere viscera patientes. Hic idem humor in capite abundans præcipue aures inficit, in eas dolores & surditates inuehens, cuius merito dicebat Hippocrat. libr. 4. Aphorism. 28. biliosas deiectiones surditate, & surditatem superuenientibus biliosis deiectionibus cessare. Sicuti autem aures per surditatem inficit, pari ratione oculos visum hebetans lædit, cum ex feruore huius humoris, & ex eius exhalationibus spiritus visorii conturbentur. Qui idem humor quandoque suipsius manifesta præbens indicia, nonnunquam per nares vel simplex, vel muco admistus, eum proprio calore inficiens, effluit. In hoc autem effluxu ob communionem vasorum hoc subinde succedere consueuit, vt gustus etiam, communicata linguæ, ac palato humoris biliosi vel substantia, vel expiratione, inquinetur, & male afficiatur, omnia assumpta ea propter amara iudicans, vel etiam amarorem in se ipso nulla re externa admota, percipiens. Hæc autem vltima sicuti sunt abundantis bilis manifesta indicia, ita superiora sunt symptomata morbosum affectum propriè insequentia.

35 *Quum sic habuerit, perfrigeratoria ad caput opponito, & postquam dolor ac fluor cessarit, apij succum in nares instillato, & ne lauet, quamdiu dolor obtinuerit, & sorbeat milium tenue, modico melle affuso, & bibat aquam. Si vero aluus non subeat, brassicas edat, & succum sorbeat, sin minus, folia sambuci eodem modo. Et postquam tempestiuum tibi visum esse fuerit, cibos quam maxime aluum subeuntes ipsis exhibeto. Et si depulso fluore, ac dolore grauitas ipsi super supercilia incumbat, & in naso mucus crassus, ac putridus fuerit, fomento ex aceto & aqua, & origano ipsi adhibeto, deinde calida aqua loto, florem æris, & myrrham ad nares apponito. Atq; his factis plerunque sanum efficies. Morbus autem non est lethalis.*

PENDENTE hac cephalalgia à bilioso succo, duos tantum curatiuos scopos sibi proponit Hippocrates, alter est, vt per refrigerantia bilis feruor, & caliditas temperetur, ac corrigatur, alter est, vt per errhina bilis, vbi fuerit temperata & correcta, educatur. Primum scopum tanquam ipsi notissimum exemplificatione non explicat. Secundum autem exponens, inquit, vbi dolor & fluor cessauerit, id est, vbi materia coctionem, quam indicabit doloris remissio, & illius fluoris è naribus biliosi cessatio, coctio enim crudas fluxiones sistit, inierit, apii succum ad euacuandam è capite bilem in nares instillato, & quamdiu dolor obtinuerit, ne lauato, id est, & quamdiu materia fuerit cruda, quam dolor exacerbans attestatur, balneum non ingrediatur, hinc enim fusi humores magis caput replerent, & dolorem augerent. Quo cruditatis tempore præscribit victum tenuem, monens, vt nil aliud sumat, quam milium tenue, id est, in copiosa aqua coctum, dilutum, ac maceratum, ita vt minimam milii substantiam, plurimam autem aquæ recipiat, modico melle affuso; quoniam ita magis demulcebit, & minori negotio bilis acrimoniam concoquebit, & aquam bibat, ne ex vini potu caput bilioso humore refertum male afficiatur. Si vero hoc tempore, & his datis aluus non egerat, brassicas edendas, & succum eius sorbendum, vt ex his aluus irritetur, & vapores caput petentes absumantur, monet. Quod si nec ex brassicæ vsu aluus subeat, iubet folia sambuci edenda esse, cum hæc præterquam quod aluum euacuant, etiam biliosos humores, qui in hoc morbo peccant, & noxam præbent, educunt. Quibus actis, vbi tempestiuum fuerit, quod erit vbi dolor, & fluor ille è naribus tenuis cessarit, id est, vbi materia fuerit concocta, tunc cibi solidiores, sed aluum

quam

quam maxime ſubeuntes prębeantur. Si vero concocta & temperata iam bile, grauitas, quæ prius non aderat, ſed ex coctione, per quam bilis & mucus conſiſtentiam recipientes, & in anteriore cerebri, ex qua effluxionem præſtolantur, parte firmati tanquam onus incumbunt, ſuccedens ſupra ſupercilia, id eſt, non ſupercilia, ſed ſuper ea, fronti & capitis parti anteriori incumbat, ſique mucus craſſus ac puttidus, id eſt, concoctus in naſo appareat, quoniam hæc omnia fiunt incraſſata vi coctionis materia, ideo hæc per medicamenta quæ incidendi vi dotata ſunt, erit prius attenuanda, demum medicamento errhino non ita leni erit ad excretionem irritanda. Eapropter ad attenuationem ordinat fomentum ex aceto, aqua & origano ſimul decoctis, poſt cuius vſum ad laxandas eas partes monet, aqua calida nares lauare, ad euacuationem autem format errhinum ex flore æris & myrrha in naribus indendum. Ex quo illius craſſioris materiæ euacuationem ſperans, inquit, his factis plerunq; patientem ſanari. Quibus poſitis ſubdit: Morbus autem non eſt lethalis. Et ſane non eſt lethalis, cum cephalalgia huiuſce generis ſit curabilis, nec vllum ex ſe minetur periculum, ſicuti omnes ſcribentes docent.

Ex hac curandi ratione illud notetur, quod vbi materia è capite particulari euacuatione educenda ſit craſſa, prius attenuari, antequam errhina admoueantur, debet. Inſufficiens autem eſt curatio, cum nullam habeat, nec doceat vniuerſalem corporis euacuationem faciendam, quæ præmittenda eſt particularibus euacuationibus, & neceſſaria pro mundando à bilioſis ſuccis corpore, ſicuti & multa deriuationum & reuulſionum genera omiſſa ſunt.

56 *Alius morbus. Si cerebrum corruptum fuerit, dolor ex ceruicis neruo ad ſpinam tendit, & ad cor frigus deſcendit, & derepente nonnus ſudor adeſt, & per nares ſanguis fluit: vomitus quoque multi. Hic triduo moritur.*

QVA ratione cerebrum ſphaceliſmo corripiatur, & ex quib. cauſis hoc morbo laboret, & quę ſymptomata ad id ſequantur, & qua ratione fiant, ſatis ſufficienter ſuperius tex. 3. declaratum eſt: quare non eſt, quod hic eadem repetantur. Hoc tantum de iudicio aduertatur, quod vbi ſupra dixit, hic tertia aut quinta die plerunque perit', hoc in loco ſimpliciter ait, hic tertia die moritur. Quam ſententiam vti veriorem, & experientia magis confirmatam regiſtrauit in aphoriſmis libr. 7. aphoriſm. 51. Sed cur in loco prædicto addiderit, quinta die, & cur hi quandoque pereant in quinta, non autem in quarta, quæ eſt dies tertiæ propinquior, ibidem declaraui.

57 *Si vero ſeptem dies tranſgrediatur, (plerique autem non tranſgrediuntur) & ſi ſanguinem vomat, aut è naribus fundat, neque calida ipſum lauato, neque calefactoria adhibeto: verum acetum album, aquoſum bibendum dato, & ſi debilis ſit, ptiſanam ſorbendam: Si vero plus iuſto ſanguinem tibi vomere videatur, aut ex naribus ipſi fluat, à vomitu quidem bibat farinam trimeſtris tritici in aqua inſperſam: ſi vero ex naribus fluat, venas & in brachiis, & in temporibus ſpleniis ſuppoſitis deligato. At ſi neutrum horum ipſi affuerit, dolet autem ceruicis neruum & collum, & ſpinam, & frigus ad cor praceſſerit, cum cruo pectora & dorſum, & ceruicis neruum & collum calefacito. Nam his factis maximam vtilitatem capere poterit. Verum pauci huiuſmodi morbum effugiunt.*

HIPPOCRATES cenſens, hunc morbum nullo artis pręſidio, ſed ſolius naturæ beneficio tolli poſſe, huius nec incipientis, nec vigentis curationem tradit, ſed tantummodo explicat, quæ ratio victus, vbi morbus tempora lethalia tranſgreſſus declinauerit, ſit præſcribenda, & quibus medicamentis ſit nonnullis ſymptomatibus reluctandum. Hæc autem docens, inquit: Si morbus ſeptem dies tranſgrediatur (quod rariſſimum eſt, cum plurimi in tertia die pereant) & ſanguis, cuius merito patientes à morbo ſubleuantur, aut per os, aut per nares effluat, nec balneum aquę dulcis calidę, nec calefacientia capiti adminiſtranda eſſe. Illud ne ex balneo fuſi humores iterum in cerebrum irruant, hoc ne inflammatio denuo iteretur, vtrunque autem, ne his admotis ſanguis immodice, ex quo vires iam ex inedia labefactatæ corruerent, erumpat. Verum in potu exhibendum eſſe acetum album, vt ſit tenuiorum partium, aquoſum, id eſt, debile ac frigefaciens, vel quia nullam referuet aut ex putredine, aut ex vinoſitate caliditatem, quale eſt factum ex vino aquoſo, vel quia per aquam refractum, & poſca euadens, aquoſum ſit redditum. Tale autem acetum exhibet, vt ſanguinem, qui ex feruenti inflammatione exuſtionem ſenſerit, & inde craſſior factus eſt, temperet, eum ſimul refrigerans ac attenuans. Vltra autem aceti potum, ptiſanam, ſi debilis ſit æger, ſorbendam monet. Sed cur ptiſanam ſolam, ſi vires langueant, exhibet, cum tamen craſſior victus conuenientior videatur, tum ratione virium languentium, tum ratione declinationis morbi, quo tempore craſſior victus, quam antea dandus eſt? Solam ptiſanam exhibet, quoniam vbi ſumma inedia, & totalis cibi abſtinentia, qualis in hoc morbo, qui omnem ſenſum tollit, neceſſario connectitur, præceſſerit, non ſtatim ad victum craſſum, licet vires ſint debiles, eſt deueniendum, quoniam hinc potius vires obruuntur & ſuffocantur, q̃ releuentur, ſed cibi leuiores & tenuiores dandi ſunt, quales ſunt ſorbitiones præcipue ex ptiſana, vt hinc morbus non irritetur, & patiens non grauetur, ſed ſenſim, ac nullo naturæ

negotio nutriatur. At cur Hipp. ad exhibendum cibum septimam expectat diem in hoc morbo, qui patientem in tertia die plerunque interimere solet? Moribundi ex hoc affectu in tribus diebus pereunt: si vero hos effugerint patientes, sani, dicebat Hippocrates, fiunt, id est, sanari possunt, si videlicet omnia secundum rationem administrentur. Qui autem primos tres dies effugiunt, & ad quartam perueniunt, non in quarta sanantur, sed à quarta die principium declinationis recipientes, quousq; ad septimam non peruenerint, nequaquam sensus & facultates recuperant, cuius ratione ante septimam nec indigentiam sentiunt, nec cibum admittunt. Transacta autem septima, cum morbus eo tempore manifestam receperit declinationem, iàm recuperatis sensibus & facultatibus ad pristinum opus reuocatis, cibus, qui prius exhiberi non poterat, exhibendus venit, quod animaduertens Hipp. iure censet, vbi morbus septem dies transgrediatur, tunc rationem exhibendi cibi habendam esse. Praescripta autem victus ratione symptomatum occurrentium difficultatem perpendens, eorundē correctionem docere nititur. Duo autem hęc sunt: alterum est sanguinis vel per os, vel per nares immodica eruptio: alterum est dolor ad occiput, ad collum, & ad spinam vna cum frigiditate ad cor procedente. Vbi sanguis ex ore profluat, exhibet farinam trimestris tritici in aqua inspersam, quae ratione visciditatis & lentoris potest venas laxatas obstruere, & conglutinare. Si autem per nares effluat, iubet venas in brachiis & in temporibus, illas ad reuulsionem, has ad interceptionem spleniis appositis deligandas esse. At si dolor cum frigore praedictas partes affligat, monet ceruum calefactum thoraci, dorso, & ceruici, & collo admouendum esse, vt hunc fomento facto dolor leniatur, & frigus temperetur. Quib. succedentib. maximam sentiunt aegri vtilitatem, verū vt inquit Hip. Pauci hūc morbum, cum sit violentissimus & lethalis effugiunt. Ex hac curatione illud notetur, quod vbi totalis cibi abstinentia, ac summa inedia praecesserit, licet vires langueant, non conuenit victu crasso vti, sed tenuis est praescribendus, ne morbus inde exacerbetur, vires grauentur, & calor innatus suffocetur.

Quae autem huic morbo curandi ratio debeatur, nunc non explicabo, cum alias sufficienter de hoc in proprio loco egerim.

38 *Alius morbus. Sanum derepente inuadit dolor circa caput, & statim vox intercipitur, & stertit, & os hiat: & si quis ipsum vocet aut moueat, solum suspirat, nihil autem intelligit, & multum mingit, & mingere se non sentit. Hic si non febris ipsum corripiat, in septem diebus moritur. Si vero corripiat, plerunq; sanus fit. Huiusmodi vero morbus senioribus maxime fit, & magis quam iunioribus.*

REPENTINVS capitis dolor hanc apoplexiae speciem praecedit, quoniam irruente affatim in cerebrum morboso succo, necessario capitis dolor succedit. Ab hoc autem repentino dolore vox intercipitur, omni sensatione abolita, stertor sequitur, respirandi instrumentis valde oblaesis, os hiat, resolutis musculis inferiorem maxillam attollentibus, ad vocem & ad motum non respondet, sed tanquam suspirans gemit, inducta difficili respiratione, nihil intelligit, omni sensu interno, & omnibus virtutibus rectricibus ablatis, & multum mingit, se mingere nequaquam sentiens, resoluto sphinctere, ad collum vesicae situato. Quae omnia characterismum apoplexiae constituūt, cum ex his pateat tam motum quam sensum vna cum detentione principum facultatum statim patientem priuari. Hic si febris eum corripiat, plerunque coadiuuante ad coctionem calore febrili, euadere potest, si autem non corripiat, crebro in septem diebus moritur. Hic morbus senioribus magis, quam iunioribus contingit, tum quoniam calor innatus in eis est debilior, tum quia in eis frigidiores succi accumulantur, tum etiam quoniam cerebrum in his languidius est, & facillime ab inferioribus recipit partibus.

39 *Hunc, vbi sic habuerit, lauare oportet multa calida, & quam maxime calefacere, & aquam mulsam tepidam in os instillare. At si resipiscat, & morbum effugiat, vbi ipsum cibis refeceris, ita vt viribus valere tibi visus fuerit, indito in nares ipsius medicamento, & paucis diebus interpositis, pharmacum deorsum purgans bibendum dato. Si vero ipsum non purgaueris, timor est, ne rursus morbus reuertatur. Effugiunt autem non ita valde ex primo.*

EXISTIMANS Hipp. apoplexiam ex sola frigiditate, ex quā sanguis coeat & sistatur, pendere, vnicam sibi proponit indicationem, scilic. sanguinis calefactionem & fusionem. Hunc autem per multam aquam & calidam, qua lauetur, procurat, docens quam maxime corpus calefaciendum esse, & in os ad attenuandum & calefaciendum mulsam calidam instillandam esse. His actis, si aeger resipiscat, id est, sensus tam internos quam externos recuperet, indeq; violētiam morbi effugiat, cibis opportunis vires ex morbo, & inedia labefactatas reficere oportet, vt postea ad securitatem & ad integram morbi solutionem possit per errhinum medicamentum capite purgari, & per pharmacum deorsum ducens absolute euacuari. Nam si hanc purgandi rationem non administraueris, periculum est, ne morbus denuo inualescens, iterum ex assistente materia reuertatur. Qui casus sicut rarus extit, ita frequens est, vt ex priori morbo aegri tollantur.

Ex hac curatione illud adnotabis, quod in apoplecticis, declinante morbo, necessaria est totius corporis purgatio, alias hac non inita, discrimen reuersionis morbi impendet, non quia hic morbus habeat periodos, sed quia potest, sicuti omnes alii morbi, recidiuare.

Quo autem ad curandi rationem, nil adnotandum censeo, cum in hac omnes scribentes, & cun-

cti qui

cti, qui medicinam communiter faciunt, sint plurimi.

40 *Alius morbus. Si quis ex ebrietate voce priuetur, & statim sane ipsum febris corripiat, sanus fit. Si vero non corripuerit, die tertia moritur.*

QVA ratione vinum inebriet, & qua ratione ex ebrietate apoplecticum affectum inducere queat, superius declaratum est. Quo loci etiam explicatum est, cur tertia die, sicuti hi, quibus sphacelatur cerebrum, non autem septima, quota apoplectici à frigidis succis pereunt, moriantur ii, qui ex ebrietate voce, sensu, & motu priuati apoplexia corripiuntur, nisi febris eos apprehenderit. Quæ omnia cum hic ab Hippocrate supponantur, pro eorum causis dignoscendis ad superiora legens relegetur.

41 *Si itaque in ita affectum incideris, multa calida lauato, & spongias in aqua calida tinctas ad caput apponito, & cepas decorticatas in nares indito. Hic si quidem apertis oculis, & loquutus ad se redierit, & non nugetur, hac die sopore pressus iacet, postridie vero sanus fit. Si vero exurgens bilem vomuerit, insanit, & moritur maxime in quinque diebus, si non dormierit. Huic igitur hæc facere oportet: Multa calida lauato, donec ipse ad seipsum redeat. Deinde multo oleo illitum, ad stragula molliter reclinato, & vestimentis contegito, & neque lucernam apud ipsum ardere, neq; loqui permittito, vtplurimum enim ex balneo obdormit, & si dormierit, sanus euadit. Postquam vero ad se redierit, primis tribus aut quatuor diebus milium tenue sorbeat, aut ptisanæ succum, & vinum mellei saporis bibat. Deinde cibis vtatur mollissimis, ac paucis primum.*

IN apoplexia ex ebrietate vnica affertur curatiua indicatio, quæ in hoc consistit, quod vapores & humiditates cerebrum irrigantes, ac eius substantiam subeuntes, & permeantes discutiantur & resoluantur. Hanc discussionem & resolutionem operantur primo ea, quæ moderato & humido calore agentia demulcere, & concoquere illas euaporationes, & humiditates apta sunt, postea illa quæ vim discutiendi & excitandi simul habeant. Vnde hac ratione ductus Hippocrates monet hosce patientes multa calida aqua balneandos, & his spongias aqua calida madentes ad caput apponendas esse, vt hinc vaporationes & humiditates caput replentes, & cerebri substantiam copia obstruentes tum demulceantur, tum concoquantur, tum etiam aut pro parte discutiantur, aut saltem discussioni aptæ parentur. Ad hæc monet insuper cepas decorticatas naribus indendas esse, vt hinc eadem humiditates & vaporationes attenuentur & discutiantur, hincque patiens excitetur. Nam cepa cum sit valde vaporosa, sui acrimonia & caliditate cerebri substantiam, & ventriculos subingrediens caliditate discutit, acrimonia attenuat ac irritat, & membranas cerebri vellicans patientem excitat; cuius merito Hippocrates in stragulatis etiam mulieribus libro de fœminarum morbis cepa ad nares apposita ad eas excitandas vtitur. His autem actis, si inde patiens adeo excitetur, vt apertis oculis loquatur, consideret medicus patientis statum, vt inde noscat, an æger ex hac affectione sit conualiturus, an periculum mortis initurus. Nam vbi patiens excitatus mente constiterit, salutis argumentum habebit, cum hic per diem sequentem somno pressus, postridie, quo tempore crapulæ soluuntur ex ebrietate & ex morbo simul, sanus euadet. At si excitatus bilem euomuerit, delirabit, & die quinta, nisi dormierit, peribit. Sed vnde hæc varietas, quod duobus ex eodem affectu, & ex eadem causa languentibus, ac ambobus per eadem medicamenta curatis & excitatis, alter mentis compos, & in somnum pronus, & somnum profundum dormiens ex somno conualescat, alter autem delirus in vigiliam pronus, & peruigil factus ex vigilia, nisi somnus prouocetur, pereat? Ratio diuersitatis est ex parte non causæ aut affectus, sed subiecti patientis. Nam cum vinum caput petens, vbi copiosum & potens existat, secum deuehat humores, quales in illo corpore consistunt, eosque pro sui facultate alteret, in his, qui vel benignum sanguinem congesserunt, vel frigidis humoribus abundant, somnum inducit, quoniam sanguis benignus sui humiditate, humores autem illi sua frigiditate somnum conciliant, cuius ratione pueros, & senes talibus humoribus abundantes valde somnolentos videmus. In his vero, qui succum biliosum congessere, vigiliarum est author, quoniam vinum sua caliditate bilem adurens eam magis calefacit, & magis exsiccat. Exsiccata autem & calefacta, vbi cerebrum duce vino petat, vigilias inducit ea ratione, qua cætera cerebrum calefacientia & exiccantia vigilias parere sunt apta. Id autem facilius à vino succedit, quo potentius & antiquius fuerit. Nam tale immodice calefacit & exiccat, & vigilias inducere immoderatas est aptum, sicuti factum ex liberaliore vini antiqui & potentis potu in puero illius Grammatici, de quo meminit Galenus in fine libri secundi de locis affectis, nouimus. Si igitur apoplecticus ex ebrietate factus sanguine benigno, aut frigidis humoribus abundet, hic excitatus in somnum pronus erit, & per somnum facta integra morbi coctione liberabitur postridie, id est, ea die, qua crapulæ soluuntur. Si autem bilis in eo abundet, exusto à calore vini bilioso humore, cerebrum inde vellicatur, & peruigil patiens redditur, qui etiam ratione bilis irritantis desipiet, & insaniet, delira loquutus, & tandem nisi prouocato somno dormiat, die quinta peribit. Hanc autem bilis à vino alterationem in corpore factam, vt indicaret Hippocrates, apposite dixit:

Si

Si vero exurgens bilem euomuerit; ac si dixisset, si in hoc patiente bilis alteretur, & sanguis calore vini supercalefactus biliosus reddatur, quod bilis vomitus indicare potest, hic insaniens & peruigil factus die quinta moritur, si non dormierit. Quare bilis vomitus hic non pro pathognomico & assidente signo desumatur, sed tanquam exemplar eorum, quę bilem abundantem attestari possunt. Vnde si non superueniat bilis vomitus, sit tamen coniectura ex aliis signis abundantis bilis, eadem erunt accidentia, & idem morbi periculum imminebit. Quod periculum vt pręcaueat Hippocrates, monet, omni ingenio somnum conciliandum esse, hac habita indicatione, vt bilis feruorem temperet, & vniuersum corpus humectet. Ad hoc autem balneum aquæ dulcis calidæ & copiosæ probat, post quod corpus oleo dulci illinendum, & in lecto molli reclinandum, & vestimentis seu tegumentis similibus contegendum esse iubet, quietem summam pręscribens, vt nec ipsum loqui permittat, & omnia quę à somno ipsum reuocare possint, prohibens, ita vt nec lucernam prope ipsum, cum lumen somnum arceat, ardere concedat. His autem actis, si dormierit, sanus euadit, vt autem sanus conseruetur, iubet eum tribus diebus victu tenuissimo detinendum esse, ita vt solum vel milium tenue, vel succum ptisanæ sorbeat: vinum autem mellei saporis, id est, dulce, cuius ratione non petat caput, & sit pauciferum, bibat. His autem tribus diebus peractis, cibis vtatur mollissimis, id est, humidioribus & lenibus, ac facile aluum subeuntibus, & paucis, id est, in modica quantitate, vt perfecte elaborari & concoqui possint. Ex hac curandi ratione illud elegans medicamentum ad excitandos ex ebrietate apoplecticos obseruandum est, formatum ex cepa decorticata naribus indita. Nam hoc aptissimum est ac commodissimum ad excitandos ægrotantes à morbis, qui virtutes sopitas detineant, quales sunt cerebri affectus frigidi, & quales etiam sunt in mulieribus strangulationes vterinæ, ad quas excitandas mirum in modum valet. Vnde dicebat Hippocrates lib. 2. de morb. mulieb. versus finem: Si vero valde strangulatur, & voce destituta fuerit, cepam in vino tepido tritam in nares instillato & excitato.

Ex hac eadem curatione obseruanda est ea Hippocratis semper memoranda consuetudo, vt post graues morbos hominem tenui victu detineat, à principio solas sorbitiones exhibens, antequam ad cibos descendat.

Curationi autem plura addi possent, quæ tamen prudens omitto, quoniam pro hac relegandus est lector ad ebrietatis curam, quam Galen. & cęteri docuere. Sicuti pro somno prouocando multa insuper addi possent, quæ scribentes propriis in locis exacte explicauerunt.

Cerebri corruptio.

42 *Si corruptio cerebrum inuaserit, dolor tenet maxime anteriorem capitis partem, & paulatim etiam intumescit, & liuida fit, & febris & rigor apprehendit.*

QVEMADMODVM Hippocrates duplicem constituit venatum in capite vomitum, alterum scilicet internum, alterum externum: pariter duplicem eiusdem corruptionem supponens, alteram scilicet internam, alteram externam, duplicem corruptionis tractationem habet, duplicem ac admodum diuersam earundem curationem explicans. De interna egit superius text. 36. & 37. de externa autem hoc in loco tractat, dicens: Si corruptio inuaserit, dolor tenet maxime anteriorem partem capitis, id est, si sphacelus, id est corruptio, non tantum carnem, sed ossa etiam apprehendens, corripiat caput (per cerebrum enim hoc in loco caput ipsum, seu capitis partes exteriores audit) dolor potissimum eius priorem occupat partem, ἐκ τοῦ κατὰ μικρὸν, id est, quam minime, seu valde parū, ita vt vix sentiatur. Ratio huius est, quoniam dum membra sentientia sphacelantur, seu gangrænantur, quam minimus aut nullus fere adest dolentis causæ sensus, imo in his, quæ ex ingenti inflammatione antea valde dolente hunc affectum incurrunt, vbi sphacelus & gangræna incipit, dolor remittitur, vel tollitur, & tumescit, & liuet, scilicet pars sphacelo correpta. Nam cum sphacelus fiat ex irruente materia, quæ adeo spiritus vias occludat, vt calor insitus ac vitalis suffocetur, omnino pars sphacelum patiēs quodammodo tumebit. Liuebit autem, quoniam extincto vitali calore morticinum induet colorem. Febris & rigor apprehendit, & iure merito, quoniam eunte in corruptionem qualibet corporis nostri parte, nō potest nō subsequi febris ob putredinem & corruptionē superuenientē, quam febrem, rarissimum est, quin aliqui rigores sed inordinati concomitentur, quoniam vel ratione euaporationum, vel ratione putredinis augescentis sæpius fiunt calores innati ad intra concentrationes, ex qua rigores inordinati succedunt.

43 *Quum ita habuerit, secare oportet, qua parte intumuit, & per purgato osse ipsum radere, donec ad secundam laminam perueniat: deinde velut fracturam curare.*

CVM in sphacelo tam pars carnosa, quam os, cui ea incumbit, corruptionem patiatur, indicatur, vt pars vtraq; corrupta amoneatur. Hinc monet Hippoc. carnem abscindendam, & os abradendum esse: locum autem affectum indicat ex tumore, quem pariter liuor, & præter hæc, & doloris, & sensationis abolitio attestari possunt. Secanda igitur est caro, id est, abscindenda, & os, quod pariter cum carne corruptionem senserit, abradendū, donec ad secundam laminam perueniat, id est, quoad per abrasionem secunda lamina, quod est meditulium integre fuerit remota. Per hanc enim sanguis deuehitur ad nutrimentum ossis: quapropter hanc purgare oportet, vt nouum alimentum suscipiens ex praua loci qualitate concepta, non corrumpatur, indeq; denuo morbus regrediatur. Remota autem & carne, & osse corrupto, postea curatio loci affecti adeunda est, ac si ex vulnere fractura in osse facta fuisset. Quam maximam autem habet ossis rationem Hippocrates, non tantum,

quia

quia quid corruptionis passum fuerit, verum etiam quia ex osse eenset sphaceli occasionem oriri, ipsumque fontem mali esse, ab eoque partem exteriorem capitis corruptionem concepisse. Cuius ratione etiam dixit, hunc sphacelum cerebri esse, tanquam morbi fomes ab intrinseco in osse, & inde in partes circumstantes originem & causam habeat.

Caries siue teredo.

44 *Quum caries facta fuerit in osse, dolor ex hoc corripit ipsum os, & progressu temporis attenuatur ac inflatur, & fit in ipso fractura. Et si hanc resecueris, comperies os ipsum eleuatum & asperum ac fuluum: quibusdam vero etiam vsque ad cerebrum corrosum.*

OSSA capitis quomodo & quibus ex causis cariem patiantur, & quibus signis, vbi cariosa facta fuerint, dignoscantur, superius tex. 12. declaratum est. Nunc autem, quæ ad hanc cariem sequantur, & qualis curandi modus eis conueniat, explicatur. Vnde à primo incipiens inquit Hippoc. Quum caries fit in osse, (non legatur, vt transtulit Cornarius, facta fuerit, tum quoniam γίνεται stat in præsenti, tum quoniam dolor fit, dum alteratur natura, nõ autem vbi alterata fuerit) dolor ex hoc, id est, ex carie, hoc est, ex causa cariem patiẽte corripit os, id est, ossi parter adiacentes. Nam vbi os cariem pati incipit, ob cõriguitatem affectio communicatur pericranio, ex qua dolens, non autem ipsum os, cum omni sensatione careat, præbet sensum, ac si ipsum os doleret. Ad quam imaginationem respiciens Hipp. dixit, ex carie os capitis dolere; hoc autem os carie affectum, inquit, progressu temporis attenuatur ac inflatur. At si attenuatur, quomodo inflatur, cum attenuatio exilitatem, inflatio augmentationem arguat? Attenuantur ossa capitis ex carie, quoniam eum debito nutrimento ex ea fraudantur, indeq; male nutriantur, in propria substantia extenuantur. Dum autem extenuantur, ex materia cariem faciente, & feruorem ad intra substantiam ossium concipiente, ossa ipsa attolluntur, non quia crassiora in substãtia propria hinc facta sint, sed quia hinc laminę ab inuicem separantur, quibus separatis, os supremum attolli, & inde inflari, ac in tumorem eminere videtur, cũ tamen in propria substãtia sit magis, quam ex propria natura attenuatum. Huius rei manifestissimũ exemplum habemus in fructibus, dura cortice obductis, in quibus, si igni admoueantur, videmus corticem exteriorem ab interiori substantia separari, eamque in propria essentia vi ignis extenuatam, exterius vergentem in tumoris formam attolli. Hoc igitur pacto ossa capitis affecta pari ratione simul attenuantur, & inflantur. His autem attenuatis & inflatis, fit in ipsis fractura, inquit Hip. At quæ fractura hęc est, & ex qua causa gignitur? Non sane est fractura sensibilis, qualis est aut rima, aut sedes teli, sed insensibilis, qualis fit in ossis contusione, quæ licet sensui non pateat, attamen tertia continuitatis solutionis in osse species constituitur, & ab Hippocrate in lib. de vulner. cap. & à Gal. lib. 6. meth. cap. vlt. Hęc autem fracturę species inde ortum ducit, quod cum ossa nec mollitiem habeant, nec flexibilitatem vllam, cum sint durioris substantiæ, patiantur, si vel resideant, vel emineant, vel ab inuicem dissideant, ex necessitate cõtinuitatis solutionem, si non manifestam, saltem immanifestam subeant. His autem habitis, liqueat, ad cariem ossa capitis inuadentem hæc subsequi, videlicet capitis dolorem, imaginationem ossium dolentium præseferentem, & eorundemmet capitis ossium affectarum attenuationem, inflationem & insensibilem ac immanifestam fracturam. Quæ fractura non ea passio, quę in substantia ossis existens caries appellatur, quoniam hanc corrosionẽ, non fracturam vocabit, sed ea quæ in confinio partis sanæ, & in superficie ossis eminentis necessario ex eleuatione inducitur, intelligatur. Hoc autem os, quod fracturam patitur, si resecuarit, comperies, inquit Hippoc. ipsum eleuatum & asperum, & fuluum. Eleuatum, quia eminet, & quia ab inferiori lamina est separatum. Asperum autem ratione inæqualitatis & corrosionis, cariei merito superinductæ. Fuluum autem, quoniam ossa alieno ac vitioso succo imbuta, & ad corruptionem declinantia fulua prius, demum nigra euadunt. Hac sectione facta, & aperto osse, duplex eiusdem status esse potest. Alter vt caries & corrosio integre os ipsum peruadens, & omnes illius tres laminas prorsus permeans vsq; ad cerebrum subeat. Alter, vt caries & corrosio non penitus omnem ossis partem inuadens, tertiam laminam haudquaquam attingat, neque ad cerebrum vsq, pertranseat. Qua diuersitate perspecta, qualis vtrisq; secundum Hipp. debeatur curatio, in sequenti habemus.

45 *Vbi in hoc modo affectum inciderit, siquidem vltra corrosum fuerit, secare optimum est, & vlcus quam celerrime curare. Si vero corrosum non fuerit, sed asperum, ad secundam vsq; laminam rasum, velut præcedens curare.*

FACTA sectione & detecto ac aperto osse, inspiciat medicus, an os sit vsq; ad cerebrum corrosum, vel non. Si vniuersum os cariosum factum sit, & vsq; ad cerebrum corrosum existat, quamprimum totum auferendum est, tum quoniam in pristinum statum amplius restitui nequit, tũ quoniam contagio potest membranam adiacentem, postmodum tenuem, & tandem cerebrũ ipsum inficere. Hoc a. ablato & separato, ne membranæ & inde cerebrũ male afficiatur, vlcus quã celerrime curare, & ad cicatricem deducere oportet. Si a. os nõ prorsus totum fuerit cariosum, vel quia vsq; ad cerebrum, illęsa remanẽte tabula tertia, corrosum non existat, vel quia haud penitus sit cariosum, sed asperum tantum; tunc sat erit abradere ossis primam & secundam laminam tantum, quo abraso, vlcus pari ratione ac præcedens curandum erit, sc. vt quam celerrime ad cicatricem deductũ sanetur. Hæ curandi rationes, quas ipsa rei natura apertissime indicat, satis eleganter ab Hippocrate descriptæ sunt. Sed an librariorum, an transcribentium

tium errore, mendum in litera manifestissimum, quod à nullo notatum fuisse admiror, apparet. Cum in casu corrosionis ossis vsque ad cerebrum legitur ἰᾶν ἄριστον, id est, sinere optimum. Sed quis tam demens, os, vbi detectum sit, corruptum inspiciens eius remotioni non intendit? imo eo corroso & carioso existente, statim de separatione cogitandum est, tum vt os corruptum tollatur, tum vt vlcus cicatrice obduci possit. Nam præsente ipso osse carioso & corroso, à quo antequam detegatur, vt superius dictum est textu 12. cutis capitis abscedit, quis sperare vicerit sanationem detecto, ac carioso existente osse posset? cum cutis sanari, nec ossi infecto adhærere queat. Credo igitur, literam esse corruptam, & loco ἰᾶν legendum esse ἀίρειν, ita vt sit sensus, auferre optimum est, quo ablato, vlcus, quod eo præsente esset insanabile, quam celerrime curetur. Qua ratione autem os penitus corrosum sit auferendum, non docuit Hippocrates, cuius quadruplicem esse modum animaduerto. Nam alias ferro abradimus vsque ad membranæ detectionem operantes, alias medicamentis agimus, quam maxime siccantibus, alias etiam & per ea, quæ vi caustica participent, alias per ignem ipsum. Primus modus est celerior & tutior, vbi os corrosum integre sit detectum. Secundus est tutus quidem, sed longiori tempore agit. Tertius mediocritatem in tempore seruat, & vbi os admodum sit affectum, est primo magis eligendus. Quartus autem hoc celerius agit, & in summa ossis corruptione est eligibilior, hac habita ratione, vt labia vulneris, quod idem in præcedenti obseruetur, adeo muniantur, vt ab ignis iniuria protegantur.

46 *Alius morbus. Si syderatus quis fiat, & anteriorem capitis partem dolet, & oculis videre non potest, sed sopor ipsum tenet, & venæ in temporibus pulsant, & febris debilis tenet, & totius corporis impotentia, & emarcescit.*

HANC syderationem, quam à principio anteriorum capitis partium dolor, oculorum hebetudo, sopor, arteriarum in temporibus pulsatio & febris debilior, in progressu autem corporis impotentia, seu (vt propriam vocem Hippocratis referam) incontinentia, id est, motus ac sensus priuatio concomitatur, superius text. 13. docuimus esse casum apoplexiæ non exquisitæ, eiusdem modũ, generationem, causas, progressum, solutionem, & terminum simul explicantes. Huius igitur syderationis curam traditurus Hippocrates, eadem repetit, quæ citato loco de hoc eodem morbo dicta sunt, hoc vnum superaddens, καὶ μινύθη, id est, etiam imminutio. Hanc imminutionem interpretes appellarunt marcorem, sed mea sententia satis abusiue, cum marcor referatur ad corporis substantiam, quæ in huiusmodi affectibus potius ampliatur, cum plures patientes ex hisce morbis tumeant, quam imminuantur: hic autem Hippocrates loquatur de corporis functionibus, & ideo inquit: Totius corporis incontinentia & imminutio. Incõtinentia respectu facultatis motricis, cum motu hinc destituantur, imminutio autem respectu facultatis sensitiuæ, cum hinc sensus imminuantur, & nihil exquisite inde percipiant aut sentiant.

47 *Quum sic habuerit, multa calida ipsum lauato, & calefactoria ad caput adhibeto. A fomentis vero myrrham & æris florem in nares infundito. Sorbeat autem ptisanæ succum, & aquam bibat. Et si quidem, vbi hæc fecerit, melius habuerit, bene est. Sin minus, quæ vna spes reliqua est, synciput ipsum findito, & vbi sanguis defluxerit, labiis compositis curato, ac deligato. Si vero non secueris, decimo octauo, aut vigesimo die plerunq; moritur.*

HIPPOCRATES hanc apoplexiam non exquisitam curaturus, sibi hanc vnicam indicationem exequendam, videlicet, vt materiam ad caput occasione caloris externi attractam, & inde syderationem causantem, concoquat, proponens, eam per balneum & per fomenta calefacientia capiti admouenda, procurat. Qua concoctione tentata, monet, caput purgandum errhino, ex myrrha & flore æris formato. Interim autem victum tenuem præscribens, iubet solum ptisanæ succum sorbendum, & aquam bibendam esse. His actis, si non subleuetur patiens, ad chyrurgicum opus descendens, synciput secandum, sanguinem ex vulnere educendum, postea labiis per fibulas, vel per aliud simul adactis & compositis deligandum & curandum esse iubet. Per quam curandi formam sanationem sperans, inquit: Si hunc sic habentem non secueris, ad decimam octauam vel ad vigesimam plerunque peribit.

Ex hac curandi norma illud recipiendum venit, quod in apoplexia curanda optimum sit, sanguinẽ per sectionem cutis in syncipite factam mittere, & hoc præcipue, vbi huius occasio sit ex causa, ex qua caput incaluerit, indeq; & attraxerit & receperit ab inferioribus partibus materiam, ad hunc morbum causandum aptam.

Hæc tamen curatio satis imperfecta est, quoniam vniuersali totius corporis euacuatione eget, desiderans multa ad materiam peccantem reuellendam, diuertendam, præparandam, euacuandam, resoluendam, facientia.

Angina.

48 *Febri corripit, & dolor capitis, & maxillæ intumescunt, & sputum difficulter deglutit. Expuit autem & salinas duras ac paucas, & infra in faucibus stertit, & si apprehensa lingua inspexeris, gurgulio non magnus est, sed mollis. Fauces autem intrinsecus viscosa saliua plena sunt, & non potest excreare & decumbere non sustinet, verum si decumbat, suffocatur.*

ANGINÆ quatuor esse species, differentiam à diuersitate loci patientis sumentes declarauimus. Huius curationem traditurus Hippocrates tripli-

triplicem eam ponit, non prædicta ratione, sed ex causa, modo, & terminatione differentem. Prima enim fit à sanguine crudiori & magis pituitoso, occupat magis partes exteriores quam interiores, in ea vel minima, vel nulla est excreatio, tanta est viarum angustia, & tanta est respirandi difficultas, vt decumbere nequeant, vel decumbentes suffocentur, & terminat vel ad interitum ægrotantis per suffocationem, vel ad salutem conuersa exterius inflammatione ad pectus. Secunda autem fit à sanguine calidiori, occupat magis partes intimiores, quam exteriores, in ea multa & crassa saliua expuitur, loquela impeditur, facilior est decubitus, & vbi per suffocationem non interimat patientem, solet terminari facta permutatione vel ad collum, vel exterius ad pectus, vel ad intra (qui est casus admodum discrimine plenus) ad pulmonem. Tertia fit ab vtroq; sanguine, partes tantum exteriores, scil. linguæ radicem, & fauces, & tonsillas occupās, saliua nulla expuitur, & in deglutione (tanta est partium dictarum tumefactio) res assumptæ per nares resiliunt, & plerunq; per suffocationem terminari consueuit. De prima autem angina in præsenti textu agens, inquit: hęc ad hanc anginam accidentia, & mala consequi: primo febris corripit, quoniam vi inflammationis partes dictas occupātis, feruor membris spiritualib. ob viciniam communicatur, quo in bis cōcepto statim febris emergit, rigor, quoniam in transmissione materiæ ad hæc loca ea per sensibilia loca permeans, rigorem inducit, dolor capitis, quoniam fit angina commota in capite materia, quæ commotio vt plurimum ortum ducit à causa externa, maxillæ intumescunt, quoniam vt dixi, materia magis recipitur in partes exteriores quam intimiores, cuius merito pars etiam ad maxillas demandatur, sputum difficulter deglutit, nō cedentibus ob inflammationem partibus ad id destinatis, expuit saliuas duras & paucas, scilic. à principio duras quidem, quoniam vi inflammationis incrassantur, paucas autem vel quia multas excreare nequeant, vel quia tota fere materia in substantiam partium inflammatarum insumitur, & infra in faucibus stertit. Nam angustiatis spiritus viis, præsente illa pituitosa & saliuosa materia, omnino & ex necessitate stertor succedit, & si apprehensa lingua inspexeris, gurgulio non magnus est, sed mollis, id est, vt cognoscas hanc deglutiendi difficultatem vere anginam esse, apprehensa lingua inspice, an gurgulio sit in naturali statu. Si enim nec magnus, nec durus sit, certum argumentum habebis, hanc difficultatem ab angina, non ab vuæ inflammatione pendere. Fauces autem intrinsecus saliua viscosa plenæ sunt, quoniam, cum eam deglutire nequeant, ibi retinetur, & non potest excreare, quia facto morbo instrumenta ad hoc facientia ob præsentem inflammationem reluctantur, & decumbere non potest. Nam cum ex inflammatione spiritus via sit angustiata, & ex impotentia deglutiendi & excreandi multa adsit in faucibus viscosa saliua, ex decubitu hinc magis angustiatis, & depressis spiritus viis, in periculum suffocationis deuenit, & ideo iure, vt inquit Hippocrates, si decumbat, suffocatur. Quapropter quæ ad hanc anginam primam sequuntur, mala hæc erunt: febris, rigor, dolor capitis, maxillarum tumor, deglutio impedita, nullo affectu in gurgulione existente, faucium ex saliua viscosa repletio, abolita excreatio, & decumbendi impotentia.

49 ***Hunc si ita affectum deprehenderis, hæc facito. Primum quidem cucurbitas ad verticulum in collo primum affigito: deinde in capite præraso, & iuxta aurem ab vtraque parte apponito. Et vbi cucurbitam affixeris, ad multum tempus adhærere finito. Postea fomentum ipsi ex aceto, nitro, origano, & nasturtii semine adhibeto. Hæc terito, & cum aceto pari aqua permixta diluito, ac parum olei instillato. Deinde in ollulam infusis, operculo addito, arundinem cauam immittito, & prunis imposita feruefacito: & vbi per arundinis fistulam vapor ascenderit, hianti ore vaporem intro trahat, cauens ne fauces adurat. Forinsecus autem spongias aqua calida imbutas, ad genas ac maxillas apponito. Gargarismus porro ipsi parandus est, ex origano, satureia, apio, mentha, & modico nitro, cum aqua mulsa aquosiore, & modico aceto instillato: prædictarum herbarum folia trita, & nitrum in aqua mulsa diluito, tepefacito, ac sic gargarisato. At si saliua supprimatur, myrti ramulum complanatum sumito, & tenera ipsius summa parte incuruata, ac molli lana obuoluta, in fauces immissa, fauces expurgato. Et si venter non egerat, glandem subdito, aut clysterem adhibeto. Sorbeat autem ptisanæ succum, & aquam bibat. Si vero tumor ipsi oboriatur, & ad pectus intumescat, & rubicundus sit, & ardeat, amplior salutis spes est. Facienda vero hæc sunt, postquam inflammatio foras conuersa fuerit, betas in frigidam aquam tinctas apponat, tepidas collutiones ore gargarisato, & ne lauet. Hæc faciens maxime euaserit. Est autem morbus lethalis, & paucissimi euadunt.***

HVIVS anginæ curationem aggrediens Hippocrates, has duas indicationes sibi proponit, scilicet, vt primo materiam fluentem retrahat, fluxam autem, cum sit crassa & viscida, attenuet, repellat, abstergat, & discutiat. Pro prima indicatione mouet cucurbitulas ad primam vertebram, ad caput iam prærasum, & iuxta aures vtrinq; admouendas, & ibidem ad multum temporis, vt diuturna & validior sit retractio, sinendas esse. Pro secunda intentione duo format medicamentorum administrandorum genera, quorum alterum est suffumigium, alterum est gargarisma. Suffumigium ex aceto, quod vim repellendi & incidendi ha-

bet ex nitro, quod & attenuat, & abstergit, ex origano, quod est attenuans & discutiens, & ex nasturtii semine, quod incidendi vim insignem possidet, componitur. His additur ad temperandam omnium prædictorum vehementiam tantundem aquæ, quantum aceti fuerit, quibus parum olei ad leniendam & tollendam nimiam ex validis illis medicamentis irritationem, instilletur. Ex his super prunis feruefactis, & operculo obtectis, per arundinem vapor in os patientis recipiatur, cauendo ne nimis ferueat, & inde adurere queat. Interim autem forinsecus ad leniendum, concoquendum, & discutiendum maxillis & genis admoueantur spongiæ, aqua calida imbutæ. Gargarismus autem formatur ex iisdem, permutato nasturtii semine in satureiam, quæ etiam insigni attenuatione dotata est, superaddito apio ad discussionem, & mētha ad discussionem & repulsionem. Hæc trita in multa aqua fiant, vt mellis sinceri acrimonia euitetur, cui parum aceti ad repellendum instilletur, sunt decoquenda, & inde tepida ad gargarisandum decoctio est administranda. His autem actis, si saliua supprimatur, id est, nec vi aut suffumigii, aut gargarismi educatur, tunc manu à loco affecto separanda & educenda erit, ad hunc assumpto myrti ramulo prius complanato, postea in summa parte incuruato, & molli lana (nos gossypium accipimus) obuoluto. Interim si venter non subeat, aut per suppositorium prouocato, aut per clysterem subluito, solumque ptisanæ succum pro victu, & aquam pro potu, si quid deglutire poterit, exhibeto. Si autem, dum hęc admouentur, fiat permutatio morbi, transmissa ab interioribus partibus ad exteriores materia, vt inde in pectoris partem exteriorem decumbens ibidem tumorem inflammatorium pariat, concepta ampliore de salute ęgrotantis fiducia, hæc agenda esse monet, scilic. vt ad leniendam recentem thoracis inflammationem betas in frigida aqua madefactas admoueamus, balneum, ne ex hoc fundantur materiæ ablegantes, ad discussionem autem præcedentis gargarisma, & collutiones oris tepidas administremus. Quibus actis, maxime confidit Hippocrates, ægrotantes ex hoc morbo, qui adeo lethalis, vt paucissimi ex eo euadant, existit, releuati & sanati posse.

In qua curandi ratione illa cucurbitularum, ad retrahendam materiam fluentē, administrationē non negligendam esse, quoniam multum proficere apta est, moneo; quā tamen non laudo, nisi prius vniuersalia, de quib. hic author parum solicitus, vel ea supponens, vel nihili pendens, fuit, administrentur. Illud autem suffumigium ac gargarisma, licet omnibus iudicationibus satisfacere apta sint, tamen à principio sunt nimis potentia. Quare horum vsum, præterquam in progressu morbi non laudo. Transmissa autem materia ad thoracis partes exteriores, penes me non est tuta illa betarum frigida aqua tinctarum appositio, quoniam lenienda quidem est inflammatio, non tamen per ea, quæ materiam ad intra repellere, & morbum inde sæuiorem causare apta sunt, qualia sunt non tantum potentia; verum etiam actu refrigerantia. Cætera autem omnia obseruanda erunt.

50 *Alia angina. Febris & dolor capitis corripit, & fauces inflammantur, itemque maxillæ: & salinam deglutire non potest. Spuit autem crassam ac multam, & difficulter loquitur.*

HÆc est secunda anginę species, pendens à sanguine calidiori, in qua licet fauces & maxillæ inflammatæ appareant, tamen inflammatio vlterius progrediens partibus etiam penitioribus communicatur. Hinc transglutiendi facultas impeditur, spuit tamen patiens salinam multam & crassam; multam quia membra excretioni demandata minus in hac, quam in priori reluctantur: crassam, quia ab inflammationis feruore torretur, & difficulter loquitur, quia inflammatio penetrans ad partes spirituales, vocem & loquelam tollit.

51 *Cum ita habuerit, primum cucurbitam affigito, eodem modo velut supra dictum. Deinde spongiam aqua calida imbutam, ad collum ac maxillas adhibeto. Aquam autem mulsam aquosam colluendam dato, & succum ptisana sorbere cogito. Si vero ipsi talia facienti salina non exierit, eodem modo velut in priore fomentum adhibeto. At si ad pectus conuertatur inflammatio, aut ad collum, betas aut cucurbitas incisas in frigidam aquam tinctas superimponat, & frigidam aquam bibat, quo salina facilius excreetur. Quum autem ad pectus extumuerit, plerique euadunt. Si vero faucibus ac tumoribus sedatis, morbus ad pulmonem conuersus fuerit, febris statim corripit, & lateris dolor, & vtplurimum moritur, vbi hoc factum fuerit. Si vero quinque dies effugerit, suppuratus fit, si non ipsum statim tussis inuaserit; si vero inuaserit, facta excretione, depurgatus sanus fit. Huic quamdiu dolor latus tenuerit, latus calefaciendum est, & adhibenda, quæ in peripneumonia adhiberi solent. At si quinque dies effugerit, & febris remiserit, tussis autem remanserit, primis quidem diebus sorbitionibus vtatur. Postquam autem cibos sumere inceperit, quam pinguissimos, ac maxime salsos edat. Quod si tussis non affuerit, nimirum suppuratum fieri scito, & vbi cœnauit, quum dormire volet, allium edat crudum quamplurimum, & insuper vinum bibat vinosum meracius. Et si quidem ita pus eruperit, bene habet: sin minus, postridie calida loco suffitum adhibeto, & si eruperit, velut suppuratum curato.*

CONSI-

CONSIMILEM prædictæ curationem tradit, verum quoniam materia est calidior, nec est ita crassa, vt in præcedenti casu, pro rettactione vtens cucurbitulis, vt & à principio solis laxantib. & côcoquétib. spongiam aqua calida ad collum ac maxillas adhibet, aquam antem mulsam aquosam ad colluendum & gargarisandum dat. Et quoniam in hac est maior quam in priori deglutiendi difficultas, cum in hac morbus penitius descendat, vbi pro victu dixit, in præcedenti sorbeat succũ ptisanæ, hic inquit, & succum prisanæ sorbere cogito, per hunc conatum maiorem deglutiendi difficultatem insinuans. Quibus actis, si morbus non cedat, nec salius excreetur, iubet supradicta tum suffumigia, tum gargarismata tanquam in contumaci casu administranda esse. At si facta permutatione inflammatio aut ad collum, aut ad pectus conuertatur, monet, vt in priori casu betas aut cucurbitas concisas & in frigida aqua tinctas esse superimponendas. Quoniam antem in hac angina est maior fetuor, quam in priori, ideo cum in priori tepidas collutiones ad gargarisandum ordinauerit, in hoc frigida actu aqua vtitur, quoniam ex hac feruore magis lenito facilius excreatur saliua. Quo casu solent patientes plerunque à morbo euadere. Si vero faucium & gutturis inflammatione sedata morbus non ad extra, sed intra ad pulmonem, qui casus in hac angina est facilis, cum inflammario partes intimiores attingat, conuertatur, febris maior, & lateris dolor corripit, indeque mors vtplurimum quinta die sequitur; cui si patiens superuiuat, suppuratus euadit, nisi tussis statim ipsum inuaserit, & morbum simul purgauerit. Hunc quamdiu dolor tenuerit, fouendum, & ratione pulmonis affecti ea, quæ in peripneumonia admouenda sunt, administranda esse monet. At si ita curatus quinque dies effugerit, & interim febris remittat, & tussis molester, primis diebus sorbitionibus vtendum esse docet, à quibus cibos quam pinguissimos, & maxime salsos tradit. Sed ad quam intentionem? pingues ad concoquendam, salsos ad erumpendam suppurationem præbet. Quod si tussis non adsit, cuius violentia facilior editur eruptio, suppuratio nihilominus existat, ad tussim procutandam, & eruptionem irritandam à cœna allium plurimum edendum, & vinum vinosum ac meracum bibendum esse monet. Quibus actis si pus erumpat, bene habet; sin minus, postridie adhibito ad laxâdum balneo, suffiatur suffumigio per os assumpto, q & tussim proritare, & eruptionem causare queat. Facta autem eruptione, patiens vt suppuratus curandus erit. Qualis autem & quæ his curatio debeatur, in commentario primi libri explicatum est. At de hac secunda specie anginæ, quæ sedata fit permutatio inflammationis ad pulmonem, animaduerto hanc fieri transmutationem non translata à faucibus ad pulmonem immediate materia, sed in hac fieri eum motu, qui in erysipelate exterior fieri solet, qui vnicum membrum occupans à parte in partem per quandam contiguitatem, ac si serpat, permeat, & circumfertur. Nam in hac angina, quæ vt dixi, occupans quidem faucium quoquo pacto partes exteriores, tamen magis apprehendit interiores, ab his interioribus per contiguitatem loci serpens ad magis intimas, primo membranam internam asperæ arteriæ peruadit, demum ab hac ad pulmonem transfertur. Quo casu succedente, sentiunt sane patientes faucium inflammationem sedati, & deglutiendi difficultatem tolli, nihilominus ad medium thoracis, & ad vertebras inter spatulas existentes, sentiunt angustia & grauitate se deprehendi, quæ sensatio postea penitus aufertur, vbi ad pulmonem tota fuerit conuersa & transmissa materia. Tunc autem morbo acuto acutus morbus succedens lethalem portendit casum, ex quo patientes vel in quinque, vt hoc in loco habetur, vel in septem, vt lib. 5. aph. 10. scriptum est, diebus pereunt. Quod si hos dies effugiant, quemadmodum hic, & ibi monet Hippocrates, suppurantur. Quæ suppuratio ad acutum morbum subsequens, æque ac cæteræ omnes ad huiusce modi morbos succedentes, admodum lethalis existit.

52 *Alia angina. Linguæ posterior pars inflammatur, itemque locus sub tonsillis ad guttur, & neq; saliuam, neq; quicquam aliud deglutire potest. Si vero coactus fuerit, per nares ipsi effluit.*

HÆc est tertia secundum Hippocratem anginæ species, pendens ex inflammatione partis posterioris linguæ, & pariter earum glandularum, quæ ad radicem eius sitæ sunt, ob contiguitatem enim vtriusque eadem communicatur inflammatio. Hinc tanta his partibus angustia, & ad motum difficultas infertur, vt quid neq; excreare, neque deglutire possint, & si ad hæc peragenda cogantur, materia per nares his effluit.

53 *Quum ita habuerit, mentham viridem tritam, apium, origanum, & nitrum, & rhoem rubrum melle diluito, & ad crassam formam redacta, intus lingua, qua parte tumet, illinito. Postea ficus aqua coquito, & de rhoe parum tritum hoc ficuum decocto diluito, ad gargarisandum dato, si id potest: sin minus, colluendum. Bibendam vero aquam de farina crassa in ipsa macerata exhibeto. Foris autem ceruicem & maxillas farina calida in vino & oleo cocta integito, & panes calidos apponito. Suppuratur enim plerunque in loco sub tonsillis, & si quidem sua sponte eruperit, sanus fit. Si vero non rumpitur, vbi digito contigeris, an molle sit, ferramento acuto ad digitum alligato, perforato. His adhibitis multi sani fiunt. Est autem hic morbus minime lethalis.*

FACTA hac angina ex radicis linguæ & glandularum ad eam sitarum inflammatione, sibi hæc proponit iudicationem Hippocrates, vt primo

materiam fluentem repellat, fluxam concoquat, extergat, & discutiat. Secundo autem, vt si ea prima curandi ratione non tollatur morbus, inflammationem ad suppurationem, qua erumpente solutio morbi expectanda est, deducat. Pro prima intentione linimentum, ex quo pars affecta illinitur, componit, formatum ad repellendum ex rhoe & mentha, ad concoquendum ex apio, ad extergendum & discutiendum ex nitro & origano melle dilutis, & subinde ad inflammationem leniendam, & ad materiam simul repellendam, (semper enim repellentia his medicamentis admiscenda sunt) iubet os in minori angustia gargarisandum, in maiori colluendum esse caricarum decocto, cui parum de rhoe trito fuerit adiectum, & pro potu ad temperandum inflammationis feruorem, aquã de farina crassa in aqua macerata ebibendam esse. Ex his si non discutiatur, sed ad suppurationem vergat inflammatio, monet eam adiuuandam, & procurandam esse, admoto ad ceruicem & maxillas emplastro ad id faciente, ex farina in vino & oleo cocta formato, simulque panes calidos, cum horum sit calor naturali satis conformis, & ideo ad suppurationem aptus, ad easdem partes apponendos esse. Ex his sub consiliis solet inflammatio suppurari, quæ si sponte erumpat, soluitur morbus, sin minus, deprehensus ex tactu locus suppuratus, qui mollitie superinducta agnoscitur, ferramento acuto ad digitum obligato, perforetur. Ex quo erumpente sanie plurimi sanantur. Sanantur autem, quoniam hic morbus minime omnium dictorum est lethalis, cum partes spirituales non attingat, & sępius vel sponte vel arte ad suppurationem non multo cum negotio deducatur. Dixit autem Hippocrates, multos ex hoc morbo sanari, non autem omnes, quoniam suppurante hac inflammatione, si pus sit laudabile, nec multa sit corruptio partis affectæ, leui negocio sanantur. At vbi pus sit prauum in colore, in odore, ac in substantia, & multa sit partis affectæ corruptio, quam huiuscemodi pus attestabitur, casus est lethalis.

Ex hoc autem processu Hippocratis pateat, quæ sint eæ anginæ, quæ ad suppurationem deueniant, cum non omnes ad hanc vergant; quæ enim musculos laryngis attingunt, rarissime aut nunquam suppurant, quæ autem faucium musculos deprehendunt, raro suppurationem ineunt. At hæc tertia Hippocratis angina, quæ non exquisita angina dici potest, sæpissime per suppurationem terminatur. Quam suppurationem, vbi sponte non erumpat pus, monet ferro aperiri: at nos sæpius candela admota eam pus eructantem vidimus.

De sufficientia autem curationis nihil dicam, cum anginę curatio ab omnibus scribentibus exquisite tractetur, & cum superius monuerim, hunc authorem vniuersalium euacuationum, quæ in hisce morbis prorsus necessariæ existunt, nunquam solicitum fuisse, aut de eis verba fecisse.

Vua morbus.

54 *Si vua morbus in faucibus fiat, summa gurgulionis pars aqua impletur, ac rotunda fit, ac pellucida, & spirationem intercipit. Et si maxillæ ab vtraque parte inflammatæ fuerint, suffocatur. Si vero ipse morbus per se consistat, maxillis non inflammatis, minus moritur.*

QVOMODO gurgulio, & ea qua fluxione inflammetur, & quæ ad eius inflammationem immineant discrimina, & quali ratione hæc tollenda sint, superius textu 15. declarauimus. Quo loci per vuam huius partis inflammationem ad mentem authoris intelligendam esse, monuimus. Qui idem author, hoc in loco vuæ significatum ad alterum gurgulionis affectum extendens, duo vuæ genera esse insinuat, alterum cum gurgulio ea fluxione frigida, pituitosa & aquosa intumescens, rotundus fit, & pellucidus, alterum cum ex fluxione sanguinea vua cum circumstantibus partibus inflammatur. Primus casus, licet in eo spiratio ob gurgulionem, caput laryngis ratione magnitudinis auctæ comprimentem, quodammodo lædatur, non tamen ex se est periculosus, aut lethalis, cum morbus à materia frigida pendeat, nec partes circumstantes afficiat. Secundus autem, quoniam ea discrimina, de quibus superius citato loco egimus, affert, est admodum periculi plenus, cum hinc suffocatio & mors succedere queat. Animaduerto autem latinam translationem in sermone primi casus inconuenienter legere, minus moritur, quasi comparatiue loquens ex eo etiam mori ægrotantes, insinuet. At sicuti hoc falsum est, ita etiam eum absoluta negatione hoc asseratur ab Hippocrate scriptum, qui dixit: οὔτοι ἀποθνήσκει, id est, nequaquam moritur.

55 *Quum ita habuerit, gurgulionem digito apprehensum sursum ad palatum apprimito, & summam ipsius partem præsecato. Postea foliorum hortensium condimentariorum decoctum gargarisandum dato, & farinam frigidam deligendam, aquamq́; insuper bibendam, & ne lauet.*

CVRATIONEM vuę traditurus Hippocrates, eam, in qua gurgulio intumescens fit rotundus & pellucidus, cum ex ea nullus pereat, nihili pendens, docet tantum curare illam, in qua gurgulio ea fluxione sanguinea vna cum partibus circumstantibus inflammatur. Quo casu suffocationis periculum imminente, monet, hanc digito apprehensam sursum ad palatum apprimendam, & summam ipsius partem pręsecandam, & postea condimentariorum hortensium decoctum gargarisandum, & farinam frigidam, id est, aqua frigida maceratam deligendam, & aquam insuper bibendam esse. Sed qua ratione, & ad quam intentionem hæc ab Hippocrate demandantur? Docuerat superius textu decimoquinto, gurgu-

gurgulionem, vbi supra modum inflammetur, nigrescere: eo autem nigrescente cum sic ad gangrænam vergat, statim secandum esse, alias omnes circumstantes partes inde male affici, hominemque subinde suffocari monet. Vt igitur hoc periculum præcaueat, hoc in loco, quomodo sectio sit administranda, docet. Inquit autem, digito partem affectam, antequam secetur, apprimendam esse, vt in hac compressione gurgulio magis elongetur, & pars secanda magis à parte superiori distet. Monet autem, non totum gurgulionem, sed summam eius partem tantum abscindendam esse, quoniam huius partis vsum & substantiam conseruare intendit, contentus vt ex eo fluat sanguis, qui ipsum gurgulionem, & partes circumstantes male afficiens posset gangrænare partes affectas, & hominem suffocare. A sectione autem iubet condimentariorum hortensium decoctum gargarisandum, quoniã ex his sperat sanguinem sistere, corruptionem firmare, & inflammationem discutere, vbi condimentaria hortensia opportuna ad hoc sumantur. Talis erit mentha, saluia, serpillum, quæ quanquam sint calida, tamen sanguinis fluxiones sistunt, & putredines firmant, & addito origano, quod in vuę affectibus multum valet, simul partes inflammatas concoquunt & discutiunt. Ne autem aut propter sectionem, aut propter prædicti medicamenti vsum inflammationis feruor intendatur, iubet farinam aqua frigida maceratam deligendam, & insuper aquam bibendam esse: hæc enim actuali & potentiali frigiditate feruorem conceptum contemperare, & per lentorem farinæ locum affectum obducere & lenire possunt. Dum autem hęc fiunt, & dum morbus instat, monet à balneo abstinendum esse, & hoc, ne ex balneo noua facta humorum fusione, succi denuo ad partem affectam fluentes morbosum affectum adaugeant. Tanta enim erat penes antiquos balnei consuetudo, vt sæpe sit coactus Hippocrates, vbi noxa ab eo sit expectanda, eius mentionem facere, ac eius vsum interdicere, ac prohibere.

His habitis liqueat, an existente gurgulione inflammato, sectio sit ad mentem Hippocratis hoc in loco administranda, an non, vt docet lib. 3. Progn. tex. 23. Quoniam dum à simplici inflammatione detinetur, nec scarificandus, nec secandus est, alias hinc irritata fluxione & affectione maior fatigaret inflammatio, sanguineiq; fluxus ingens immineret discrimen. At vbi vel nigrescat eo ad gangrænã vergente, vel attenuatum in superiori parte tanquam vua perpendat, scarificandus aut secandus venit. Quib. casibus non amplius simplici detinetur inflammatione, cum in primo ad gangrænam tendat, in secundo declinata inflammatione vuam proprie dictam morbum patiatur. In quo vtroque casu ad mentem Hippocratis hic de primo, illic de secundo agentis, sectio aut scarificatio probatur, quæ in pura & simplici inflammatione in Prognosticis ab eo iure merito damnatur. Quare vbique sibi consentiens, nusquam sibi contradicit.

Tonsillæ seu antiades.

56 *Si tonsillæ fiant, intumescunt sub maxillis ab vtraq; parte, & ad contactum durum foris est tuberculum: & gurgulio totus inflammatus est.*

QVi sint antiades, & quid paristhmia, superius text. 16. declaratum est, quo loco etiam explicuimus, quomodo & qua ratione efficiantur, & quod ab Hippocrate hi duo affectus pro vno ponantur, ac simul confundantur. De his autem iterum agens, ad signa & ad mala hos affectus consequentia ibi descripta, hoc vnum addit, quod ad tactum foris durum tuberculum persentitur. Hoc autem tuberculum nihil aliud est, quam glandulæ ipsæ exteriores, vel quæ ad partem laryngis substrantur inflammatæ, ex qua inflammatione tumẽtes præbent tuberculi formam. Quod signum in casu isto est certissimum, cum in antiadibus & paristhmiis semper ad extra persentiantur hę glandulæ tumentes, ac tuberculi vestigium præ se ferentes, & ad compressionem dolentes. Huius ea est causa, quod ex eadem fluxione, quæ oris partes internas infestat, inflammantur.

57 *Cum ita habuerit, immisso digito tonsillas protrudito, ad gurgulionem autem florem æris siccum illinito, & foliorum condimentariorũ hortensiũ decoctum, velut à sole calidũ gargarisandũ dato. Foris qua parte tumor est, hordeaceam farinam in vino & oleo coctam calidam pro cataplasmate apponito. Postquam vero tubercula mollia tibi visa fuerint, intrinsecus ad contactum, scalpello ipsa pertundito. Quædam etiam sua sponte sedantur.*

HIc affectus dupliciter terminari solet, alias per resolutionem, alias per suppurationem. Primus modus secundo est elegibilior, & ideo ad hanc intentionem duo facit. Primo enim immisso digito tonsillas protrudit, vt ex hac attritione liquentur, & emolliantur, liquatæ autem & emollitę facilius discutiantur. Nostrę mulieres hanc curandi formam æmulantes, & tonsillarum dissolutionem & liquationem procurantes, manu pinguedine aliqua illinita, & ab inferis sursum ducta tonsillas leui frictione & compressione contrectant & atterunt, & inde harum sanationem sperant. Secundo autem per medicamenta discussionem tentans interius ad gurgulionem, id est, non gurgulioni, sed versus gurgulionem (πρὸς enim accusatiuo iunctũ motum localem denotat) hoc est, partes gurgulioni à latere circumstantes ære floris illinit, & condimentariorum hortensium decoctum tepidum gargarisandum præbet. Exterius autem, qua parte tumor apparet, emplastrum ex farina hordeacea in vino & oleo cocta calidum apponit. Florem autem æris potissimum ad intra illinit, quoniam astrictione vehementi quam possidet, valide repellit, caliditate discutit, & dissoluit, siccitate tum resoluit, tum quod magis est, putredini, cui hæc loca male affecta valde obnoxia sunt, potenter resistit.

T 3 Nos

Nos alumine ad hæc præstanda, tanquam lenius pharmacum, vel solum vel dilutum assumimus, cauentes laxantia & lenientia medicamenta, tanquam apta puttedinem vel permittere, vel causare. Illud autem decoctum est satis commodum, quoniã, vt superius notaui, omnibus prædictis indicationibus satisfacere potest. Emplastrum etiam illud satis conueniens est, quoniam cum non ex triticea, quale fuit superius, sed ex hordeacea farina sit confectum, potius disessionem quam suppurationem operari valet. His actis, si glandolę & tumores illi fuerint emolliti, morbus declinationem recipit, vel eo discusso, vel loco affecto suppurante. In primo casu nihil medico agendum, quam optimam victus rationem præscribere: in secundo autem locus suppuratus statim ferro aperiendus erit. Nam vbi sponte erumpit, solent subsequi vlcera & putred nes, quæ postea maiori quam antiades fecerint, vrgent molestia ac afflictione.

Tuberculum sub lingua.

58 *Si tuberculum sub lingua, hypoglossis appellatum, fiat, lingua intumescit, & pars sub ipsa ac externa ad tactum dura est, & salinam deglutire non potest.*

SVB lingua fiunt diuersa tumorum genera, quæ sub nomine ranunculi posteriores Græci concludentes, ea communi appellatione batrachia dixerunt. Horum autem alii sunt ædematosi, alii scyrrosi, alii cancrosi, alii pure inflammatorii. De his vltimis agens Hippocrates eos hypoglossis nomine, ac si diceret inflammatio sub lingua, appellat. Ad hos autem tumores, qui aperto ore & lingua eleuata visui patent, insequi hęc monet, scilic. vt lingua intumescat, & pars ei substrata ad tactum de foris dura persentiatur, cuius timoris, & duritiei merito patiens nec salinam ipsam deglutire potest. Hæc autem inde cansantur, quod cum sub lingua multa sint vasa pro ratione partis satis ampla & patentia, quæ potius rationem fungosæ substantię, quam solidæ retineant, hinc fit, vt ea facile copiam materiæ recipiant, eamq; partibus circumstantibus facile communicent. Q ia communicata & lingua tanquam pars superior, & inter medium maxillæ inferioris tanquam pars inferior vna cum tuberculo inflammationem concipiunt.

59 *Quum sic habuerit, spongiam aqua calida imbutam apponito, & hordeaceam farinam vino ac oleo coctam, foris vbi tumor est. Gargariset ficuum decocto, & ne lauet. Postquam autem purulentum factum fuerit, secato. Aliquando vero sua sponte erumpit, & sedatur non sectum. Si vero foras suppurauerit, perurito.*

HIPPOCRATES nec repulsioni, nec repulsioni, sed soli coctioni intentus, facto prius per spongiam aqua calida imbutã fomento, emplastrũ ex farina hordeacea in vino & oleo cocta formatũ exterius apponit. Quib. actis, si tumor nõ discutiatur, sed suppuretur, eũ secare iubet, admonens, q aliquando pus sponte erũpit, nec tamen ex ea eruptione spontanea quid mali succedit, cum tale tumorũ genus quãuis non sectũ, vbi suppurauerit, & sponte eruperit, facile sanetur. Sed quorsum hæc dicit? quoniam ex his tanta imminet vlcerum & putredinis instantia, quanta in faucibus est immenda, cum fauces præ mollitie sint prædictis affectibus magis obnoxiæ, quam partes sub lingua. Si tamen suppuratio sit ingens, nec ad intra os ea erumpat, sed ad extra, tunc timens putredinem, & loci corruptionem, magis vstionem quam sectionem probat.

Tuberculum consistens ad palatum.

60 *Si tuberculum consliterit ad palatum, intumescit, & suppuratur.*

QVANQVAM ad palatum generentur diuersa tuberculorum genera, cum alia in modum carnis supercrescentis, alia in formam alienius tumoris fiant, non de omnibus tamen agit Hippocrates, sed de illis tantum, quæ per loci inflammationem gignuntur. Huiuscemodi autem tubercula inflammatoria fiunt à sanguine potissimum, & ratione partis, & ratione humoris per suppurationem sæpius, quam per resolutionem terminantur. Hinc notat Hippocrates, duo sequi ad hæc tubercula, scilicet quod palatum intumescat, & quod hinc suppuretur. Vbi enim sit inflammatum, necessario tumet, ex facta autem inflammatione facilime & celeberrime suppuratur.

61 *Quum sic habuerit, tuberculum inurito. Vbi vero exierit pus, reliquum illuito primum nitro & aqua calida, deinde vino. Postquam autem elueris, vuam passam albam exemptis vinaceis tritam, in vstura locum indito, & vbi exciderit, vino meraco tepido colluat: & vbi quid edere, aut sorbere velit, spongiam indat, atque hæc faciat, donec sanus fiat.*

HIPPOCRATIS hoc semper fuit antiquum institutum, vt ad ea loca, in quibus putredinem & corruptionem ex suppuratione timeat, inustionem admoueat, eamque cæteris omnibus medicamentis præferat. Quæ suspicio cum sit in tumoribus palati suppurantibus maxima, nam ex loci mollitie, ex continua excrementorum ad hunc fluxione, ex ossium raritate & imbecillitate hic locus, si quis alius puttedini, & corruptioni, vt quotidiana experientia comprobat, & vlcera in lue Gallica euenientia testantur, est obnoxius: ideo iubet Hippocrates statim locum inurendum esse. Ab exustione, vbi pus exierit, locus à sanie abstergendus est, ad quod peragendum primo vtitur aqua calida nitro admista, secundo autem vino, quod vltra abstersionem etiam vlceri siccationem pręstare potest, & maxime conueniens est, cum naturæ & gustui ex morbo infecto sit familiaris. Absterso & abluto vlcere vuam passam albam exemptis acinis tritam in vstu-

in vsturæ locum indit, & vbi exciderit, vino meraco tepido colluit: quæ vicissim agenda & repetenda sunt, quamdiu vlcus sanatum fuerit. Interim autem, dum hæc fiunt, si edere, aut bibere æger voluerit, monet in vsturæ locum spongiam indendā esse, ne cibus aut potus partem affectam tangat, & vt si quid ad eam ex cibo, & potu demandetur, à spongia recipiatur. Quo facto statim spongia eximatur & locus affectus prædictis medicamentis tetractetur.

Ex qua curandi forma animaduerto Hippocratem in maxima sylua medicamentorum ad id facientium summa cum ratione præelegisse, & cæteris omnibus præstantiorem iudicasse vuam passā acinis exemptis tritam, & in formam linamenti admouendam. Nam præter id, quod vua passa alba acinis exemptis trita corruptionem, & putredinē firmare est apta, cuius ratione eam Dioscorides lib. 4. capite quartō, ad epinyctides, ad carbunculos, ad vlcera articulorum corrosiua, & ad gangrænas probat, & Gal. libr. 8. de compos. med. secundum loc. In examine confectionis Cyphoidis eam malignā coercere testatur, est etiam homini familiaris, & gustui suauis, quæ duo in medicamentis stomachicis maxime exoptanda sunt. Animaduerto etiam non omne passularum genus in hunc vsum recipiendum esse, sed solum albas, quales elegit Hipp. & Dioscord. quæ sint adstringentes, vt notauit tum Dioscor. tum Gal. locis citatis, & quæ acinos ex propria natura habeant, vnde omnes ex carne acinos eximendos esse monent. Quapropter ab hoc vsu excludantur passulæ nostræ vulgares, cum careant acinis, & sint dulciores, & omnes aliæ, quæ aut nigræ sint, aut dulcedinem participant; sed solum assumantur albæ, & adstringentes, & quæ ex propria natura acinos habeant. Animaduerto insuper nos loci suppurati inustionem posse potentiali igne, & medicamentis inurentibus, quæ vi siccanti valida polleant, administrare posse, imo testor ego me nunquam ignem actualē ad hanc admouisse, cum tamen igne potentiali, & medicamentis vstoriis siccantibus plerunq; harum partium putredinem, & corruptionem superauerim.

Polypus.

61 *Si polypus fiat in naso, ex medio cartilaginum dependet, veluti gurgulio, & vbi expirationem facit, progreditur foras, & est mollis: vbi vero inspirationem facit, retrocedit, & loquitur obscure, & dum dormit stertit.*

POLYPVS est tumor ad intra narium cauitates subnascens. Pro ratione materiei differūt, quoniā alius fit ab humore pituitoso, alius ab humore melancholico, alius ab vtroque simul mixto. Ab humore pituitoso fiunt molles polypi, qui modo aliquem ichorem, modo nullum refudant; à melancholico fiunt cancrosi, vel ad naturā cancri cum duritie fere lapidea accedentes; à mixta fiunt vel scyrrosi, vel scyrrorum quasi naturam, cum nō sint prorsus molles, referentes. Pro ratione autem loci differunt, quoniam alii adnascuntur vndequaq; narium meatibus, alii tantum ortum ducunt ex inferiori cartilagine, aliiq; partem narium inferiorē solam, alii vero etiam cum inferiori anfractum superiorem occupant. Pro ratione autē formæ, quoniam alii vnica carne, alii multiplici constant, alii tanq̄ gurguliones habent carnes in similitudinem scyrrorum polypi piscis pēdentes, alii autem vnicā habent carnem figura rotundā, alii habent carnem multiplicem, multos cancros æmulantem. De his acturus Hipp. nō eam, quę p medicamenta admota tentatur, sed q̄ per chyrurgicū opus administratur, curationem tradit. Hanc autē tractationē aggrediens à polypo molli eam orditur, qui cum à sanguine pituitoso generationē ducat, magis pgerminat, q̄ quicunq; alius polypus: pituitosum enim nutrimentū partem, in q̄ recipitur, laxat, & eum germinā pducere facit. Si igitur, inquit Hipp. fiat in naso talis polypus, ex medio cartilaginum veluti gurgulio, vel in similitudinē polypi piscis, veluti scyrrus dependet. Qui vbi patiens expirat, foris protruditur, & est mollis ob substantiā fungosam, ex qua consistit. Vbi vero inspirat, retrocedit sicq; vicissim modo foras, modo intro mouetur. Ex hoc patiens, cū hinc narium anfractus obstruantur, obscure loquitur, & cum dormit, stertit, quoniam ex parte interna oris spiritus via præpeditur, adeo, vt cum stertore necessario respirationem ducat. Nam sicuti in his, in quibus ad caput laryngis materia pituitosa in somno firmatur, fit stertor, ex ea spiritus via impedimentum patiente, ita pariter ex hoc polypo molli, qui anfractus superiores & internos occupet, necessario in somno stertor succedit.

63 *Quum si habueris, spongiam in rotundum concisam, & velut spiram factam, lino AEgyptio obuoluito, ac duram efficito: sit autem eius magnitudinis, vt ad nasum quadret. Spongiam vero quadruplici lineo filo deligato, ita vt vnumquodque longitudinem habeat cubitalem. Deinde facto vno ipsorum principio, virgam stanneam tenuem sumito, quæ ad alteram sui partem foramen habeat, & transmisso per foramen filorum principio, virgam in acutam in eis transmittito, & attrahito, donec filorum principium apprehendas. Postea specillo instar vngula bifurcato sub gurgulionem subposito, renitent trahito, donec polypum extraxeris. Postquam vero ipsum extraxeris, & sanguis fluere desierit, siccum linamentum specillo obuolutum indito, & de cætero æris flore in melle cocto, linamentum illine, atque sic in nasum inde. Et vbi iam vlcus curatum fuerit, plumbum efformatū ita vt ad vlcus perueniat, melle illine, & donec sanus fiat, appone.*

POLYPI mollis, & germina tanquā scyrros pendentia habentis, curationem per chyrurgicum opus administrandam instituens, hunc elegantem quidem, sed admodum molestū abscindendi modū tradit, scilicet vt accepta spongia in rotundum

concisa, & in formam spirę, quę ad nasi caulitatem magnitudine, & figura quadret, redacta, eam lino Ægyptio obuoluentes circumducamus, ac duram per huius lini, cum arcte obuolui debeat, circumductionem efficiamus, cuius vtrinque postea filo quadruplicato & cubitali longitudine producto capiti deligemus. Deinde, vt arrepto huius quadruplicati fili altero principio, eoque in foramen acus stanneę, quę alterum caput non acutum, sed obtusum, ne intus adactum perforare possit, habeat, immisso, acum illam stanneam per nares ad os transmittamus, eamque, donec filorum principium appareat possimus apprehendere, attrahamus. Quo apprehenso χηλὴν, id est, forcipem bifurcatã imitar vngulæ non pedestrium, sed volatilium & rapacium animalium formatum (in hoc enim instrumento desideratur cauitas rotunda, per quam attrahi, & retrahi materia ad intra nares immissa queat, quæ rotunditas per vngulas auium tantum, non autem terrestrium figurari potest) sub gurgulionem supponamus, eoque tenitentes, partem illam, per quam spongiæ alterum caput retrahere debemus, adeo fulciamus, & obfirmemus, vt ea in retractione lacerari, aut dilaniari non possit. His peractis, scilicet, fili altero principio apprehenso, & forcipe sub gurgulionem ad tutellam illatũ paratium adacto, quid agendum? Fili principium eo vsque attrahitur, quousque spira illa ex spongia cõcisa, & ratione fili circumducti duriori facta narium cauitates subingressa polybum ipsum vndique contingat. Quo facto, altera manu quadruplici filo interno, altera externo principio arrepto chyrurgus spiram illam ducat, & deducat, & in modum serræ secantis attrahat, & retrahat, quousque polypus laceratus, & dilaniatus penitus abscindatur, & separetur. Hoc autem abscisso & extracto, sanguis fluere sinatur, quoniam hoc plurimum ad loci valetudinem conferet. Firmato vero sanguine monet Hippocrates ad exsiccandum locum, & detergendum à reliquiis polypi à principio μήλην, id est, specillum chyrurgicum ad id opus destinatum lineo velamento circumductũ, nullo vel lenimento, vel medicamento obductum, sed aridum in nares indendum, in posterum autem linamentum ad id effectum siccantissimo pharmaco ex melle, & æris flore composito, quod siccare, extergere, & carnem superfluam & mollem absumere poteft, illiniendum, ac in affectam partem, quamdiu vlcus curetur, imponendum esse. Quo curato, iubet plumbum in modum linamenti ita, vt ad vlcus, id est, ad locum, ex quo polypus germinauerat, peruenire possit, formatum, & melle illitum, donec pars affecta prorsus sanitati test tuatur, apponendum esse. Quod medicamentum sicuti est placidissimum ratione plumbi, ita etiam aptissimum est ad complanandum locum, & ad æquandam cicatricem, quæ vbi inæqualis & aspera obducatur, non solum ex leui occasione vlcerari, & proritari, & inde germinari denuo polypus posset, verum etiã spirationem per nares factam lædere, & patientem continua molestia affligere apta esset. Hæc est polypi huius mollis ex Hippocrate satis elegans curatio, quam æmulantes Paulus & Auic. huic similem tradidere. Quo autem ad Hippocratis literã animaduerto, per linum Ægyptium non esse ad mentem Plinii gossipium audiendum, quoniam Hipp. in hac operatione tria affectans, scilicet & duritiem spiræ, & asperitatem, & robur in attrahendo, & retrahendo, apertissime gossipium, cum his omnibus careat, imo oppositis qualitatib. (est enim molle, lene, & inualidum) dotatum sit, ad hoc ineptum esse, nec per linum Ægyptium hoc intelligendum esse insinuat. Ea propter ego censeo ab Hippocrate in hac operatione aliis præferri linum Ægyptium, vt quod vere sit linum, sed quod vna cum robore etiam sit asperum, vel quia tunc Ægyptii artem elaborandi lini non perfecte callerent, vel quia regio illa tale id proferat.

64 *Alius polypus. Impletur nasus carnibus, & ad contactum caro dura apparet, & per nasum spirare non potest.*

TRADITA mollis polypi, qui ex sanguine pituitoso generationem habet, chyrurgica curatione, ad alterius polypi tractationem descendit, qui ex materia mista, & vtraque crassiori, & viscida pendens, durusque inde euadens, tandem naturam scyrri exquisiti adipiscitur, indeque ad tactum eius moles dura persentitur. Ex qua duritie hoc sequitur, quod non cedente aeri inspirato carne illa dura, spiratio per nares penitus tollatur, vbi ex ea prorsus obstructæ fuerint. Quod accidens in primo polypo non adeiat, quoniam mollis illa caro, licet cauitatem narium expleat, aeri inspirato, & expirato cedit.

65 *Quum sic habuerit, fistula immissa ferramentis tribus, aut quatuor arito, & post vstionem veratrum nigrum tritum iniicito, & postquam cõputruerit ac exciderit caro, linamenta melle illita, cum æris flore indito, & vbi curatum fuerit vlcus, plumbeas massas, siue fistulas melle illitas immittito, donec sanus fiat.*

EXQVISITI scyrri cum nullũ ex medicamentis aut emollientibus, aut discutientibus recipiant subsidium, insanabilesque pro hac parte existant, non alia ratione, vbi non sint partium naturalium passiones, sed supercrescentes & adnascentes tumores fuerint, curari possunt, quam per eorundem totalem remotionem. Quam cum aut ferro aut igne solum consequi valeamus, Hippocrates hoc in loco huius polypi, qui durior existens naturam exquisiti scyrri retinet, curationem tradens, reiecta ob loci incommoditatem illa, quæ ferro tractari posset, eam, quæ igne administranda venit, docet ac explicat. Inquit igitur, quod huiuscemodi polypus hac arte eximendus est, videlicet, vt fistula, per quam ferramenta ignita pertransire, & per quam partes narium circumstantes ab ignis violentia defendi debent, ad intra nares immissa per tria aut quatuor ferramenta candentia polypũ inuramus, ab iniectione autem hellebori nigri radicem tritam ad crustam separandam, & vlcus siccandum

dum insiciamus. Ab belleboro antem vbi computruerit, & exciderit caro, id est, vbi polypi caro, quæ vi admoti ignis in escharam conuersa est, virtute hellebori cõputruerit, id est, maturata, & ad separationem deposita (per putredinem enim mos est Hipp. & antiquioribus, vt alias notaui, intelligere rerum coctionem, & maturationem, quæ in escharis nil aliud est, q̃ eiusdẽ attritio & separatio) & inde separata fuerit, linamenta, qualia in polypo superiori ad siccandum aptissima ex flore æris cum melle illita imponenda sunt. Vbi autem vlcus curatum fuerit, fistulas plumbeas melle illitas ad æquándum, & complanandum vlcus, & ad cicatricem cõuenientem effingendam, donec penitus sanus sit æger, admonendas esse monet.

Ex hac curandi ratione nõ elieiat quis, helleborí nigri radiees vim putrefaciendi possidere. Quia dixerit Hippo. & postquam ex apposito helleboro caro computruerit, tum quoniam non veram putrefactionem, sed crustæ intelligit maturationem, quæ cum sit quædam coctionis species, non sit mirum, si putredo dicatur ab Hipp. qui libro de affect. loquens de lienteris dicebat, in intestinorum leuitate cibi secedunt non putrefacti, id est, non concocti, tum quoniam helleborus, cum ex Galeno sit in tertio gradu calefacientium & siccantium medicamentorum, non vim putrefaciendi, sed potius à putredine præseruandi vim sibi ascisçat. Nam quæ plurimum siccant, putredinem absumpta humiditate, ex cuius abundantia, & non regulata à calore Insito natura putredo ortum ducit, sistere possunt. Hinc helleborus niger, si quid aliud, ossa corrupta, & male affecta desquamat, & separat, eoque ad hoc ego felicissime vtor in corruptionibus ossium capitis, ex lue Gallica succedentibus, quod non vi putrefactoria, sed summe siccanti facere potest. Quod autem inustis ad crustas detrahendas conueniat, hoc inde accidit, quod facultatis est valde extergentis, vt habet Galen. proprio in capite, vnde aphtis, liehenis, psoris, & lepris accommodum est medicamentũ. Per q̃ eandem extersionem aptũ est crustas separare, eas prius vi intensi caloris comminuens. Propter quam eandem rationem potest etiam fistularum callos demere, non quia eos putrefaciat, sed quia eos vi caloris intensi, & in materia tenui fundari comminuens, per vehementem, quã possidet, extersionem, à carne sana separat. Vtrisq; autem, scilicet & crustis, & callis demendis est præter hæc accommodatissimus, quoniam siccatione ingenti, qua dotatus est, dum demit crustam & callum, potest vlcera purgare, & eorum superfluam humiditatem, ac saniem siccare, quæ si sub crusta subnascatur, solet admodum sanationi incommoda esse. Vt igitur hanc saniem absumat, & crustã tollat, suo temperamento satis est commodus helleborus niger. Qui si propria caliditate potest quãdoque carnem mollem, sicuti crustas comminuit, & macerat, liquare, non est tamen, quod eam putrefaciat, cum putredo humido vagante fiat, in hoc autem casu non per humidum vagans, sed per substantiam carnis absũptã fiat liquatio. Si quid autẽ existat, q hanc putrefaciendi vim ab helleboro exclusam attestari possit, hoc vnum erit quod per os exhibitum siue solum, siue aliis rebus admixtũ fuerit, nõ tantũ non inducit putredinem, verũ etiam, si quid putridũ aut corruptum sanguini sit commistũ, id potissimũ educat, cuius merito Aet. inquit: Maxima vero ipsius vis est priuatim educere, si qd corruptoriũ sanguini fuerit admistum. Nec est, q putrefaciendi vim ei inesse, ex eo q carnes animalium, quæ ex sagittis helleboro tinctis, vulnerata perierint, teneriores fiant, coniiciat, tum quia hoc vi caloris fundentis & liquantis causari potest, tum quoniam hoc a propria facultate potuit consequi, qualem plura alia habent, quibus nõ solum tactis, sed etiam appensis carnium maceratio, sicuti de caprifico pater, succedit. Quapropter concludo nec ex Hippocrate, nec ex facultatibus helleborum nigrum consequentibus, posse nos astruere, vim putrefaciendi ei datam esse.

66 *Alius polypus. Intrinsecus ex cartilagine caro rotunda prominet, quæ ad contactũ mollis est.*

DVAS mollium polyporum species curaturus Hipp. de prima, in qua veluti scyrri è naribus per expirationem perpendent, primo egit loco: de secunda autẽ, in qua polypi caro mollior, nec scyrros, nec pendentias habens, sed figura rotunda existens, in altiori, ac penitiori loco mediæ narium cartilagini adnascitur, hoc in loco tractat, quæ à priori nõ materia aut causa, sed loco, & figura tantum differt.

67 *Quum ita habuerit. Chordam nerueam accipito, & facta in ea parua ansula eam tenui filo obligato: deinde alterum principium per ansulam transmittito, alia maiori ansa facta. Postea principium illud per virgam stanneã transmittito. Deinde ansam illam maiorem in nasum indito, & specillo infecto ipsam circum polypum obducito, ac adaptato. & vbi circumsita fuerit, virgam in os transmittito, & arreptam ipsam trahito, eodem modo specillo instar vngula bifurcato supposito sub gurgulionem, ac renitente. Postquam autem extraxeris, curato velut superiorem.*

QVEMADMODVM primã polypi mollis speciem docuit spõgia filo aspero circumuoluta, & per nariũ ad os anfractus tracta eximendam esse: ita pariter hanc secundam mollioris polypi, in quo tenella caro mollior rotunda sublimiores narium meatus occludit, docet simili via demendá esse, scil. formato ex materia nerueæ laqueo, p quem circũligatus, & cõstrictus polypus p meatũ ad fauces è naribus terminantem ad intra os trahatur, & à loco, è quo germinauerit, separetur. Modus autẽ talis e[illegible], q accepta, vt robustior sit, nec facile abrumpatur, nerua & tenuis chorda, quales sunt illæ, q̃ cytharis ad sonũ edendũ adaptãtur, & eius altero cap. duplicato, & filo arcte circũligato remanẽte in summitate duplicationis spto, & in formã laquei, & ansulæ minoris figurato, in hãc ansulã alterũ chordę principium ad effingendã alterã ansulã priori maiorem immit-

emittamus. Postea eandem ansulam maiorem per specillum, qui nec perforare nec secare valeat, polypo circumponamus & adaptemus, deinceps stāneam acum, per quam alterū cordæ neruea principium immiserimus, per nares ad os transmittamus, trahamusque supposito prius specillo, vt in prima curatione dictum est, bifurcato, & ad instar vngulæ formato, nec ad tutelam illarum partium renitente. Hac autem attractione facta, vbi polypos extractus fuerit, monet locum affectum eadē curatione, quam in præcedentibus administrandam esse docuit, tractandum fore, parique ratione vlcus curandum, & cicatricem obducendam fore.

68 *Alius polypus. Intrinsecus circa cartilaginem alicunde durum quid nascitur, & videtur quidem caro esse; si vero ipsum attigeris, strepitum edit, velut lapis.*

POLYPI duriores duorum sunt generum. Alii enim sunt pore scyrrosi, de quibus secundo in loco actum est, alii autem sunt cancrosi, de quibus nunc agitur. Hi autem ab illis differunt colore, quoniam scyrrosi habent carnem, vt plurimum naturali concolorem, cancrosi autem sunt coloris vel punicei, vel subnigri. Differunt etiam figura, quoniam scyrrosi æqualitatem quandam carnis retinent, at cancrosi inæquales omnino sunt, & venas circumstantes tumidas, & renitentes habent. Differunt insuper ex contrectatione, quoniā scyrrosi ex contrectatione nullam inferunt molestiam, at cancrosi, vbi comprimantur, dolent, ac referunt sensum acuum pungentium. Pręter hæc potissimum duritie ipsa, in qua vtriq; communicant, admodum diuersificantur. Nam durities scyrri est contrectabilis, at durities cancri penitus est lapidea, nec vllo pacto est contrectabilis. Hanc vltimā differentiam præcipue in polypo cancroso animaduertens Hippocr. inquit, in eo quid durum circa cartilaginem adnasci, quod licet videatur caro, nihilominus tamen ad contactum refert lapideam duritiem, & percussus stylo, ac si lapis esset, obstrepit, & sonitum illisi lapidis reddit. Quę conditio est ita huic cancro propria, vt non tantum sit ab ea inseparabilis, verum etiam vt supra omnia alia cancrosum polypum attestantia certissimum existat signum.

69 *Quum sic habuerit, fisso per scalpellū naso, expurgato, deinde inurito. Atque hoc facto, nasum rursus consuito, & vlcus curato, linamentum melle illitum indens, & vbi computruerit, æris florem cum melle illinito. Fiat autem curatio plumbeis massis itidem immissis.*

CANCRI solo igne, aut ferro tolluntur, in qua actione si quid morbi facti remanserit, quod aut ferro non fuerit penitus abscissum, aut igne nō omnino superatū, denuo recidiuat cancer, & priori deterior ac sæuior euadit. Hanc recidiuā timens Hipp. in hoc cancroso polypo, & totalem morbi ablationem instanter attendens, & zelans, ne quid residui in tentata curatione supersit, monet ferro nasum primo abscindendum, postea scalpello siccante nares à polypo purgandas, id est, ipsum cancrum ferro abscindendum, & postea locum affectū inurendum esse. Quibus actis nasus consuatur, linimentumque melle ad detrahendam escharam illitum indatur, qua eschara separata, locus affectus æris flore cum melle illinatur, & postea cum plumbeis massis cicatrix obducatur, æquetur, & applanetur. Consutus autem nasus interim medicamentis agglutinantibus appositis sanabitur, totaque simul integra curatio perficietur.

Hanc curandi formam, licet rationabilem, nec vidi, nec audiui ab aliis peractam, tamen eam vti notabilem animaduerto, quam periti chyrurgi, si tamen actionem obire audeant, nō temere aggrediendam esse suadeo, sed præmissis vniuersalibus & admotis, tum per intra os frigidis liquoribus retentis, tum per exteriores locos administratis his, quæ membra circumstantia ab ignis violentia tueri queant, eandē polypi cancrosi curationem, sicuti & cæterorū, qui igne curandi sunt, tractent. Quarum sanationem in nonnullis vidi factam, vi ignis potentialis. Nam admotis causticis, proprie ad id dicatis, & admodum potentibus, inspexi tales polypos penitus superatos fuisse.

70 *Alius polypus. Nascuntur ex obliquo cartilagines in summo, velut cancri parui.*

HIC polypus à priori non differt, nisi ex intensione, ex loco, ex numero, & magnitudine, cum cancrosi vterique sint. Nam præcedens sæuior, in loco magis superno, vnicus & magnus est, ac hic est minus sæuus, in loco infimo, numero plurimus apparet, & magnitudini minor: nam non vnicus videtur tumor, sed plurimus, cum sint veluti cancri parui, & plures. Sed quomodo dicitur polypus, si plures sunt? Hi cancri parui vnicus morbus, qui ob inæqualitatem plurimus videtur, & tubercula minora æmolantur, cum tamen sint præludia, & quasi principium magni cancri. Tamdiu enim hi cancri sunt parui, quamdiu morbus nondum in propriam magnitudinem excreuit.

71 *Omnes autem hos vrere oportet, & post vstionem veratrum inspergere. Postquam autem computruerint, æris flore cum melle expurgare. Curatio autem plumbo immisso fiat.*

EANDEM, quæ in superiori, in hoc requiritur curatio. Quare ad vstionem deueniendum est; nō tamen in hoc scindendus, vt in priori, est nasus, quoniam morbus est in loco magis aperto, & qui igne facillime tractari potest. Vstio autem tractanda, & locus inustus pariter, vti in superioribus, curandus erit, quare pro hac curatione cæterorum polyporum curatio est adeunda.

Icterus.

72 *Color fit niger circa faciem, & maxime circa partes velut in vmbram occultatas, & oculi cum virore pallidi, itemque lingua inferne, & venæ*

sub

sub lingua crassa ac nigra, & est homo sine febre, ac mingit vrinam crassam biliosam.

Icteritia est immutatio coloris totius corporis naturalis ad non naturalem colorem, ex effusione bilis non putrescentis ad partes exteriores, qui color cum sit triplex, triplicem constituit icteritiæ speciem. Nam alia est citrina, alia nigra, alia viridis. Citrina à flaua bile, nigra à nigra bile, seu à succo melancholico, viridis à porracea, & viridi bile gignitur. Citrina & nigra communes causas, viridis particularem & propriã habet. Citrina enim & nigra (nunc de icteritia morbosa, non autem de critica facta natura dominante loquor) ea communi ratione fiunt, vel quia plurimum dictorum succorum generatur, vel quia à corpore non euacuantur. Plurimum flauæ bilis generatur, vel ratione intensi caloris iecoris, vel ratione assumptorũ, quorum natura aut sit calidior, aut facile vertatur in bilem, vel ratione externorum, qualia sunt exercitia immoderata, æstuaria, aer calidior ambiens, & similia. Non euacuatur autem, vel ratione imbecillitatis iecoris, cuius officium est bilem ad proprium vas transmittere, vti fit in his, qui ad hydropem tendunt, vel ratione imbecillitatis vesicæ fellis attrahere non potentis, vel ratione meatuum dictæ vesicæ, siue sit ille, per quem recipit à iecore, siue sit ille per quem eructat bilem in intestina, obstructorum. Plurimum vero bilis nigræ generatur, vel ratione iecoris, admodum succos adurentis, vel ratione assumptorũ, qualia sunt vina nigra, & crassa, pisces saliti, brassicæ, & similia. Non euacuatur autem vel ratione imbecillitatis lienis non attrahentis, vel ratione eiusdẽ obstructi, vel ratione meatus, per quem transmittitur succus melancholicus ad fundum ventriculi occlusi. Viridis autem hanc particularem habet causam, vt solum fiat ex venenatis, vel pharmacis, vel ictibus, vel morsibus. Hæcq; sæpius pendet ex causa externa, sicuti citrina ex hepatis, nigra vero ex lienis affectib. ortũ ducit. Ad quem sensum dicebat Hipp. libr. 2. Epid. sect. p. versus finem, & icteri ab hepate in subcandidũ, & aqua inter cutẽ laborantes, & leucophlegmatici, qui autem à splene nigriores & hydropes, & icteri. Ab his autem nigrioribus icteris, de morbo regio acturus, tractationẽ ordiens inquit. In his tum facies, tum partes reliqui corporis, quæ aspectui non sunt expositæ sed tectæ, colore nigro inficiuntur, & iure, cum talis icteritia fiat ex effusione melancholici humoris, seu bilis nigræ ad partes corporis exteriores, oculi euadunt χλωροὶ, id est, ad quandam fuscedinem vergunt; chlorus enim color est medius inter flauum & viridem. Hanc vocẽ isti interpretãtur cum virore pallidi, qui color licet quandã fuscedinem repræsentet, non tamen ita est niger, sicuti in reliquis corporis partib. esse potest, cum succi melancholici qualitas refragatur ex albedine adnatæ tunicæ, q̃ cum sit alba ex ꝓpria natura, nõ potest ęquali nigredine cum cæteris partibus colorari. At lingua in eius inferna parte, cũ venis scateat, quæ etiã in naturali statu existentes sunt nigriores partibus circumstantibus, colore nigro cæteris mẽbris refuso ad eam succo melancholico magis coloratur, venæq; ei substratæ crassę & nigrę admodũ apparent. Hęc coloris immutatio ad nigrũ fit sine febre, quoniam humor effusus est frigidus, nullã participans putredinem, & quoniã ab eo non expurgantur vasa, quia lien ipsum vel non attrahat, vel nõ recipiat, necessario lotium ab eo immutatur ad crassitiẽ quidẽ, quia humor peccans est crassior, sed & ad nigredinẽ quandam, q̃ (per vocẽ biliosam intelligens bilem nigrã) denotauit. Nam cum lotium qualitatem humorũ attestetur, omnino in hac icteritia lotium erit crassum, & fuscum.

3 *Cum ita habuerit, primum venas sub lingua secato, deinde calida multa loto, asphodeli radices bibendas ieiuno dato, ita vt aquales quinq; radices depurgatas in vino coquas, & apii foliorũ, quantum manus plena capit, addas. Affundito autem vini dulcis tres heminas dimidiatas AEginenses, vt à coctura semihemina supersit, Hoc permixtũ bibendum dato. Postquam autẽ minxerit, cibis aluum subeuntibus vtatur, & à cibo cicer albũ edat, & vinum album multũ aquosum bibat, & apiũ ac porrum in cibo edat. Faciat autẽ hæc per dies septẽ, & si quidẽ in his color probe depurgatus tibi visus esse fuerit, bene est, sin minus, etiã alios tres hæc faciat. Postea interposita vna atq; altera die medicamentum ad nares apponito. Deinde pharmacũ deorsum purgans bibendum dato, à quo bilis purgatur. Et si nõ splenicus fuerit, asininũ lac, aut serum postea exhibeto. Hæc faciens sanum effices.*

Hipp. icteritiam nigrã curaturus, magis respiciens affectũ factum, q̃ ipsius affectus causam, eo dirigit intentionem suam, vt bilem nigrã ad circumstantes corporis partes effusam partim discutiat, partim etiã sensibiliter euacuet, simul euacuando eam, q̃ in venis retenta, & impurgata fouere affectum factũ est apta. Eaꝓpter venis sub lingua, q̃ copiam dicti humoris faciẽ præcipue nigro colore inficientis præ se ferunt, primo sectis, monet patientem ad balneum deducendum, ibidemq; multa & copiosa aqua calida lauandũ esse. Sed ad q̃ intentionem balneum inducit? Balneũ humectat, fundit, laxat, & lotii prouocationẽ iuuat. Ratione humectationis multũ prodesse potest, quoniam cum nigra bilis sit humor siccus, admodũ, si excretioni aut discussioni præparãdus est, prius humectari debet. Ratione fusionis etiã multum cõferre aptũ est, quoniã cum hic humor sit terrestris, & resolutioni ac fluxioni ratione terrestreitatis maxime reluctetur, debet fundi, vt facile aut discuti, aut euacuari possit. Ratione autem laxationis multum iuuare valet, quoniam habitum corporis laxans patefacit vias ad excretionẽ, & ad discussionẽ facilitandam. Ea vero ratione, qua lotii prouocationẽ facilitat, admodum in hoc casu conueniens erit, cum venę à bile nigra in eis cumulata, per ꝓuocantia lotiũ potissimum sint expurgandæ. Ad quam intentionem à balneo exhibendũ esse medicamentũ diureticũ,

quod

quod & simul succum melancholicum diluere & ad euacuationem facilitare potest, monet. Tale autem est medicamentũ ex asphodeli radicibus, quæ vim attenuandi, extergendi, & lotium prouocandi habent, hac arte paratũ. Sumantur asphodeli quinque radices à cortice depurgatæ, & æquali magnitudine existentes, quibus manipulus foliorũ apii, quod est etiam potenter diureticum, addatur. Hæc in vino, non in aqua, quoniam humor purgandus est frigidus, decoquantur. Vinum autem hoc sit album, vt lotium magis prouocare queat, & dulce existat, vt ratione dulcedinis, præterquam quod medicamenti insuauitatem remittet, hunc terrestrem humorem diluere, humectare, & valde contemperare possit. Nam mirum est, quantum humor melancholicus à vino dulci diluatur, humectetur, & contemperetur. Huius vini ea sit mensura, vt tres semicotylæ inquit Hipp. assumantur, quæ tamdiu bulliant, vt vna semicotyla supersit, id est, bulliant ad consummationẽ duarum partium, ita vt tertia totius vini pars à coctura relinquatur. Quare cum cotyla, id est, hemina vini pendeat vncias decem, & tres semicotylæ sint tres semiheminæ ad hoc in totum sint assumendæ, quindecim vini vnciæ accipiendæ erunt, ex quibus cum semihemina, id est, tertia pars à coctura superesse debeat, tantum quinq; huius decoctionis vnciæ facta ebullitione remanebunt. Quæ decoctio cum ad prænarratas indicationes sit valde potens, vt admodũ rationabilis, facta colatura exhibeatur. Hac data subiungit Hipp. postquam minxerit, id est, post exhibitam hanc decoctionem, vbi æger per lotium materiam peccantem, & bilem ipsam nigram excreuerit, cibis aluum subeuntibus, id est, deorsum facile descendentibus, vt viæ cõmunes emundentur, vtatur, à quibus cibis, cum hi in prima mensa sumendi veniant, cicer album ad eandem intentionem prouocandi lotium, edat, & vinum album, quoniam nigrum melancholicum succum adauget, multum, vt humorem peccantem valde diluat, aquosum, vt facilius id vias lotii permeare, & vrinam prouocare possit, bibat, & cum cibo apium ad lotii prouocationem manutenendam, ac porrum ad terrestrem & crassum humorem tenuandum, comedat. Hæc omnia & singula per septem dies facienda sunt, id est, & decoctum illud per septem continuatos dies summo mane in forma syrupi exhibeatur, & victus ratio præscripta in iisdem diebus obseruetur. Quibus actis, si color emendatus, & ad naturalem immutatus videatur, bene est; sin minus, eadem tum medicamenta, tum victus ratio per alios tres dies repetantur. His actis, interposita vna, atque altera die ad integram oculorum, qui postremo ab hoc nigro colore emundantur, purgationem, ad intra nares medicamentum dato, id est, per nares ad totum errhino, quod humorem peccantem (tale antiquis erat elaterium) euacuare possit, bilem nigram oculi adnatam nigro colore inficientem purgabis. Quibus peractis, ad integram morbi solutionem medicamentũ bilem nigram deorsum purgare aptum exhibebis, & ab exhibito pharmaco ad contemperandum, & ad renutriendum patientis habitum lac, aut serum asininum potandum dabis, nisi patiens sit spleneticus. Nam lac ratione dulcedinis, & serũ ratione aquositatis spleni est infestum, cum ex his maxime intumescat, & maiorem in dies imbecillitatem contrahat. Quo ad hanc curandi rationẽ, illud est aduertendum, quod cum hæc nõ respiciat nisi affectum factum, non causam affectum patientem, ex hac parte est imperfecta, cui attentus sit medicus, qui talem icteritiam sit curaturus, animaduertens, an hæc facta sit, vel quia plurimum bilis nigræ generetur, vel quia non euacuetur. His enim intentus poterit causam cognoscere & abolere, & demum affectum superinductum prædicta curatione summouere.

74 *Alius morbus regius. Febris corripit debilis, & grauitas caput tenet, & quibusdam sane febres cessant: ipse vero fit cum virore pallidus, & maxime oculi, & debilis est, & corporis impotentia adest, & vrinam crassam cum virore pallidam emittit.*

EXPLICATIS signis, & curatione icteritiæ nigræ, descendit ad citrinam, quæ cum sit multiplex, & multiplices habeat causas, non de quacunque, sed de ea tantum agit, quæ vel vitio attractionis vesicæ bilis, vel eius osculo obstructo causatur. Ad has enim solent febres quædam tum leuiores, tum inordinatæ subsequi, caputque in his à bilioso succo grauatur, qui & alias solet ad caput repente surditates, & plura alia mala causare. Totũ corpus citrino, & cum quodam virore pallido colore inficitur, qui potissimum in oculis elucet, cum in hac parte ob albedinem adnatæ maxime talis affectio manifestetur. Languor corporis in his succedit, male hinc affectis spiritibus, tam naturalibus, quã animalibus: vnde quandoque etiam mœstitia, & mœrore indicibili deprehenduntur, vrinaque in his crassa ac fusca, & cum virore pallida mingitur. Nam cum à plurima tingatur bile, non potest non colorari colore admodum intenso, qui quandoq; ad puniceum, quandoque ad valde saturatum colorem flauum vergat. Quæ signa sicuti communia sunt hisce ictericis dictis, ita nõ sunt omnia omnibus propria, cum ex his alia quandoque vt de febre & capitis grauitate patet, adsint, quandoq; autem non adsint, sed sint incerta, & indeterminata.

75 *Hunc calida lauato, & vrinam cientia bibenda dato. Postquam autem purior esse tibi visus fuerit, & color melior apparuerit, medicamentum ad nares appone, & postea deorsum purgans bibendum præbe. Cibis autem vtatur quã mollissimis, vinũ bibat album, dulce, aquosum. Hæc faciens sanus euadit.*

IN hac eadem icteritia, quemadmodum in superiori, nõ attendens Hipp. affectus causam, sed affectum factum conatur materiam cutim colore inficientem, tum per resoluentia discutere, tum per euacuationem purgare. Hinc balneum, & diuretica ad hoc laudat, quæ etiam ad contemperandam

dam materiam, & ad obstructiones tollendas facere poterunt. Ex his vbi fuerit emẽdatus color, medicamentum errhinum ad expurgandum oculos, pbat, deinceps ad integram morbi eradicationem medicamentum bilem electiue purgans exhibet. In cibum autem cibis non tantum simpliciter alvum subeuntibus, verum etiam quam mollissimis, vt inde bilis acrimonia & siccitas retundantur, vtendum esse monet. In potu autem exhibeatur vinum album, vt sit tenuius, dulce, vt magis cõtemperet, & aquosum, vt facilius per lotium purgetur. His factis putauit Hipp. ictericos citrinos posse in pristinam restitui sanitatem. Quam tamen solers medicus affectans, non tantum affectus geniti, sed & antea de causa affectionis sit solicitus, hac enim remota leui negotio deinceps poterit affectum factum amouere.

Febris à bile.

76 *Si bile infestatur homo, febris ipsum corripit quotidie, ac dimittit. Detinet autem maxime in meridie, & os amarum est, & cum sine cibo manet, offendit hoc ipsum. Vbi vero ederit, strangulatur, & à modicis quibusdam cibis impletur, & abominatur, & vomitiones ipsum inuadunt, & ad lumbos ac crura grauitas incumbit, & multum dormit.*

FEBRIVM à bile pendentium aliæ sunt tertianæ intermittentes, aliæ continuæ, aliæ ardentes. Ex his aliæ sunt exquisitæ à pura bile, aliæ non exquisitæ, à miscella aliorum cum bile humorum pendentes. Ex tertianis autem tum intermittentibus, tum cõtinuis, aliæ alternis tantum diebus, alię singulis habent accessiones. Quæ singulis diebus singulas habent accessiones, eas nonnunquam æquales, creberrime inęquales, cum alternis diebus magis ægri affligantur, possident. Ex his aliæ boni, aliæ mali moris existunt, aliæ sunt salubres, quales sunt intermittentes exquisitæ, nullam prauitatem participantes, quas simplici nomine solet appellare Hippocrates tertianas, aliæ periculosæ, quales sunt continuæ, quæ si alternis diebus tantum inualescant, vocantur ab Hipp. lib. p. Epid. sect. 2. text. 25. febres naturam tertianarum referentes: si autem singulis diebus singulas habent accessiones, vel tertianæ duplices, vel duæ tertianæ dicuntur. Cum igitur tot sint febrium à bile pendentium species, de his acturus hoc in loco Hippo. non de omnibus, sed de nonnullis tantum agit, quatuor earum solummodo species explicans, earundemque curationem tradens. Ex quibus prima, quam aggreditur, est tertiana intermittens non exquisita, sed notha, pendens à bile prædominante quidem, sed pituitoso humori admixta. De hac autem agens, inquit, si bile infestatur homo, id est, si bilis putrescat, & ex eius putredine infestet patientem, febris ipsum corripit quotidie, ac dimittit, id est, febris hominem apprehendit, & quocunque die eum apprehenderit, eadem dimittet. Nam illa dictio, quotidie, non significat quotidianas, aut singulis diebus factas accessiones, cum hic de simplici tertiana, quæ alternis tantum affligit diebus, loquatur, vt inferius clare patebit, sed illimitate denotat diem afflictionis, in qua etiam febris dimittit. Hac tertianæ febris intermissione declarata, subiungit Hippo. quasdam ad hanc consequentes conditiones, dicens, detinet autẽ maxime in meridie. Hoc sicuti experimento comprobatur, ita etiam ratione vtplurimum fieri debere demonstrari potest. Nam cum diei partes ad anni tempora, anni tempora ad humores proportionentur, vt ex Hipp. lib. 2. Epid. sect. p. ad principium, & lib. 6. Epi. sect. p. text. 15. & ex Gal. in com. haberi potest, iure merito febris tertiana ad meridiem infestare debet. Matutinum enim tempus veri, in quo sanguis pręddominatur, meridies æstati, in qua bilis, vesper autumno, in quo bilis nigra, nox hyemi, in qua pituita, proportionatur, & in humorum dominio ac motu assimilatur. Si autem meridies æstati comparanda venit, & in vtrisque idem humor abundet & moueatur, nõ abs re erit, vt in meridie febris tertiana potissimum affligat, cum bilis ea diei parte, sicuti in æstate, suum recipiat dominium. Os in hac eadem febre amarum est, nam bile abundante & peccante, & ad os ventriculi vtplurimum regurgitante, os non amarescere non potest: sicuti & non potest non offensa ex eadem ratione sequi, vbi patiens sine cibo maneat, nam bilis ex fame & ieiunio acuitur, & inualescit. Hac autem acriori reddita, & inualescente, os ventriculi non potest non pati, & offensam corpori vniuerso non impartiri. At hi febrientes non tantum à cibi abstinentia, verum etiã à cibo assumpto læduntur. Quare subdit Hipp. vbi vero ederit πνίγεται, hanc vocem interpretantur isti strangulatur: sed hæc interpretatio cum experimento, & veritati refragetur, tertianarii enim à cibo strangulationis periculum haudquaquã incurrunt, reiiciatur. Quare censeo ego cum πνίγω etiam assare significet, vnde πνῖγος, id est, æstus, & incendium dictum, interpretari eam vocem deberi, assatur, quod nos elegantiori vocabulo, & magis proprie possumus dicere, æstuat, quæ rei veritatem repręsentant, cum tertianarii sępe ab assumpto cibo incendium, & æstum magnum persentiant. Et à modicis, quibusdam cibis impletur; nam æstuante ventriculo, tum à cibo, tum à præsenti bile, copioso cibo recipiendo non est habilis, quare de re à modico cibo videtur repleri, & abominatur, supple cibũ, ratio est, quoniã à bile subuertitur & laxatur vẽtriculus, cuius subuersionis & laxationis merito appetentia deperditur, & vomitiones ipsum inuadunt. Nam in accessionum principiis, regurgitante bile ad os ventriculi, facile vomunt, vel ab assumpto cibo ventriculo à bile peccante, & influente resupinato per vomitũ, tum cibaria, tum humorem biliosum, vel purum, vel pituitæ admixtũ excernunt, & ad lumbos ac crura grauitas incumbit. Nam cum febris feruor commoderantiã temperamenti labefactet, inde hinc membra facultatẽ grauare videntur. Præcipue autem ad lumbos, & ad crura hæc grauitas persentitur, quoniam lumbi ex propinquitate venæ, ac arteriæ magnæ ingentẽ recipientes calorem valde laxantur, crura autem,

quæ corpus regere, & stando sustinere debent, debilitantur, vnde tam lumbi, q̃ crura grauari præcipue sentiuntur. Et multum dormit. Hic somnus solet esse à principio, dum humor biliosus à putredinis feruore nondum tantam acquisierit acrimoniam, vt inde cerebri membranas vellicans possit vigilias inducere. Causatur autem ex multa euaporatione crudiori, eleuata ab humore bilioso, qui pituitæ admixtus copiosas mittit ad supernas partes euaporationes, quibus cerebrum irrigatum in somnum procliue est. Cuius merito sæpe videmus in tertianis nothis patientes esse somniculosos, & hoc præcipue, vel in principiis morborũ, dum humores peccantes adhuc sunt crudiores, vel in principiis accessionum, dum facta humorum ad intra cõcentratione, inde incipiente eorundẽ accessione, plurima crudorum vaporum fit ab his & eleuatur exhalatio. Quæ hæc erunt huius febris adnotata signa, intermissio, accessio in meridie, oris amaror, offensa ex inedia, æstus à cibo, repletio à modico alimento, cibi abominatio, vomitus, corporis grauitas, sed præcipue lumborum ac crurũ, & ꝓpensio in somnũ. Quæ signa an sint sufficientia pro huius rei explicatione, non declaro, cũ hęc materia distinctissime à Gal. cæterisq; scribentibus tũ Græcis, tum Arabibus, tum Latinis, exquisitissime fuerit pertractata. Mihi autẽ in hoc sufficiat mentem Hipp. tanq̃ rationabilem significare, & propalare.

77 *Hic si post febrem exudarit frigidum ac multum sudorem, & febre non liberetur, morbum diuturnum sentiet. Si vero non sudarit, citius iudicatur.*

QVANQVAM ea symptomata, quæ docuit superiori textu Hipp. tertianam notham concomitari, naturam bilis, non autẽ pituitæ cõsequãtur, nõ est tamen, quod in ea humor phlegmaticus non peccet, & ad causandã eam nõ concurrat. Cuius si accidentia propria, sicuti ea, quæ sunt bilis, nõ elucescunt, hoc inde accidit, quoniam bilis, cum sit tenuior, & ad motũ promptior, facilius q̃ pituita sua prod t symptomata. In hoc autem sym ptomatum biliosi humoris concursu, si vnum accidat, ꝙ pituitæ abundantiam, & cruditatem insignem arguat, huius febris longitudinẽ prænunciabit. Nam sicuti à tenui, & calido humore fiũt breuiores morbi, ita longi causantur à crassa, frigida, & crudiori materia. Tale symptoma morbi longitudinem arguens, erit, inquit Hipp. si μετὰ τὸ πῦρ (interpretantur isti post febrem, sed male; nam πῦρ ignem denotat, & tertianarii non post febrem, sed declinante febre sudant.) id est, si post ignem (per quẽ ignẽ summum febris vigorem, & ardorẽ intelligit) patiens exudarit frigidum multum sudorem, hoc addito, ꝙ per illum sudorẽ febre non liberetur. Nam talis sudor ratione frigiditatis cruditatem, ratione multitudinis cop am denotans, morbum omnino longiorem futurum esse prænunciabit. Talem autem sudorem post ignem, id est, immediate à summo febris vigore signãter fieri animaduertit, quoniam sudores boni in tertianis consueuere in vltima declinationis parte superuenire, dum penitus febres soluũtur. At huiuscemodi sudores, qui frigidi & copiosi in tali febre apparent, statim post vigorem febris incipiunt, & ante febris integram solutionem sistuntur. Quare duo habent mala, alterum vt tempore conuenienti non prodeant, alterum vt febrem non soluant, quæ de re penitus symptomatici, & simpliciter boni non existunt. Si autem tales sunt, longe melius erit, si non appareant: decretoria enim signa non decernentia grauiora inferunt pericula, si superueniant, quam si nullo modo apparuerint. Qua ratione ductus Hipp. subiungit, si vero non sudarit, citius iudicatur, id est, si in hac tertiana notha non appareat hic sudor frigidus, licet & copia, & cruditate pituita bili admista peccauerit, citius febris iudicabitur, & soluitur, quam si non sudaret, quoniam in hoc casu iudicium est materiam regulari à natura, & concoqui, nec tantam esse eiusdem aut copiam, aut crud tatem, vt inde natura irritata cogatur eam symptomatice per sudorẽ excludere, cuius ratione omnino breuior erit morbus. Quare sudor frigidus & copiosus statim post vigorẽ febris accedens, morbum longiorem fore significabit, hoc superaddito, quod ea tertiana notha, in qua sudor non apparet, erit breuior illa, in qua sudor erumpat, præcipue autem frigidus, & copiosus.

78 *Quum sic habuerit, & ad nonum diem deuenerit, pharmacum dato. Nam si statim à febris initio dederis, postquam purgatus est, febris repetit, & rursus medicamento opus habet. At si os non afficiatur, verum ad imum ventrem tormen irruat, pharmacum deorsum purgans bibendum dato, & postea lac asininum, aut serum, aut aliquem succum. Si vero debilis fuerit, per clysterem subtus eluito. Ante medicamentum vero potionem, si quis febriat, danda est ipsi aqua mulsa aquosa. Altera vero die, qua febris detinet, aquam frigidam, quantum bibere volet, dabit. Vbi vero remiserit febris, ptisanæ succum, aut milium tenue sorbeat, & vinum album odoratum aquosum insuper bibat.*

CVRATVRVS Hippocrat. febrem tertianam notham, pauca admodum ad eam profligandam, notabilia tamẽ, docet. Quorum primum est, vt ante quintam accessionem, quæ nona morbi die futura est, non exhibeatur pharmacum purgans. Ratio est, quoniam ante hoc tempus censet materiam peccantem esse crudam. Quo stante nullo medicamento purgante est tractanda, alias febris ἐπανάληψις, id est, superecrescit iterum, & superapprehendit, quæ si curanda veniat, iterum alio medicamento purgante indigebit. Qua de re tutius est pharmaci exhibitionem ad diem dictam, vt coctio materiei peccantis haberi queat, protogare, & si coctio, cuius ratione purgationẽ tardat ad nonum diem, eo tempore non adsit, eandẽ vlterius protrahere. Per hæc enim insinuat Hipp. materiei coctionem attendendam esse. Alterum est, ꝙ si os nõ affi-

cia-

ciatur, id est, quod in ea occasione, in qua non regurgitante ad ventriculum bile, sed ad intestina, profluente tormina, ex quibus motus materiæ ad inferiora deprehendatur, superueniant, quoniam eo ducere oportet, quo natura vergit, pharmacũ purgans exhibeatur, & postea vel ad pharmaci caliditatem (calidioribus enim & validioribus vtebantur antiqui) & robur remittendum, vel ad tormina lenienda lac asininum, aut serum, aut aliquem succum, qualis esset hordeaceus, ad bibendum tradit. Tertium est, quod si æger sit debilis, pharmacum non exhibeatur, sed solo clysteri subluatur, tum ad demulcendam materiam tormina proritantem, tum ad eam euacuandam. Quartum est, quod antè medicamenti exhibitionem, ad concoquendã materiam peccantem, & ad parandas vias exhibeatur mulsa aquosa, quæ poterit abstergere ratione mellis, sed sit aquosa, ne bilis inde ferueat. Quintum est, quod altera die, qua febris detinet (hic est ille locus, qui clare indicat Hipp. loqui de tertiana, non singulis, sed alternis diebus affligente) aqua frigida pro libitu ad extinguendum febris feruorem tradatur; nam frigida in die accessionis, & in vigore febris est exhibenda. Sextum & vltimum est, quod remittente febre sorbitiones ex hordeo, aut milio sorbendas, & vinum album, odoratum, & aquosum bibendum monet. Nam cedente febre, & declinante morbo, victus augendus est, & vinum, quod ratione albedinis sit tenue, ratione odoris sit spiritibus proportionatum, ratione aquositatis sit debile, dandum erit. Quæ omnia sunt aduertenda, & pro ratione illius seculi, in quo ars medica in cunabulis erat, satis rationabilia, quibus cum plurima alia superaddenda nouerit posteritas, eam pro integra huius febris curatione adeant iuniores.

79 *Si vero febris neq; noctu, neq; interdiu remittat, & ad contactum supernas partes habeat calidas, venter autem & pedes frigidi sunt, & lingua aspera.*

SECVNDA species febrium à bile, quam nunc curaturus est Hipp. est febris ardens cacoethe, id est, maligna. Quod sit ardens attestantur illa duo, primum quod neq; noctu, neq; interdiu remittat, secundum, quod in ea sit lingua aspera. Nam febres biliosæ nullam remissionem recipientes, vbi insigni pollent calore, naturam ardentium seruant. Insignem autem calorem inesse indicat lingua aspera, cum hęc non nisi ab ingenti calore, qui non tantum humiditatem absumere, sed etiã findere partem ipsam possit, causetur. Quod autem sit maligna, clare demonstrat partium superiorum caliditas, inferiorum autem frigiditas. Nam extremorũ refrigeratio non superuenit, vt docet Galen. libr. 4. reg. acut. comm. 16. nisi in causis malignis, qui non alia ratione tales euadunt, nisi aut propter virium languorem, aut phlegmonẽ internum, cuius violentia totus attrahatur sanguis, & spiritus ad partes superiores, ita vt summus calor sit circa caput & thoracem, circa autem ventrem inferiorem sit remissus, crura vero & pedes sint frigida.

80 *Huic medicamentum ne dederis, sed molli infuso per clysterem subluito, & ptisanæ succum bis in die frigidum sorbendum dato, & vinum aquosum insuper bibendum. Reliquo vero tempore aquam frigidissimam bibat. Hic si quidem septima die exsudarit, & febris ipsum dimiserit, bene est, sin minus, decimaquarta die plerunque moritur.*

HIPPOCRATES febrem hanc ardentẽ & malignam curaturus, cum censeat ex languore virium hanc prauitatem, vel ex prauitate languorem subsequi, ad duo dirigit mentem, quorum alterum est, vt vires non subuertat, alterum, vt eas, quantum fieri possit, conuenienti victu manuteneat, hisque paucis contentus rem ipsam totam naturæ beneficio dimittat. Hinc molli clystere ac leniente, non acri, acria enim tum calefaciunt, tum agitant, quæ duo in ardenti febre nocua sunt, subluit, prorsus omne medicamenti purgantis genus reiiciens, partim quoniam ab euacuationibus vires languidæ dissoluuntur, partim quoniam cruda existente materia, quæ cruda non potest nõ esse, dum partium externarum perseuerat frigiditas, indicãs naturam euinci, non dominari, si exhibeatur pharmacum purgans, succedunt tormina, anxietates, vigiliæ, aliaque plurima mala virtutem concutientia. Quapropter his contentus ad ventris purgationem molli vtitur clystere, ne vires iam debiles ex pharmaco labefactet, postmodum vt eas manuteneat, ptisanæ succum ægrotantem nutrit. Si enim vires in hac febre cõstarent, & validę essent, nequaquam sorbitiones ante indicationem cõuenirent, vt docet Hipp. lib. 4. reg. acut. text. 9. In ptisanæ autem exhibitione ad duo intentus, duo agenda esse monet, alterum vt vires conseruet, bis in die eam exhibens, alterum vt incendium internum temperet, eam actu frigidam tradens, cui vinum aquosum superbibendum esse docet, vt virium omnimodã dissolutionem prohibeat. Nam viribus languentibus vinum, quod alias esset perniciosum, ad vires sublenandas, & manutenendas conuenire potest, & maxime vbi sit aquosum; nam tale vinum incendium augere non potest. Reliquo autẽ tempore, id est, extra aut prandii, aut cœnę horam, reliquo intermedio tempore, ad leniendam sitim, & temperandum feruorem, bibat aquam frigidissimam. Hic siquidem septima die, subiungit Hipp. iudicium huius febris declaraturus, sudarit, intellige sudore calido, & copioso, ac febris ipsum dimiserit, id est, soluatur morbus, bene est, sin minus decimaquarta, id est, intra tempus quatuordecim dierum inclusiue, peribit. Ad sciendum est, tales febres non per solum sudorem, sed etiam per fluxum sanguinis è naribus, & quandoque per abscessus, vt habetur lib. 4. reg. acut. text. 10. & 11 solui posse. Hic autem solo sudore contentus solutionem declarauit, sicuti & curationem simplici victu faciendam docuit. Quæ autem præter hæc ad hanc febrem profligandam requirantur, à scribentibus propriis in locis recipiantur.

81 *Alia febris. Foris ad contactum febris debilis est, intrinsecus autem ardet, & lingua ipsius aspera est, & per nares, & per os spirat calidum. Quinta die præcordia dura sunt, & dolor inest, & calor qualis in morbo regio apparet, & crassam ac biliosam vrinam reiicit. Hunc si septima die rigor, & febris vehemens apprehenderit, & exudarit, bene est, sin minus, moritur septima, aut nona. Corripit autem maxime hic morbus, si non annus squalidus fuerit.*

FEBRIVM ardentium à bile duplex solet esse prauitas, altera cũ extrema sunt frigida, thoracis regione costisque summe calentibus, quarum febrium superiori textu curationẽ tradidit, altera cum ad intra existente summo incendio exterius corpus tangenti non admodum calidum, sed tepens, vel mitem habens calorem persentitur, de quibus in præsenti agens, vtramque conditionem in his febribus adesse, ex his clarissime docet. Nam summum incendium ad intra inesse insinuat per illa, cum inquit, intrinsecus autem ardet, lingua est aspera, & per nares, & per os calidum spirat. Mitem autem calorem, ac remissum ad extra ostendit esse, cum inquit, foris ad contactum febris debilis est, id est, calor febrilis ad cutem pertingens non acer, aut mordax, aut intensus, sed remissus, mitis ac debilis apparet. Talis earum febrium ardentiũ, quarum Hipp. libr. 3. Epid. sect. 3. text. 34. meminit, erat natura, cuius merito earundem conditionem explicans dicebat, febris non acuta. Non acuta quidem ad mentem ipsius lib. 6. Epid. sect. p. text. 29. quia nec habent insignem calorem, nec habent caliditatem celeriter manui occurrentem, suumque motum velociter ostendentem, nõ autem ad mentem Gal. qui per hanc vocẽ, acuta, intellexit morbi constitutionem, cum liqueat tales febres omnino, & ex necessitate esse acutas. Hæ autem febres solent vtplurimum in constitutionibus pestilentialibus quales loco citato recensentur ab Hippocrate, vagari; cum tamen etiam quandoque extra hęc tempora appareant. In his autem febribus subiungit, quinta die præcordia dura esse, & biliosam ac crassam vrinam excerni. Quo ad præcordia, nil mirum sit, ea in his febribus affecta esse, cum ad intra, ea summum sit incendium; quod autem dura euadant, non ita liquet, cum durities inflãmatorium tumorem, qui in hisce febribus non est generale accidens, attestetur. Quare per vocem illam σκληρὰ, non dura, sed crassa, ac quasi tumentia ego audio, cum talia apparere soleant in huiusmodi febribus circa quartam hypochondria; nam ratione summi incendii circa viscera humores concentrantur, & inde ea, vt superius declarabam, modo venoso intumescere videntur. Quod cum præcipue circa quartam contingere consueuerit, ideo dixit Hippocrat. in quinta hypochondria σκληρὰ facta esse. Quo autem ad lotium, crassum & biliosum apparere quidem soles eo tempore, cum morbus sit in vigore, sed & eodem tempore in prauis hisce febribus omne aliud praui lotii genus apparere potest. Transacto vigore dum morbus septimam pertingit, inquit Hipp. si eo tempore rigor, qui naturam tentare materiei ad intra vasa existentis ad extra transmissionem iudicabit, patientem apprehenderit, & febris vehemens superuenerit, id est, calor, qui viscera interius torrebat, ad extra prorumpat, ac simul copiosus sudor superaccesserit, bene est, id est, morbus inde soluitur, sin minus, id est, si nec rigor apprehendat, nec calor ad extra prodeat, nec sudor superueniat, septima aut nona, quoniam hinc iudicatur naturam suffocari, moritur. Hæc autem febrium ardentium prauarum, & naturam pestilentium seruantium, species inquit Hipp. corripit maxime, si non annus squalidus fuerit. At si febres ardentes numerantur ab Hipp. lib. 3. Aph. 21. inter morbos æstiuos, quoniam ratione caloris & siccitatis aeris æstiui bilis copiose aggregatur, & aggregata facile accenditur, cur dixit hoc in loco Hippo. febres hasce ardentes, de quibus agit, corripere, si annus non fuerit squalidus, ac diceret in siccioribus constitutionibus has nequaquã contingere posse? Hoc annotauit Hipp. non ardorem febris, sed prauitatẽ respiciens; nam cũ humores & spiritus, vt docet Gal. lib. p. Epid. sect. p. com. 8. proportionentur aeri ambienti, & cum in siccitatibus humores generẽtur synceriores, & magis depurati, spiritusque quasi ætherei euadant, si fiant febres in temporibus siccioribus ardentes, omnino prauitatem nullam participabunt. At vbi annus fuerit non squalidus, sed humidus, humores ad aeris proportionem humiditatem superfluam reseruabunt, & inde putredini prauæ ac corruptioni insigni obnoxii erunt, ex quibus prauam naturam cõsequentes febres malignas procreabunt, quæ febres in cõstitutionibus siccioribus nequaquã vagantur, cum in hisce temporibus omnis superflua humiditas, ratione ambientis, ex superabundanti bile absumatur.

82 *Quum sic habuerit, quotidie calida lauato, aquamque mulsam aquosam multam bibendam dato, & ptisanæ succum frigidum bis in die sorbendum. A sorbitione vero vinum bibat aquosum, album, modicum. Si vero aluus non egerat, clysterem adhibeto, aut glandulam subdito. Cibum autem ne exhibeas, donec febris remittat. Vbi vero sedata fuerit, pharmacum deorsum purgans bibat. Reuertitur enim quandoque morbus, si impurgatus permanserit. Et amplius morbus hic rursus corripit, si sanguis nimium biliosus factus fuerit. Idem morbus rursus corripit, si sanguis maxime bilescat.*

HIPPOCRAT. hanc ardentium febrium speciem curaturus, eo dirigit intentionem suam, vt primo calorem ab intus ad extra prouocet, habitumque corporis ac præcordia laxet, secundo vt humores peccantes temperet, & vires ex hac febre languentes victu conuenienti manuteneat. Ad primum iubet balneum calidum administrari quo-

quotidie. Ad secundum vt bibat mulsam aquosam multam, quæ si sit cocta, vt habetur lib. 4. reg. acut. 5. erit conuenientior, cum mulsa cocta sitim magis leniat, flatu magis careat, & vtinam magis prouocet, quam cruda. Ad tertium bis in die, id est, & in prandio, & in cœna ptisanæ succum frigidum sorbendum, cui vinum album aquosum, & modicum superbibat, tradit, monens insuper, aluo sponte nō egerente, clysterem molle, aut suppositorium adhibendum esse; interim autem, dum febris tenet, nec remittit, à cibis abstinendum esse, per cibos solidos cibos audiens. Nam antiquiores victus rationem in tria diuidebant, scilicet in potiones, in sorbitiones, & cibos. Potiones erant, vti mulsa, oximel, vinum, aqua, & similia. Sorbitiones, vt ptisana, vel ex hordeo, vel ex milio, vel ex lente, vel ex fare, & similibus. Cibi erant vt oua, pisces, caro, & alia his similia. Iubet igitur Hipp. vt ægri in hac febre solis potionibus, aut sorbitionibus contenti, à cibis abstineant, donec febris remiserit. Vbi autem cessauerit, nec amplius affligat hæc febris, præcipit ac iubet corpus pharmaco purganti euacuandum esse. Nam cum in hac febre peccauerint praui ac pernitiosi humores, nulli dubium est, si è corpore non educantur, quin iterum morbus reuertatur, quæ enim relinquuntur post morbos, & præcipue vbi prauam adepti sint naturam, recidiuas facere solent. Quæ recidiua huic morbo facilius succedet, si ex mala victus ratione sanguis supercalescēs magis biliosus fiat, nam concepto calore, & materia ad id parata existente, facile est febrem ardentem iterum renouare. Et hæc pauca sunt ea, quibus contentus Hippo. huius febris curationem tentauit. Ex qua curandi ratione illud maxime aduertendum est, vt in hisce febribus curandis nec corpus impurgatum relinquamus, nec medicamentum electiuum febre vrgente administremus. Sed an hæc curandi ratio ab Hippocrat. pro hac febre proposita sufficiat, ex propriis fontibus & locis habeatur.

83 *Alia. Si tertiana febris tenuerit, si quidem non omissis tribus inuasionibus, quarta corripiat, pharmacum deorsum purgans bibendum dato. Si vero pharmaco non opus habere tibi videatur, radicum quinquefolii tritarum acetabuli mensuram, ex aqua bibendam dato. Si vero neque sic cessat, multa calida loto, trifolium, & silphii succum in vino, pari aqua admixta, bibenda prabeto, & reclinato vestimenta multa integito, donec exsudet. Postquam vero exsudarit, si sitiat polentam cum aqua bibat. Vesperi autem milium coctum tenuem sorbeat, & vinum insuper bibat, donec febris cesset, & cibis quam mollissimis vtatur.*

FEBRIVM à bile pendentium quatuor genera curaturus Hipp. tribus expeditis, ex quibus vnū est tertianæ nothæ, duo ardentium prauitatem habentium, ad quartum descendit, quod est tertianæ simplicis vel exquisitæ, vel ad naturam exquisitæ proxime accedens. Quam febrem ea ratione curat, vt partim empyrice, partim rationabiliter agat, dicens, si tribus accessionibus sibi inuicem succedentibus quarta superueniat, pharmacum deorsum purgans exhibendum esse, vt etiam in tertiana notha iusserat, censens tunc temporis materiam coctionem recepisse, & morbi vigorem superatum esse. Si vero, vel quia æger sit debilis, aut renuat medicamentum, aut materia sit cruda, aut morbus adhuc vigeat, vel quid aliud adsit, quod pharmaci exhibitionem excludat, deueniens ad remedium empyricum potius, quam rationale, monet radicum quinquefolii tritarum acetabuli mensuram ex aqua bibendam esse. Nam antiquiores, nescio qua superstitione ducti, quinquefolio ad eliminandas febres interpolatas, & periodos habentes vtebantur, ad quartanas eo, qui quatuor constet ramolis, ad tertianas qui tribus, ad quotidianas, qui vno tantum, vt refert Diosc. libr. 4. cap. 44. An autem præter hæc, sit etiam rationabile hoc præsidium, si quæratur, dicendum erit non omnino irrationabile esse, cum pentaphylli radix, vt habet Gal. sit maxime siccans, ita vt in tertio exsiccet gradu, & sit partium tenuium sine acredine; quare valde opportunum erit ad discutiendos humores, absque quod calefaciant. Si vero ex hoc non tollatur febris, intentus ad solam sudoris prouocationem, iubet in balneo calidæ aquæ ponendum esse, & à balneo trifolium, scilicet bituminosum, & silphii succum, quæ ambo sunt calida, sed calidius silphium est, cum maxima partium tenuitate, quorum ratione humores diffundere, & ad cutim propellere possunt, exhibendum, postea patientem multis pannis tectum in lecto reclinandum, & reponendum esse, donec exsudauerit. Postquam autem exsudarit, exterso sudore, & curato ægro, si sitiat, polentam, scilicet ex hordeo factam ex aqua, nam ita multum refrigerat, & humectat, bibendam esse monet. Vesperi autem pro cibo iubet sorbitionem ex milio cocto, & multa aqua diluto, vt pariter refrigeret & humectet, nam milii siccitatem copiosa retundit aqua, tradendam, eique vinum (intelligas album & aquosum) superbibendum esse, donec febris cesset. Qua cessante à sorbitionibus ad cibos transeundum est, qui tamen mollissimi sint, id est, actu humidi, & multa aqua diluti, tum vt siccitatem à febre superinductam corrigant, tum vt aluum facilius subeant. Quod præceptum sicuti est particulariter positum in hac febre, ita pari ratione in omni febrium, præcipue calidiorum, genere est obseruandum. Nam his solutis prædictæ rationes militant, & vtrisque præscripta victus ratione est satisfaciendum.

Febris quartana.

84 *Quum febris quartana ex alio morbo non purgatum apprehenderit, pharmacum deorsum purgans bibendum dato. Deinde caput purgato. Postea rursus infra purgato. Si vero his factis non cesset, interpositis duabus inuasionibus,*

post purgationem infernã multa calida ipsum lauato, & seminis hyoscyami milii magnitudinem, & succi silphii trium fabarum magnitudinem, & trifolii tantundem in vino meraco bibat.

SICVTI à billoso succo tertianę, Ita à melancholico pendent quartanę, quę duplices esse solent, sicuti duplex est melancholicus humor, qui cum alias sit pure melancholia fęcalis, alias autem sit succus melancholicus, qui aliquam exustioné senserit, vergatque ad naturam atræ bilis, duplicem solet parere quartanam. A primo enim fiunt illæ quartanæ, quæ cum frigore potius, quam cum rigore accedentes, nisi ex cruditatibus ventriculus grauetur, hypochondriaque sint humoribus inceptis referta, consueuerunt esse satis tolerabiles. At à secundo fiunt eæ, quæ cum rigore vehementi, & maxima corporis concussione accedentes cum incendio satis notabili, ac inquietudine magna patientes excruciant. De his duabus quartanis acturus Hippocrates, primo agit de secunda, secundo de prima tractat. Agens autem de secunda, vt eam insinuet, inquit, quum febris quartana ex alio morbo nō purgatum apprehenderit. Quid autem hoc aliud est, quam si dicat; quum ex aliquo morbo iam soluto, in quo aut propter acutiem, aut propter eius caliditatem humores exustionem passi fuerint, succedat quartana, quia succus melancholicus hanc exustionem perpessus redundaret, qui aut naturæ, aut artis beneficio non fuerit euacuatus, tunc huius humoris euacuationi intentus, pharmacum deorsum purgans dato, deinde caput purgato, postea denuo alterum pharmacum per inferiora euacuans exhibeto. Sed cur à primo pharmaco caput purgat, à capitis autem purgatione alterum exhibet pharmacum? Caput purgat, quoniam existimabant antiqui, cum caput tanquam cucurbitula cætero corpori sit superpositum, indeque plura vel attrahat, vel recipiat, ideo multa suggerere reliquo corpori excrementa, indeque morbos longiores, qualis potissimum est quartana, per multarum superfluitatum transmissionem fouere; quæ vt caueat & prohibeat Hippocrat. monet caput purgandum esse. Ab hoc autem alterum exhibet pharmacum, quoniam si vllus sit in corpore nostro humor, qui euacuantibus præsidiis reluctetur, hoc vnum est melancholicus humor, & ille potissimum, qui exustionem, & ab exustione aliquam prauitatem conceperit. Ad quod respiciens Hippocrates, non vnica purgatione contentus, secundam admonistrandam esse monet. His autem purgationibus factis, si morbus non soluatur, aliam sibi iudicationem exequendam proponit. Nam cum censeat ex purgationibus administratis humorem melancholicum pro maiori parte euacuatum esse, eiusque partem minorem euacuandam superesse, eamque non crassiorem existentem per vniuersum habitum transmissam fuisse, eo dirigit intentionem suam, vt hoc succi melancholici residuum per sudorem excludat. Quapropter contendens sudorem prouocare, materiamque peccantem hac via disperdere, iubet, duab. ad reficiendas vires interpositis inuasionibus, balneo prius ex calida, & copiosa aqua ad laxandum corpus, & fundendas materias administrato, exhibēdum esse in vino meraco medicamentū compositum ex succo silphii, & trifolio asphaltite ad trium fabarū, intellige Ægyptiarum, magnitudinem, quibus seminis hyoscyami, & radicis mandragoræ mensuram parem ad milii magnitudinem vtriusque superaddamus. Sed quæ est huius compositionis ratio? Iam dictum est, trifolium esse calidæ temperaturę, & pariter silphii succum, qui cum etiam sit tenuissimarum partium, potest humores fundere, & ad cutim propellere, indeque sudorem prouocare. His autem, quod non fecit in tertiana, superaddit semen hyoscyami, & mandragoræ, ne ex ingenti prædictorum calore succus melancholicus iam exustionem perpessus superaccendatur, indeque magis exuratur. Quam nouam exustionem suspicans, & timens Hippocrat. ad temperandum trifolii & succi silphii, qui in notabili & magna assumitur quantitate, calorem, addit tanquā contemperantia, semen hyoscyami, & radicem mandragoræ, quæ non apposuit in tertiana, quoniam peccante in ea bile flaua, quę ratione tenuitatis partium prompta est potius discussioni, quam exustioni, non timuit ex medicamento exustionem, quam in succo melancholico propter partium crassitiem reformidat. Quo autem tempore, & an in die inuasionis, an in diebus quietis hæc administranda sint, inferius declarabitur.

85 *At si firmum, & sanum se esse putans, ex lassitudine aut profectione febre correptus, ad quartanam deueniat, fomentis ipsi adhibitis, allium dato in melle tinctum, deinde lenticulæ decoctum bibat, melle & aceto mixtis. Postquam autem repletus fuerit, vomat. Postea calida lotus, vbi frigidus factus fuerit, cyceonem ex aqua bibat, vespere cibis mollibus, & non multis vtatur. Altera vero exacerbatione, vbi multa calida laueris, & stragula ipsi iniexeris, donec exsudet, statim veratri albi radices trium digitorum longitudine, & trifolii drachmam, & succi silphii duarum fabarum magnitudinem, in vino meraco bibat. Et si vomitiones ipsum vrserint, vomat, sin minus, similiter post caput purgatum. Cibis autem vtatur quam mollissimis, & acerrimis. Quum vero exacerbatio ipsum inuaserit, ieiunus medicamentum ne bibat.*

ALTERAM quartanæ febris speciem, ex pura melancholia fæcali pendentem, nunc curate intendit, quæ quoniam abundans est in causa multarum cruditatum, labefactata ex ea ventriculi facultate, ideo quamprimum Hippocrat. monet ad has cruditates, & ad subleuandum ventriculum & hypochondria à superfluis succis incum-

cumbendum esse. Inquit autem, quartanam hanc ea profectione aut ex lassitudine corripere, vt insinuet, hanc non ex alio morbo, per quem melancholicus succus cauri potuerit, succedere, sed ex causa externa, ac procatarctica, quæ peccãti humori potuerit esse putrescendi, & febrẽ accedẽdi occasio, ortum ducere, non quia causa ea procatarctica febrem causet, sed quia ex ea crudus humor potuit accendi, & inde febrem inducere. Qui crudus humor sicuti quiescens, & non agitatus, febrẽ non gignebat, ita semper hypochondria, in quib. recipitur, & ad hanc febrem causandam cumulatur, ac partes circumstantes male afficiens, maiorum cruditatum in causa existit, quę cruditates fouentes eiusdem humoris cruditatem, sibi inuicem opitulantur, & in febre tum causanda, tum fouenda sibi vicissim suffragantur. His igitur cruditatibus attentus Hippocrates, vomitum, vt hinc ventriculus & pręcordia ab his cruditatibus, à quibus fouetur morbus, expurgentur, excitandum esse iubet. Ad excitandum autem hunc vomitum, fomentis ad laxandum ventriculum præmissis, allium in melle tinctum, vt pituitosos succos simul incidat & abstergat, edendum tradit, postea lentis primum decoctum, quod vi abstergente dotatum est, superbibendum monet, melle & aceto (nos oximelite vtimur) mixtis, vt facilius ventriculus subuertatur, qui vbi rebus prædictis, alijsq; cibariis superingestis repletus fuerit, facile vomet. A vomitu balneum æger ingrediatur, & à balneo, vbi refrixerit, & calor ex balneo conceptus in totum remiserit, ad refrigerandum in prandio cyceonem ex aqua bibat. Vespere autem in cœna cibis (quoniam morbus hic diuturnior est, non contentus sorbitionibus ad cibos deuenit) mollibus tamen, quoniam in omni febre victus actu humidus iudicatur, & nõ multis, ne inde nouę cruditates denuo generentur, vtatur. Expurgato autem hinc ventriculo, & præscripta recta victus ratione in die exacerbationis, præmisso balneo ad laxandum corporis habitum, & stragulis multis intecto ægro, vt inde sudor proliciatur, exhibet Hipp. medicamentum promiscuũ, quod scilicet potest vomitum & sudorem prouocare, compositum ex radice hellebori albi triũ digitorum longitudine, & ex trifolii drachma vna, & ex succo silphii duarum fabarum AEgyptiarum magnitudine, quod in vino meraco bibendum erit. In hac autem medicamenti huius ambiguitate inquit: Si vomitiones prævalẽte hellebori facultate vrgeant, vomat, sin minus, id est, si sudor proliciatur, & vomitiones non vrgeant, similiter, id est, repetatur medicamentum, ita vt tandem vomat. Post purgato caput, id est, sicuti dictum est in altera quartana à prima ex pharmaco euacuatione, postea purgandum esse caput; ita pariter ab hac pharmacosi vomitus euacuatione caput purgandum erit. Quo tempore patiens vtatur cibis, primo quidem tum ad faciliorem coctionem, tum ad eam humectationem, cuius ratione in febribus victus ratio actu humida iudicatur, mollissimis, sed etiam, vt cruditates attenuentur & incidantur, ac abstergantur, acerrimis, qualia sunt ea, quæ in ratione attenuantis diętæ recensentur. Quoniam autem talia medicamenta non in diebus minorum accessionum, sed in die exacerbationis sunt exhibenda, quoniam eo tempore agitata materia facilius vomitu reiici & expelli potest, Hippocrates præcipit, bibendum esse prædictum medicamentum ventriculo non ieiuno, id est, à cibis repleto. Nam hinc vomitus facilius excitatur, & facilius pariter toleratur: nam cibus præsens pharmacositati medicamenti reluctans, est in causa, vt ex vomitu minor noxa sequatur. Qui autem hanc sententiam per ea verba transtulerunt, ieiunus medicamentum ne bibat, formant præceptum negatiuum, cauens ne ægri ieiuno ventriculo medicamentum bibant, quod nec literę, nec menti Hippocratis consonat, qui dicens: μὴ νῆστις ἐὼν τὸ φάρμακον πινέτω, id est, non ieiunus existens medicamentum bibat, assertiue iubet medicamentum quidem bibendum esse, at non ieiuno ventriculo. Huius autem præcepti ea est ratio, quoniam in accessionib. à cibo abstinendum est, præterquam si vomitus pharmaco excitari debeat. Quod cum fit in hoc casu, iure non erit à cibo abstinendum, sed eo præassumpto erit superbibendum medicamentum, ex hellebori albi radice compositum. Ex quib. pateat in quartana, si vomitus pharmaco sit excitandus, in die exacerbationis hoc agendum esse. Nam cum in quartana peccet segnis & crassa materia, quæ commotioni medicamentorum valde reluctatur, ea illo tempore, quo agitatur à natura, & à putredine alteratur, euacuanda erit. Quod cum sit tempore exacerbationis, eo tempore etiam erit euacuanda, quod non tantum ratio prædicta, verum etiam experientia ipsa, ex qua nonnullos quartanarios per hellebori exhibitionem sanari, persuadet. Animaduerto tamen, ad hoc subiecto valente & robusto nos indigere, alias non proficuum, sed damnosum esset medicamentum.

Pleuritis.

86 *Pleuritis vbi corripuerit, febris & rigor tenet, & dolor per spinam ad pectus, & erecta ceruicis spiratio, & tussis, & saliua alba, ac subbiliosa, & non facile per tussim reiicit, & per inguina dolor est, & cruentam vrinam mingit. Quum ita habuerit, siquidem febris septima die remiserit, sanus euadit. Si vero non remittat, deuenit morbus ad vndecimum & decimum quartum diem. Et sane multi in his dieb. moriũtur. At si decimũ quartũ transgrediatur, euadit.*

PLEVRITIS, quæ est succingentis costas membranæ inflammatio, alias habet differentias à materia, alias à magnitudine, alias à more. A materia, quoniam alia fit à puro sanguine, alia à sanguine vel bilioso, vel pituitoso, vel melancholico. A magnitudine, quoniam alia est magna, alia est parua: magna, quia inflammatorium, tumorem magnum habet annexum, cæteraque accidentia hunc consequentia magna possidet: parua, quia paruum, & parua habet consequentia accidentia. A more autem, quoniam alia

habet bona, alia mala accidentia. Bona sunt, dolorem leuem esse, & sputum citu sine dolore, ac laudabile excreari: mala vero dolore vehementi cruciari, sputum tarde, cum difficultate & prauum expui. Has pleuritidis differentias attendens Hippocrates, exclusis paruis, agit de magnis, & prætermissis simpliciter pituitosis & melancholicis, tractat de biliosis, ac de sanguineis tantum vel simplicibus, vel ad inicem compositis, hisque potius praua, quam bona accidentia habentibus. Prima autem pleurites, cuius tractationem aggreditur hoc in loco, considerata quoad prædictas differentias, primo est magna, tum quia magna accidentia habet, nam magnum accidens est in pleuritide orthopnæam pati, & non posse, nisi recta ceruice, spirare, tum quia magnum habet tumorem inflammatorium, cuius ratione dolor à spina vsque ad pectus occupat, tum etiam quia coniunctam habet corporis plenitudinem ingentem, quam plenitudinem intellige sanguinis, qui copia & multitudine potest inflammationem fouere & augere, attestatur vrina cruenta, id est, vsq; adeo colorata & crassa, vt sanguinem æmuletur, & dolor per inguina. Nam febre ex pleuritide vrgente, solent vasa maiora, qualia sunt ad inguina, magis æstuare, & inde dolorem causare. Secundo ratione materiæ est subbiliosa, cum miscella pituitæ, cuius merito sputum est album ac subbiliosum. Tertio quoad morem potius ad prauitatem, quam ad benignitatem declinat, cum in hac non facile sputum reiiciatur, superadditis prædictis accidentibus, scilicet & orthopnæa, & dolore in latum locum se extendente. Huic autem pleuritidi rigor accedit, quoniam, vt dictum est in commentatione primi libri pleuritides ortum suum à rigore ducere consueuerunt ex transmissione materiæ in membranam, cui rigori febris succedit, quia inflammatur locus cordi propinquus. Pariterque tussis necesse sequitur, quoniam resudante ex tumore materia, vel tumore ex magnitudine irritante, non potest non subsequi tussis. Quibus signis si Hippocrates pulsus duritiem addidisset, omnia signa proprie pleuritim consequentia clare explicasset, quod nō fecit, quia illius ætatis medici nondum arteriarum motum, & pulsationem integre animaduerterant, nec clare obseruauerant. In hac pleuritide, inquit Hippocrates, huius morbi iudicium designant, si febris in septima, in qua status terminari rationabiliter debent, remiserit, morbus soluetur. Sin minus, morbus ad vndecimam vel decimam quartam pertingit, quam decimam quartam si æger transgrediatur, (intellige cum signis salutaribus) euadet.

87 *Quum ita habuerit, calefactoria adhibeto: bibat autem mel, aquali affuso aceto coctum, ita vt quanta fuerit mensura cocti mellis & aceti, vndeuigesimam partem aquæ affundas. Hoc paulatim & frequenter bibendum dato: & postea quoq; aquam modico aceto affuso admisceto. Sorbeat & milii succum, melle modico adstillato frigidum, quarta hemina paris mensura, quoties vtrunq; cibum sumit, & bibat vinum album vinosum aquosum modicum. Sit autem vinum quam mollissimum, odorem non habens. Vbi vero febris dimiserit, per biduum milium bis in die sorbeat, & betas iucundissime paratas edat. Deinde catulum aut auiculam coquat, & ius sorbeat, & de carnibus parum edat. Reliquo vero tempore maxime quamdiu à morbo tenetur, in prandio milium sumat, vesperi cibis paucissimis ac mollissimis vtatur.*

HIPPOCRATES hanc pleuritidis speciem curaturus, omne euacuantis præsidii genus vel nihili pendens, vel tanquam necessaria supponens, primo intentus dolori, calefactoria in similitudinem eorum, quæ docuit libr. 2. reg. acut. in principio, adhibenda esse iubet, cuius tamen oppositum videtur hic idem author docuisse libr. de Affectiu. cum ibi pleuritidem curans moneat, à principio calefacientia nequaquam admouenda esse, sed eo tempore tantum, quo morbus maturatur. Dicebat enim: Quum autem pus purgari inceperit (per pus non saniem, sed sputum quod coctionem attestetur audiens: nam, vt alias notaui, sæpius Hipp. nomine putredinis coctionem, & nomine puris cocta designat) latus calefacere conducit, & forinsecus maturate ea, quæ circa latus sunt, prius autem hoc facere non expedit. Ad hoc sciendum est, calefacientia lateri dolenti admouenda in duplici esse discrimine: nam alia sunt simpliciter anodyma, alia autem non tantum anodyma, sed & concoquētia & maturantia. Anodyma à principio absq; dubio administrari ad leniendos dolores, & ad aliquā materiæ discussionem possunt, quia cum ingenti calore non sint dotata, & potius laxent quam obstruant, potius lenire, quam attrahere valent: hæcque sunt ea calefacientia, quæ Hipp. tum in lib. acutorum, tum hoc in loco commendat. Concoquentia autem, & maturantia cum non laxare, sed obstruere, cum calorem internum non euaporare, sed fouere & augere apta sint, à principio haudquaquam non conueniunt, quoniam fluxionem eo tempore, & inflammationem adaugerent, itemq; sæuiorem redderent; hęcq; sunt ea, quæ in lib. de affect. damnantur. Quare nulla est contradictio. Quomodo autem anodyma à concoquentib. differant, qui hoc nō nouerit, adeat Gal. lib. de simpl. med. fac. Vt igitur dolor à principio leniatur, monet Hipp. calefacientia, quæ sint anodyma, statim adbibenda esse. His merito doloris admotis, reliquum curæ duplici ratione absoluendum esse, monet. Nam ex altera parte medicamentis opportunis, ex altera recta victus ratione morbo reluctandum esse præcipit. Quo ad medicamenta, iubet pro porione paulatim & frequenter bibendum esse oximel, quod hac ratione parari & dilui debet, videlicet quod accepta pari mellis & aceti mensura, hæc duo simul coquantur, affusa aquæ vndeuigesima, id est, decima nona parte, ita vt vna vncia aquæ

decem

decem nouē vnciis mellis & aceti coctis effundatur, quibus, quoniam vbi hęc cocta fuerint, nō ita fluida sunt, vt facile in potu sumi queant, iubet aquam modico aceto temperatam, id est, poscam aquosissimam esse admiscendam, vt hinc ea materia diluatur, indeq; aquosior facta potabilis euadat. Illa enim verba, hoc paulatim & frequenter bibendum dato, per parenthesin dicta sunt: cætera autem omnia simul connectenda veniunt, quæ omnia acidioris oximellitis probant vsum. Huius oximellitis vsum insinuauit etiam Hippocrates libro citato de Affectionibus, dum curans pleuritidem, inquit: Et potius dandæ sunt acidiores, quo sputum de latere respuetur.

At de acidioribus potionibus, an in pleuritide conueniant, potest esse difficultas, tum quoniam acetum membranis (pleura autem, quæ est membrana, in pleuritide est affecta) infensum est, tum quoniam si acidiores sint potiones, vbi sputum facile non educatur, maius nocumentum sequitur ex viscositate, sputum non excretum insequente, quam iuuamentum ex irritatione mordicationi subsequente. Hinc enim Hip. lib. 3. reg. acu. damnabat oximel admodum acre. Sed forsan in li. de Affect. per potiones acidiores non valde acres intelligebat, sed eas quæ simpliciter acidæ existentes respectu mulsę, & potionum dulcium possunt acidiores appellari, quæ potissimum conuenient in pleuritide à materia pituitosa pendente, quoniā in ea pituitosus humor, vti scutum membranæ adhærens non permittit membranam ab acidis potionibus mordicari. Talis autem cum ex parte existat curanda pleuritis, non sit mirum, si Hip. deuenit ad vsum oximellitis, quod sputum prouocare, non materia peccans per id attenuari, & separari sine mordicatione queat, non autem sputum inuiscare poterit, quod alias faceret altera peccante materia, quoniam ex nimia irritatione spiritus frequentior redderetur, à spiritus autem frequentia calor internus, per quem sputum viscidius euadit, augetur. Hęc autem in præsenti casu succedere nequeunt, tum quoniam materia pituitosa cum biliosa mixta pleuritidem parit, tum quoniā oximel ad hunc vsum posca admodū aquosa, ex quo aciditas remittitur, dilui debet. Et hæc de medicamētis. Quo ad ad victus rationes, monet, exhibendas esse sorbitiones ex milii succo, cui parū mellis frigidum id est, crudum, (illa n. dictio, ψυχρὸν, φ non aduertit interpres, refertur ad mel, nō ad succum milii, qui si frigidus exhiberetur, noxius ratione actualis frigiditatis, quæ pleuriticis est inimica, existeret) crudum, inquam, vt maiorem vim extergendi habeat, admisceatur. Hic autē succus in ea mensura singulo quoq; cibo, id est tam in prādio, quam in cœna, exhibeatur, vt sit quarta pars heminæ. Hemina a. mellis cum ponderet ad ℥. tredecim cum dimidia, & cū succus milii pondere fere mel ipsum æquet, hæc mensura erit, vt pro singula vice exbibeantur huius succi tres vnciæ, vel quid paulo plus. Assumpto autem succo iubet super bibendum esse vinum albū, vinosum, aquosum, modicum, quod vinum sit quam mollissimum, odorem nō habens. At de hac Hipp. sententia triplex est difficultas. Prima est, an deceat pleuriticis tale vinum exhibere, cum inflāmationes internas, si quid aliud, vinum est aptissimum eas protitare, & fluxiones adaugere. Secunda est, an hoc vinum propinandum possit esse vinosum & aquosū simul, quale monet Hip. exhibēdum esse, cum illud dicat vini potentiam, hoc debilitatem. Quare si sit vinosum, quomodo erit aquosum, & si sit aquosum, quomodo erit vinosū? Tertia est, an hoc vinum possit esse mollissimum, & simul vini odorem non habeat. Nam mollia vina nos appellamus dulcia, quæ an vini odore possint priuari, est satis arduum declarare. Ad primam difficultatem nulli dubium est, quin vini omne genus in internis inflammationibus sit ablegandum, dum vigent, quoniam tunc temporis febres sunt ardentiores, fluxiones sunt maiores, & inflammationes feruentiores, quæ omnia ex potu vini exacerbari possunt. At vigore morbi remittente, cum eo tempore febres etiam remittantur, fluxiones sistantur, & inflammata loca temperentur, vinum ad coctionem, ad virium restaurationem, ad excrementorum excretionem commode exhiberi poterit, quod tamen tale sit, vt vinositate mala prædicta irritare nequeat. Quare ad hæc opportuna erunt vina aquosa, quæ quoad saporem sint morbo proportionata. Talia autem erunt dulcia in morbis thoracis, non dulcia autem in morbis viscerum inferiorum. Hoc autem stante erit censendum, Hippocratem in pleuritide non propinare vinum, nisi ea declinante, quam declinationem clare insinuat per verba immediate subsequentia, cum inquit: Vbi vero febris dimiserit, quasi dicat, declinante morbo & febre, ratio victus præscripta obseruetur; vbi vero in hoc morbo febris in totum dimiserit alia viuendi ratio præscribatur. Ad secundam, illud idem vinum erit simul vinosum & aquosum, quod ex propria natura vinosum existens, per multam aquæ affusionem aquosum euadat. Multa enim aquæ copia vini potentiam refrangit, idque aquosum reddens, maiorem & faciliorem penetrationem ex vini substantia consequitur, qua ratione quoquo pacto nutrire, & excretiones naturales facilitare potest. Tale igitur est vinum ab Hippocrate hoc in loco commendatum, quod dicit modicum, vel quia modicam vini quantitatem recipiat, vel quia modicum in quantitate sit dandum. Ad tertiam sciendum est, vina dulcia, quo magis aqua diluuntur, eo magis dulcia euadere. Quare cum simus in curatione morbi thoracem afficientis, in hisque dulcia vina conueniant, & hæc vina diluenda adeo copiosa aqua sint, vt aquosa euadant; hinc monet Hipp. huiuscemodi vina dilui debere, vt mollissima sint, & odorem vini non habeant, id est ita diluantur, ne vinositatem non retinentia dulciora euadant, φ fieri facile poterit, si copiosam aquam vino potenti ac dulci abunde superinfundamus. Quod vinum dilutum, cum vinositatis potentiam non retineat, & dulcius ex dilutione euadat, maxime conueniens erit declinanti morbo, cum non calefacere

per

per vinositatem, sed humectare & sputum facilitare per dulcedinem queat. His actis, si febris dimiserit, monet per biduum milii succum bis in die sorbendum, & betas quam iucundissime paratas edendas esse. Sed cur per biduum à solutione morbi perseuerat in sorbitionibus? quoniam vti docuit lib. 1. reg. acut. 25. per duos ab indicatione dies in eodem victu persistendum est, vt integrum numerum dierum morborum, tam qui paribus, quam qui imparibus diebus iudicantur, obseruemus. Transacto autem biduo, si nulla superueniat accessio, securi simus de morbi solutione, qua transacta ad cibaria tuto deuenire possumus. Sorbitioni autem ex milii succo addit betas iucundissime paratas, id est, coctas, & aliquo dulciori & opportuno condimento conditas, ad maiorem materiæ morbosæ extersionem, & ad alui faciliorem subductionem. His duobus diebus peractis, ad cibaria descẽdens monet, catulum aut auiculam coquendam esse, & ius sorbendum, parum autem de carnibus edendum. Ratio est, quoniam à tenui victu ad crassum non est immediate transeundum, sed pedetentim ascendendum, cuius merito etiam in posterum quamdiu à morbo tenetur, id est, quamdiu se ex morbo labefactatum, & in pristinum statum se non restitutum senserit, monet milii succum in prandio, mollissimos autem & paucissimos cibos in cœna exhibendos esse. Quoad milii succum, moneo, similem ptisanę facultatem eum, non tamen parem habere: quare ptisana præferatur, & in eius defectu milii succus sumatur. Quoad catulinas carnes, sciendum est, antiquiores, dum inculta adhuc esset cibos præparandi ratio, nec luxus hominum ad delicatiores cibos penitus declinasset, in vsum tam sanorum, quam ægrotantium carnes canis recepisse, cuius merito sæpius de iis penes Hippocratem facta est mentio, qui li. de Affect. harum facultates explicans, illas inter leuissimas carnes recensebat. In lib. autem 2 de Dięta dicebat: Caninæ carnes calefaciunt, ac siccant, & robur inducunt, non tamen aluo secedunt; Catulinæ vero humectãt, & secedunt. Ad quod in pręsenti respiciens Hipp. cum humectare, & aluum lenire intenderet, nõ caninas, sed catulinas probat carnes. Vtrarumq; enim erat vsus antiquis, scilicet tam lactentium, quam iuniorum. Lactentium quidem sicuti in hoc casu, maiorum autem sicuti in lib. de inter. Affect. quo loci eas ad splenicos probat.

88 *Alia pleuritis. Febris tenet & tussis, & rigor, & dolor ad latus, & quandoque ad clauiculam, & saliuam spuit subbiliosam ac subcruentam.*

SECVNDA pleuritis, de qua nunc agit Hippocr. est à sanguine cum admixtione bilis, cuius ratione sputum à principio apparens est subbiliosum. ac subcruentum. Huiuscemodi autem pleuritides medium tenent locum inter prauas & benignas. Benignæ enim fiunt à puro sanguine, prauæ autem à synceris humoribus. Cum autem hæc à bile cum dominio sanguinis fiat, iure medium locum inter vtrasq; tenet. Hac autem accedente, rigor primum, postmodum febris ingens subsequitur, quæ dolorant ad latus, aut ad clauiculam concomitatur. Si autem in hac & dolor & febris adest, pariter & spirandi difficultas aderit.

89 *Quod si ægro abscessus raptus fuerit, qua parte dolor maxime vrget, calefactoria adhibeto, & calida lauato, si non magna febris ipsum teneat: sin minus, non. Bibendum autem dato fauum in aqua maceratum, ita vt aquam iam subdulcem faciat, & postea quoq; aquam admiscens. Sorbeat ptisanæ succum bis in die, & vinum inde bibat album aquosum. Et si quatuordecim dies effugerit, sanus euadit.*

CVRATIONEM huius pleuritidis aggrediens, eo præcipue intentionem dirigit, vt apparente sputo, quod designat per ea verba, si ægro abscessus raptus fuerit, per abscessus ruptionem sputi è materia inflammationem causante resudantis reiectionem intelligens, quam maxime dolori leniendo incumbat, Quod duplici ratione tentat: primo calefactoria lateri dolenti adhibet, talia autem intelligantur esse anodyna, secundo balneum, si non magna febris vrgeat, administret. Nam balneum, vt habetur lib. 3. reg. acut. 58. lateris pectoris que, & dorsi dolorem mulcet, præterea, quod sputum maturet, educatq;, & spiritum facilem reddat, quæ omnia in pleuritide desiderantur. Si autem febris magna teneat, balneum non administretur, quoniam hinc magis funderentur succi, sed sola calefactoria exterius administranda sufficiant. Lenito dolore pro potione exhibet apomeli, non tamen coctum, formatum ex fauo mellis in aqua macerato, ita vt aquam subdulcem reddat, eidem postea aliam etiam aquam admiscens. Pro sorbitione exhibet ptisanæ succum bis in die, cui superbibat vinum album aquosum, aquosum quidem vel ex propria natura, vel ex arte per aquam affusam tale factum. Qua victus ratione administrata, & calefactoriis admotis, & apomelite exhibito, si æger quartamdecimam diem superarit, inquit Hip. sanus euadet. Nam iudicium huius morbi ad summum, quoniam peccat sanguis cum portione bilis, qui sunt humores satis benigni, diem decimamquartam pertingunt.

90 *Alia pleuritis. Febris detinet, & dentium stridor, & tussis sicca, & cum virore pallida reiicit, quandoque etiam liuida: & dolor latus corripit, & dorsum subrubidum fit. Caput & pectus calescunt, aliquando etiam venter, pedes & crura. Et quum erectus sedet, magis tussit, & aluus turbatur, & alui egestio cum virore valde pallida est, ac grauiolens. Hic in viginti diebus moritur. Si vero hæc effugerit, sanus fit.*

PLEVRITIS hęc tertia duabus præuarratis est deterior, tũ ratione materiæ, tum ratione symptomatum. Ratione materię, quoniam pendet à bile exustionem patiente, cuius ratione sputum apparet χλωρὸν, id est, coloris flaui ad viridem tendentis,

dentis, quale dicebat li. 2. Prog. 47. esse admodum malum, & quandoq; etiam liuidum, vbi vlteriorem exustionem senserit. Ratione autẽ symptomatum, quoniam vltra febrẽ & lateris dolorem aliis pleuritidib. communem in hac est stridor dentium, indicans inflammationem esse ardentem, adeo, vt inde compatiente cerebro musculi temporales conuellantur, & stridorem faciant, in hacque dorsum subrubidum apparet ob seruidam inflammationẽ, quæ tanta est, vt partibus exterioribus proprium quoq; affectum quodammodo communicet, non per transmissionem materiæ, sed per amplificationem affectus. Caput etiam in hac, & pectus calescunt, intellige supra modum, cum calore ardenti æstuant, quod idem quandoque venter, crura, & pedes patiuntur. Tussis vtplurimum est sicca, vel quia ex nimium conculcata materia nihil resudet, vel quia materia resudans à calore ardenti exusta vix reiici potest, quæ tussis proritatur, & magis affligit, dum patiens ἀνακαθιζόμενος existit, id est, dum à decubitu resurgit. Tunc enim agitata materia magis irritat, & inde tussim vehementiorem, & frequentiorem causat. Quod enim isti hanc dictionem interpretati sunt, quum erectus sedet, intelligatur in fieri, non in facto esse. Nam recta sedentes minus pleuritici à tussi infestantur, sed dum à decubitu, vt sedeant, resurgunt, tunc magis anxiantur, & agitata materia in anhelitu angustiantur, & inde tussis molestior giguitur, in hisque tria mala circa aluum succedunt. Nam primo aluus in his turbatur, quod multum esse in pleuriticis, dicebat Hippocrates lib. 1. de Morb. sect. 2. 45. Secundo excrementa valde χλωρὰ, id est, à flauo ad viridem, aut ad liuidum valde tendentia existunt, indicantia simul, non solum materiam biliosam in loco affecto, verum quoque in imo ventre, ac visceribus, & vasibus communibus, & magna exuri, & summum incendium pati. Tertio, hæc excrementa sunt graueolentia, attestantia magnam inesse putredinem. Quæ tria mala morbo particulari superaddita, casum pleuritidis difficiliorem & periculosiorem faciunt. Quæ difficultas & discrimen adeo insigne est, vt admiret Hippocratem dicentem, hos in viginti diebus mori, cum decimam quartam in tali casu vix quisquam attingat, quamuis robustissimus existat. Si tamen quis sit, qui ad hanc diem perueniat, inquit Hippocrates, sanus euadit. Nam si tempora omnia salubriter potuit superare, poterit etiam morbo superesse.

91 *Huic donec quatuordecim dies præterierint, aquam de farina crassa in ipsa macerata bibendam dato, & vinum album, vinosum, aquosum postea bibendum. Sorbeat succum ptisanæ frigidum bis in die. Verum pro melle mali punici succum ad ptisanæ succum admisceto, postquam iam hic ptisanæ succus coctus fuerit, & lauet non multa. Vbi vero quatuordecim dies præterierint, in prandio milium sumat. Ad vesperam carnibus auicularum cum iusculo, & paucis cibis vtatur. At talem morbum pauci effugiunt.*

HIPPOCRATES in hac pleuritide, cum pendeat à materia feruida & exustionẽ patiente, curanda, est maxime intentus ad refrigerandũ, vt ardorem peccantis materiæ temperet. Quapropter vsque ad decimam quartam diem loturam pollinis farinæ triticeæ, quam in lib. 2. de Diæta dicebat vi refrigeranti dotatã esse, bibendam exhibet, eam nunc appellans aquam de crassa farina in ipsa macerata, quæ non tantum apta est refrigerare, verum etiam materiæ exustionem & irritationem, & exasperationem ob quendam lentorem, quem ex ipsa farina contrahit, contemperare & obtundere. Censens autem, ex prædicta aqua aliquam coctionem, & aliquod temperamentum recipere peccantem materiam, vinum album, vinosum, aquosum, id est, quod vinosum existens, ex multa aquæ affusione dilutum euaserit aquosum, & non calefacere, sed bilem contemperare possit, superbibendum esse monet. Pro solutione autem exhibet bis in die ptisanam actualiter frigidam, nunc non verens actualem frigiditatem, quæ pleuriticis solet esse noxia, sed eam affectans ob nimium feruentis materiæ incendium, quod sui contemperamentum indicat. Cui ptisanę, posteaquam cocta fuerit, admiscendum esse non mel, quod in superioribus probabat, quoniam eius calorem nunc reformidat, sed succum granatorum, quoniam refrigerare, & bilis fluxionem, & irritationem coercere, ac aluum turbatã firmare est aptum, iubet. Hoc autem tempore, id est, vsq; ad decimam quartam, balneum antiquis admodum consuetum, quodammodo interdicit, iubens, ne multa patiens lauetur aqua. Decima autem quarta die transacta, ac si morbus remiserit, & solutus eo tempore, vt superius ego terminaui, rationabiliter aduertebatur, fuerit, in prandio milium, quod pariter vt succus granatorum aluum sistere valet, in cœna autem carnium auicularum elixatarum ius & substantiam, assumpta cibi modica quantitate, exhibet, animaduertens ex hoc morbo ita sęuo paucos euadere. Nam vt dixi, morbus est grauissimus, & grauissima habens symptomata, pendens à materia virosa & maligna, cuius ratione potius ad interitum, quam ad salutem ægri deducuntur. Ex hac autem curandi ratione animaduerto, in pleuritide biliosa, quæ notabile incendium ac calorem vehementem habeat connexum, à melle, à sacchato, & ab omnib. reb. quę facile in bilem conuerti, & calorem augere possunt, abstinendum, & ad refrigerantes potiones ac sorbitiones deueniendum esse, quæ tamen sint lenientes, non adstringentes. An autem conueniat succus granatorum, cum ex principiis Gal. omne granatorum genus adstringat, licet hoc plus, illud minus, posset esse dubium, & hoc maxime, cum Alex. Trall. ea vituperarit ac damnarit; ex aduerso autem Auic. ea probet, ad hoc dulcia præeligens. At sciendum est, granatorum succum indistincte sumptum noxium futurum esse, quia

quia omnis eius species adstrictionem, quæ pleuriticis aduersatur, participat. Verum in quibusdam casibus censeo granata oon inconuenienter administrati posse, potissimom autem dulcia, qualia probat Auic. tum quia minimam participant adstrictiooem, tum quia minus frigida sunt. Et hoc vbi pleuritis fit à bile, quæ maximum pariat incendium, maximeque fluxibilis existat, & præter id si aluus nimium fluxerit, qualis est casus Hippocratis: nam tunc conueniunt, cum incendium remittere, bilis fluxionem coercere, & aluum sistere queant.

Peripneumonia.

92 *Febris detinet dies quatuordecim, vt minimum, ad summum duo deuiginti, & per hos dies fortiter tussit, & primum quidem extreat saliuã crassam ac puram, septima & octaua die, si vero febris corripuerit, nona ac decima, subdulcem & purulentam, donec quatuordecim dies præterierint. Et si quidem decima quinta die pulmo resiccatus fuerit, & tussiendo reiecerit, sanus fit: sin minus, duas deuiginti obseruato: & si quidem in his diebus tussis sedata fuerit, euadit. Si non sedat, interrogato ipsum, an saliua ipsi dulcior appareat; & si hoc confessus fuerit, morbus annum durabit, nam pulmo suppuratus fit.*

QVID sit peripneumonia, à quo gignatur humore, quomodo ab Erysipelate differ t, & quando, ac ex quibus causis ad suppuratiooem vertatur, satis abunde declaraui in commentario lib. primi. Quare hæc omnia tanquam clara supponens ad literam descendo, animaduertens de hac eadem inferius lib. 3. Hippocratem clarius, fusius, & verius actutum esse, illumq; libri tertii locum huic pro declaratione tum signorum & iudicii, tum etiam curationis præferendum esse. Verum quoniam de hoc suo loco agemur, nunc eius tractationem silentio obuoluens, ad præsentis commentariooem deuenio. In peripneumonia, inquit Hipp. febris detinet ad minimum dies quatuordecim, ad summum autem dies decem & octo, quo tempore tussis vehemens & frequens (illud verbum fortiter vehementiam & frequentiam tussis insinuat) patientem affligit, qui prima septimana, & vsque ad octauam in salubri morbo solet excreare pituitam crassam & puram: crassam quidem, qa coctio iocrassando procedit, puram autem, quia concocta existente materia, sputum nec coloratũ, nec saporem aliquem habens, sed album & insipidum existit. Si vero hisce diebus, quo febris remitti ad morbi solutionem ex sputi qualitate est censendum, febris ipsa patientem corripuerit, id est, non remiserit, sed inualuerit, tunc ingruente nono præter naturam calore, sputum à nona aut decima vsq; ad decimam quartam, quoad saporem dulce, quoad colorem puris colorem æmulans excreatur. Quo tempore superato, & decima quinta die accedente, si pulmo resiccatus fuerit, & tussiendo reiecerit, id est, si pulmo à morbosa materia purgatus ea per tussim excreta fuerit, sanus patiens hinc integre soluto morbo euadit: sin autem per hosce dies adhuc integra non fuerit facta purgatio, decimam octauam diem vsq; attendere oportet, qua die si tussis, non quia haud fiat irritatio, sed quia expedita sit purgatio, desinat, sanus æger prorsus erit. Si vero & irritatione facta, & purgatiooe non perfecta, tussis adhuc vexet, interrogare (inquit Hippocrates) patientem oportet, an sputum, quod per coctionem subdulce euaserat, nunc dulcius admodum sentiatur. Quod si tale factum esse fateatur patiens, morbum annuum, id est, qui diuturnus factus, ad annum durare, non excedere potest, fore præsagiendum est. Nam illud dulcius sputum vlteriorem alteratiooem, quam eam, quæ veræ coctioni debetur, fieri in morbosa materia attestatur, quæ alteratio cum coctionem inducere nequeat, necessario suppuratiooem causabit. Suppuratio autẽ superinducta, nisi debita ratione, & debito tẽpore expurgetur, hominẽ tabidum reddet, qui tabidus factus annum vix attinget, cum tabes ex morbis acutis vltra quartum aut quintum menses raro procedant, quin potius patientes interimant, qui tamen si ratiooe virium, & habitus, & naturæ sint robustiores, anniq; tempus, aeris constitutio, & regio non aduersentur, diutius viuere, nusquam tamen annum excedere poteruot. At sciendum est, quod sicuti rari sunt, qui per annum ex huiuscemodi suppuratione ac tabe durare queant, ita notandum est, quoad tempus peripneumoniæ, diem decimam octauam raro eam aut iudicare, aut terminare, cum vel decima septima, vel vigesima sint simpliciter iudicatoriæ. Sed vt alias etiam in simili ootaui casu, Hippocr. dum decimam octauam diem obseruare mooet, insinuat à medico attendendum esse decimæ septimæ diei, vti vere iudicatoriæ, crisim, & euentum, qui euentus in decima octaua liquet, quoniam traolacto iudicio, dies subsequens si non sit laboriosa, nec eam symptomata morbi cõcomitentur, clare attestatur, morbum solutum esse. Ad quod respiciens Hip. dicit, diem decimam octauam esse obseruaodam, & terminum esse huius morbi, quem alias dixit, eadem ratione vigesimam primam aut vigesimam secundam existere, cum vigesimam diem tanquam iudicatoriam consideraret.

93 *Huic primis diebus vinum conuenit dari dulce, album, aquosum, paulatim frequenter bibendum. Sorbeat etiam ptisanæ succum, melle admixto, ter in die, donec dies decem & octo præterierint, & febris desierit.*

PERIPNEVMONIAM potius à sanguine pituitoso, quam bilioso fieri, satis liquet. Hanc pituitosæ materiæ naturam respiciens Hipp. simplicem formans curationem, non veretur à principio morbi exhibere vinum album, dulce, aquosum, paulatim frequenter bibendum: vinum quidem, quia materia non est feruens, dulce, vt leniat, & sputum prouocet, aquosum, vt non calefaciat, paulatim, ne copia grauet, frequenter, vt iteratactione ef-

ne effectum prouocandi sputũ consequatur. Ad idem sorbitionem ex prisana, cui parum mellis ad abstersionem & leuitionem addatur, exhibendam monet, ter eam porrigens in die, vt eius actio repetatur, quę cum in quantitate parcior esse debeat tres vices exhibita sufficiat ad vires conseruandas. Et hoc vsq; ad decimam octauam diem, vt in ea exitus decimæ septimę, quæ est indicatoria attendatur, & quousque febris desierit, vt integra morbi solutio appareat, agendum est. Quo termino exacto, & soluta febre, ægrum à morbo euasisse iudicandum erit.

94 *Periclitatur autem quam maxime in septem aut quatuordecim. Postquam autem decem & octo dies transgressus fuerit, non amplius moritur, sed pus spuit, & pectus dolet, & tussit.*

CVM peripneumonia sit morbus acutus, qui quandoque in suppurationem tendit, per hęc duo in horum respectu docet Hippocrates. Alterum est, quod ratione acutiei periclitantur ægrotantes potissimum in septima, & in decima quarta cum vtraq; hęc dies ex insigniter indicatoriis existat. Quare vbi ægri hos dies superauerint, non ita amplius de morte timendum, sed potius de morbi aut solutione, aut permutatione iudicandum erit. De solutione quidem, si febris desierit, sin minus, de permutatione. Alterum est, quod in decima octaua die perseuerante febre, & non discusso, sed in suppurationem eunte morbo, æger amplius non moritur, sed pus spuit, & pectus dolet, & tussit. Tussit quidem irritante pure. Pus espuitur ex suppurato affectu. Dolet autem pectus, quoniam cum thoraci alligatus sit pulmo, eo suppurato ligamenta patiuntur, & inde pectus dolet.

95 *Quum sic habuerit, ieiunus cum saluia vini illam potionem bibat, & leguminis fresi decoctum sorbeat, adipe multo admixto, si non calor fuerit. Si vero fuerit, ne sorbeat, sed cibis vtatur salsis ac pinguibus, & marinis potius quam carnibus. Et si pro ratione purgati tibi visus fuerit, in os infundito, ac fomenta adhibeto: Si quidem crassum fuerit pus, fomenta adhibeto; si vero tenue, infundito. Et ex cibis hareat quam maxime, & ab acribus abstineat, & à carnibus bubulis, ouillis, & porcinis.*

SVPPVRATO pulmone ex peripneumonia, eodemque pus reiiciente, nulla alia curandi indicatio detur, quam puris omnimodam purgationem facere, ac viscus à putredine defendere. His duobus intentus Hipp. conuenientem tum potionem, tum sorbitionem instituit. Potio ex vino antea prænarrato, scilicet, albo, dulci, & aquoso cum saluia, id est, cui vel succus saluiæ sit admixtus, vel in quo saluia cocta fuerit, componitur. Ex vino autem lenitionem, & puris excreationem, ex saluia vero abstersionem, & visceris siccationem, & putredinis prohibitionem contendit. Sorbitio autem paratur ex faba fresa & elisa, ἔτνος dicta, cui adeps copiose admisceatur, vt ex multo pingui multa habeatur lenitio, ex sorbitione autem fabacea insignis subsequatur abstersio. Verum quoniam pinguia, vbi multus sit calor, fomitem calori præbent, facileque admodum ea inde supercalescunt, tales sorbitiones monet Hippocrates exhibendas esse, si corpus non æstuet. Si vero insigni calore ęstuet, à tali sorbitione abstinendum esse docet, monens à carnibus, & ab omni carnosa pinguedine desistendum, eiusque loco cibariis, quæ salsa, pinguia, & marina simul existant, qualia sunt pisces saliti pingues, vtendum esse. Nam hæc ratione propriæ frigiditatis piscium naturam consequentis, habent pinguedinem minus inflammabilem, cum tamen parem prædictis habeant abstergendi facultatem. Ex his si puris excreatio pro ratione morbi succedat, duo alia ab inuicem pro ratione diuersitatis puris erunt agenda. Si enim pus fuerit crassum ad fundendam materiam exterius, tum fomenta, tum lenientia, tum concoquentia erunt administranda. Si autem fuerit tenue, aliqua incrassantia per os erunt infundenda; nam hæc incrassando & materiam æquando, conuenientem procurant coctionem. Quæ coctio, cum in materia tenui non ita facile per exteriora admota, sicuti per interius exhibita, procurari possit, iure in ea infusa per os externis medicamentis præferuntur, sicuti fomenta in crassa probantur, quoniam ea leniendo & concoquendo materiam crassam eliquare possunt. Hoc autem peculiare aduertat is, qui pus tenue extussit, vt ex cibis q̃ maxime hæreat, id est, vt potius pro alimento cibis, quam sorbitionibus & potionibus dictis vtatur. Nam sorbitiones & potiones ratione aquositatis, quam admixtam habẽt, tenuitatem puris, cuius merito difficulter excreatur, magis quam cibi fouere aptæ sunt. Et ideo dum pus est tenuius, patiens ex cibis potissimũ hæreat, ab acribus tamen, quoniam hęc ex propria natura alterantem vim possident, abstinens, sicuti & abstinere debent à carnibus bubulis, ouillis, & suillis, ratione, qua tum hæ difficulter concoquuntur, tum sua crassitie obstruendo vias spiritus obturare aptæ essent.

Ex hac autem curandi ratione animaduerto, potionem illam ex vino dulci, albo & aquoso factam cum saluia esse obseruandam, quoniam in hisce morbis curandis valde conueni. Sicuti & in phthisicis etiam, ad quos saluiæ succus probatur, iuuamentum præstare potest.

Suppuratus ex peripneumonia.

96 *Quum ex peripneumonia suppuratus factus fuerit, febris detinet, & tussis sicca, & difficultas spirandi, & pedes intumescunt, & manuum ac pedum vngues contrahuntur.*

SVPPVRATIONES ad peripneumoniam succedentes, duplicem habent differentiam, alias enim pus, quamprimum generatum est, erum-

pit, ac per screatum educitur, alias autem in proprio loco inclusum nec eruptionem, nec excreationem causans, intus retinetur. De prima superius egit, de secunda vero nunc tractat Hipp. dicens, in hac suppuratione febrem continuam concomitari patientes, qui sicca tussi, ac difficili respiratione infestati, pedum & manuum tumorem, atq; vnguium incuruationem incurrunt. Quæ omnia ab Hippocrate recensentur, vt suppurati pulmonis principalia indicia explicentur. Cur autem in suppurato pulmone febris adsit, continua tussis existat sicca, spiratio sit difficilis, manus & pedes tumeant, vnguesque incuruentur, nunc non disseram, cum hæc omnia, pluraque alia ad hæc consequentia, abunde in commentario libri primi explicuerim.

97 *Hunc ita affectum ad decimam diem à suppurationis initio progressum, multa calida lauato, & ari radicem tali magnitudine tritam, & salis granum, & modicum mellis, & aquam, & olei parum, extracta lingua, tepida infundito, & postea humerum concutito. Et siquidem ab his pus erumpat, bene habet.*

QVA ratione, quibusq; indicationibus in huiuscemodi suppurationum curatione procedendum sit, copiose satis, ac admodum distracte loco citato declaraui. Quapropter mihi satisfecero, si Hippocratis mentem & sententiam hoc in loco descriptam aperuero, cuius hic est scopus, vt primo suppurati affectus quatuor modis eruptionem procuret: secundo, vt procurata eruptione puris excretionem, ac loci suppurati purgationem quærat. Primus procurandæ eruptionis modus in hoc textu propositus est, vt decima die à suppurationis factæ initio, præmisso ad laxandum corpus, & ad emolliendas partes pus continentes balneo, quod & sputum maturare, educereque, & spiritum facilem reddere, vt habetur libro tertio reg. acut. 28 est aptum, accipiamus ari radices magnitudine astragali, id est, tali, quo in tesserario ludo vtimur, tritam, & salis granum, & modicum mellis, & aquam, & olei parum, quæ omnia ἐξειρύσας τὴν γλῶτταν, id est, exerta (non extracta) lingua in os tepida infundamus, & postea hominem apprehensis humeris concutiamus. Quibus actis, eruptionem consequi sperat Hippocrates, quoniam medicamentum illud per os infundendum ratione ari potest attenuare, incidere, & euacuationem ratione mordicationis proritare, ratione salis abstergere, & tussim prouocare. Quod idem oleum, cum sit thoraci infensum, agere potest, quibus tamen aquam & mel admiscet, vt supra modum sint aut mordicantia, aut irritantia, & vt facilius ad vias spirituales permeare possint. Quam facilitatem iuuandam esse monet exerta lingua. Nã hoc facto magis caput laryngis dilatatur, quo dilatato, medicamentũ penitius ingreditur, & ingrediens validam & vehementem inducit tussim, qua superueniente, si simul etiam concutiatur patiens, non erit abs re, vt ex tacta thoracis commotione abscessus suppuratus disrumpatur.

98 *Sin minus, aliud facito. Cibos acres & cyclaminum sumito, sitque succi vtrorumque acetabulum paruum, Deinde silphii succum fabæ magnitudine terito, ac diluito, & lactis caprini aut asinini acetabulum admisceto. Hoc tepidum infundito.*

SI per primum medicamenti explicati modum pus non erumpat, alterum tentandum esse monet, quod tale est, vt assumptis cibis acribus, quales sunt radices acriores, & pisces admodum saliti, & cyclamino, ex his per contusionem exprimatur succus ad acetabuli parui mensuram, id est, ad vncias duas & semis vtriusque. Quibus silphii succus ad magnitudinem fabæ admisceatur, affuso lactis aut asinini, aut caprini altero acetabulo. Quod medicamentum vbi paratum fuerit, tepidum æque ac primum per os infundendum erit ad procurandam eruptionem, quam ex hoc sperare possumus, quoniam cibi acres, & cyclaminus tussim ratione mordicationis vehementem prouocare, silphii autem succus ratione caloris intensi, ac ratione tenuitatis partium materiam contentam fundere admodum apta sunt. Quæ lacte diluantur, vt magis sorbilia euadant, vtq; dulcedine aliqua his communicata facilius spiritualia organa permeare queant.

99 *Quod si ab hoc non erumpat, raphani corticem, & aris florem trium fabarum magnitudine terito: sit autem raphani duplum, & oleo diluito quarta heminæ parte. Hoc tepidum infundito, & si eruperit pus, cibis quam salsissimis, ac pinguissimis vtatur.*

PRÆMISSO vno & altero ad eruptionem procurandum medicamento, si res ex voto non succedat, tertium, quod est valentius, tentandum esse monet Hipp. paratum ex æris flore, qui mordicare, irritare, & purgare est aptus, ad trium fabarum magnitudinem triti. Cui duplum radicis raphani, quod pariter acre est & vim incidendi, & attenuandi habet, addatur, quæ deinceps quarta parte heminæ, id est, vnciis duabus, ac totidem drachmis olei diluantur. Quod oleum si facit ad temperandam raphani acrimoniam, & æris mordicationem, non tamen prohibet, quin tussim vehementem excitet, cum & ipsum, & duo altera simplicia apposita thoraci, ac spiritualibus partibus infesta sint, & inde tussim prouocare sint aptissima. Ex his sperans Hipp. puris eruptionem, subdit, pure prodeunte, vtendum etiam cibis salsissimis ad maiorem abstersionem, & irritationem, pinguissimis tamen, vt ex pinguedine lenitus thorax faciliorem transitum materiei erumpenti concedere possit.

100 *At si non prodierit pus, paulatim fomentum adhibeto in os ex sii succo, vino tornio, lacte*

lacte bubulo, aut caprino, singulis pari mensura permixtis, ita vt sint hemina tres, in quas postea furni testas igne candefactas inicito, atq; inde vaporem per fistulam trahat, cauendo, vt ne adurat.

TENTATA eruptione per liquida medicamenta ad intra os infusa, eaq; non succedente, monet Hippocrates ad quartum genus descendendū esse, quod omnium validissimum existimauit. Hoc autem est suffumigium per os administrandum, cuius vehementia inde pateat, quod cum fumus quilibet ex propria natura thoraci ac partibus spiritualibus sit infensus, nemini dubium esse debet, quin acerrime tussim concitare queat, si duo hæc habeat, primum, vt ex rebus acrioribus generetur, alterum, vt immediate per os recipiatur. Harum enim ambarum causarum merito fumus tum acrior redditur, tum acerrime spiritualia organa irritare, & inde tussim & commotionem magnam concitare potest, præter id, quod ex concepta acrimonia abscessum apetire, & disrumpere est aptum. Ad hanc igitur intentionem formans suffumigium Hipp. accipit succi ex ficu expressi, vini totnii, lactis bubuli aut caprini singulam pro singulo quoq; heminam, ita vt omnia hæc simul admixta ad tres heminas ascendant. Quare cum hemina pendeat vncias decem aut paulo plus, integra hæc mensura erit duarum librarum cum dimidia ad minus. Ad intra hanc succi, vini, & lactis miscellam iubet deinceps furni testas igne candefactas iniiciendas esse, quorum merito vapor, qui per fistulam in ea calidítate, vt non adurat, ad intra os recipiendus est, elenetur. Quo elato, & in os assumpto, tanta fit necessario in spiritualibus organis irritatio, vt si quid aliud hoc aptissimum sit ad eruptionem prouocādam. Huius autem compositionis ea est ratio, vt fiī succum primo assumat, quoniam hoc sui aromaticitate, caliditate, & acrimonia maxime irritare potest. Huic addit vinum totnium, quoniam hoc vinum, cum fiat per expressionem, indeque non tantum vinosa vuæ pars, verum etiam racemorum, acinorum, & corticis succus exprimatur cum vino, est asperum, & inde exasperare, & tussim concitare admodum commode valet. Dicitur autem, totnium, quasi per tornum, id est, per instrumentum ligneum, quod totno factum est (nos id appellamus la vida) expressum. Id genus vini antiquiores tornium appellabant, & erat illud, ꝙ nouissime exprimebatur, sicuti primum, quod ex vua compressa emimebatur, πρόδρομον dicebant. Hoc autem sicuti illo nouissimo erat dulcius & suauius, ita hoc nouissimum erat protropo austerius, acerbius, & insuauius, vnde potius vim exasperandi, quam leniendi habebat. His autem duobus superaddit lac, quoniam vti dixi, in his medicamentis, quæ ad spiritualia membra permeare debent, aliqua dulcia ad faciliorem susceptionem, & ad acrium contemperamentum admiscenda sunt. Furni autem testas ad eleuandum vaporem igne candefactas, non autem quæcunq; laterem iniicit, quoniam materia, in qua omnis humiditas sit absumpta, ad hoc eligenda venit, cum nulla alia humiditas ad hoc requiratur, quam ea quæ ex prænarrata miscella attolli debet. Per furni autem testas intelligit lapidum eorum, qui furni internam partem formantes, vi continuati ignis superfluam exustionem senserint, squammas & partes, vel per se cadentes, vel manu excerptas. Dixit autem furni, non clybani, qui duo in hoc differunt, quod clybanus est portabilis, & ex lapide & ęre formari potest; furnus autem est immobilis, & calce ac lateribus construitur, quoniam materiam lateritiam, quæ exustionem perpessa omni humiditate sit exhausta, & nullam habeat propriam, ad hunc vaporem attollendum eligit, monens tamen, quoniam lateres huiuscemodi facilime vim igneam concipiunt, vt vapor inde adeo non incalescat, vt vim exurendi adipiscatur, quod euitabitur, si non multas nec admodum candefactas has testas iniecerimus.

101 *Postquam autem purius iam sputum prodierit, vrticæ semen, thus, origanum, in vino albo, melleq; ac oleo modico ipsi infundito; idq; per tertium diem: postea vero butyrum, resinam in melle eliquatam. Et cibis non amplius vtatur salsis, neq; pinguibus. At diebus interpositis, insusionum oris vsu cessante, saluiam, rutam, satureiam, origanum, pari portione ieiunus ex vino bibat acetabuli mensuram, omnibus illis inspersis.*

PROCVRATA quadruplici medio suppurati pulmonis eruptione, vbi pus prodeat, alteram indicationem propositam attendens Hippo. puris purgationi incumbit, docens vrticæ semen, quod ex pulmone & thorace materias reluctantes aptissimum est euocare, origanumq; quod ad idem ratione attenuantis facultatis valet, in vino albo, vt medicamentum sorbile euadat. & melle ad abstergendum & leniendum accommodo, quib. parum olei ad laxandum admisceatur, per triduum exhibendum esse. Quo tempore elapso, butyrum ad sputi facilitationem & resinam (intellige terebinthinam) cum melle eliquatam ad pus excreandum tradit, monens, non amplius cibis salsis & pinguibus, ad cauendam nimiam irritationem, vtendum fore, sed interpositis diebus, id est, per internalla quædam, cessante iam, quia eruperit pus, suffumigii vsu, dandum esse vinum acetabuli, id est, duarū vnciarū cū dimidia mēsura, in quo inspersus sit puluis paratus ex saluia, ruta, satureia, origano pari portione assumptis. Quæ omnia ratione attenuationis & abstersionis multum ad hoc valebunt, simul etiam ratione siccitatis insignis, quam possident, putredinem secantes. Animaduerto tamen in vsu horum considerandum fore, an febris adsit, & qualis existat. In febricitantibus enim vbi ea sit vehemens, horum vsus non est tutus, nisi aliquib. refrigerantibus temperentur. Si vero febris sit debilis, poterunt per quædam interualla administrari, semper habita subiecti & materiæ peccantis ratione.

102 *Quod si ab infusionibus his oris non eruperit, nihil miri est. Sæpe n. prorumpit ad aluum, & statim melius habere sibi videtur, vbi ex angustia ad ampliorem regionem deuenerit.*

QVONIAM quandoq; omni opportuno medicamento tentato, res ea voto operantis medici non succedit, ideo in præsenti casu Hippocrates monet, ne vbi tentata per oris aut infusiones, aut suffumigia supputati abscessus eruptio non subsequatur per tussim, de casu ægrotantis penitus desperemus, cum talis suppuratio per alias vias, quam per screatum facile erumpere queat, quæ vti declarauimus in primo commentario, plures sunt. Nam alias ad vas lotii, alias ad intestina erumpere solet, cuius solius eruptionis in exemplar aliarum nunc meminit Hippoc. dicens, sæpe tales supputationes erumpere ad aluum, et qua melius se habere sibi videntur ægrotantes, cum ex angusto loco in ampliorem locum materia peccans deueniat. Dixit autem, videri sibi melius inde se habere, quoniam ex hac eruptione nec saluantur, nisi cætera, quæ citato loco ad salutem aut inducendam, aut indicandam esse necessaria docuimus, concurrant. Quare ad salutem aut mortem præsagiendam, poris qualitas, quantitas, modus, & omnia accidentia ad hæc consequentia, & virtutis status, & tolerantia, cæteraque omnia erunt diligenter consideranda.

103 *Alius morbus. Quum tempus longius protrahitur, & febris vehemẽs, ac tussis corripit, & latus dolet, & ad sanam partem decumbere non potest, sed ad dolentem, his pedes & oculorum cauitates intumescunt.*

QVANQVAM Hippocr. sub nomine alterius morbi de præsenti suppuratione, tanquam ab antecedenti diuersa, agat, nihilominus sciendum est, casum hunc eundem cum superiori esse, licet ratione finis sit diuersitas; Nam vtrobiq; de eadem ad peripneumoniam succedente suppuratione pariter tractatur. At diuersimode, eum præcedens suppuratio consideretur ea ratione, qua in ea procuratur, & succedit eruptio, siue hæc per superiores, siue per inferiores vias contingat; præsens autem consideretur, vt quæ nullo pacto erumpens materiam in thoracis cauitate retineat, licet & à natura, & ab arte plura tentata sint ad eruptionem procurandam remedia. Quoniam autem omnia conuenientia ad eruptionem causandam medicamenta nec statim, nec breui tempore administrari possunt; ideo Hip. ad insinuandam omnem in admouendis medicamentis diligentiam, quę sicuti plura sunt, ita plurium dierum spatium requirunt, monet, huius suppurationis casum tunc accidere, quum tempus longius protrahitur, febre ac tussi vehementi vrgente, quam lateris dolor & decubitus in sanam partem molestus, in dolentem autem & affectam magis commodus. Cuius ratio est, decumbente ægro in affectam partem, pus pleuræ & costis incumbit: decumbente autem in sanam, incumbit membranis intersepientibus, eas grauãs. His pedes & oculorum cauitates intumescunt, pluraque alia mala succedunt, quorum mentionem & causas in commentario primi libri retulimus.

104 *Hunc, vbi decimus quintus ab eruptione dies adest, multa calida lotum in sella firma collocato, & alius quidem manus ipsius teneat, tu vero humerum concutito, vt audias, in vtrũ latus affectio strepitum edat. Optandum autem esset in sinistrum. Hunc ipsum igitur locum seces, minus enim lethalis est. Si vero præ crassitudine & copia strepitum nõ edat, quo ipsum cognoscere possis, (nam hoc aliquando contingit) vtrum latus tumuerit, ac magis doluerit, hoc infime secato, sub tumorem magis, quam supra ipsum, quo puris exitus facile fluxionem habeat. Secato autẽ inter costas per nouaculam primũ cutem, deinde scalpello acuto, quod panniculo sit obligatum, ita vt summa ipsius pars ad vngues magni digiti mensuram expedita restet, quam intromittas. Postea emisso pure, quantũ visum fuerit, vulnus linamento ex lino crudo abligato, foras propendente filo, concludito, & quotidie semel pus educito. Postquam autẽ decimus affuerit dies, omni pure emisso, linamentum ex linteo indito. Deinde vinum & oleum tepefacta per fistulam infundito, ne pulmo à pure humectari solitus derepente resiccetur. Emittendum autẽ est id, quod mane infusum est ad vesperas, quod vespera, mane. Vbi vero pus tenue velut aqua fuerit, & ad digiti contactũ viscosum ac modicum, pennicellum stanneum cauum indito. Postq̃ a. venter omnino resiccat' fuerit, paulatim linamentũ præsectũ minuito, donec vlcus coalescat, & ipsum penitus eximas.*

NEQVAQVAM pure aut per superiores, aut per inferiores partes erumpente, duo agẽda esse monet Hip. alterum, vt noscat medicus, qua parte pus contineatur, alterum, vt per sectionem via puri paretur. Quoad primum, iubet vbi ab eruptione, id est, à prima die, in qua eruptionem fieri censendum erat, decimus quintus adsit dies, vt decimæ quartæ diei absoluta habeatur ratio, ęgrotantem prius ad habitus, & loci affecti lauationem in balneo aquæ calidæ lotum in firma sella collocandũ, deinde ministro manus eius continente à medico concutiendum esse, vt audiat, in vtrum latus contentum pus strepitum edat. Optandum autem, inquit, esset in sinistrum, ratio est, quoniam pars dextra est magis momentanea, quam sinistra. Cur autem hoc factum sit, nunc non dicam, cum clare hoc in commentario libri primi sit expositum. Quod si pus, quia vel nimis crassum, vel nimis copiosum sit, strepitum non edat, latus affectum ex tumore & dolore deprehendetur. Nam ex tali aut copioso, aut crasso pure latus affectum, quodammodo intumescens ad extra

inter-

internam prodit affectionem, simulq; ratione copię & crassitiei dolorem causabit. His actis, deprehenso q; vel ex strepitu edito, vel ex tumore, vel ex dolore, loco affecto, statim per sectionem puri via paranda est. In qua sectione quinq; haec addenda sunt. Primum, vt quoad ad locum fiat inter costas in inferiori loco, vt pus inde facile effluere possit. Secundum, vt quoad modum, prius cute per nunaculam descissa, fiat sectio vasculorum intercostalium & pleurae per scalpellum acutum, quod linteo panniculo ita sit circumuolutum, vt summa eius pars ad vnguis magni mensuram expedita à panniculo obligante supersit, quae pars scalpelli non sit maior, nec in sectione patranda, dum scalpellum per sectionem intermittitur, possit pulmones vulnerare. Tertium, vt, emissa ea puris quantitate, quae medico agenti opportuna videbitur, cum vniuersum pus affatim effluere non sit permittendum, alias hinc deperireut aegrotantes, sicuti habetur lib. 6. aph. 27. vulnus linamento ex lino crudo formato, ac per filum ad extra propendente ligato occludatur, quod deinceps singulis diebus semel ad pus educendum aperiatur, similiterq; vsq; ad decimam diem, in qua puris euacuationem integre factam sperat, concludendum. Post decimam autem omni pure emisso, non amplius lino crudo, sed linteo lineo tractandum erit. Nam linamentum ex linteo lineo, non autem ex lino crudo amplius indendum est. Ratio est, quoniam linum crudum magis purgat, quam coctum, & ideo Hippoc. dum puris purgationi incumbit, vtitur; linteum autem ex lino cocto contextum magis siccat, quam purget, & ideo eum Hippoc. purgata suppuratione magis probat, quam linum crudum. Quartum est, vt quoad modum curandi, pure emisso, vinum oleo admixtum per fistulam in thoracis cauitatem infundatur, ne pulmo à puris humiditate humectati subitus derepente resiccetur. Quod sicuti periculosum est, vt habemus lib. 2. apho. 11. ita & mortis causa in hisce aegrotantibus, cum ex diuturnitate morbi, & actionibus medicis langueant, facile foret. Vinum autem sit rubeum seu nigrum, cum hoc vulneribus magis ratione siccationis conueniat, oleum autem sit vel rosaceum, si calor abundet, vel hoc absente siraut ex luteis ouorum, aut de hyperico-ne, aut stillatitium ex resina seu terebenthina, seu abietina, seu alia re simili. Huc autem vinum oleo admixtum ita infundatur, vt quod mane iniicitur, ad vesperas emittatur, quod ad vesperas, mane educatur. Quintum est, vt quoad reliquum curationis perficiendae, vbi purgato ex suppurato abscessu pure, ratione vlceris puris aliud effluat genus, quod priore tenuius, & ideo in eius comparatione aquosius dictum, ac viscositatem quandam, quam ex coctione adipiscitur, consequutum, & modicum existat, penniculus stanneus & cauus, vt per continuatam effluxionem locus affectus expurgari possit, indatur, per quem, vbi locus affectus integre purgatus, ac penitus resiccatus fuerit, paulatim donec vlcus concludatur, imminuatur, & tandem, vbi id coalurit, eximatur.

105 *Signum autem, an euacuatus sit, habes, si pus album ac purum fuerit, & fibrae sanguinis insint plerunq; sanus fit. Si vero prima die profluat lutei ouis speciem habens, aut secunda die defluat crassum, cum virore subpallidum, faetens, moriuntur, vbi pus effluxerit.*

SVPPVRATORVM quae sint salutis aut mortis indicia, abunde declarauimus in primo commentario: quare ea hic non sunt repetenda. Moneo tamen ex principalissimis horum signis illud esse, quod à pure desumitur, eius enim qualitas naturam aut superantem, aut superatam attestatur. Si enim pus album, aequale, subcrassum, nec male olens existat, naturae dominium attestatur. Si autem sit viride, flauum, subcruentum, nigrum, feculentum ac foetidum, naturam succumbere praenunciat. Has puris differentias animaduertēs Hip. in sectione supputatorum, monet, vbi effluxerit aperto thorace pus album ac purum, id est, nō male olens, cui etiam fibrae sanguinis insint, non tamen totum sit subcruentum, hinc praesagiri aegrotantis salutem. Dixit autem plerunq;, quoniam ad salutem suppuratorum non tantum puris laudabiles qualitates requiruntur, verum etiam plura alia, quae in primo commentario recensuimus, quibusque absentibus aegri periclitantur. Si vero facta sectione pus effluat prima die lutei coloris, secunda autem crassum admodum, vel cum virore sit pallidum, aut alium prauum colorem participans, simulq; foeteat, vbi pus effluxerit, pereunt aegrotantes. Quam eandem sententiam in lib. 7. apho. 45. paucis mutatis registrauit Hipp. dicens: Quicunq; suppurati vruntur, aut secantur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt, si vero subcruentum, & faeculentum, ac foetidum, pereunt. Notauter autem dixit in aphorismis Hip. vruntur aut secantur, quoniam non tantum in suppuratis, pure non etum-pente, conuenit sectio, sed & vstio, de qua si hoc in loco non meminit, alias tamen eam celebrauit, & nos de ea satis sufficienter in primo commentario tractauimus, explicantes, quando ea in vsum venire debeat, & quomodo, ac qua ratione administranda sit.

106 *Alius morbus. Quum quis ex pulmonis affectu tabescit, is saliuam crassam cum virore subpallidam, dulcem, tussiendo reiicit, & stridor ac dolor ad pectus, & ad dorsum fit, & in faucib. tenuis sibilus auditur, & fauces siccae sunt, & oculorum cauitates rubicundae, & vox grauis, & pedes intumescunt, & vngues contrahuntur, & saliuam emingit, vbi excreaturus ipsam in ore habet, & tussit mane maxime, & circa mediam noctem, imo etiam aliis temporibus. Et corripit magis hic morbus mulierculam iuuenculam, quam vetulam.*

EXPEDITA suppurati pulmonis euratione, agit Hip. de tabe ad pulmonis affectum succedente. Quantum autem differat tabes à suppuratione, iam liquet ex his, quę de iis in commentario

libri primi dicta sunt, quo loci etiam quid sit tabes, & quotuplex existat, declarauimus. Cum vero tabes sit multiplex, hic non de omni, sed de ea tantum, quæ ad affectum pulmonem subsequitur, tractat. Verum quoniam & hæc tabes, ad affectum pulmonem insequens, nec vna, nec simplex, sed in multiplici est differentia, cum alia fiat vi suppurationis, debito tempore non expurgatæ, alia ratione vlceris, à causa aut interna, aut externa supetinducti, alia ex vasorum eius aut ruptione, aut diuulsione, alia ex sanguine, aut aliis succis in eo putrescentibus, alia ex flacida, & in corruptionem obnoxia pulmonis substantia, nequaquam de his omnibus, sed de vltima agit tantum, per pulmonis affectum intelligens non vlcus, aut ruptionem, aut diuulsionem, sed putrescentiam ex interno, & abdito carnosæ pulmonis substantiæ vitio. Quod vitium consistit in propria, & innata pulmonis natura, per quam eius caro flaccidior ab ortu existens, corruptioni ac putredini facilem dispositionem recipit. Vnde postea diuturnitate temporis cum in vigenti ætate sanguis calidior & acrior generatur, vitium hoc propalatur, & ex effectu innotescit, superueniente in ipso viscere putredine, deinde & tabe. Tabes enim cum formaliter sit corporis vniuersi consumptio, ad eam putredinem tanquã ad causam insequitur. Huius autem tabis indicia exponens Hipp. non incipientis putredinis, sed factæ tabis signa explicat. Nam à principio morbi, vt notauit Gal. lib. 4. de loc. affect. capit. vltim. de illo, qui humorem liquidę bili in colore perquam similem, ac nulla acredine infectum expuebat, huiuscemodi patientes nihil mali habere videntur, quos tamen pessime affectos esse temporis progressu, cum inde tabescant, & absumantur, deprehendimus. Cuius tabis factæ nunc indicia explicans Hippocrates, hæc signa sigillatim recenset, scil. quod primum patiens tussi saliuam crassam, ὑπόχλωρον, id est, coloris medii, vt inquit Gal. inter flauam & pallidam, ac dulcem reiiciat, & hoc non tanquam excrementum naturale, sed prçter naturam, quod visceris corruptionem attestetur. Nam tale excrementum, tanquam sanies ex putrido corpore resudans, ex pulmonum substantia in putredinem eunte prolicitur, quæ à principio tenuior quidem, & vt notauit Gal. liquidæ bili est quam maxime similis, processu tamen temporis morbo inualescente, & confirmata putredine, crassior, cum carnosiores pulmonis substantiæ tunc absumantur, euadit. Quæ pariter dulcis eo tempore euadit, cum à principio saporem sensibilem non participaret, quoniam inualescente putredine calor præter naturam augetur, cuius vigore dulcedinem quandam adipiscitur. Secundum signum est stridor ac dolor ad pectus & ad dorsum. Ratio est, quoniam confirmata in viscere putredine thorax inde debilitatur, quo debilitato, viæ spiritus angustiantur, & inde oregmon, quem stridorem appellat, succedit, inde que male pulmonis membranæ, quibus sterno & dorso alligatur, afficiuntur, atque inde ad pectus, & ad dorsum dolor subsequitur. Tertium signum est, quod in faucibus tunc siccescentibus tenuis sibilus auditur: nam caput laryngis ex eadem putredine infectum, debile ad suum opus perficiendum redditur, indeque sibilus ob eius imminutam operationem in faucibus sentitur, quæ fauces exsiccantur à vapotibus putridis ascendentibus, & à calore putrescentis visceris euaporatæ. Quartum signum est, oculorum cauitates rubentes: nam pulmo affectus ad faciem ex omnibus membris promptissime euaporat, eamque colore rubeo inficit, & circa malas, & circa oculorum cauitates. Quintum est vox grauis, & iure merito, quoniam omnia vocalia instrumenta ex dicta putredine male afficiuntur, & ab excremento illo à pulmone resudante pessime humectantur, ex quo grauis & rauca succedit. Sextum est pedum tumor, non ex affluxione materiæ, sed propter alimenti transmissionem, quod ob natiui caloris ad restinctionem properantis imbecillitatem, nec immutari, nec absumi potest. Septimum est vnguium incuruatio, facta eo, quod carnosis partibus eis substratis absumptis, necessario maiores, & curui euadunt. Octauum est partium corporis superiorum extenuatio ac imminutio: nam non tantum carnosæ, sed etiam solidæ partes absumuntur. Nonum est sputi, vbi in ore ad excreandum recipitur abominatio. Ratio est, quoniam inualescente morbo, ac putredine progrediente, non amplius dulcedinem sputum retinet, sed tanquam rei putrescentis contrahit saporem, ex quo patiens id in ore gustans illud idem abominatur. Μυσάττεσθαι enim abominari, non saliuam emungere, vti translatio præsens habet, significat. Decimum signum est, quod in hac tabe patiens mane maxime & circa mediam noctem, quamuis etiam aliis temporibus tussit, qui circuitus sicuti ab Hippocrate notatus, ita ab experientia confirmatus est. Nam ante auroram, & post solis exortum hos tabidos tussis maxime exagitat. Nam ex præcedenti somno illud excrementum cumulatur, quod in vigilia per continuatas euacuationes paulatim expurgabatur. Vndecimo addit, q; huiuscemodi tabes corripit magis iuuenculam quam vetulam, quod non sine ratione dictum est, cum tabes à decimo octauo anno vsque ad trigesimum quintum annum, sicut notat Hippocrates lib. 3. apho. 9. id est, dum calor innatus est in vigore, potissimum fieri consueuerint, quod idem non modo in fœminis, sed & in maribus asserendum, cum vtrorumq; eadem sit ratio. Et hæc de signis tabis prædictæ.

107 *Huic si iam pili de capite defluant, & nudum sit caput, velut ex morbo: & si prunis inspuēti saliua graueolens sit, intra breue tempus ipsum moriturum esse pronun tia: id vero, quod occidit, alui profluuium fore. Vbi enim iam pus circa cor putruerit, nidorosum odorem prunis iniectum de se prabet: & cerebrum cōcalescens salsu-*

falsuginosum humorem effundit, qui aluum, mouet. Huius autem signum est, quod capilli de capite defluant. Hunc vbi ita habuerit, ne curato.

HIPPOCRATES lib. 5. Apho. 11. coofirmatum tabis geoerale præsagiū formans, dicebat: Qui tabe molestātur, si sputum, quod extussiunt, carbonibus iniectum graoe olet, & capilli à capite defluunt, lethale. Lethalia autem hæc sunt, quoniam ille grauis odor putis putrescentis, & partis vlceratæ corruptionem attestatur. Capilli autem decidentes, aut alimenti penuriam, aut humorum corruptionem significāt. Quam eandem sententiam, nō tanquam generalem, sed tanquam tabi antea descriptæ, particularem hoc in loco pronuncians, inquit, in prædicta tabe si capilli de capite defluant, eoque pacto caput capillis denudetur, sicut in cōualescētibus ex aliqoo graniori morbo crebro cōtingere solet, cum ex præcedenti ægritudioe pilorum materia, aut absumpta, aut corrupta fuerit, sique prunis inspersa saliua graue oleat, prænuntiandum esse, patientē breui periturum fore. Qua autē ratione tabidi pereant, & quæ causa eos tabidos potissimum tollat, subdit, id esse alui profluuium superueniens. Ad quem sensum etiam Hippocrates libr. 5. Aph. 12. dicebat: Quibuscunque tabe laborantibus capilli à capite defluunt, ii, alui profluuio superueniente moriuntur. Ex qua sententia nō tantum mortē tabidorum, sed & mortis tempos, & modum habemus. Mortem quidem, quia vbi hæc duo, scilicet sputi super carbones graueolentia, & capillorum decidentia concurrunt, necessario mortem instare prænunciandum est. Tempus vero, cum duobus prædictis alui profluuium succedit. Modum autem, quoniam à ventris fluore tabidos interimi est certum; quia ventris fluor in his non modo est pessimum signum, cum virium & facultatum omnium languorem attestetur, verum quoq; est pessima causa, cum ex eo vires tunc temporis imbecilliores affatim, ac penitus prosternantur. Cur autem hæc tria, scilicet sputi graueolentia, capillorum casus, ac alui profluuium sibi inoicem succedant, declarat, dicens, quod grauem odorem tunc concipit pus, cum circa cor, id est, in pulmone ipso, ac in partibus eius intimioribus putruerit, id est, putrescentiam, corruptionem, ac prauam naturam acquisierit. Tunc enim nidorosum factum, ac si ex puttedine quandam exustiunem senserit, si super carbones iniiciatur, grauem odorem de se præbet. Quo casu cerebrū, ex putridis exhalationibus ad altum ascendentibus, incalescens, falsuginosum humorem generat. Qui falsuginosus humor in capite detentus, capillorum vel radices corrumpens, vel eorundem materiam absumens, est in causa, vt pilis caput deoodetur, à capite autem ad inferiora transmissus, aluum turbat, ac monet, tandemque ventris profluuiū, ꝙ sisti amplius nō potest, causat. Huius autē profluuii indicium est capillorū casus, qnooiā huiusce salsi humoris facultates in capite prius, q̄ aluum commoueant, suam producunt actionem. Et ideo capillorum casus ab Hipp. tanq̄ indicium profluuii ventris proponitur, ac explicatur. Si autem hic casus hisçe tribus apparentibus indiciis est adeo lethalis, vt mors ineuitabiliter inde sit expectanda, sicuti affirmat Hipp. non contendat medicus eos, qui tali confirmata tabe laborant, curare, cum desperata sit eorū salus. Vnde inquit Hipp. hunc vbi ita habuerit, ne curato.

101 *Si vero à principio morbus obtigerit, lenticulæ decoctum bibendū dato. Deinde interposita vna die, veratrum dato temperatum, vt ne aluum infernam moueat. Et cum noctu ad os falsuginosus humor ipsi influit, medicamenta ipsi frequentiora ad nares appone. Si vero non fluit, appone quidem, sed rarius, & mense semel, ita vt insuper veratrum bibendum des, quantum duobus digitis cōprehendi potest, in vino dulci temperatum. Statim vero lenticula decoctum inde bibendum dato. At medicamenta quam paucissima bibat, si non febres acutiores ipsum corripiant. Radicem dracontii albam, & veratri delingat, sed non ex melle; sic enim minime aluum mouebit. Si vero tormen in aluo inferna oboriatur, primum per clysterem illud infusum immitto, in quod coccus Gnidius admisceatur. Quod si neq; sic sedatur, lacte asinino cocto purgato, pharmacum autem nullum deorsum purgans dato. Si vero ante medicamentum, præpotato veratro bilem vomat, ab ipso lenticulæ decocto accepto vomat. Cibis autem vtatur, si febres acutæ tenuerint, carnib. ouillis coctis, & volucriū, & cucurbita, & beta. Iusculum autem ne sorbeat, neque ad intus vtatur. Piscibus vtatur scorpiis, & cartilaginei generis coctis; calidum vero nihil edat, neq; lauet, si febris multa teneat. Neq. oleribus acribus vtatur, præterquam satureia, aut origano. Vinum bibat album. Si vero sine febre sit, calores autē alias atq; alias corripiant, pisces edat optimos, ac pinguissimos, & pinguia, & dulcia, & quam maxime salsa. Et deambulationibus vtatur neque in vento, neque in sole. Et à cibis vomat, vbi tempestiuum visum fuerit. Et calida lauet, capite excepto. Ex cibis frumentaceis præstat panis, his qui non mazam edere soliti sint; mazam vero edere solitis, vtraquē dato.*

NOTAVIT signa holus morbi tradita non incipientis, sed confirmatæ tabis, quam etiam prognostica, & indicium appositum attestantur, esse indicia. Quæ cum nullo ingenio sanari possit, non erat, quod Hippoc. qui medicos eius curationem nōn aggredi moneret, doceret, qua ratione curanda esset. Quoniam tamen vbi incipiens neō progressa fuerit hæc tabes, ars medica huic relevari certis quibusdam rationibus valet, ideo Hipp. prin-

principium huius morbi attendens, hanc tabem aborientem duabus rationibus inhibere contendit, quarum altera est, vt medicamentis corpus à prauis humoribus, qui pulmonis substantiam, putredini ex propria natura obnoxiam, alterare, & ad prauam dispositionem deducere possunt, expurget, altera est, vt conuenienti victus ratione generationi bonorum succorum incumbat. Quo ad primũ exhibet à principio decoctum lentis, quod cum sit abstergens & siccans, admodum conueniens erit ad abstergendum à pulmonis substantia ichorem illum resudantem abstergendo, ipsamq; pulmonis substantiã à putredine vi siccatoria præseruando. A quo decocto cum libr. 4. Aph. 18. docuerit supra septum dolores, id est, affectus morbificos purgatione per superiora indigere, veratrum album vna die interposita exhibet, ea tamen ratione temperatum, vt ne aluum inferiorem moueat. Quod cum facere sit solitus, vbi simplex & in debita dosi assumitur, tunc temperatum erit, vti tum aliqua eius pharmacositatem corrigentia ei admisceantur, tum in minori consueta quantitate exhibeatur. Hoc autem pacto dandum esse helleborum probat, tum vt medicamenti vehementiam, quam in tali casu reformidat, remittat, tum vt materiæ peccantis, ac cæterorum succorum motum ad inferiora, per quem alui profluuium in tabidis semper timendum, excitari posset, impediat. Exhibito ac propinato helleboro, monet Hipp. statum ægrotantis considerandum esse, videndumque an ex pharmaco tradito melius habeat, an in deterius lapsus sit, concepta in viscere maiori putredine, cuius merito excrementum illud magis inualescens, & inde quandam salsedinem concipiens, in nocte ad os confluat, id est, in media nocte, quo tempore superius monebat, hosce tabidos à tussi maxime conflictari, per tussim concitatam & frequentem per os expuatur. Quo casu medicamenta ad nares frequentiora apponi iubet, sin minus, apponenda quidem esse, sed rarius. At quæ erunt hæc medicamenta, & ad quã intentionem naribus admouentur? Liquet in hac tabe pulmonis substantiam in putredinem labi, quæ putredo cum sit in partibus spiritualibus, spiritualia autem maxime ab aere inspirato pro eius ratione alterentur, nulli sit dubium, hanc putredinem ab aere inspirato, vbi proportionaliter ex aduerso ad morbum sit alteratus, posse quodammodo coerceri. Proportionaliter autem alterabitur, si siccior puriorque, ac calori ingenito & spiritibus vitalibus proportionatus euaserit. Hoc autem leui negotio consequetur, cum ab his alterabitur, quæ ratione temperamenti sunt sicca, ratione substantiæ excrementitiis humiditatibus carent, ratione vaporationum bene oleant. Talia autem potissimum sunt aromata, & eæ nobiles compositiones, quæ ex aromatibus parantur. Ex quibus si formentur suffumigia, prodesse quidem poterunt ratione odoris, & qualitatis cõceptæ, attamen cum vim igneam referunt, non ita benignam alterationem inuehere apta sunt, ac si naribus admoueantur. Hoc enim pacto apposita à naturali calore tantum, non ab igne actuantur, & inde vtiliora existunt. Tantaque eorum esse potest efficacia, vt Gal. lib. 4. de loc. affect. cap. vltim. hunc probauerit vsum in die naribus bedicroum adhibens, in nocte autem foliata, & spicata vnguenta illinens, hanc curandi rationem forsan ab Hipp. hoc ex loco desumens. Quod autem notauit Hipp. in maiori fluxu frequentiora medicamenta, in minori rariori naribus admouenda esse, hoc ea ratione est dictum, quoniam in maiori vrgentia magis, in minori minus reluctandum est. Ad hæc autem exhibet veratrum semel in mense, tempus enim curationis diuturnum est, cum morbus sit longus, in vino dulci, ad eam quantitatem, quanta duobus digitis apprehendi potest, vt in minori sit dosi, nam vix scrupulus ita apprehenditur. Assumpto autem helleboro, lenticulę decoctum, vt leuiori negotio, ac cum minori labore vomitus prouocetur, statim exhibet, commonefaciens medicos, vt nunquam ad purgantium pharmacorum vsum deueniant, nisi vbi febres putridæ, quas acutiores vocat, in corpore ratione febris hecticæ tabidos insequẽtes, ægrotantes corripiant. Helleborũ autem cum dracuntio mixtum ad hoc laudat, quoniam hoc generose extergens, ac purgans crassos & innixe inhęrentes succos, hellebori actionem facilitare, & minus laboriosam reddere potest. Eum probat in vino, non ex melle propinandum esse, quoniam sic exhibitum minus aluum inferiorem commouebit. Quæ tamen si ab exhibito helleboro irritata tormen patiatur, clystere acri, quale esset id quod ex cocco Gnidio thymeleæ fructu efficacissimo medicamento componitur, subluatur. Quod si nec tormina ex huiuscemodi clystere cessent, omni medicamenti purgantis genus abhorrens, purgationem faciendam esse per lac asininum coctum instituit. Quod licet copia euacuare, & purgare sit aptum, tamen ex coctione vim sistendi aluum retinet. Vnde à purgatione facta huiuscemodi lac aluum adstrictam, non laxam, qualem semper in tabidis reformidat, relinquet. Si vero à veratro non alui tormina, sed bilis vomitus excitetur, lenticulæ decoctum superbibendum monet, vt ratione abstersionis eius facilior succedat vomitus, ratione autem frigiditatis feruor bilis temperetur. Quibus actis, censet Hippo. morbi fomitẽ, & causam, quã prauorum succorum sobolem esse existimauit, superari posse. Et hoc quo ad medicamenta. Quo autem ad victus rationem, ex qua bonorum succorũ generationem contendit, instituendam, statũ duplicem ægrotantis considerat, distinguens, an febres putridæ, quas nunc acutas, non à constitutione morbi, sed à qualitate caloris, & in respectu ad hecticam tabidos concomitantem, vti superius monui, appellat, huic tabi copulentur, an nõ. Nam si febres putridæ tabescentem tenuerint, carnibus ouillis ἑφθοῖς, id est, elixis (non coctis, vt Conar. transtulit, quis enim non nouit carnes crudas eutandas non esse, sed coctas?) & volucrium, & cucurbita, & beta, vtendum esse instituit. Ouillis quidem, vt quæ propter consuetudinem essent antiquioribus familiares, volucrium propter leuitatẽ, cucurbita ad refrigerandum, beta ad abstergendũ.

Quæ

Quæ omnia elixanda sunt, vt tabescentes ratione humiditatis, ex his facilius ea concoquant, & ea iisdem facilius nutriantur, ratione autem qua nidore, & ignea vi, qua tosta donata sunt, carent, nullum calorem præter naturam concipiant. Horum autem cibariorum ius, inquit Hippoc. ne sorbeat, aut intingat. Sed quid hoc est, quod carnes concedat, & iua prohibeat? Ea est Hipp. sententia, quod cum hæ febres contingant in subiectis ratione incipientis tabis languidioribus, morbusque primarius sit futurus longus, cuius ratione ad manutenendas vires non sufficit tenuis victus, ideo prædictarum carnium substantiam concedendam, non autem solis sorbitionibus ex prædictis rebus paratis vtendum esse monet, dicens, insculum autem ne sorbeat, aut intingat, id est, vbi febres putridæ tabescentibus superuenerint, ij solis sorbitionibus, aut intinctibus ex prædictis cibariis non sint contenti, sed ad virium, quæ ex longo morbo periclitati possent, conseruationem, eorum substantia vescantur. Quid autem differant sorbitiones ab intinctibus, declaro. Sorbitiones sunt eę, in quibus tota rei substantia per eliaationem dissoluta, potione crassior, cibo tenuior euadit, quorũ vsus est in morbis acutis, vbi potiones non sufficiant. Intinctus autem est ius simplex, in quo panis ad edendum intingitur, vt inde humectatus facilius ab ægrotante deiumatur. Quare cum hæ duo, scilicet sorbitiones, & intinctus sint cibi leuiores, quam requirantur in tabescentibus, ideo Hipp. monet, non his, sed ciborum dictorum substantia vescendum esse. Quod idem de piscibus affirmans, scorpii, qui est piscis duræ carnis, & piscium cartilagineorum, qui multum nutrire valent, substantiam probat, vbi fuerint elixi, quoniam per elixationem hoc recipiunt, vt duritiem deperdant, & aptiores nutritioni euadant. Hæc autem omnia, scilicet tam carnes quam pisces & obsonia, prohibet calida admodum esitanda esse. Quod præceptum non tam in hoc casu, quam in quocunque alio, in quo febres caloris vehementia vrgent, est obseruandum, scilicet vt oblata non calida, sed ad teporem quendam redacta sumantur. Vbi enim potiones, iura, fercula, cæteraque febricitantibus propinanda sint actualiter intenso calore insignita, non possunt non calorem febrilem accendere, ac simul adaugere. Quare sub quodam tepore exhibeantur, nisi tamen ventriculi aut languor, aut intemperies frigida obstet. Quemadmodum autem cibum, actuali calore insigniter dotatum, prohibet, ita & eadem ratione interdicit balneum, quoniam ea actuali illo calore febrilis calor intenditur, præter id, quod si non sit cõcocta materia, multa mala succedere possunt. Ex oleribus omnia acria, eorum caliditatem reformidans, prohibet, præter satureiam, & origanum, ex iis excreationem ichorum ex pulmone resudantium facilitari sperans, vinumque album, quod in cruda materia, & in destillatione vrgente esset malum, cõcedit, ad viriũ conseruationẽ. Quod si fuerit & dulce, & aquosum, nulla ratione improbandum erit. Hæc agenda sunt, si febres putridæ tabescentem teneant. Si vero sine febre sit, calores autẽ alias atque alias corripiant, id est, si febris non putrida, sed hectica tantũ, quæ alias in die solet esse lenior, alias vero à cibo, & in nocte solet esse grauior tabescentem corripuerit, exhibet pisces optimos ac pinguissimos. Optimos quidẽ, ne sint excremẽtosi, & optimum succum generent, facileq; concoquantur. Pinguissimos autem ad excreationem è thorace facilitandam. Pinguedo enim quæ in putridis febribus est admodũ noxia, cũ facile ab alieno calore incandescat, cuius ratione superius eius nec meminit, in thoracis affectibus ad laxandũ & leniendum est maxime opportuna. Sed & præter pisces in summa ciborũ formã redigens, inquit, & edat pinguia, & dulcia, & salsa, id est, cibaria offerẽda, siue sint pisces, siue carnes, sint pinguia ratione prædicta, sint dulcia eadẽ, sint vero salsa ad abstersionem ὡς μάλιστα, id est, quam maxime, nõ quam maximẽ salsa, vt Cornarius sua translatione insinuat, quoniam hæc essent admodum noxia, cum nimiam mordicationem, visceris irritationẽ, & sanguinis salsioris generationẽ, & corporis extenuationem, quæ omnia tabescentibus mala sunt, causare sint apta, sed quam maxime, id est, præcipue ex omni ciborum genere edat pinguia, dulcia, & salsa. Quoniam vero absente putrida febre exercitium conuenit, ad hoc deambulationes laudat, quæ neque in vento ad cauendam humorum agitationẽ, & corporis ad contraria dispositionem, neque sub sole ad declinandam destillationum occasionem, fiant. Quarum sicut opportunum est tempus ante cibum, ita à cibo vomitum, vbi tempestiuum medico videatur, tanquam auxilium præseruatiuum, & antiquioribus valde vsitatum, probat. Balneum non amplius absolute, vt in febre putrida, interdicit, sed illud hac ratione concedit, vt totum corpus præter caput, quoniam in tabescentibus semper destillationes suspectæ sunt, lauet. Panem autem frumentaceum his, qui eo vesci cõsueuerunt, dandũ esse docet. His vero qui maza, id est, pane hordeaceo vti sunt soliti, tam hordeaceum, quam frumentaceum concedendum esse monet. Et hæc sit Hipp. huius tabis curatio. Quæ an sit sufficiens, habeatur ex his quæ in commentario libri primi de morbis docui. Nunc enim ea, quæ illic explicata sunt, repetere non lubet.

Alius morbus, appellatus tabes.

109 *Tabes vexat, & sputum multum ac liquidum, & quandoque facile tussiendo reiicitur etiam pus, veluti grando, quod dum digitis conteritur, durum & male olens est. At vox pura est, & doloris expers, & febres non corripiunt. Verum calor quandoq; alias atq; alias, atq; hic debilis.*

ALTERAM tabis ex pulmone procedentis speciem nunc recenset Hipp. in qua pus in formã grandinis effigiatum excreatur. Quod si digitis atteratur, durum tactu, male olens odoratu præsentitur. Duritiem consequitur à calore, puris crassitiem assante, graueolentiam autem, à putredine. Hoc pus vel per congestionem in quadam visce-

visceris singulari parte, vel per resudationem ex aliqua eius praua dispositione colligitur, indeque vi caloris eiusdẽ in grandinosi corporis forma redigitur. Ea de causa, quoniam paucum est quantitate, tum quoniam hoc idem in proprio loco coercetur, nec cõtinuata excreatione educitur, diuturnitate temporis assatur. Coercetur autem in singulari pulmonis particula, quoniam in hoc affectu non totus pulmo, sed quædam eius pars singularis, in qua tale pus, aut per congestionem, aut per resudationem colligitur, affecta est. Hanc partem nõ censeo ego esse pulmonis intimam substantiam, quia ab ea aut non possent huiuscemodi corpora excreari, aut excreata cum maxima educerẽtur laceratione, cuius ratione, magna concepta in viscere labe, hic morbus ad annos, sicuti producitur, ꝓtrahi non posset; sed existimo eam esse partem, ad quam oscula asperarum arteriarum in pulmonis substantiam terminantur. In hac enim parte ob loci angustiam parum puris aggregari, aggregatum autem assari, & assatum in corpus grandinosum conuerti, conuersumque sine visceris dilaniatione facile excreari potest. In hoc affectu inquit Hipp. tussis vexat, cum duplici ratione molesta sit. Primo quidem, quoniam per eam sputum multum ac liquidum excreatur, quod ratione multitudinis frequentiam, ratione liquiditatis seu tenuitatis irritationem tussis causat. Hoc autem vel ea destillata materia, vel ex influente à toto causari potest, quod tamen nondum putret. Secundo quoniam vbi genita sint illa gradinosa corpora, & asperarum arteriarum oscilla attingant, ad tussim irritant. Cæterum quoniam in admodum abstrusa parte coercentur, ideo antequam è proprio loco detrudantur, molestissimam tussim pariunt, commota autẽ & ea proprio loco exturbata facile excreãtur. Vox, quam grauem in superiori tabe dicebat esse, in hac est pura, quoniam locus affectus vocalia instrumẽta inficere non potest. Nec illius adest dolor, quoniam affectio non est tanta, vt partibus sentientibus, sicuti membris colligantibus, communicari possit. Nec febris corripit, quoniam materia putrens est pauca, & in loco particulari conclusa, febris inquam notabilis & assidua, nam quandoque febres quædam pusillæ, & erraticæ, nullum ordinem seruantes, superaccedunt, vel in irritatione tussis, vel in illorum grandinosorum corporum exturbatione, ac agitatione. Hæc Hippo. de hac tabe. Cuius etiam meminit Gal. lib. 4. de loc. affect. in fine, narrans historiã eius, qui exiguum lentumq; pus expuens, fructum quoddam paruo grandinis grano haud absimile excreauit, cui & alios similia corpora excreantes se vidisse commemorat. At sciendum est, non solum per tussim prædicta corpora grandinosa, verum etiam lapides excreari, sicuti Alexand. Trall. & Ioan. Farnel. testantur se vidisse, quorum lapidum generatio eadem est, quæ & lapidum in renibus, scilicet ratione materiæ lentor, ratione agentis calor. Quæ duo cum in aliqua pulmonis parte sedem ac fomitem habere queant, poterunt etiam in pulmone lapidum generationis esse causæ. Verum hi duo casus ab inuicem admodũ distant, quoniam in primo, in quo grandinosa corpora excreantur, pus simul cum illis corporibus educetur, imo illa corpora nil aliud sunt, quam pus concretum, & ad formam grandinis effigiatum, quod ad tactum durum, ad olfaciendum male olens sentitur; in secundo autem non pus, sed lentus humor, cum lapidibus excreatur. Et ideo ad primum casum temporis diuturnitate tabescunt patientes; ad secundum autem nequaquam. Quod notare volui, ne quis lapidum excreationem grandinosorum corporũ excreationi parem vndequaque esse censeat.

110 *Huic veratrum bibendum est, & lenticula decoctum, & large cibus sumendus, ita vt abstineat ab acribus, & carnibus bubulis ac porcinis & ouillis. Exerceetur modice, & deambulet, & à cibis vomitu vtatur, à venere abstineat.*

ADEO familiaris erat antiquioribus hellebori ac vomitus vsus, vt fere nullum inuenias morbum grauiorem, cuius aut curationem, aut præseruationem per ea non tentauerint. Quam normam nunc seruans in hoc difficili, ac perquam longiori morbo Hippo. ad tollendam per vomitum grandinosorum corporum materiã, veratrum bibendũ, simulque ab eo lenticulæ decoctum ad facilitandam vomitus euacuationem superingerendum esse monet. Vomitu autem facto, & inde sufficienter corpore purgato, pręcipit cibum large sumendũ, id est, non tenuiter alendum, sicuti in morbis aut acutis, aut breuibus agendum est, sed abundanti nutrimento, quali in morbis diuturnis ad vires manutenendas egemus, vtendum esse. Nam cum hic morbus ad annos se extendat, victus ratio, quo ad quantitatem non est coercenda, sed ad eam, qua sani vtimur, assimilis est præscribenda. Quam victus rationem quo ad quantitatẽ describens, vsus verbo illo ἐνέχεσθαι ὡς πλεῖστα, id est, abundanter, ac sufficienter cibo satiari; quo ad qualitatem autem eam victus rationem esse noxiam, ex qua humores aut crassi, aut lenti, aut praui succi generari possunt ab eaq; declinandum esse insinuat, dum docet abstinendũ esse à carnibus bubulis, porcinis, & ouillis. Τῶν δριμέων autem, id est, ab acutis cibariis, & quæ in odore grauia sunt, quoniam hæc succi prauitatem retinent, nõn acribus interpretandum, vt transtulit Cornar. cum hæc salutaria ad attenuandam & abstergendam lentam ac viscidam, ex qua generantur lapides, materiam, valde conueniant. Præscripta ciborum tum quantitate, tum qualitate, ad exercitationis tum qualitatẽ, tum modum transit, docens exercitium in qualitate debere esse non vehemens, sed modicum ac temperatum, in modo autẽ deambulationes ad hoc sufficientes fore, nã corpora valetudinaria nec vehemẽti, nec valido motu exercitanda sunt. A cibo autem, qui necessario largior ob morbi diuturnitatem esse debet, & qui ob eius abundantiam in corpore inualido succos crudiores cumulaturus est, monet vomitum (quod per quædam interualla antiquo more agendum erit) excitandum esse, iubetque potissimum à venere, vt quæ maxime corpora debilia absu-

absumat, corporumque debilium partes læsas admodum labefactet, ac languidiores reddat, abstinendum esse. Hac vniuersali curatione contentus Hipp.nihil de præsidiis particularibus, quæ tamen ad hunc curandum morbum sunt valde necessaria, egit. Horum autem meminit Gal.loco citato, libr. 4. de loc. affect. monens asthmatica medicamenta ad hoc maxime conuenire, cum hæc lentorem, viscidítatem, ac crassitiem materiei, ex qua grandinosa illa corpora generationem recipiunt, tollere queant. At sciendum est, Alexa. Trall. ausum fuisse libr. 5. hanc Galeni curationem reprehendere, dicentem, calefacientia ad hoc noxia esse, cum affectus à calida intemperie pendeat, cuius merito non sit mirandum, si, quotquot à Galeno curati fuerint, omnes perierint. Quare potius frigida, & humectantia ad hunc vsum assumenda esse, ex eorumq; vsu ęgrotantium salutem sperandã esse, sicuti ipse in eo, quem hac ratione curauit, consequutus est. Ad quam Alexandri contra Galenum contradictionem, nisi ego in Annotat. super lib. tert. Auic. abunde satisfecissem, Galeniq; curationem, quam Alex. rationabiliorem ac tutiorem esse demõstrassem, nunc responderem. Sed ne bis eadem repetam, prudens hanc rem prætereo, duo tantum admonens, quorum alterũ est, quod in his qui grãdinosa corpora excreant, simulq; cum his etiam pus reiiciunt, pus excretum male affectos esse pulmones, indeque declinare in tabem patientem, attestatur; qui autem lapides extussiunt, nec pus, nec quid quod tabem significet, expuunt. Quare non sit mirum, si ægri à Galeno curati, cum ratione purulenti pulmonis in tabẽ deflexerint, omnes perierint, qui autem ab Alexand. est curatus, cum nihil tabẽ significans secum deueheret, sanatus fuerit. Alterum est, quod curatio Galeni profuit quo ad grandinosorum corporum generationem, vt ex quantitate, & numero in dies decrescenti patuit, fuitque rationabilis, summaque ratione iudicata. Alexand. autem curatio fortuita extitit, solamque habuit hanc indicationẽ, vt materiam in thorace contentam educeret, non vt lapidis generationem prohiberet. Quæ curatio etiam hinc profuit, quod plures non erant geniti lapides, nec cum his pus excreabatur. Quare non erat, quod Alexa. Galenum reprehenderet.

III *Hic morbus per annos septem aut nouem durat. Quod si ab initio æger curatus fuerit, sanus euadit.*

CVM eadem sit in iudiciis à natura tentatis proportio dierum, septimanarum, mensiũ, & annorum, cumque morbi acuti per dies, longi per septimanas, longiores per menses, longissimi per annos iudicentur, horum omnium idem circuitus, & eadem analogia esse debet. Vnde sicuti simpliciter acuti in septima die iudicantur, ita longi septima hebdomada, longiores septimo mense, longissimi septimo anno iudicari debent. Ex quibus longissimis morbis cum vnus existat hæc tabes, in qua vna cum grandinosis corporibus pus excreatur, non mirum sit, si dixerit Hipp. hanc per annos septem durare. Addidit autem & per nouem, quoniam sicut simpliciter acuti aliquando aliqua ex causa rat dant indicium ad nouem dies, in conualituris quidem remisso morbo, in morituris autem ob virium robur morbo reluctans, ita pariter hæc tabes in nonnullis, qui vel ratione vigentis ætatis, vel ratione roboris innati sint validiores, & hoc præcipue vbi æger in aere saluberrimo degat, actisque constitutiones ad siccum nullam manifestam inæqualitatem seruantis vergant, ad nonum annum perduci poterit. Quo tempore, scilicet vel septimo, vel nono anno perimet ob debilitatos, & penitus suppuratos pulmones, patientem. Quæ tamen tabes si à principio recte curetur, sanari poterit, cum eo tempore pulmones nondum tantam contraxerint imbecillitatem, aut morbosum, ac purulentum affectum, quin in pristinum statum restitui queant. Huius autem morbi exactam longitudinem non animaduertit, nec notauit Galen. qui tamen eam ad multos annos perseuerare docuit, vel quia huiuscemodi ægrotantes à principio morbi curandos non suscepit, vel quia eam diligentiam, qua vsus est Hippocrat. in obseruatione temporis non habuit.

Morbi acuti per dies, longi per septimanas, longiores per menses, longissimi per annos iudicantur, id est, aut mutationem, aut solutionem siue per mortem, siue per valetudinem recipiunt. In his enim omnibus eadem est analogia, ac proportio: nam sicuti infra terminum acutorum morborum dies quarta est indicatoria, septima autem indicatoria, ita pari ratione quarta septimana in longis, quartus mensis in longioribus, quartus annus in longissimis est indicatorius, quemadmodum septima hebdomada, septimus mensis, & septimus annus in septimanis, in mensibus, in annis est indicatorius. Hoc stante cui mirum sit quod Hippocrat. de longissimo morbo loquẽs, nunc dicat eum, per annos septem durare, aut ad summum per nouem eodem met casu, quo crisis in simpliciter acutis morbis non facta in septima transfertur ad nonam diẽ. At ista duratio ad septimum, aut nonum annum intelligatur per mortem, non per succedentem sanitatem terminari, quoniam tabes vbi per plures annos confirmata fuerit, non amplius curationem admittit, sed sola morte solui potest. Quæ tamen si non sit confirmata, nec per multos annos protracta fuerit, est sanabilis. Et ideo non immerito inquit Hippocrat. quod si æger ab initio tali tabe correptus fuerit curatus, sanus euadit, id est, antequam tabis confirmata sit sanari potest. Quam tamen sanationem Galen. in his, qui se illi obtulerunt, semper non difficilem modo, verum impossibilem quoque expertus est. Testatur enim quotquot isto morbo deprehensos viderit, omnes, quanquã rectissime curatos, ex eo periisse, sed hoc forsan contigit, quoniam ægrotantes illi non à principio, sed in progressu morbi, cum pus iam manifestissime excrearent, Galenũ consuluerunt. Quoto autem anno perierint, non explicat Gal. vel quia potissimum horum tabidorũ tempus

non

nõ obseruauerit, vel quia tabescentes huius morbi initium ignorauerint, & inde id Galeno significare non potuerint, qui tamen asserit, omnes eos ægrotantes ad multos annos vitam perduxisse, nec hunc affectum multorum annorum spatio adeo mitigari potuisse, quin omnes perierint, hoc superaddito, quod nihil cruoris excrearint. Hoc autem animaduertit Gal. tanquã mirabile in tabidis, cum fere omnes tabidi sputum cruentum, ac purulentum simul, ante mortem excreare sint soliti, vt pluries in primo primi libri commentario sect. 3. declaratum fuit.

112 *Alius morbus. Si ex feruido vlcere, aphta appellato, pulmonis fistula laborarit, febris debilis tenet, & dolor medium pectus, pruritus corporis adest, & vox raucosa, & saliuam ac tenuem spuit, quandoque etiam crassam velut ptisanæ succum, & in ore odor oboritur ipsi grauis, velut à piscibus crudis, & alias atque alias in saliua apparent dura, velut fungus ab vlcere, & superna partes extenuantur, atque adeo homo totus, & circuli faciei rubescunt, & progressu temporis vngues contrahuntur, & aridi, ac cum virore pallidi fiunt. Moritur autem statim, si non curatus fuerit, sanguinem ac pus spuens. Postea etiam febres vehementes accedentes ipsum perimunt. Si vero curetur, effugit ex hac tabe.*

ALTERAM tabis speciem ex superficiario asperę arterię vlcere succedenté explicaturus, inquit: ἢν ἀφθήσῃ, id est, si aphtis, quæ proprie suns oris, nunc autem transumpto nomine ad asperam arteriam eius tunicæ interioris sunt vlcera superficialia, pulmonis fistula laborarit, febris ratione vlceris interni, sed debilis, quia vlcus altius nec penetrat, nec large serpit, succedit. Dolor medium pectus ex diametro loci affecti occupat, non sane ꝙ dolor thoracis partes exteriores corripiat, sed quia è loci alterari regiona dolor pectori repręsentatur. Pruritus corporis ratione communicantiæ causæ subsequi solet. Nam cum talia vlcera, vel à pituita salsa, vel ab humore adducto causentur, verisimile est, non tantum in parte vlcerata, sed & in reliquo corpore eosdem pariter succos abundare, qui sicuti ad internam asperæ arteriæ tunicam transmissi ob eius mollitiem eandem vlcerant, pariter ad cutem pertrusi pruritum, aut pruriginosas papulas pariunt. Vox ab iis vlceribus læditur, indeque rauca, ob tunicæ vocis principale instrumentum vestientis vlcerationem, euadit. Screatio ex irritatione vlceris, sicuti etiam fit in aphtis oris, solet esse liquida, & tenuis, quæ tamen quandoque, sed hoc rarius, est crassa, quandoque autem mediocris substantiæ, qualis est succus ptisanæ, qui est medius inter tenues & crassos succos, ita vt screatio hinc multiplex oriatur, ex quibus tamen tenuis est frequentior. Hanc autem multiplicitatem non exprimit Cornar. cum illa verba, quandoq; etiã crassam velut ptisanæ succum, copulatiue in similitudinem legat, cum tamen Hippo. illa per copulam καὶ distinguat, nec in similitudinem illam succum ptisanæ, sed ad diuersitatem alteram substantię indicandam apponat. Ad hæc vlcera, expirante ad os putrido vapore, succedit grandis in ore tanquam à piscibus crudis odor, crudis inquam, non recentibus, sed diutius reseruatis, ex quo tetrum quendam, ac lutulentum vaporem expirare incipiunt. Ex iisdem vlceribus per tussim quandoque reiiciuntur quædam dura, velut fungus. Nam cum vlceri quandoque adnascatur crusta, quæ in comparatione sputi est dura, in ratione autem egerminationis fungosam substantiam præ se fert, non potest quandoq; ex tussis irritatione ac frequentia non excreari, ac per tussim educi. His omnibus vnum, quod tabem ipsam manifestissime attestatur, succedit, quod est primo partium superiorum (nam facies prima omnium membrorum immutatur) deinde & totius corporis extenuatio. Nam cum per vias spiritus continuo ad cor ex vlcerato loco putrida exhalatio expiret, indeque febris continua vniformis, ac hectica patientem detineat, cuius ratione omnes facultates labefactantur, non potest corpus totum temporis processu non extenuari, indeque vere tabidum euadere. In qua tabe solent hæc perpetuo accidere. Primo quod malarum fastigia, quæ nunc circuli faciei appellantur, rubescant. Rubescunt autem ex vaporationibus, ad faciem ex thoracis partibus intimis ascéndentibus, quæ sicuti continuæ sunt, ita continuo rubore malas inficiunt. Qui rubor in corporibus quæ extenuantur, in phtisimque inclinationem habent, est adeo certum instantis tabis indicium, vt minime coniecturale ac significatiuum existat. Secundo vngues contrahuntur, nam dũ extenuatur corpus, carnes sub vnguibus existentes absumuntur: his autem absumptis, vngues necessario incuruantur. Tertio corpus arescit, nam absumptis ex tabe partibus carneis & humidioribus, totius corporis ambitus siccatur, ac arescit. Quarto color naturalis viciatur, in mediumque inter flauum & viridem permutatur. Sanguis enim ex continua febre quodammodo bilescens, floridum colorem deperdis, & ad citrinitatem quandam cum quodã virore alteratur, in cuius similitudine corpus immutatum ex florido chlorũ efficitur. Et hæc sunt ea, quæ Hipp. huius tabis apposuit indicia. De qua etiam meminit Galen. lib. 5. Method. cap. 11. dum ageret de asperę arteriæ vlceribus, quo loci narrans in ea pestilentia, quæ tunc tẽporis grassabatur, multos hasce vlcerationes incurrisse, notat, in conformitatem eorum, quæ ab Hipp. dicuntur, eorum corpora aut vlceribus, aut exanthematibus, quæ aspera & scabiosa erant, correpta fuisse, crustulamque quam ἐφελκίδα dicunt, tussi expulisse, & dolorem è regione vlceris persensisse, & in aliquibus vocem viciatam fuisse. Huius autem morbi adeo facilem curationem existimauit Hippocrat. vt ab hac sola prognosticandi rationem in hoc morbo desumpserit, dicens: Quod si patiens ex hac tabe curetur, periculum mortis effugiens saluabitur; si autem non curetur peribis eo tempore, quo vlcus serpens, & sordidum factũ

tan-

tantam corrosionem in loco affecto causauerit, vt inde sanguis ac pus euidenter, & in notabili quantitate excreetur. Ad quem statum cum peruenerit patiens ex magnitudine, ex sorditie, ex ingenti vlceris purulentia, febres vehementes, ac validæ accedunt, quæ ratione continuati affectus perseuerantes tandem patientem ex morbo iam languidum, & emaciatum perimunt. Dixit autem Hippocrat. moritur autem αὐτίκα, id est, statim, vt transtulit Cornarius, non vt morte subitanea hunc interimi moneat, cum hoc nequaquam vero consonet, quandoquidem ex tali vlcere, non ex sanguinis copia, qualis quandoque succedit vlceratis aut pulmonibus, aut eorundem vasibus, vt perimere statim patientem queat, sed dixit hunc mori αὐτίκα, id est, quamprimum æger ad eum peruenit statum, vt facto vlcere sordido & serpente, sputum sanguinis, & puris in notabili quantitate succedat. Nam eo tempore febres vehementes superueniunt, quæ patientem ex morbo languentem, & extenuatum penitus tollunt.

113 *Curare porro oportet, vt lenticula decocto puro vomat. Quod si tempestiuum esse visum fuerit, veratrum bibat, si quidem potens fuerit homo per se, sin minus, dimidium potionis ad lenticula decoctum admisceto, ita vt in quinta aut sexta potione desinat. At ventrem infernum medicamento ne moueas, si non febres fortes corripuerint; si vero non corripuerint, lacte asinino subtus purgato. Quod si debilis sit, vt bibere non possit, per clysterem infundito. Minus autem caput moueas, & si quidem salina ad os prodierit, multa ac salsuginosa, ad nares apponito quid quod bilem non ducat. Si vero fluxio ad os non fiat, nihil capiti adhibeto. Vbi autem salina graueolens fuerit, interpositis inter lenticula decocti vsum diebus, medicamentum in pulmonem infundito, & interposita vna die suffito.*

HIPPOCRAT. eam sententiam, quam libr. 4. Aphoris. 18. registrauit, dicens, supra septum transuersum dolores purgatione indigere per superiora significant, attendens, primam intentionem ad curandam hanc tabem eo dirigit, vt per vomitum prouocantia materiam peccantem educere festinet. In hoc autem vomitu excitando duo animaduertenda esse monet, alterum est tempus anni, alterum est ęgrotantis robur. Si tempus anni consentiat, patiensque sit robustus, helleborum propinandum esse docet, sin minus lenticulæ decocto ad hoc vtendum esse præcipit. Hoc autem solum ad excitandum vomitum esse assumendum monet, si & tempus anni ad hellebori potionem ineptum sit, & patiens non sit validus. Si vero æger non robustus quidem, sed nec etiam penitus languidus existat, tempus vero ad veratri potionem conueniat, ad lenticulæ decoctum dimidiam hellebori potionem admiscet, vt inde formato mediocri ac temperato medicamento vomitus nec valide, nec violenter excitetur; hinc enim diluitur ac attemperatur veratri potio, ac eius violentia remittitur. Quoniam autem morbus magnus est, insignemque requirit euacuationem, quã vires tollerare nequeunt, vt hanc expleat euacuationem, repetendum esse hoc medicamentum aut quinquies, aut sexies monet, vt id quod semel hellebori potio efficere valet, ex repetita exhibitione adimpleatur. Quoniam vero in suppuratis euacuationes per inferiorem ventrem sunt suspectę, quoniam, vt in commentario lib. primi habetur, in his fluxiones alui sunt malæ, plurimique ex suppuratis ab his perimuntur, ideo monet Hippocrat. vt hisce ægrotantibus medicamentum inferne purgãs nõ exhibeatur, nisi eo in casu, in quo febres fortes corripuerint, id est, nisi in eo casu, in quo febres putridæ, quas fortes in comparatione hecticarum hosce tabidos insequentium, appellat, patientem apprehenderint. Tunc enim in respectu harum febrium ad purgationem putrescentium humorum medicamenta inferne purgantia conuenire possunt. Si vero febres putridæ hisce ægrotantibus non superueniant, hecticęque tantum persistant, corpusque prauis succis scatens purgatione egeat, tunc lacte asinino, quod tunc temporis in notabili copia, vt alias ex antiquis monui, est exhibendum, purgationem molliendam esse præcipit, ea habita consideratione, vt æger valeat, qui si sit debilis, nec etiam lacte purgandus, sed solis clysmatibus subleuendus erit. Quo casu ableganda etiam sunt medicamenta caput purgantia, qualia sunt errhina, vel in succos, vel in pulueres formata. Hæc enim sternutatione procurata admodum agitant & concutiunt patientem, qui vbi langueat, talem motum male tolerat. Verum quoniam in huiuscemodi tabescentibus solent connecti destillationes, quæ quantitate, cum copiosæ sint, & qualitate, cum salsuginosæ existant, molestæ sunt, ideo monet eo casu ad nares aliqua admouenda esse, quæ alterare cerebrum, vt superius etiam docuit in tabe ex pulmone, non euacuare bilem, id est, humorem peccantem, quem bilem ratione acrimoniæ adscititiæ vocat, possit. Hæc enim molesta essent in corpore languido ob agitationem ex sternutatione superinductam. Quod si nulla talis adsit destillatio, nihil capiti, vtpote membro quod nihil transmittat, admouendum erit. Verum quoniam ex progressu morbi putredo in vlcere inualescit, indeque magis sordidum euadit, ideo tandem sputum graueolens redditur. Quo casu ad localia deuenienda remedia Hippocra. iubet, interpositis à vomitu ex lenticulæ decocto prouocato diebus, medicamentum in pulmonẽ infundendum, & deinceps vna interposita die, suffiendum esse. Qua ratione autem ad intra pulmonem medicamenta infundantur, idemque suffiatur, ex superiori loco, vbi agit de suppuratis ex peripneumonia, habeamus. Per hanc autem infusionem, & suffumigium intendit Hippocrat. putredinem sistere, sordem abstergere, & vlcus exsiccare. Quæ si conse-

quamut per talia medicamentorum genera, maximum ægrotanti commodum attolerimus, sed res, mea sententia, periculi & discriminis plena est, quandoquidem suppurati, cum sputum graueolens excreant, in exitiali statu constituti sint. Quapropter consolo, vt medici statim, non autem progresso iam, & cacoethe facto morbo curationem aggrediantur. Quæ ea ratione administretur, vt expurgato corpore ab acribus & acutis succis, vlceris siccationi incumbatur, tentando per epicrasin humorum peccantium contemperamentum. Hanc curandi rationem docens Galen. libr. 5. Method. cap. 12. supposita corporis expurgatione ac siccatione, ad quatuor remediorum genera descendit. Quorum primum est, vt ad extra imponatur medicamentum siccare potens, quale est Empl. ex salice, diadictamen, cerine, barbara, aliaque similia. Secundum est lambitiuum, cubanti ægro administrandum, quod facultate siccanti & adstringenti polleat. Tertium est habitationis permutatio in aerem sicciorem. Quartum est vsus lactis, præcipue vaccini, quod arte eiusdem facultatis paretor, procurando vt vaccæ in pascua quæ lentisco, arbuto, rubo, hędera, cytico, gramine, loto, polygono, melissa, aliisque similibus plantis scateant, deducantur. Hinc enim lac eiusdem facultatis euadit, celebreque hinc paratur ad hunc morbum medicamentum, quæ omnia sicuti in alterando lacte pollent, ita pariter eorum succi, aut decocta ad formanda opportuna lambitiua apta erunt. Qua ratione progrediens medicus, poterit, vbi à principio medeatur, ægrotantis salutem sperare. An autem præter hæc infusiones, & suffimenta ab Hippocrate proposita sint in vsum deducenda, nouerit ille medicus, qui facultates medicamentorum optime cognoscens possit deligere opportuna, tum ad siccandum, tum ad purgandum, tum ad consolidandum vlcus, medicamenta, quorum materiam in infusiones, & suffimenta commode, ac tempestiue digerens, poterit summũ ęgrotanti iuuamentum præstare.

r14 *Cibis vtatur carnibus ouillis, & volucrium, & piscibus cartilaginei generis, & scorpiis coctis. Quarto vero quoque die salsamentum edat optimum ac pinguissimum, & in prandio mazam sumat, in cœna vero panem etiam ad hanc addat, & nihil sorbeat, neque cyceonem bibat, si edere poterit. Porro obsonia condiat ac edat sisamo pro tritico, & coriandro ac anetho. Silphio autem ne vtatur, neque alio quopiam olere acri, præterquam origano, aut thymo, aut ruta. Deambulationibus autem vtatur ante & post cibum, vitans ventum & solem. Ab ebrietatibus & re venerea abstineat. Lauet tepida, excepto capite, quod quam rarissime lauari debet.*

QVONIAM altera curandi pars in recta victus ratione constituenda consistit, ideo Hippocr. posteaquam pharmaceuticam partem in superiori text. descripsit, nunc in præsenti ad diæteticam descendit, eum scopum habens, vt quantum fieri possit, victo exsiccanti vlceris sanationem procuret. Quapropter inter carnium genera probat ouillam, & quæ ab auibus desumitur, vtpote vim siccandi habentem, inter pisces autem probat cartilagineos, & præter hos scorpium, vt qui duram carnem habentes non humectare, sed potius siccare valeant. Quibus pro exemplari adscriptis, & in vsum assumptis, monet, vnoquoque quarto die salsamentum aliquod optimum ac pinguissimum exhibendum esse. Sed quorsum hæc? Vt ratione salis possit vlcus abstergere, & siccare, ratione autem pinguedinis queat attemperare ac liníre. Verum quoniam salsamentorum continuus vsus prauitatem succorum inducit, nimiamque reliqui corporis siccationem causare est idoneus, ideo in hac tabe monet horum vsum non continuatis diebus, sed vnoquoque tantum quarto die esse administrandum. Insuper monet in hac cibandi ratione duo obseruanda esse, alterum, vt cœna prandio sit abundantior, cuius merito exhibet in prandio mazam, id est, panem ex hordeo, in cœna autem ad hanc panem ex tritico, quem panem simplici voce appellare solitus est Hippocrat. addit, alterum vt cibaria actualiter humida ex hac victus ratione, si æger sicca alimenta edere possit, ablegentur. Cuius ratione præcipit, vt nec sorbitiones, quæ inter genera alimenti actu humidi recensentur, nec cyceonem, quæ est miscella cibi, & potus simul commisti, æger assumat. Rationem autem oblectamenti ægrotantis habens, laudat obsoniorum condimenta. Et quoniam post cibum antiquioribus in vsu erant quædam semina, vel igne tosta, vel quolibet alio modo præparata, quæ tragemata ab eis vocabantur, ideo ex his pro tritico sisamum, vt quod pinguedinem quandam extenuatis proficuam participet, exhibendum esse monet; parique ratione pro coriandro, ac anetho, vt quæ nimis extenuare apta sint, idem dandum esse probat. Ex oleribus autem relicit silphium, ac cætera quæ acuti ac virosi (has qualitates significat illa dictio δριμύ) sint saporis. Talia enim habitum corporis nimis absumunt, ac fundunt. Probat autem tantum origanum, thymum, & rutam, vt quæ siccare, non tamen corporis habitum fundere, aut absumere, vti silphium potest, valeant. Quę in hunc vsum viridia non sicca recipiantur; nam sicca nimis valida sunt, & superflua siccandi facultate pollent. Deambulationes ante cibum ad excitandum calorem innatum, & ad expellenda excrementa, post cibum autem ad aliquam corporis renutritionem probat. Nam leuis motus etiam à cibo satis proficuus est emaciatis corporibus, qui motus nec sub vento, ne inde agitentur humores, nec sub sole, vt inde succi fundantur, est peragendus. Dum autem huic victus rationi incumbit æger, si pristinam sanitatem recuperare intendit, ab ebrietate, vtpote quæ vires naturales opprimat, & principa-

cipalia membra labefacter, & à venere, vt quæ corpora extenuata penitus dissoluit, abstineat, balneumque ingressurus capitis lotionem caueat. Cum enim hinc destillationes & fluxiones in thoracem vtplurimum ortum ducant, caput humectandum nequaquam venit. Quapropter quam rarissime, & multo interposito tempore, si balneo vnquā subliciendum aliqua ex causa fuerit, lauetur: ita enim fluxionibus ac destillationibus occasio minor dabitur. Cum autem balneum ingredietur æger, non frigida, quia extenuata corpora nimis percellit, ac innatum calidum in eisdem ad extinctionem deducit, sed tepida aqua lauetur, vt hinc laxato habitu corpus emaciatum facilius nutriatur. Quod tamen balneum si ratione extenuationis prodesse potest, nihilominus ratione vlceris humectando nocere valebit. Quapropter vel audiamus hoc tantum infra partem affectam administrandum, vel antiquis tantum ob eius familiarem consuetudinem concedendum esse. Nam cum scopus sit Hippucratis cum præcedenti victus ratione corpus siccare, mirum est, quomodo balneum probet. Sed forsan ad delicias, & ad consuetudinem tantum respiciens hoc admisit.

Tabes dorsalis.

113 *Dorsalis tabes à medulla fit. Corripit autem maxime recentes sponsos, & Veneri deditos. Sunt autem sine febre, & cibum bene capiunt, ac consumuntur. Et si interroges ita affectum, dicet sibi superne de capite in spinam velut formicas descendere videri, & vbi mingit, aut ventrem exonerat, prodit ipsi genitale semen multum, ac liquidum, & genitura minime fecunda est, & in somnis semen profundit, siue dormiat cum vxore, siue non. Et quum iter fecerit, aut cucurrerit, tum alias, tum ad accliuem locum, anhelatio ac debilitas ipsum corripit, & capitis grauitas, & aures sonant. Hunc temporis progressu, vbi febres fortes ipsum corripuerint, perdunt febres lipyria.*

QVATVOR esse tabis dorsalis differentias in comment. lib. t. de morbis declaraui; cum altera ex nimia venere, altera ex sanguine copiosiori in spinalem medullam irruente, altera ex eiusdem resiccatione, altera ex praua destillatione in eandem decumbente ortum ducat. Quæ omnes dorsales ab Hippocrate appellantur, quoniam existimauit in his omnibus eam medullæ spinalis partem, quæ ad intra dorsi vertebras continetur, male affici, ex eiusque prauo affectu reliquum contabescere corpus. Hoc de tribus vltimis differentiis perspectissimum est, cum in earum prima medullę spinalis calor insitus à copiosiori sanguine obruatur, & ad extinctionem deducatur: in secunda occlusis meatibus, per quos nutrimentum ad eam defertur, resiccetur: in tertia à praua destillatione liquescat & absumatur, indeq; ex his tribus causis corpus reliquum, quod mediante hac spinali medulla recipit à cerebro facultatum motiuatum & sensitiuarum robur, & facultates, languescat, languidum autem factum emacietur, emaciatum vero tabescat. At de prima specie, de qua nunc agitur, non ita liquet. Nam licet Hippucrat. senserit, semen à cerebro per spinalem medullam ad membra genitalia permeare, vt ex libr. de Aqua. Aeri. & Loc. ex libr. de Genitura, & pueri natura, aliisque locis haberi potest, indeque existimauerit, ex nimia Venere spinalem medullam absumi, maleque inde affectam exsiccari: nequaquam tamen hoc vti verum recipiatur, cum certissimū sit, semini alia destinata esse vasa, eiusque generationis sicuti cerebrum non est causa, ita nec eius transitus ad genitalia per spinalem medullam existit. Nihilominus hanc tabem nunc ad mentem Hippocratis nos etiam vncemus dorsalem, non quia dorsalis medulla sit ea, quæ in hac tabe sit principaliter affecta, sed quia eam esse principaliter affectam credidit Hippocra. Hæc autem dorsalis tabes sicuti nomine, non re coincidit cum prædictis tribus, ita re non nomine cnincidit cum tabe ex gomorrhæa, de qua etiam in commentario prædicto verba feci. Nam sicuti ex hac absumitur corpus destitutum à proprio nutrimento ex superflua seminis, quod est excrementum vtile, profusione: ita pariter absumitur ex gomorrhęa. Cuius ab hac nullum aliud est discrimen, nisi quod tabes ex gonorrhæa habet causam internam, & non procatarcticam: hæc autem non ab interna causa, sed à procatarctica, scilicet à nimio & superfluo veneris vsu, ortum habet. Quare in effectu conueniunt, licet in causa differant, sicuti etiam & hæc dorsalis tabes, de qua agimus, conuenit cum effectu cum ea, quæ fit per resiccationem, & de qua agitur libr. de inter. affect. Nam vbi hæc fiat, vt ibidem docuit Hippocta. à Venere, coincidunt hæ ambæ simul, & vnus idemq; esse affectus videtur, cum tamen distinguantur ex causis, si resiccatio fiat occlusis venis ad medullam tendentibus, itemque ex cerebro ad eam accessibus, id est, fibris aut meatibus, per quos vis animalis defertur, occæcatis. Agens autem Hippocrat. de hac dorsali tabe, quatuor de ea explicat. Quorum primum est, quæ pars in hac tabe primo afficiatur: secundum est causa ex qua ortum ducit: tertium sunt signa & symptomata ad hanc consequentia: quartum est curatio. Quo ad primum, monet medullam spinalem esse eam partem, quæ primo afficitur, & esse eam, qua resiccata reliquum corpus pariter resiccetur. Quo ad secundum, hanc causari ex nimio & superfluo coitu insinuat, dum inquit, hac corripi potissimum recentes sponsos ac Veneri indulgentes. Scimus enim hosce nimium huic negotio operam nauare, ex quo non tantum vasa genitalia, sed & totum reliquum corpus supra modum labefactatur. Quo ad tertium, hoc vnum maxime aduertendum notat, quod cum hi non febriant, & cibum in debita & conuenienti quantitate assumant, nihilominus consumantur, ac emacientur. Cur autem restauratio non succedat ex proportione cibi, cum absit

febris, quæ cibum absumere, & restaurationem impedire est apta, declarat hoc ex duabus fieri causis, quarum altera est vasorum seminalium relaxatio, & summa imbecillitas ad nimiam venerem insequēs, altera est reliqui corporis languor, & eneruatio ob spirituum nimiam resolutionem, & ob alimenti vtilis, cuius opulentia corpus defraudatur, surreptionem, succedens. Ex prima causa fit, vt vasa illa semen nec continere, nec integre concoquere possint, vnde merito imperfectæ coctionis fit, vt semen infœcundum euadat, liquidumq; sit, cum perfectam coctionem non sit adeptum, ac multum existat, quoniam licet vim contentiuam imbecillam habeant, tamen attrahentem validam possident, cuius roboris causa cæteris membris opportunum, & destinatum alimentum ante eius appositionē surripiant. Merito autem imbecillitatis contentiuæ sequitur, vt ex quacunque leui irritatione tam vigilantes, quam dormientes semen profundant. Vigilantes quidem, vt si mingere, aut ventrem exonerare tentent, dormientes autem, quoniam in somno retractus calor ea vasa stimulat & laxat, & ad seminis profusionem irritat, licet patiens cum vxore cohabitans, iam venereo actui complementum dederit. In his autem inquit sibi videri de capite in spinam veluti formicas descendere, quoniam cum spina sit pars frigidior, indeque ab ea rigor, vt docet Hippocrat. libr. 6. Epid. sect. 3. text. 19. & libr. 5. Aphorism. 69. primo sentiatur, ac ortum ducat, hinc etiam fit vt eunte corpore ad extenuationem, hęc eadem pars magis refrigeretur. Et hoc potissimum cum ci alimentum accommodum, cuius ratione calor insitus conseruatur, surripiatur, ex qua refrigeratione inæqualitatem quandam persentiens, videtur ipsi tanquam formicas ex capite in ipsam descendentes persentire. Ex secunda autem causa succedit tanta corporis impotentia, vt ex omni validiusculo motu, vt ex cursu, vel in locum accliuem ascensu, difficultas spirandi, ac insignis debilitas eum corripiat, caputq; inde grauetur, & aures tinniant. Nam in hisce corporibus facto motu agitantur humores, qui replentes caput iam imbecillum illud grauant, & in aures concitato spiritu sonitum edunt. In hisce autem tabidis, licet à principio nulla adsit febris, attamen progressu temporis corpore male affecto, & virtutibus omnibus admodum hinc labefactatis, febres putridæ succedunt, quæ naturam febris lipyriæ seruantes tandem hominem perdunt. Sed cur in his febres lipyriæ & fiunt, & hæ patientes interimunt? Quoniam vt alias declaraui, ex nimia venere solent causari pestilentes, & malignæ febres, quæ vbi prauitatem propriam conceperint, ad eum statum deducunt patientes, vt in eis partes exteriores frigeant, interiora autem vrantur, quod febris lipyriæ est proprium. Huiuscemodi autem febres sunt lethales, vt docebat lib. 4. Aph. 48.

116 *Cum ita habuerit, si ab initio curandum susceperis, fomento per totum corpus adhibito, medicamentum sursum purgans bibendum ipsi dato, & postea caput purgato. Deinde deorsum purgans exhibeto. Optandum vero fuerit, vt vere hanc curationem aggrediamur. Postea vero serum, aut lac asininum bibendum dato. Caterum bubulum lac per quadraginta dies bibendum prabeto. Ad vesperam vero, quam diu lac potet alicam sorbendam dato, à cibis autem abstineat. Postquam vero lac bibere cessarit, cibis mollibus ipsum reficito, ex modico initium sumens, & quam maxime crassum ac pinguem facere studeto. Per annum ab ebrietatibus, & Venere, & laboribus abstineat, exceptis deambulationibus, in quibus vitet frigus & solem. Tepida autem lauet.*

HOc est quartum illud, quod Hippocrat. de dorsali tabe agens ibi proposuerat declarandum, videlicet curatio ipsa, cuius scopum eo dirigit, vt corpus absumptum renutriat. Verum quoniam in hoc morbo ex nimio veneris vsu omnes virtutes, præcipue autem naturales labefactantur, quibus labefactatis, integræ ac laudabiles coctiones non fiunt, necessario in his praui humores cōgeruntur, ideo antequam ad corporis renutritionem deueniat, prius corpus purgandum esse monet. Quam purgationem, vt sui moris est, triplici ratione molitur. Primo enim fomento ad laxandum corpus præmisso per vomitum euacuat: secundo caput purgat: tertio medicamentum deorsum purgans exhibet. Quæ tria euacuationis genera sicuti erant antiquis familiaria, & consueta, ita eis conuenientia erant. At nos, qui duabus primis euacuationibus sumus insueti, ab illis etiam abstinere possumus, contenti ea, quæ deorsum peccantes humores purgare queat. Commodum autem tempus, tum prædictarum euacuationum, tum declarandæ corporis renutritionis, inquit Hippocrat. est ipsum ver, quo tempore optandum esset talem aggredi curationem, ratione quidem euacuationum, quia eo tempore corpora facilius purgantur, & facilius purgationes tolerant; ratione autem renutritionis, quoniam animalia lac præbentia, eo copiosius in vere abundant, lacque tunc temporis ratione viridantis anni est laudabilius. Purgato igitur, & per medicamenta prædicta euacuato corpore, lac aut serum asininum ad contemperandum exhibeatur. Deinceps lac bubulum, quod per crassitiem ampliorem nutritionem præstare potest, per quadraginta dies ad bibendum detur, non in nimia quantitate, vt nostri homines exhibere consueuerunt, dantes illud summo tantum mane ad paucas vncias, sed in magna ad heminas, & in ea copia, vt hoc solum sufficere ad patientis alimoniam queat. Nam eo tempore, quo huiusmodi lac potatur, ab omni alio cibi genere abstinere debet, præterquam in vespere, quo tempore ob noctē superuenientē

&

& somnum obeundum, ne inde cerebrum ex multis è lacte euaporationibus grauetur, à lacte abstinere, & sorbitionem solam ex fare paratam assumere debet. Transactis autem quadraginta diebus, quod tempus est limitandum in curationibus longorum primi termini morborum, cesset à lacte, & ne transitus ab extremo ad extremum fiat, duo obseruet, alterum est, vt cibaria mollia assumat, alterum, vt in modica quantitate ea capere incipiens, ad maiorem molem pedetentim ascendat. Hinc autem patiens poterit non tantum tenuitriti, verum etiam magis, quam antea, crassus fieri. Hoc autem facto, ne iterum in deterius labatur, & vt recuperatam valetudinem conseruet, per annũ ebrietatem, venerem, & labores caueat, solis deambulationibus, nec sub frigore, nec sub sole, vt duo extrema videntur, factis, contentus, balneoq; dulcis aquæ tepidæ quandoque lotus.

Pulmonis morbus.

117 *Saliua crassa, ac fuliginosa tussi reiicitur, & color niger, ac subturgidus est, & dolores tenues sub pectus, & sub scapulas fiunt, & vlcera ipsis ægre sanescunt. Minus tamen periculosus est hic morbus superiore, & plures euadunt.*

QVEMADMODVM in nõnullis sputum liquidum, pallidũ bili assimile, tabem instantem ac progredientẽ concomitans, attestatur, pari ratione sputum crassum ac fuliginosum eandem concomitari, & significare potest. Nam sicut in illis putredo in pulmone concepta ortum habet à succo bilioso; ita in his habet occasionem à succo melancholico, cuius merito illud sputum, quoniam causatur à subtiliori humore, est liquidum, eiusdẽ bilis à multo ichore dilutũ colorem inter pallidum & flauum referens. Hoc autem, quoniam producitur à crassiori succo, est crassum, fuliginosumque existit, quoniam ab humore, qui sui natura niger est, eleuatur. Sicuti autem ea bilis in primo casu duplex esse potest, cum alia putredinem & corruptionem sentiens easdem affectiones visceri impartiatur, alia autem nihil horum patiens in naturali statu conseruetur, vnde fit, vt in illis (vti notat Gal. lib. 3. Epid. sect. 3. com. 4.) in longum tempus ductus affectus febriculis superuenientibus ac permanentibus, tandem hominem tabidum reddant, ac perimant, in his autem nulla febre superueniente nihil mali subsequatur, & purgato per sputum eo humore salus succedat: ita pari ratione cum in secundo casu duplex esse queat humor melancholicus peccans, cum alter sit pure succus melancholicus, nullam præter naturam alterationem passus, alter autem quandam vel exustionem, vel corruptionem senserit, hinc etiam fit, vt experientia notaui, quod in primis ex tali sputo nullum successisse damnum viderim, qui cum pluribus diebus sputa nigro colore infecta, ac si in fumo degissent, excreuissent, nihil mali consequuti sunt, in secundis autem & febriculas superuenisse, & tabem insecutam, quæ tandem morte terminata fuit, conspexerim. De hac autem nunc loquens Hippocrat. inquit, in ea sputum apparere crassum & fuliginosum. Nam cum effectus suis attestetur causis, succus autem melancholicus, & crassus, & niger existat, sputum inde causatum intẽ crassum ac fuliginosum existet. Et quoniam verisimile est, vt qualis humor peccat, talis in corpore abundet, hinc inquit Hippocrat. in hia corpus colore nigro infectum ac subturgidum apparere. Cum enim hic humor sit crassæ substantiæ, si superabundet, hinc etiam turget corpus colore nigro suffusum. Abundante autem hoc humore in corpore, succedit hæc tabes, quoniam vt notauit Galen. lib. 2. Epid. sect. 2. com. 13. quandoque fiunt tabes istæ, cum istæ superfluitates melancholicæ ex toto corpore in spiritus membra decumbunt. Dum autem eo decumbunt, quoniam in partes pectoris circumstantes influunt, hinc dolorem & sub pectus, & scapulas patiunt. Sique in his patientibus vlcera quędam existant, cum foueantur, & male ab his superfluitatibus afficiantur, hinc fit, vt ægre, ac maxima cum difficultate sanescant. Nam hic succus maleficam habet qualitatem, quæ cuicunque affectæ parti est infesta, & ideo cum pulmonem infecerit, facile hominem ad tabem, & ad mortem deducit. Quæ tamen tabes priori, inquit Hippocrat. est minus grauis, & minus periculosa; ratio est, quoniam in hac nec viscerũ, nec totius corporis est tanta laxitas & imbecillitas, sicut in superiori, cuius ratione plures ex hac, quam ex illa euadunt; si tamen à principio, & rectè curentur. Nam vbi facta sit hæc tabes, & vlcera progrediatur, insanabilis est, vt omnes alii morbi ab hoc malefico humore causati esse consueuerunt.

118 *Hunc veratrum bibere oportet, & per se, & lenticula decocto admixtum. Infundere etiam pulmonem oportet, ac suffitum facere. Cibis quoque large vtatur, abstinendo à carnibus bubulis, ac ouillis, & porcinis, & ab acribus oleribus, præterquam origano aut satureia. Vtatur deambulationibus. Mane vero ieiunus ad acclinem locum iter faciat. Deinde folia condimentaria hortensia bibat, in vinum temperatum inspersa. Deinde vero cibis relatis vtatur.*

HANc tabem curaturus Hippocra. primo corpus à prauitate succi expurgare intendit, secundo victus rectam rationem instituens, & morbo reluctari, & hominem conseruare conatur. Pro primo veratrum propinandum esse monet, alias per se, alias cum lenticulæ decocto. Per se quidem, vbi valens sit æger; cum lenticulæ autem decocto, vbi langueat, vti superius declaratum est. Et sane si morbus quispiam est, qui purgationem ex helleboro requirat, hic vnus est, cum in eo succus melancholicus peccet, quem proprie veratrum purgat. Peracta purgatione monet, medicamenta ad id opportuna in pulmonem infundenda, ac pariter similibus suffienda esse, tum vt hinc pulmonis pu-

trado, ac corruptio inhibeatur, tum vt ab humore peccante eluatur & purgetur. Et hæc de medicamentis. Quo autem ad victus rationem, monet laute viuendum esse, vt ex copia probati alimenti prauitas peccantis humoris attemperetur, in quem vsum carnes bubulæ, ouillæ, porcinæ, ac similes succos crassos generantes non admittantur, sicuti nec acria cibaria, quoniam ab his succus melancholicus feruorem concipit, præter satureiam, & origanum, quæ faciunt ad facilem sputi purgationem. Ad hoc etiam valida exercitia inepta sunt, vt quæ humorem melancholicum exacerbare valeant. Quare solis deambulationibus contenti sint, quas peragant in accliuem locum ascendentes, ita enim corpus minus incalescit, & humoris discussio facilis tentabitur. Ab his autem deambulationibus interposita conuenienti mora propinentur folia hortensia condimentaria, in vinum temperatum inspersa. Talia autem folia antiquis erant ea, quibus cibariorum cōdimenta parabant, nos herbas odoratas vocamus, qualis est origanum, satureia, pulegium, sampsucum, ocynum, similesque hortenses herbæ, quæ in minutum puluerem redactæ vino attemperato miscentur, vt inde pulmo tantum purgetur, tum exsiccetur, vtque inde melancholici succi copia absumatur. Ab hoc autem potu interuallo conuenienti facto cibum capiat prædicta alimenta, scilicet quæ boni sint succi, & quæ prauitatem huius humoris contemperare sint apta, assumens. His enim & corpus renutrire, & morbo reluctari poterit.

Arteria vulnerata.

119 *Si vulnerata fuerit arteria, tussim habet, & sanguinem tussiendo reiicit, & fauces sanguine latenter implentur, & grumos eiicit, & dolor fit acutus ex pectore ad dorsum, & saliua viscosa ac multa, & fauces sicca, & febris ac rigor corripit, & strident fauces velut à pinguedine, atque hac ad dies quindecim patitur. Postea vero spuit pus, & velut vlceris vicinos bronchia in pulmone cartilaginosa, & rursus tussit, & sane sanguis erumpit, & postea pus crassum spuit, & febris fortior fit, & in pulmonem desinit, & vocatur ruptio pulmonis.*

ARTERIÆ pulmonis asperæ duplici ratione vlcerari possunt, alias vlcere superficiario, aphta appellato, quod earum tunicas tantum infestet, alias vlcere profundo, quod earundem cartilaginosam substantiam attingat, ac corrodat. De primo casu superius egit text. 112. nunc autem agit de secundo, per arteriam intelligens proprie eas arteriæ asperæ partes, quæ ad pulmonis substantiam terminantes bronchia eius formant. Inquit igitur, si talis arteria vlcere profundo vlceretur, per vulnus enim nunc proprie dictum vlcus audit, quoniam ex vlcere cruor partes spiritua-les irritans resudat, necessario tussis succedit, per quam tum sanguis tussiendo reiicitur, tum etiam fauces latenter, id est, sensim sanguine, quoniam resudatio est fere continua, replentur. Qui sanguis, quoniam nonnunquam concrescit, vel in arteriis ipsis, vel in faucibus, ideo etiam quandoque grumi eiiciuntur. Et quoniam huiuscemodi vlcus deprehendit cartilaginosam arteriæ substantiam, quæ pectori & dorso alligata est, ideo ad tale vlcus insequitur dolor acutus, id est, satis sensatus ex pectore ad dorsum. Quo casu ex vlceris irritatione etiam hoc vnum, quod multum & crassum sputum expuant, nam confluente materia ad locum affectum, hinc sequitur, quod multa & crassa saliua excreetur, cum tamen fauces sint siccæ, id est, cum quantum sit ratione faucium, & partium superiorum sit siccitas, quoniam sputum excretum non per destillationem à capite, cuius ratione humectarentur fauces, sed per resudationem à parte vlcerata, ad quam etiam fluxio pituitosa irruit, excernitur. & ideo quantum sit de se fauces sunt siccæ; ad huiusmodi autem vlcus, cum sit profundum, notabile, & in parte interna, rigor ratione membranosæ partis affectæ, & febris ratione superuenientis, aut inflammationis aut putredinis, succedit. Non potest enim tale vlcus nisi statim curetur, non aut inflammationi, aut putredini infestari. Quo casu, quoniam spiratio ratione necessitatis adauctæ maior requiritur, verum sanguis effluens, & sputum multum ac crassum resudans vias spiritus impedit, ideo stridor in faucibus succedit, ac si ab aliqua pinguedine, cuius natura est leuis & crassa, obstruerentur. Hæc ad quindecim dies, id est, vsque ad decimam quartam diem, quæ est acutorum morborum terminus, contingunt. Dixit autem Hippocrat. quindecim dies, non quod in decima quinta, tanquam in die decretoria hæc terminentur, sed quia vbi hæc ad decimam quintam continuant accidentia, certum est in die critica, quæ fuit præcedens decima quarta, morbum nec solutum nec terminatum fuisse. Quo casu, vel supputante inflammatione, vel accedente putredine, pus tanquam prænuntiam instantis tabis excreatur. Et præter pus, si corrosio vlceris inualuerit, cum sputo & cum pure quandoque excernuntur bronchiorum partes in similitudinem ricini, aut vermiculi, quas per anatomem earum partium integram cognitionem adeptus erit, perfecte poterit cognoscere, cartilaginosas arteriæ asperæ partes excretas esse, hincque vlcus profundum & corrosiuum redditum arguet. Quo tali facto tussis vehementior infestat, per quam modo sanguis ratione corrosionis, modo pus ratione putredinis reiicitur. Quod pus in dies crassius, procedente morbo, quoniam vlcus sordidius euadit, efficitur. Sordidiori autem facto, maiorique indies euadente vlcere, febres, quæ à principio erant debiliores, fiunt fortiores. Ab his autem febribus cum exacerbetur vlcus, hinc fit, vt hoc

hoc non sistatur, sed corrodendo progrediatur vsque ad pulmonis substantiam, quam cum attigerit, ruptionem, quam vocant, in pulmone causat. Ruptio enim hic affectus vocatur, cum non manifestam, sed insensibilem in pulmonis substantia fecerit continuitatis solutionem.

120 *At si post primum sanguinem pus non spuat, à laboribus & exercitiis quiescere oportet, & vehiculum inscendere, abstinereque à cibis salsis ac pinguibus, & ab oleribus acribus. Et postquam ipse seipsum optime corpore affectum esse putat, pectus ac dorsum inurito, ex parte vtrumque: & postquam vlcera sana fuerint, per annum abstineat ab ebrietate, & ne nimium impleatur, neque manibus laboret, neq; vehiculum inscendat, sed studeat, vt corpus quam maxime crassum efficiat.*

QVONIAM profunda & corrosiua arteriarum asperarum pulmonis vlcera sunt insanabilia, cum talia facta pus ratione superuenientis aut inflammationis aut putredinis refudant, ideo harum curationem prætermittens Hippocrates, tantum ea arteriæ asperæ vlcera curare intendit, in quibus nondum aut inflammatione, aut putredine accedente solus sanguis, non pus excernitur. Tunc enim affectus est sanabilis, & curationem firmato sanguine admittit. Quem casum significare volens Hippocrates, inquit: At si post primum sanguinem pus non spuat, id est, si solus sanguis à principio excreatur, non autem pus, quod progressu temporis excerni solet, tunc aggredienda est curatio hac ratione, vt patiens omnem laborem ac exercitium vitans quiescat. Vlceribus enim huiusce generis omnis vehemens motus, quoniam inde concitatur fluxio ad locum affectum, est infestus. Vnde si locum mutare velit, vehiculum aut lecticam conscendat, quo sine agitatione ad locum destinatum deferatur. Et quoniam omnia acria, salsa & pinguia sunt infesta vlceribus, ideo ab his quam maxime abstineat, solisque cibariis optimi succi vtatur. Ex quorum vsu vbi conualuerit, & satis belle sibi habere visus fuerit, pectus & dorsum, tum ad retrahendam materiam intro fluentem, tum ad siccandum valens, ex vtraque parte inurat. Quibus inustionibus sanatis, (non enim his tanquam ad præseruandum, sed ad curandum solummodo vtitur) per annum ab ebrietate, à satietate cibi, à labore manuum, quoniam ex hoc thorax commouetur, & concitatur, abstineat, nec vehiculum, per quod exerceri debeat, ascendat, sed studeat, vt corpus quam maxime crassum efficiat. Qua ratione autem hoc fieri debeat, nunc non declarat, cum hoc ex peractis potu per quadraginta dies facto, ex cibisque mollibus, id est, actu & facultate humectantibus post huius potum superius in curatione tabis dorsalis agendum esse præceperit.

Appensa vtrinq; pars arteriæ pulmonis conuulsa.

121 *Cum partes arteriæ pulmonis vtrinque appensæ fuerint conuulsæ, sputum spuit album, quandoq; vero cruenta, & desipit, & febris tenet, & dolor pectus, dorsum, ac latus, & si se vertat, tussit, & sternutat.*

QVAMADMODVM per articulos membra, & artus motui destinata ad inuicem colligantur, Ita pari ratione pulmo in continuo motu existens thoraci alligatus per quasdam membranas, quæ ortum ducentes ab intersepientibus eum thoraci connectunt, dicitur ab Hippocrate non propriè, sed per metaphoram, assumpto nomine articulos habere, eas membranas, quæ vim ligamenti gerunt, & pulmonem thoraci connectunt, articulos appellante. Quę membranæ, & quæ ligamenta, vbi vel ex casu, vel ex percussione, vel ex labore, vel ex alia simili causa eam continuo immanifestam solutionem, quam Græci spasma appellant, patiuntur, morbum difficilem ac laboriosum, & qui nisi à principio recte curetur, solet patientem ad tabem deducere, incurrunt. Qui idem morbus si in altera tantum fiat parte, difficilis quidem, ac discriminis, vt dixi, plenus est, at si in vtraque parte pariter contingat, non modo difficilis, verum quoque lethalis existit. Ex eoque pauci admodum, nisi medicum nacti fuerint expertissimum, euadunt. De hoc affectu igitur agens Hippocrates, primo de eo, in quo altera pars tantum spasmate afficitur, secundo de altero, in quo ambę partes eodem morbo laborant, tractat. Incipiens autem à primo, inquit; cum articuli pulmonis conuulsi fuerint, id est, cum pulmonis ligamenta, quibus ipse thoraci annectitur, passi spasma fuerint, passi inquam, ex violentia aliqua illata, non enim à causa interna hic affectus induci potest, sed tantum ab externa, sicuti superius in commentario libri primi de morbis declaraui, quo loco etiam notaui, hunc affectum esse fibrosis partibus proprium, vnde cum membranæ sint admodum fibrosæ, Imo non videantur nisi ex fibris contextæ, non sit mirum, si hoc morbo laborare ex aliqua illata iniuria queant, non conuulsæ per conuulsionem, quem spasmon Græci dicunt, sed per conuulsum, quod spasma appellant. Cum igitur hæ conuulsæ fuerint, & hinc quandam solutæ continuitatis pulsionem incurrant, hæc sequentur. Primo quidem, quoniam ex loci affectione fit irritatio, superuenit tussis, per quam sputum album, si minor sit affectio, quandoque autem cruentum, si maior, quoniam ex parte affecta sanguis resudat, excreatur. Secundo febris succedit decurrente ad locum affectum materia, eandemque inflammante, quæ si insignis sit, patientem delirare facit. Tertio quoniam per eas membranas, quę conuulsę sunt, pulmo thoraci & dorso, & partib. lateralib. alligatur, per consensum hæ eædẽ partes laborant, indeq; & dorsũ, & pectus, & latus dolet. Quarto quoniã compatientib. cũ hisce ligamentis tot partibus, quoniamq; omnis

diuulsa per consensum à parte primario spasma patiente videntur. Hinc fit, vt non nisi summo cum labore patientes se circumuertere nequeant, & vt vbi conuertantur, agitata materia fluente, irritato loco affecto, & exacerbato morbo, dolentes tussiant, & ad sternutandum procliues reddantur Nam ex tanta irritatione ad cerebrum fit euapotatio, quæ stimulans partes narium interiores, sternutamentum inducere apta est. Hinc dicebat Hippoc. lib. de inter. Affect. de hoc eodem morbo tractans, etiam capitis & colli dolorem superuenire. Nam à parte affecta multæ fiunt ad superiora loca euaporationes, quæ illis partib. dolorem inferre possunt.

122 *Huic, qua parte dolor fuerit, calefactoria apponito, centaurium, & daucum, & saluiæ folia trita, melle & aceto affuso, præsorbenda dato, & aquam insuper sorbendam, & ptisanæ succum præsorbeat, & vinum aquosum insuper bibat. Postquam vero dolor sedatus fuerit, saluiam tusam ac cribratam, & hypericum, & trionem trita, & polentam singula paribus portionibus in vinum temperatum coniecta, ieiuno bibenda præbeto. At si ieiunus non sit, leguminis fresi decoctum sine sale sorbendum dato. Si vero calor fuerit, cibis vtatur mollißimis, non salsis, & minime nidorosis: vbi probe iam se habuerit corpus, & in pectore, & in dorso.*

CVRATIONEM spasmatis ligamentorum pulmonis hoc in loco tradens Hippoc. duos sibi proponit scopus, alter est, vt quam primum dolor sedetur, ad quod calefactoria instituens per ea anodyna medicamenta audit, alter est, vt affectum superinductum sanet, ad quod medicamenta, quę ratione caliditatis penetrare, ratione siccitatis validæ adstringere, & partes solutas agglutinare possent, administrat, quibus etiam nonnulla, quæ si quid grumosi sanguinis adsit, eum dissoluere queant, admiscet. Primi generis sunt centaurium maius, & saluia: secundi est daucum, quæ melle & aceto affusis exhibet, vt ratione mellis abstergat, & thoracis partes facilius adeat, ratione autem aceti concreta dissoluat, & magis attenuans, & magis permeans medicamentum reddat. Insuper autem aquam, quoniam caliditatem medicamenti reformidat, sorbendam monet. His actis, spectans dolorem sedatum esse, ad conseruandum locum affectum format medicamentum ex his, quæ siccare, adstringere, abstergere & purgare internas partes possunt. Siccat & adstringit saluia, & hypericon, abstergit polenta, crysemon purgat. Hæc pari portione admixta exhibet in vino temperato, id est, quod nec penitus aquosum, nec penitus vinosum existat, sed medioere, in quem vsum nigrum potius, quam album, & austerum potius, quam dulce ego præferrem. Hæc ieiuno ventriculo propinanda esse monet. Quod si quandoq; non sit æger ieiunus, ne penitus omni medicamento opportuno priuetur, pręcipit leguminis fresi (fabam intellige) decoctum sine sale præbendum esse: hoc enim & siccare, & abstergere, & purgare quodammodo poterit. His medicamentis à principio est contentus Hippocrates, qui tamen alias docens in morbis magnis administrandam venæ sectionem esse, hâc in hoc morbo non excluderet. Sed cum eius nusquam hoc in libro meminerit, nec etiam hoc in loco de ea verba fecit, quæ tamen tenellendo, & plenitudinem tollendo, si quid aliud potest dolorem factum diminuere, & futurum inhibere, sicuti & plura alia diuersionum genera, quorum nullam fecit mentionem. Hęc quoad medicamenta. Quo autem ad rationem victus, per ea verba, si vero calor fuerit, cibis vtatur mollißimis, non salsis, & minime nidorosis, vbi iam probe se habuerit corpus, & in pectore, & in dorso, insinuat à principio morbi victu tenui vtendum esse, solasq; potiones, ac sorbitiones sumendas esse. Et hoc præcipue si febris, quam nunc calorem vocat, adsit, simulq; dolores ex spasmate perseuerent. Nam tunc temporis ad cibaria tantum est transeundum, cum corpus bene se habuerit, & in pectore, & in dorso, id est, vbi dolores quieuerint, & patiens sine labore ac molestia vertere se ad quodcunq; latus potuerit. Quo tempore licet febris perseueret, tamen quoniam dolores quiescentes indicant morbi declinationem & solutionem, ciborum vsus idoneus esse potest, qui tamen cibi, ne morbum exacerbare queant, debent esse mollissimi, id est, actu & facultate humidiores, nulloq; insigni sapore dotati, vnde nec salsi, nec nidorosi, nec etiam acres, aut acidi existant, nullam insignem qualitatem participantes.

123 *At si ambo conuulsa fuerint, tussis emergit, & saliua crassa ac alba apparet, & dolor acutus adest ad pectus, & sub scapulas, ac latus, & calor detinet, & pustulis impletur, & pruritum habet, & non sustinet, neq; sedere, neq; iacere, neq; stare, sed ægre afficitur, ac viribus deficit. Hic quarta die maxime moritur; si vero hanc effugerit, spes neq; sic multa superest, verum periclitatur. Periclitatur & in septima. Quod si & hanc effugiat, sanus euadit.*

QVId ad alteram ligamentorum pulmonis partem conuulsam succedat, superius explicatum est. Nunc autem quid si vtraque ligamentorum pulmonis partes spasmate deprehendantur, sequatur, declarare intendit. Inquit autem, vbi hoc contigerit, primo tussim resudante ex locis conuulsis materia causari, per eamque sputum album, & crassum ratione multæ irritationis excreari, quod tale est, non quia ex loco affecto talis educatur, sed quia ad eas partes talis fluit materia. Nam ex loco affecto si insigne sit spasma, potius cruentum, quam album esse deberet. At in hoc casu est album tantum, quia tanta est irritatio, vt potius materia fluens, quam ea, quæ resudat ex loco affecto excernatur. Secundo dolor magis quam in priori casu acutus, id est, vehemens succedit, qui pectus ex vtraq; parte & ambas scapulas, & vtraq;

latera

latera occupat. Vehemens autem existit, quoniam vtrisq; partibus patientibus, nullaque parte sana existēte, dolor insignis necessario euadit. Tertio calor, id est, febris detinet, quæ si in priori casu altera tantum parte affecta superueniens erat consideratione digna, in hoc erit maiori, quia maior etiam est affectio, cum plura occupet loca. Quarto æger ex hac violentia, sanguine ebulliente, & supra modum agitato, corpus pustulis quibusdam pruriginosis impletur, cum in hoc motu natura humorū ebullientium, & hinc inde fluentium partem ad cutem protrudat, sicuti sæpe fit in quibusdam crisibus, à sola natura tentatis, & in quibusdam casibus, in quibus sanguis ex causa externa motum & turbationem recipit. Quinto maxima sequitur anxietas, ex qua nec iacere, nec stare, nec sedere sustinent, adeoq; hinc ægre afficiuntur, vt nullam quietem nullo in statu reperiant. Nam ex quocunq; situ ob ligamentorum pulmonis conuulsionem in anhelitu angustiantur, spiritusq; difficultatem, inæqualitatem, ac inordinationem patiuntur. Sexto viribus deficiunt, vel quia in lypothymiam sæpius incidant, vel quia vires ex tot symptomatibus langueant, ac resoluantur. Cum autem ex dictorum accidentium catalogo habeamus, morbum hunc sæuum, ac tremendum esse, quid aliud cogitandū, quam quod breui terminandus hic sit? Terminatur autem sæpius per mortem in quarta, & iure, cū sit acutissimus morbus, qui tamen nonnunquam & vsq; ad septimam non sine manifesto vitæ discrimine producitur, quoniam terminum si patiens euadat, cum periculum acutiei morbi, ac inflammationis prauitatem effugerit, de sanitate confidere, & in spem melioris vitę induci poterit. Nam vbi septimum diem superet, signum certissimum habet, ligamentorum pulmonis affectionem per spasma inductam non adeo insignem esse, quin curari, & perfecte sanari queat. Vbi enim hæc non sit sanabilis, non restituuntur, nec vsque ad septimam perdurare possunt.

124 *Hunc, vbi sic habuerit, multa calida bis in die lauato. Et cum dolor habuerit, calefactoria adhibeto, & mel & acetum bibendum dato, & ptisanæ succum sorbendum, & vinum album vinosum insuper bibendum. Si vero ad balneum & ad calefactoria affligatur, ipsaque non sustineat, crassi lintei panniculos ipsi adhibeto, quos aqua tinctos in pectus ac dorsum imponas. Et fauum mellis aqua frigidissima macerato, aquamque bibendam dato: & frigidum ptisanæ succum, & aquam insuper bibat, & ad frigus decumbat. Hæc facienda sunt. Verum morbus lethalis est.*

VBi ambo pulmonis ligamenta conuulsa sunt, adeo graues dolores ingruunt, vt nisi hi arte medica remittantur, breui patientes perdant. Quod discrimen animaduertens Hippocrates, in hac curatione hunc solum scopum sibi proponit, vt dolori reluctetur, eumque quam maxime fieri possit, remittat ac sedet. Quoniam vero hi dolores non modo graues sunt, ratione solutæ continuitatis ex spasmate contractæ, verum etiam ingrauescunt ac exacerbantur, ratione superuenientis inflammationis, ideo lenire hos tentans Hipp. duplicem curandi rationem proponit, quoniam inflammatio superueniens duplicem potest habere naturam, cum alias tantummodo sit phlegmonodes, alias autem sit erysipelatodes, hanc differentiam ex diuersitate fluentium humorum, & ex differentia naturarum ac temperaturarum recipiens. In calidioribus enim naturis ac complexionibus, cum in his cumulentur biliosi succi, fiunt potius erysipelatosi affectus, quam pure inflammatorii: in temperatis autem, aut ad caliditatem declinantibus fiunt potius inflammatorii, quam erysipelatodes. Hanc autem diuersitatem considerans Hippocrates, in pure inflammatoriis affectibus ad anodyna medicamenta deueniens, ante alia monet, cum alias lib. 3. reg. acutor. 58. docuerit, balneum pectoris, dorsi, & laterum dolores mulcere, patientem bis in die multa calida lauandum esse; ex hoc enim laxato corpore, & laxata inflammatione solent dolores quiescere. Præter balneum vero exacerbante dolore admonet calefactoria, id est, anodyna, aut fomenta, aut emplastra admouenda esse, melque cum aceto ad leniendum, abstergendum, purgandum, & firmandum esse dandum, & ptisanæ succum in alimenti vsum, cum refrigeret, contemperet & abstergat propinandum, cui vinum vinosum album, tum ratione virium languentium, quæ ex hoc morbo, vt superius explicauit, cito deficiunt, tum ratione defectus animi, quem sæpius incurrunt, superbibendum esse præcipit. Quæ omnia non tantum in simplici ac incipiente inflammatione opportuna existunt, verum etiam admodum congruunt, si ante quam inflammatio apprehendat, administrentur. Cuius erit occasio, si statim medicus ægrotanti manum admoueat, præ cæterisque præsidiis venam tundens sanguinem copiosum mittat, ita enim & dolori reluctabitur, & inflammationem imminentem inhibere poterit. Qua venæ sectione administrata, statim medicamenta, quæ in alterius partes ligamentorum spasmati proposita sunt, aut his similia, vt hinc partes internæ consanescant nec inflammatione, aut fluxione tententur, adhibenda erunt. Si vero his præsidiis non cedant, aut potius exacerbentur dolores, vel quia inflammatio augeatur, vel quia naturam erysipelatis seruet, tunc temporis nec calida, nec anodyna erunt administranda, sed ad ea, quæ actu frigida existentia feruorem temperare possunt, erit transeundum. Quo casu monet Hippocrates, in ratione medicamentorum panniculos crassos lineos, aqua frigida madefactos, pectori & dorso apponendos, insuperque vbi incaluerint, permutandos esse. In ratione autem alimenti non amplius mel & acetum, vti in priori casu propinandum docebat, sed apomeli ex fauis in aqua frigidissima maceratis confe-

confectum, hocque frigidum actu exhibendum esse, pariterque ptisanę succum frigiditate actuali præditum propinandum esse præcipit, cui non vinum, quod in præcedenti casu concedebat, sed aqua, vt vini calorem, humorum fusionem, & inflammationis exacerbationem caueamus, superbibenda sit, hoc insuper obseruato, vt æger qui omnia calorifica vitare debet, in aere frigido degat, & hoc vt in idem concurrentibus medicamento, victu, & aere, leuiori negotio feruor ac dolor partium conuulsarum superetur. His autem superatis, cum de salute ægrotantis sit consulendum, tunc ad ea præsidia erit decurrendum, quæ partes internas vnire, fluxiones firmare, superfluitates purgare, & loca affecta siccare apta sint. Hæc autem sint ea, quæ iam sunt in primo casu, in quo altera sunt ligamenta solum conuulsa, proposita, vel his similia. Hęc facienda sunt, inquit Hipp. verum morbus est lethalis, id est, hæc pro curatione huius affectus tentãda sunt, verum cum hac protestatione, quod morbus est lethalis. Nam rari ex hoc casu euadunt, & qui non euadunt, non ratione male administratæ curationis, sed ratione violentiæ morbi pereunt.

Erysipelas in pulmone.

115 *Si erysipelas in pulmone fiat, tussim habet, & saliuam expuit multam, ac liquidam, velut de gutture. Non est autem cruenta, & dolor tenet dorsum, & vacuas partes ventris, ac laterum mollitudinem, & viscera sugunt, & vomit pituitam ac velut acetum, & dentes stupescunt, & febris, ac rigor, & sitis corripit: & vbi quid ederit, in visceribus sugit, & acidum eructat, & venter stridet, & corpus torpescit, & vbi vomuerit, melius se habere putat. Quũ autem non vomuerit digressa die, tormen & dolor in ventre oboritur, & excrementum alui liuidum procedit. Hic morbus maxime fit ex ebrietatibus, & carnium vsu, & ex aqua mutatione. Sed & ex aliis causis emergit. Huic pharmacum deorsum purgans bibendum dato, & lac asininum insuper bibendum, si non natura fuerit splenicus. Si vero splenicus fuerit, ne purges, neq; succis, neq; lacte, neque sero, sed eo, quod modicum ingestum, multum educit. Per clysteres quoq; infusio in aluum fiat, & glandulæ subdantur in omnibus morbis, si aluus non egerat. Adhibendum est & frigidæ lauacrum in hoc morbo, & exercitium, vbi febres remiserint, & corpus leuiter se habere visum fuerit. Et vere, & autumno vomitus inducatur. At vero allii capita, & origani pugillum, quantum trib. digitis apprehendi potest, duabus heminis vini dulcis affusis, & aceti acerrimi hemina vna, & mellis quarta hemina parte coquito, donec tertia pars reliqua fiat. Deinde vbi hominem exercueris, & aqua tepida laueris, calidum hoc bibendum prabeto. Dato etiam lenticulæ decoctum, melle & aceto admixtus, donec impleatur. Deinde vomat, & ea die pota polenta & aqua ita ieiunus permaneat. Ad vesperam vero betam edat, & parum de maza, & vinum aquosum bibat. Reliquo vero tempore à lenticula decocto & cibis vomat. Et si discesserit dolor, sub scapulas cucurbitam affigito, & venas in manibus pertundito. Cibis porro vtatur non salsis, neque pinguibus. Acria autem & acida edat, & frigida omnia. Vtatur & deambulationibus. Hæc si fecerit, optima victus ratione vsus fuerit, & per plurimum tempus morbus prorogari poterit. Est autem non lethalis, sed consenescentes relinquit. Si vero iuniorem aliquem citius à morbo liberare voles, vbi ipsum purgaris, pectus & dorsum inurito.*

CVM de erysipelate pulmonis in Commentario libri primi de morbis sect. 3. com. 59. agerem, hunc locum satis abunde explanaui, prę cæteris animaduertens, per pulmonis erysipelas non tumorem inflammatorium, sed intemperiem simplicem, siue materiam calidam, verum adeo insignem, vt erysipelatis naturam æmuletur, hoc loco designari ab Hippocrate, qui & signa, & curationem tradens, omnia eo dirigit, vt & intemperiem describere, & intemperiem curare per omnia attestetur. Cum autem hoc ibi explicuerim, non est quod à me hoc in loco repetatur: breuitati enim studens, lectorem ad eum commentarium relego. Veruntamen ne ieiunus hunc textum in hac commentatione pertranseam, tria ex hac curandi ratione animaduertenda esse moneo. Quorum primum est, quod vomitum medicamento valido prouocaturus, antequam id propinet, exercitium & balneum præmittit, illud vt agitentur humores, & incalescat corpus, hoc, vt totus corporis habitus laxetur & humectetur. His enim præmissis, leui negotio vi medicamenti exhibiti peccantes humores educentur, cum ratione agitationis humores peccantes facilius medicamento cedant, ratione autem caloris concepti promptius moueantur, ratione laxationis corporis minori negotio laxatis viis educantur, ratione autem humectationis expedite purgentur, cum siccitas omni motioni resistat. Quod pręceptum obseruandum duco, vbi pharmaco vomitiuo vere aut autumno vomitus insignis tentandus sit. Secundum est, quod à vomitu solam polentam, & aquam in prandio exhibet, in cœna autem betam, & panis hordeacei parum, quibus vinum aquosum superbibat, præbet. Quod cum summa ratione factum sit, ventriculus enim ex laborioso motu defatigatus non debet cibo aut potu grauari, hoc idem à nobis obseruandum erit, scilicet, vt post vomitum parce, & leuioribus cibis patientem nutriamus. Tertium est,

quod

quod cedente ac declinante morbo manuum venas pertundit, quod cum ab eo non fiat vrgente ac vigente morbo, iodicium est, talem sectionem potius administrandam esse post morbi vigorem, quam in vigore ipso. Quod ego animaduertens sępius deuenio post morbosum vigorem ad harum venarum sectionem, ex eisq; plurimam morbi resolutionem, & ægrotantis vtilitatem excepi. Quare ex hoc exemplo moneo, medicos posse tempus sectionis venarum in manibus dignoscere. Et hæc de hoc textu sufficiant.

Morbus dorsalis.

126 *Rigor & febris, & tussis, & spirandi difficultas corripit, & saliuam spuit cum virore pallidam, quandoq; etiam subcruentam: & dolet maxime dorsum, & inguina: & tertia aut quarta die cruentam vrinam mingit, & moritur septima die. Si vero quatuordecim dies effugerit, sanus euadit: effugit autem non ita valde.*

AD dorsum alligantur membranæ intersepientes, quæ thoracis cauitatem in duas partes distinguunt. Hæ mēbranæ, si non in intermedio cauitatis pectoris, sed ad dorsum tantum, quo loci alligantur, inflammentur, hunc morbum, de quo nunc agit Hippocrates, pariunt. Primo quidem rigorem in inuasione morbi, dum materia agitata, & commota in easdem membranas decurrens per loca sentientia transit, postmodum & febrem continuam & vehementem, tum propterea quod inflammatio est in parte interna, tum propterea quod cordi est vicina, causantes, huic inflammationi respirandi difficultas superuenit, quoniam coafficit partem respirationi inseruientem: tussis, per quam modo biliosum, modo subcruentum excreatur sputum, sequitur, quoniam ab inflammata parte resudat nonnihil materiei inflammationem facientis, quæ si sit biliosa pro ratione bilis peccantis colorem ei proportionatum edit: si autem sit sanguinea, sanguineo colore modo plus, modo minus inficit. Dolor ad dorsum pręcipue infestat, quoniam eo loci inflammatio adest, ad quā dorsi, & ligamenta, & membranæ, & musculi circumstantes coafficiuntur, ardoreq; eius torrentur. Et quoniam ipsum dorsum proreptant vasa maiora, scilicet, vena, & arteria magna, quæ sanguine calidiori plena existentia, facile vicinam cōcipiunt flammam; ideo hinc cum dorsi dolor augetur, tum ad inguina, vbi ea vasa ad inferiora diuaricantur, idem dolor communicatur. Concepta præterea hæc flamma in vasibus his maioribus ex vicinia inflammationis hoc causat, vt lotium, quod primis diebus, cum nondum ingentem alterationem ex propinqua flamma eo tempore subierit, non admodum à naturali statu est immutatum, tandem cruentum euadat, significans sanguinis massam in vasibus illis cumulatam vicinæ inflammationis feruorem contraxisse. Quę omnia cum sint indicia attestātia morbi huius vehementiā, sunt etiam sufficientia ad indicandam eius acutiem, ita enim acutus est, vt in primo septenario vt plurimū perimat patientes. Qui tamen si hunc euaserint, & ad secundum perueniant, euadere ex hoc morbo possunt, quod tamen rarissimum est, cum hic morbus raro ad salutem, sæpius ad ægrotantis necem terminetur.

127 *Huic aquam mulsam bibendam dato, in olla noua feruefactam ac perfrigeratam, apii aut fœniculi radices corticē in ipsa macerato. Dato & ptisanæ succum bis in die, & vinum album aquosum insuper bibendum. Qua vero parte dolor constiterit, calefactoria adhibeto, & calida lauato, si non febris multa vexet. Postquam autem quatuordecim dies præterierint, in prandio quidem sumat milium, ad vesperam vero carnes catulinas, aut volucrium coctas edat, & de iusculo sorbeat. Cibis autem quam paucissimis primis diebus vtatur.*

ALIAS docui, qua ratione membranarum intersepientium inflammatio, tum dignosci, tum curari debeat, quæ omnia si analogice ad hunc casum transferantur, non importuna erunt, habita ratione diuersitatis affectæ partis, loci, & symptomatum, & pro ratione diuersitatis præsidiorum applicatio, quantitas, qualitas, vsus euariet, quæ singula tanquam solerti medico aperta supponens, silentio obuolno, & ad curandi formam Hippocratis descendo. Hic morbum hunc inflammatorium intra thoracis cauitates existentem, & flammam propriam vasis maioribus communicantem curaturus, eo dirigit intentionem, vt ratione partium thoracis affectarum leniat, concoquat, & refrigeret; ratione autem vasorum maiorum ad ea peragenda lotium prouocet. Hinc vnicum ad hæc omnia exequenda proponit medicamentum, formatum ex aqua mulsa, in qua radicis aut apii, aut fęniculi cortex maceratus fuerit, in vase testaceo nouo, ne ex veteri aliqua mala qualitas, aut insuauitas ei communicetur. Hanc vbi feruefacta fuerit, refrigeratam exhibet, ne ex actuali calore inflammatio exacerbetur. In ratione autem alimenti succum ptisanæ eadem forma & modo bis præbet, cui vinum album aquosum superbibendum monet. Eiusce modi vinum non formidat hic author in inflammationibus internis, ac morbis calidis, vel quia eorum vina erant adeo imbecilla, vt caloram nullum participarent, vel quia propter consuetudinem vinorum potentium, quibus antiquiores erant assueti ex aquosis multum periculum expectarent. Nos tamen vigente inflammatione ab his abstineamus, & abstinendum esse, nisi virium languor hoc suadeat, præcipimus. Interim autem, dum hęc fiunt dolori, qui fluxionem proritare, affectionem augere, & vires labefactare sui continuitate & molestia posset, reluctandum est. Et ideo ad id calefactoria siue fomenta, siue cataplasmata, siue in alia forma parata, quæ anodyna sint, adhibenda, & bal-

& balneum, quod dorsi labores, vti ex libr. 3. Reg. acut. 38. habetur, mulcere est aptum, nisi febris ingens vexet, administrandum monet. His intra quartam decimam diem factis, si eam æger superauerit, ad cibaria transeundum erit, in quorum vsu probat in prandio milium, vt quod refrigeret, & exiccet, in cœna autem carnes catulinas, & volucrium, vt quæ leuiores sint, eorundemq; iusculum commendat, hoc vnum, quod sæpius notaui, memoriæ mandandum animaduertens, scilicet, vt à morbo cibis paucissimis patiens vtatur, vt ex eorundem copia cruditatum & recidiuæ occasio tollatur.

Tuberculum in pulmone.

128 *Quum tuberculum in pulmone natum fuerit, & tussis tenet, & erecta ceruicis spiratio, & dolor ad pectus acutus, & ad latera, & vsq; ad quartuordecim dies ita afficitur. Nam plerisq; per tot dies tuberculi affectio inflammatur. Sed & caput dolet, & palpebra, & videre non potest, & corpus subfuluum fit, ac venis impletur.*

TVBERCVLVM, quod tumoris genus existat, quot eius sint differentiæ, à quotuplici materia causetur, & quod diuersas habeat terminationes, iam sufficienter in commentario libri primi explicaui, qua de re ea vti clara supponens, animaduerto, Hippocratem hoc in loco non de omni, sed de eo tantum tuberculo, quod sine folliculo genitum in substantia pulmonis ex materia calida ortum & generationem habet, agere. Hoc cũ ratione loci, & ratione materię cito augeatur, & cito ad statum properet, raro quartam decimam transgreditur diem, quin in ea aut soluatur, aut in suppurationem tendat. Ex hoc tuberculo tussis causatur, quoniam ab eo quid ichoris resudans materiam ad excretionem irritat, & orthopnæa infestat, quoniã dum tumet, vias spiritus angustat, quibus angustatis cogitur patiens, cum decumbẽs magis in anhelitu lædatur, surgere, & recta spirare. Dolor ad pectus, & ad latera succedit, quoniam dum tuberculum inflammatur, partes vicinę compatientes dolent. Dum autem inflammatio viget, ac feruet, caput & palpebræ dolent, oculique cæcutiunt, quoniam inflammato loco plurimæ attolluntur euaporationes, quæ capiti & oculis infensæ existunt, corpus ex eisdem causis subfuluum redditur, cum ex inflammata parte vaporationes biliosæ in faciem recurrant, quæ naturali colore immixtæ colorem fuluum repræsentant, ac venis impletur, id est, venæ, quæ prius non apparebant, intumescunt, tumidę autem factæ repræsentant corpus venis impleri, pręseferentes venarum magnitudinem & copiam. Hoc autem inde fit, quod dum multa à loco inflammato euaporant, incalescunt venæ, ac vaporationibus illis implentur, ac tument pari ratione, ac tument & replentur ex motu per exercitationes facto. Quapropter hinc dicitur corpus venis impleri, non quia plures venę, quam prius fuerint, fiant, sed quia ex ratione caloris & vaporationum impletæ repræsentant corpus venis refertum.

129 *Hunc multa calida lauato, & aquam mulsam aquosam bibendam dato, & ptisana succum sorbendum, & vinum aquosum insuper bibendum. Si vero dolor vrgeat, & calefactoria adhibeto. Vbi autem sedatus fuerit, cibis mollissimis vtatur.*

TVBERCVLA inflammatoria duplicem subeũt solutionem, alias enim per discussionem, alias per suppurationem soluuntur. Quoniam vero solutio per discussionem est eligibilior ea, quæ per suppurationem recipitur, ideo Hippoc. primo discussioni, secundo autem suppurationi incumbit. Pro discussione balneum administrat, quod sicuti dolores lenire, ita & discussionem procurare est aptum. Ad idem mulsam aquosam, ne ex meraciori inflammatio proritetur, loco medicamenti exhibet, loco autem alimenti ptisanæ succum, & vinum aquosum præbet, & vbi dolores vrgeant, calefactoria, id est, anodyna, vel fomenta, vel cataplasmata, non tantum vt leniant, sed etiam vt discutiant, adhibet.

130 *Quodsi liberatum à morbo spirandi difficultas corripiat, dum ad accliuem locum recta pergit, aut alias festinat, pharmacum dato, à quo infima aluus non moueatur. Et si vna cum vomitu pus sequatur, siquidem pus fuerit album, & fibra in ipso subcruentæ fuerint, effugit, si vero liuidum, & cum virore pallidum, ac graueolens, moritur. Purgantur autem in quadraginta diebus ab ea, qua erupit. Multis etiam annuus fit morbus. Hunc velut suppuratum curare oportet. Quod si non erumpat, (multis enim progressu temporis abscedit ad latus, & extumescit) hunc, si hoc fiat, secato aut vrito.*

TENTATA discussione, si non succedat solutio, sed tuberculũ in suppurationem eat, dolores quidem, ac febres remittuntur, attamen vestigia non soluti tuberculi supersunt. Nam patientes, vel si accliuem locum ascendant, vel ad aliquod opus obeundum celeriter se ac festinanter moueant, statim difficili respiratione corripiuntur. Quo casu Hippoc. vt tuberculum disrumpatur, medicamentum sursum purgans exhibet. Nam ex violentia illius motus tuberculum suppuratum disrumpit, & inde pus excreari sperat, quod pus si album, ęquale, fibras sanguinis cruentas retinens, & non grauecolens existat, salutem ægrotantis portendit; si autem sit liuidum, aut subflauum, aut alterius praui coloris, & graue oleat, ægrum ex morbo periturum significat. Ex hoc morbo facta eruptione si conualiturus est æger, per quadraginta dies expurgari integre debet. Nam tanto tempore non potest absq; periculo pus contentum tolerare, quod tamen vltra quadragesimam retentum, cum non ampli-

amplius à natura tegatur, putrescens, & ptsuam qualitatem consequens deteriorem facit casum, supputatum hominem, ac in tabem ptopensum reddens, eumque ad minus affligens, quo casu ægrotans tanquam suppuratus, id est, vel sectione, vel vstione, prout puris qualitas, ac quantitas iudicabit, curandus venit. Si vero tuberculum non vergat ad thoracis cauitatem, indeque dandi medicamenti sursum purgantis non sit occasio, sed ad extra in partibus thoracis lateralibus extuberet, ibique suppuret, tunc sectio, aut vstio administranda erit, vt inde spertum tuberculum ab omni pure expurgari, & inde sanari possit.

Pulmo repletus.

131 *Si pulmo repletus fuerit, tussis tenet, & erecta ceruicis spiratio ac anhelatio, & linguam exerit, rubicundis papulis repletur, & pruritus vexat, & dolor acutus emergit ad pectus & scapulas, & non potest sedere, neque iacere, neque stare, sed ægre viribus est. Hic quarta die maxime moritur. Si vero hanc euaserit, spes plerunque est, periclitatur tamen etiam in septima. Si vero hanc effugerit, sanus euadit.*

PVLMO, cuius substantia est rara, cauernosa, ac fistulosa, tria meatuum genera possidet, alia maiora, qualia sunt vasa arteriosa, siue aspera, siue leuia ad intra ipsum disseminata, alia minima, quales sunt porositates insensibiles, alia media, qualia sunt foramina sensui patentia, ac per eius substantiam manifeste permeantia, & eius raritatem formaliter constituentia. Maiora illa meatuum genera à destillationibus vel tenuibus, vel crassis à sanguinis copia, vel à capite descendente, vel ex eius venis adapertis fluente, & à tuberculis ibidem adnascentibus quandoque replentur, quo casu præfocationis discrimen subeunt ægri, nisi materia obstruens rollatur. Minimis autem in inflammationib. ac similibus humoribus replentur, cum materia irruens à maioribus venis, in minores à minoribus, in capillares à capillaribus, in porositates membri insensibiles transmittitur, ibidemque verum tumorem causans recipitur. Media autem meatuum pulmonis genera tunc replentur, cum materia fluens, quæcunque existat, non in amplioribus illis vasibus, quibus occlusis præfocatio eminet, nec in minoribus, quibus repletis, fiunt tumorum diuersa genera, recipitur, sed foraminulentis eius meatibus, quæ raram pulmonis substantiam sensibiliter formant, sistitur, nec vltra in porositates membri insensibiles transsumitur. Hanc affectionem, cum medii hi meatus replentur, vocat Hippocrates plenitatem pulmonis, quoniam ex ea adeo repletur pulmo, vt euentationi caloris, quia aerem in sui substantia male admodum admittat, cæterisque eius functionibus ineptum reddatur. Hinc tussis superuenit, cum natura irritata ab angustia & copia materiæ exonerationem quærat; & orthopnæa affligit, quoniam tum male hinc spirant ægrotantes, tum spirare non nisi recta ceruice possunt, cum ex materia meatus prædictos replente spiritus via angustietur; linguam exerunt patientes, vt canes ex cursu & calore, quoniam hac ratione spiritum ampliorem reddere, ac recipere tentant; papulis autem replentur, quoniam ex illa pulmonis repletione angustiats spiritu feruescit sanguis ad intra vasa, cuius feruorem tentans natura remittere, partem huius ad cutim protrudit, indeque papulas superinduerit; hac eadem ratione & causa pruritum parit. Ad hæc dolor acutus, id est, notabilis ad pectus, & ad scapulas ob difficultatem spirandi conceptam emergit, quorum merito patientes nec stare, nec iacere, nec sedere commode possunt. Nam nullum situm opportunum nanciscuntur, ex quo nec doleant, nec in spiritu angustientur, licet semper difficiliorem sentiant decubitum, quam situm rectum, tantaque est huius morbi vehementia, vt inde sæpius pereant ægri in quarta, quam in septima. Quod tempus si effugerint, spes erit, eos ex morbo conualescere, & sanari posse.

132 *Hunc, vbi ita habuerit, multa calida bis in die lauato, & vbi dolor habuerit, calefactoria adhibeto. Et mel & acetum cocta bibenda dato, & ptisanæ succum sorbendum, ac vinum insuper bibendum. Si vero ad balneum & calefactoria affligatur, & ipsa non sustineat, perfrigeratoria ipsi adhibeto: & fauum mellis aqua frigidissima macerato, aquamque bibendam dato. Et decumbat ad frigus. Hæc faciat. Morbus autem grauis est, & lethalis.*

MIROR, cur Hippocrates, qui alias in morbis leuioribus medicamentis sursum & deorsum purgantibus euacuare sit solitus, in hoc sæuo & difficili morbo omnem prætermiserit euacuandi rationem, solis quibusdam ad leniendos dolores ac symptomata præsidiis contentus. Nam ad hæc balneum bis in die administrandum instituit, & vbi dolores exacerbentur, calefactoria, id est, anodyna, vel fomenta, vel emplastra admouenda consulit. Verum quoniam materia in mediis illis meatibus imbibita duplex esse potest, alias enim est calida, alias frigida aut temperata, si frigida existat, aut temperata illa anodyna actualiter calida, sicuti & balneum prodesse poterunt; at si sit calida, cum ab illo actuali calore magis irritetur & alteretur, medicamenta actualiter calida obnoxia erunt; quapropter eo casu ad perfrigerantia transeundum esse consulit, & non amplius ptisanam, sed apomeli ex fauo in frigidissima aqua macerato confectum exhibet, cui non vinum, quamuis squosum, sed aquam superbibendam, vt omnia pure ac simpliciter refrigerantia existant, exhibet, monens ab ægrotante pari ratione aerem calidum vitandum, & in

Z frigido

frigido degendum esse. Quæ omnia licet omni diligentia ac sedulitate administrentur, attamen vix morbum superare possunt, cum sui natura sit grauis ac lethalis.

Pulmo ad latus prolapsus.

133 *Si pulmo ad latus prolapsus fuerit, tussis tenet, & erecta ceruicis spiratio, & saliuam tussiendo reiicit albam, & dolor ad pectus & dorsum emergit, & incumbens pulmo impellit, & graue quiddam in pectore incumbere videtur, & dolores acuti pungunt, & sanguis stridet velut pellis, & spirationem prohibet, & ad affectum quidem latus decubitum sustinet, non autem ad sanum, verum veluti graue quiddam ipsi de latere pendere videtur, & per pectus transpirare se putat.*

PVLMO quamuis ex se nullum habeat motum, sed tantum ad thoracis vomitum moueatur, cum in inspiratione ad eius dilatationem amplietur, & in expiratione ad eius constrictionem angustietur, attamen in hoc motu non ita cohæret thoracis partibus internis, vt eis continuetur, solumque eas contangit, superficie adeo leui dotatus, vt nunquam illis naturaliter se habens cohærere queat. Expeditus enim à thoracis partibus, & leuis constitutus adeo est, vt contiguus thoraci, non continuus existat. Verum quoniam ex morbosa causa potest quandoque ista pulmonis leuitas, & ad thoracem contiguitas ita euerti, vt pulmonis lobi aut dextri, aut sinistri ad proprium latus adhæreant, hinc fit morbus iste, quem Hippocrates nunc pulmonem ad latus cohærentem appellat. Causatur hic morbus, cum pituita aliqua viscidior ac tenax inter pulmonis lobos, & thoracis membranas infigitur, ambasque has partes infarciens vtrasque implicat, ac veluti vinculo colligat. Qui morbus licet non lethalis, attamen molestus & dolorosus existit: nam tussis in eo laboriosa accedit, & spirandi tanta difficultas, vt non nisi recta ceruice videantur respirare posse, cum ex ea pulmonis ad latus colligantia viæ spiritus angustientur, pulmoque ex altera tantum parte libere aerem inspiratum admittat. Sputum, quod per tussim reiicitur, est album, quoniam sola illa pituita peccat, nihilque ex cæteris humoribus ad asperas arterias resudat. Dolor ad pectus & dorsum emergit ex ea parte, in qua colligatio facta est, quoniam huic affectui membranæ illæ pulmonis tum dorso tum pectori alligatæ consentiunt, cumque membranæ istæ à pulmone cohærente impellantur, præbent sensum, ac si quid graue in pectus incumbere videatur. Dolores autem in prædictis partibus sunt purgatiui, quoniam partes ex hoc morbo dolentes sunt membranæ, quarum proprium est, dolores pungitiuos pati. Sanguis stridet velut pellis, id est, sanguis in vasibus thoracis existens commotus edit illum actum, quem reddunt lora emollita & macerata. Sicut enim ista, dum macerantur & emolliuntur, imbibita aqua augescunt, augescentia autem, & humorem recipientia sonitum quendam leuem, ac sibilum in illa receptione edunt, ita pari ratione in his sanguis ad intra ex difficili respiratione commotus & angustiatus gliscit, in quo actu & sibilum quendam parere ad sensum ægrotantis videtur. Hunc effectum sæpius notaui in his fieri, qui sanguine flatuoso abundantes sensibiliter persentiunt, cum sensu huius sibili flatus eis per venas & arterias discurrere, qui tamen flatus aut sibilus non nisi ab ipsomet ægrotante percipitur. Ad cuius analogiam censeo etiam pariter hunc sensum fieri in his, & hoc præcipue ductus exemplo lori in aqua macerati, quod proprie exprimit vox illa μασθλης. Hic sanguis hac ratione commotus, inquit Hippocrates, spirationem cohibet; ratio est, quoniam ex illa commotione augescens, vias spiritus magis angustas reddit.

In hoc autem morbo hoc vnum adest peculiare, quod ægri in latus affectum facilem decubitum sustinent, difficilem autem in sanum; ratio est, quoniam dum in partem affectam decumbunt, pars affecta in proprio loco residet, lateri propinquo assidens, dum autem in oppositum se circumuertunt, pars affecta ab inuicem distrahitur, indeque velut graue quiddam ex ea pendere videtur, cum eo sensu, vt respiratio non ad fauces, sed ad pectus fieri appareat. Augescens enim hinc spirandi labor repræsentat spirationem, quæ difficilis est ac laboriosa, per amplam thoracis cauitatem, non per guttur vti per viam angustam, sufficienter reddendam ac molliendam esse.

134 *Hunc calida multa bis in die lauato, & aquam mulsam ipsi bibendam dato. Post balneum vinum album cum modico melle misceto, & dauci, ac centaurii semina trita his diluito, & tepida hæc sorbenda prabeto. Et infusam aquam calidam in ventriculum, aut vesicam bubulam, ad latus apponito, & fascia pectori alligato. Decumbat in latus sanum. Ptisanæ succum tepidum prabeto, & vinum aquosum insuper bibendum.*

SI quæ est affectio, quæ pituitæ purgationem desideret, hæc vna est, cum ab eo & morbus hic causetur, & foueatur simul. Attamen hanc neglexit Hippocrates vel tanquam certam, vel tanquam ex præscriptis curationibus excipiendam. Curaturus autem hanc affectionem, tria sibi præscribit exequenda, quorum primum est, vt concoquat & leniat, secundum, vt materiam peccãtem exsiccet & absumat, tertium, vt pulmonem cohærentem laxet, & à thoracis membranis separet.

separet. Pro primo balneum instituit, & aquam mulsam bibendam exhibet. Pro secundo à balnen vinum album mndien melle admixto, in quod dauci & centaurii maioris semina trita, ne siccante & absumente dotata excipiantur, tepidum propinat. Pro tertio vtriculum aut vesicam bubulam aqua calida semiplenam, vt laxet, lateri apponit, & fascia thoraci alligat, inbens patientem, supra latus sanum, vt partes cohęrentes ab inuicem disparentur, decumbere. His pro ratione medicamentorum administratis, alimenti loco ptisanæ succum tepidum, quia frigida ratione materiei peccantis formidat, exhibet, cui vinum aquosum, ne ex vinositate materia magis fundatur, & deterius afficiat, superbibendum sit. Sed admiror Hippocratem, quia aliasio simili casu concutiens hominem, viderit dolorem & ægritudinem sanatam, nunc concussionis corporis, per quam forsan pulmo à latere separari potest, non meminerit: dicebat enim lib. 6. epid. sect. 8. tex. 46. eum, cui apex hepatis complicatus erat, concussi, & dolor repente cessauit.

135 *At si ex vulnere hoc fiat, aut suppurato secto, (fieri enim in hu solet) huic vesicam in fistulam alligatam flatu impleto, ac intro mittito, & penicillum solidum stanneum indito, ac vlterius propellito. Sic curationem instituens, maxime profeceris.*

COHÆRENTIÆ pulmonis ad latus duplex esse potest causa, altera interna, de qua sufficienter actum est, altera externa, cum ex male in confosso & suppurato thoraci administrata curatione pulmo thoracis membranis agglutinatur. Sicut enim imperiti chirurgi quandoque alia membra, quæ ex natura ab inuicem distincta sunt, ex praua curatione cohęrere & vniri ad inuicem, vt crebro in robustis succedit digitis, vel aliis partibus, præter naturam sibi cohęrentibus, permittunt, ita quandoque lo confossis, dum negligenter ac male rem tractant, ac in suppuratis fiunt pulmonis lnbns membranis pectoris agglotinari. Quo casu duplici præsidio separationem tentandam esse docet, quorum alterum est, vt ad intra os vulneris immittatur vesica fistulæ alligata, quæ per flatum immissum detenta possit prædictas partes ab inuicem distrahere. alterum est, vt penicillum stanneum iodatur, indiesque penitius immittatur, vt inde pulmo à cohæreote membrana impellatur. His autem actis, præsidiisque ad hanc curationem ita institutis, maximus inde proventus, ac in summa sanitas expectanda erit. Morbus enim iste non admodum rebellis est, sed medicamentis opportunis facile cedit.

Lateris tuberculum.

136 *Quum in latere tuberculum fit, tussis emergit dura, & dolor, & febris, & grauitas in latere incumbit, & dolor acutus semper in eodem loco vrget, & sitis vehemens, & calidum potum auersatur, & in dolens latus decumbere non potest, sed in sanum. At vbi decumbit, velut lapis pendere ipsi videtur, & intumescit, & rubescit, & pedes intumescunt.*

SICVT in Commentario primi libri egi de tuberculis pulmonis, ita pariter egi de thoracis tuberculis, eorum generationem, formam, materiam, & solutionem explicans. De quibus nunc acturus, animaduerto, ex his alia in cauitatē thoracis sinum egerminare, nihil partibus exterioribus inde compatientibus, alia potius ad extra, quam ad intra turgere, & potius exteriores, quam interiores occupare partes. De primis loco citato præcipue actum est, de secundis hoc in loco agitur, non tamen de omnibus. Nam de crudis tuberculis nusquam hic sermonem habet, sed tantum de inflammatoriis, quæ à materia calida pendentia facile in suppurationem declinant. De his igitur tractans Hippocrates inquit, ad hęc mollis emergit dura, id est, molesta & dolorosa, insequens, sane ad affectum durum quidem, (quia veræ inflammationis rationem quendam habeat) sed ex duritie magnum dolorem inferentem, dum à tussi irritatur, ac procellitur. Qui tamen affectus etiam sine tussi ob inflammatoriam passionem, dolorem, & vna cum dolore febrem parit, & grauitas hinc lateri ob materiam impactam incumbit. Qum in loco dolor acutus ob naturam loci membranosi, & ob musculos inter costas inclusos continuus vrget, quoniam continua est læsio. Sitis adest vehemens superinducta à febre, inflammatorium affectum concomitante, cuius ratione nec siticntes potum calidum sustinent, cum ratione caloris feruentis appetant frigida, auersentur calida. Hi in partem affectam difficulter & dolorose decumbunt, cum hinc inflammatus locus comprimatur, in partem autem sanam facile, & sine dolore degunt, quoniam hinc affecta pars suspenditur, nec ab vlla ex circumstantibus grauatur. Morbo autem augescente, latus intumescit ac rubescit, manifestam loci inflammationem attestans, pedesque in nonnullis, tecurrente ad internas partes vi phlegmonis insitu calore, indeque extremis partibus ab eo destitutis, ex proprio nutrimento ad ens transmisso, sed nec alterato, nec assimilato ob facultatum debilitatem intumescunt.

137 *Hunc secato, aut vrito: postea pus emittito, atque ad decimam diem linamentum ex lino crudo indito. Decima autem die pure omni emisso, vinum & oleum tepida immittito, vt non derepente exsiccetur, & linamento ex linteo vtitor. Vbi vero id, quod infusum est, emiseris, aliud infundito, atque hac per quinque dies facito. Postquam autem pus tenue effluxerit, velut ptisanæ succus, ac modicum ad manus contactum, stanneum penniculum indito, & vbi peni-*

tus reficcatus fuerit, linamento semper modice præfecto, vlcus ad linamentum coalescere sinito.

LATERIS tuberculo ad externas partes vergente, ac eo suppurato, medicus puris eruptionem, aut sectione, aut vstione tentare debet. An autem potius sectio, quam vstio, aut econtra potius vstio, quam sectio patranda sit, hoc ex his, quæ de his docuimus, dum de suppuratis in primo commentario ageremus, habeatur. Facta autem puri via, pus ex suppurato loco purgandum & euacuandum erit, apposito linamento ex lino crudo, hoc enim, vt alias notaui, magis purgat quam coctum. Pure vero ad decimum vsque diem dicta ratione purgato, vinum & oleum tepidum infundendum monet, ne reficcatus pulmo, adusto pure, quod eum actualiter humectabat, male afficiatur. Ad quod postea linamentum ex lino cocto, id est, ex linteo lineo paratum, quoniam non tantum vt prius affectat purgationem, administrat. Hoc per quinque dies obseruato, vbi aduerteris pus magis coctum, & in minori qualitate prodire; penniculum plumbeum indendum esse monet, vt per eum resecetur vulnus, indeque linamentum indies imminuatur, tandemque vlcus cicatrice obducatur.

Hydrops pulmonis.

138 *Si hydrops in pulmone fiat, febris & tussis tenet, & aceruatim respirat, & pedes tument, & vngues contrahuntur omnes, & patitur talia, qualia is qui suppuratus fit, sed debilius ac diuturnius. Et si quid infundas, aut fomentum, aut suffitum adhibeas, pus non sequitur, atque ex hoc sane cognoueris, non pus, sed aquam intus esse. Et si multo tempore aure ad latera adhibita audire tentaueris, ebullit intrinsecus, velut acetum. Et hæc quidem aliquamdiu patitur, postea erumpit ad aluum, & statim quidem sanus esse sibi videtur, ac à morbo liberatus, verum progressu temporis aluus incenditur, eademque illa patitur, & adhuc amplius. Aliqui etiam intumescunt ventre, scroto, ac facie. Et quidam ab inferna alue id esse putant, quum videant, ventrem magnum, & pedes tumentes. Intumescunt enim hæc, si sectionis tempus transgrediaris. Hunc siquidem extra intumuerit, multa calida lotum velut suppuratos collocato, & qua parte strepitum perceperis, ea secato, quam potes infimo loco, quo effluxio facilis contingat. Postquam autem secueris, linamentum ex lino crudo indito, ita vt crassum & acutum linamentum facias, & sanguinem paucissimum parce emittas. Et si quidem in linamento pus adhæserit quinta die, plerunque euadit: sin minus, vbi aquam exhauseris, sitis corripit & tussis, & moritur.*

DE hydrope pulmonis alias tractans, eius generationem, causas, indicium, & curationem explicaui, simulque hunc Hippocratis locum declaraui ac examinaui. Quare, ne eadem repetantur, lectorem pro huius loci explanatione, & pro huius morbi integra curatione ad eum locum relego, animaduertens, Hippocratem per ea verba, & pedes tument, & vngues contrahuntur omnes, & patitur talia, qualia is, qui suppuratus fit, sed debilius & diuturnius, voluisse insinuare, corpus in his extenuari, quod vnguium contractio attestatur, licet pedes ex imbecillitate caloris natiui tumeant, vt in suppuratis contingit, sed debilius ac diuturnius, quoniam in suppuratis duo adsunt mala, quæ cum in hydrope pulmonis absint, permittunt ægrotantes talia debilius, & diuturnius pati. Horum alterum est præsentia materiæ purulentæ, quæ sui qualitate mala cordis facultates continue labefactat. Alterum est continua febris, inseqnens ad præsentiam contenti puris, & vlcerati loci, quæ febris nequaquam, vbi adsit, quod rarissimum est in hydrope pulmonis, est continua, nec perpetuo affligit, vt fit in suppuratis. Animaduerto insuper modum curandi per sectionem, quam abhorrere, & morbo integre satisfacere nequaquam censeo, ab Hippocrate propositum esse discriminis plenum, nec certam promittere salutem, cum facta sectione, si quinta die in linamento pus non appareat, de salute sit desperandum. Hoc autem rationabiliter materia aquosa peccante, non in primis diebus apparere potest. Quare aqua per sectionem exclusa, citius quam non peracta sectione peribunt, hoc periculum animaduertant hi, qui sectionem laudant.

Pectus aut dorsum ruptum.

139 *Si pectus aut dorsum fuerit ruptum, dolores tenent pectus ac dorsum perpetuo, & calor alias atque alias corripit, & saliuam subcruentam tussiendo reiicit, & velut pilus cruentus per saliuam transcurrit. Atque hæc maxime patitur, si manibus quid laborarit, aut in currum, aut in equum inscenderit Hunc ante & retro vrito ex partibus vtroque loco, & sic sanus euadit. Cæterum per annum à labore se contineat, & ab vstura pinguefaciendo corpori studeat.*

QVOD sit ruptum, & qua ratione fiat ruptio in pectore, aut in dorso, & quomodo ad hæc quandoque suppuratio succedat, in Commentario libri primi section. 3. declaraui. Quibus suppo-

suppositis liqueat ad hæc lure perpetuos dolores has partes infestare, febremq; alias atq; alias parientes, nisi statim morbus sanetur, eorumpere, sputumque subcruentum indicans partium dictarum ruptionem succedere, atq; hæc maxime infestare, cum ægri manibus laborantes, aut currum, aut equum inscenderint, aut quid aliud egerint. Ex hoc enim labore loci affecti exasperantur, indeq; patientes magis affliguntur. Huiusce autem passionis curationem tentans Hippocrates, mouet, in ea solam vstionem tam ad dorsum, quam ad thoracem administrandam esse, censens hinc rupta per siccationem locorum integre sanari posse, patrata autem vstione præcipit patientes per annum à labore continendos, & omni diligentia ad tollendam corporis extenuationem renutriendos esse. Quæ curatio sicuti consueta fuit antiquioribus medicis, ita nostris obsoleuit temporibus, cum nunc rupta facile curemus, si statim secta vena, indictoque tenui victu descendamus ad vsum medicamentorum, quæ tenuitate penetrantia possunt siccitate loca rupta vnire, & humiditates ad ea fluentes absumere. Talis est aristolochia rotunda, centaurium maius, rhacoctus, bdellium, mumia, & similia alia.

Febris ardens.

140 *Febris tenet, & sitis vehemens, & lingua aspera & nigra, & cum virore pallida & sicca, & vehementer rubicunda, & oculi cum virore pallidi sunt, & excrementum egerit rubicundum, & cum virore pallidum; talem quoque vrinam mingit, & multum spuit. Sæpe etiam transmutatur velut ad peripneumoniam, & delirat. Ex qua re cognoueris, quod peripneumonia fit. Hic si quidem peripneumonicus fiat, & quatuordecim dies transgrediatur, sanus fit; si vero in decem & octo diebus peripneumonicus fiat, si non impurgatus permanens, suppuratus fiet.*

QVæ febris ardens existat, quotuplex sit, à quibus humoribus pendeat, quæ symptomata inuehat, ad quos morbos permutationem recipiat, aliaque ad hæc consequentia, satis fuse in commentatario libri primi declaratum est. Qua de re lectorem moneo, vt eum locum pro febris ardentis cognitione integra adeat, indeque symptomatum, quæ in hoc loco narrantur, causam & rationem hauriat. Quo autem ad præsentem locum, aduerto, quod quamuis huius inscriptio sit febris ardens, eiusdemque tradantur signa, nihilominus Hippocrates hic non agit de febre ardente, vt quatenus ardentis tradatur curatio, sed solum, vt declaretur illius permutatio in peripneumoniam, eiusdemque peripneumoniæ, in quam permutata fuerit febris ardens, curatio. Nam quamuis omnis permutatio morbi acuti in acutum sit lethalis, vt loco citato monebam, tamen quandoque ratione roboris ac ætatis subiecti laborantis sanatio non est desperanda, sed alacri animo aggredienda, vbi vires morbum ferre posse sit coniectandum. Antequam autem permutatio fiat, quoniam morbus, ex quo ad alterum fit permutatio, prius noscendus est, ideo in hac permutatione febris ardentis ad peripneumoniam, id quod primo debet medicus nouisse, est ipsamet febris ardens. Huius igitur signa exponens Hippocrates, inquit: Febris tenet, id est, in febre ardenti, id quod primo sensui offertur, est ipse calor febrilis, qui ita est continuus, vt est & sitis. Nam hæc duo sunt pathognomica, febris ardentis signa, vt docebat Galenus lib. 3. epid. sect. 3. com. 34. scil sitis continua, & calor exurens. Lingua in hac febre quoad substantiam in minori calore est sicca, in maiori est aspera: quoad colorem in minori æstu est rubicunda, in maiori cum virore pallida, in maximo est nigra. Oculi & excrementa his etiam pro maiori aut minori incendio in colore proportionantur, in minori hæc sunt rubicunda, in maiori chlora, & in maximo nigra, quod idem de lotio verificatur. His omnib. hoc vnum, quod mirum videri possit, addit Hipp. scilicet, quod patiens multum spuit. At si multum spuit, quomodo lingua potest esse aut sicca, aut aspera, cum ratione humiditatis decurrentis siccitas & asperitas tolli debeat? At si noueritis de febre ardenti hæc, vt supra monui, tractata esse, vt hinc cognoscamus, quando febris ardens in peripneumoniam permutetur, nulli mirandum erit, tales patientes plurimum sputum excreare. Nam cum materia peccans in pulmonem incipit decumbere, tunc ex pulmone multa refudans saliua excreatur, hocque est præcipuum & aduertendum signum, quod præsagit hanc permutationem. Quod signum cum non adsit, nisi instante permutatione, non potest tempore præcedenti linguæ aut siccitatem, aut asperitatem abolere. In hac autem ad peripneumoniam ex febre ardenti permutatione, inquit Hippocrates, patientem delirare, quod est præcipuum signum permutationis in peripneumoniam factæ. Sed quomodo fit delitium, & quomodo est signum peripneumoniæ certum? Fit delitium, quoniam materia biliosa, quæ sparsa in venis febrem ardentem causabat, nunc in pulmone conculcata, cum à pulmone ad caput fit maximus consensus, indeque facies facile ad pulmonia affectiones in colore immutetur, plurimas mittit ad cerebrum euaporationes calidiores, quæ ipsum vellicantes delirium pariunt. Est autem signum non pathognomicum, quoniam ad hoc propria signa sunt adiunda, sed coniecturale, ostendens materiam in loco aliquo particulari conculcatam esse, cui si addantur peripneumoniæ signa, perspectissimum erit, talem permutationem absolutam esse. Hac autem facta permutatione, si æger quatuordecim superet dies, sanus euadit. Si autem decimam septimam superans ad decimam octauam, non facta morbi pulmonis per tussim purgatione, vt in decima quarta facta supponitur, deueniat, suppuratus euadit. Hanc sententiam non recte transtulit Cornarius, dum Græcam literam Latinis verbis interpretans, inquit: non impurgatus perma-

permanens suppuratus fiet. Nam quod Græci per duas negationes magis negant, in idioma Latinum pariter cum duabus transtulit negationibus, in quo tamen duæ negationes affirmant. Quare dicat latine: Et non purgatus suppuratus fiet. Quæ sententia, sicuti literæ Græcæ, ita etiam veritati consonat, cum suppuratio ad morbos thoracis succedat, vbi per tussim & per excreationem non purgetur.

141 *Aquam de crassa farina in ipsa macerata bibat, & acetum album quam odoratissimum postea bibat, & ptisanæ succum sorbeat bis in die: si vero debilis fuerit, ter. Et vinum vinosum, album, aquosum insuper bibat, & quam minimum lauet. At si suppuratus fiat, velut suppuratum curato.*

FACTA permutatione febris ardentis in peripneumoniam, vbi ad quartam decimam diem progrediatur (quod rarissimum est, cum permutationes morborum acutorum in acutos vt plurimum lethales existant) & sanitatis spes concepta fuerit, quibus medicamentis, & quo victu vtendum sit, monet Hippocrates, hunc scopum curatiuum sibi proponens, vt, cum materia peripneumoniam causans sit calidior quidem, sed crassa, quoniam renuior facile dilabitur per substantiam pulmonis, nec in ea figitur, eam primo tum refrigeret, tum attenuet, secundo autem eam fundat ac discutiat. Quapropter pro primo aquam, in qua farina macerata fuerit, propinandam præcipit, vt refrigeret, vt vero attenuet, acetum album odoratissimum exhibet. Sed cur album & odoratissimum eligit? album præfert nigro, quoniam tenuiorum est partium. Quod sit vero odoratum, probat, vt aceti efficaciam insinuet; nam illud acetum, quod fit ex potentiori vino, est odoratum, quod autem ex aquoso conficitur, est inodorum. Hoc autem acetum quam odoratissimum non putum exhibendum est, nam huius potum nemo toleraret, nec simplex morbo conueniret, cum sui vehementia nimium mordicare, & tussim laboriosam inducere sit aptum. Quare aliquo liquore sit dilutum, si bibendum sit, vel si purum exhibeatur, non in potu, sed ad lambendum detur. Interim autem æger succo ptisanæ bis in die, & si debilis existat, ter nutriatur, per quem succum materia peccans refrigerari, & contemperari, & pectus liniri, & abstergi poterit. Hæc de primo. Pro secundo autem, terminante iam morbo, & præsente eius declinatione, vinum vinosum, vt fundat & discutiat, album, vt tenuium sit partium, aquosum, id est, aqua dilutum, vt vini intensum caueat calorem, bibendum esse monet. Et quoniam balneum idem potest, & eius ad hoc præcipuus vsus est, declinante morbo, ideo ad idem Hippocrates balneum commendat, at animaduertens, vt quam minimus huius sit vsus. Ratio est, quoniam cum ex duplici acuto morbo vires in ægrotante necessario languidæ euaserint, crebrum balnei vsum tolerare nequaquam valerent, sed potius per resolutionem succumberent. Hac ratione igitur docet Hippocrates, peripneumonicum ex febre ardenti factum regendum esse, vbi peripneumoniæ purgatio per tussim sit attendenda. Quod si nequaquam succedat, nullaque fiat purgatio, vbi vires sint aptæ morbum tolerare, necessario pulmo suppurabit. Quo casu non amplius vt peripneumonicus, verū vt suppuratus curandus erit.

Febris singultiens.

142 *Febris detinet vehemens, & rigor, & tussis, & singultus, & vna cum saliua grumos sanguinis tussiendo reiicit, & septima die moritur. Si vero decem dies effugerit, melius habet. Verum vigesimus suppuratur, & primis diebus pus modicum tussiendo reiicit, deinde amplius. Purgatur autem in quadraginta diebus.*

CONSTAT singultum esse propriam oris ventriculi passionem, eamque aut ab inanitione, aut à repletione, aut à materia vel vapore sui acrimonia, siue praua qualitate ipsum infestante causari. At quæ sit febris singultuosa ab Hippocrate dicta, & à qua generetur causa, non ita in confesso est. De hac meminit tum hoc in loco, tum etiam libro quarto reg. acutor. tex. 69. ac libro secundo de Fract. text. 23. & libro tertio eiusdem text. 47. Quæ loca si omnia in vnum coincidenent, eundemque sensum haberent, forsan non esset difficile id explicare, sed diuersitas morbi, occasionis, & curationis rem magis implicatam ac difficilem reddit. Verum, vt res innotescat, hæc præmittens ad declarandam rem ipsam descendo. Sciendum est, eam febrem singultuosam vocari, non quæ per quædam interualla, aut in tempore determinato, vt cum proximam mortem prænunciat, singultum annexum habeat, sed quam continuus comitatur singultus, vel per totum morbi tempus simul cum febre affligens, vel etiam supra eam perseuerans, vt docebat Galenus libro quarto reg. acut. comm. 69. Hoc autem stante, liquet in hac febre os ventriculi male affectum continuo esse, alias non esset singultus. Quæ affectio cum vel primario, & per se, vel secundario, & per consensum ad alterius membri passionem contingere queat, nil prohibet, quin febris hæc singultuosa vtroque modo affecto ore ventriculi fieri possit. Per se & primario eo affecto febris hæc singultuosa superuenit, cum materia aut quantitate, aut qualitate molesta ipsius substantiam subingrediens in eo putrescat. Nam ratione putredinis febrem, ratione irritationis singultum causabit. Vtraque autem se inuicem consequuntur, quoniam vtraque ab eadem pendent materia, quæ si per medicamenta opportuna, aut ab ore ventriculi remoueatur, aut per eadem discutiatur, non amplius nec febri, nec singultui fomitem præbens, terminationis vtriusque causa erit. Si vero eius firmetur

tur putredo, non autem à ventriculi substantia ea abducatur, cessabit quidem febris, non tamen singultus. Qui erit alter Gal. casus, cum inquit, nempe vt singultuosa vocetur permanete amplius debet singultus. De hac febre per essentiam, & primariam ventriculi passionem facta loquutus est Hippocrat. loco citato libr. 4. reg. acut. text. 69. quo in loco huius febris curationem explicans eo curationem dirigit, vt infarctam ori ventriculi materiam tum dissiccet, tum abstergat, tum etiam absumat, exhibens laserpitii succum, oximel, daucum tritum, galbanum cum melle, cyminum ac prisanæ cremorem. Quæ omnia supradictis scopis satisfaciunt, præter ptisanam, quæ ratione febris ad contemperandum propinatur. Verum quoniam materia hæc ventriculi os subingressa, nisi fomitem aliunde haberet, cito ac velociter discuteretur, indeque parum molesta existens morbum velocis terminationis pareret, ideo videns Hippo. similem huic materiam à qua fouetur ea, quæ ad intimam ventriculi substantiã penetrauit, in reliquo abundare corpore, & ab ea, quę in ventriculo putrescens febrem excitauit, putrescendi occasionem recipere, & inde febris etiam fomitem esse, idcirco perfectam huius febris solutionem attendens, non tantum per dicta medicamenta, verum etiam per erispla, aut sudore, aut lotio crasso, & acri erumpente, aut abscessu factam solui monet, censens, hanc febrem integre tolli non posse, quin materia nõ tantum ventriculi substantiam obsidens, verum etiam quæ in ambitu totius corporis existit, euacuetur. Et hæc de prima febris singultuosæ specie. Altera singultuosæ febris species fit secundario & per consensum, ore ventriculi ad alterius morbi affectum consentiente. Qui consensus cum duplex esse possit, duplex quoque erit hæc singultuosa febris. Cõsensus alter est, cum male affecta aliqua parte neruosa hinc trahitur in consensum tum genus neruosum, tum cerebrum ipsum, & quoniam os stomachi plurimum neruorum est particeps, ideo ad dictorum membrorum passionem cõsentiens singultum, tanquam eius affectum conuulsiuum, incurrit, quo casu cum pars primario affecta febrem inducat, eam pariter singultuosam reddet. Huiuscemodi febris sequitur ad calcis sydetationem, vti habet Hipp. lib. 2. de fract. text. 23. & ad ossa brachii aut fæmoris fracta, vbi, si extra emineant, non reponantur, & ad similes alias affectiones, quorum aliqua pars neruosa aut pungatur, aut inflammetur, aut corrumpatur. Qui casus lethales esse consueuerunt, quoniam inde principalia membra in consensum ducta, licet secundario patientia, nihilominus affectum morbosum adeo intensum inde contrahunt, vt restitutionem in pristinum statum vix admittant. Huius autem febris singultuosæ curandi ratio consistit primo in curatione partis neruosæ, primario affectæ, vt si pungatur, causa pungens amoueatur, si inflammetur, inflammatio leniatur, & soluatur, si corrumpatur, vt corruptio & putredo sistatur. Secundo consistit in curatione partium neruosarum per consensum patientium; præcipue autem ratione singultus in roborando ventriculi ore, ne facile cum aliis partibus neruosis à parte primario læsa coafficiatur. Alter consensus est, cum os ventriculi ad alterius morbi non ratione neruorum compatitur, sed quia aut magnitudine tumoris phlegmonosi præmatur, aut violentia propinquæ inflammationis torreatur, aut à vapore, seu succo acri, qui eleuatur aut resudat à loco inflammato, irritetur. Quo casu cum febris necessario primarium affectum sequatur, necessario etiam hæc febris compatiente ventriculi ore erit singultuosa. Talis febris solet sequi ad magnas & prauas hepatis inflammationes, vt habet Hipp. li. 7. Aph. 17. Tales etiam ego vidi successisse ad ingentes lienis phlegmones. Tales nunc imaginatur Hip. posse succedere ad magnas partium internarũ pectoris inflammationes, siue hæ ventriculi os male afficiant magnitudine præmendo, siue igneo calore vrendo, siue prauum vaporem in ipsum exspirando, aut succum improbum resudando. Quod in hac febre singultuosa, de qua nunc Hipp. agit, lęũo fit in partibus spiritualibus, ac in thorace ipso, hinc constet, quod ad hanc tussis, per q̃ excreatur sputum cruentum & grumosum, succedit. Talis enim excretio fit à thorace, resudante hac materia ex inflammata parte. At quæ pars sit ea, quæ inflammata hanc febrem singultuosam parere soleat, non ita in confesso est, cum videamus tot inflammationum genera, pectoris internas partes deprehendentia, neq; tamẽ hanc causare, at ex pleuritide, ex peripneumonia, ex aliisque similibus morbis, quos absque singultu videmus, apparet. At sciendum est, quod quemadmodum non ad omnes iecoris inflammationes, vt dicebat Gal. libr. 7. Aph. com. 17. sequitur singultus, sed ad magnas, & prauas tantummodo, ita pari ratione febris hæc singultuosa non succedit ad quascunque thoracis partes inflammatas, sed ad eas tantum, quæ ratione quantitatis sint magnæ admodum, ratione autem qualitatis sint prauæ, & cacoethes, cuius magnitudinis & prauitatis ratione succedit, vt cum stomachus ea parte, qua ad intra thoracem prope spinam proreptat, vel feruore inflammationis torreatur, vel magnitudine comprimatur, vel à succo ex inflammata parte resudante mordeatur, vel à vapore prauo ab eadem exhalante irritetur, facile passio ori ventriculi communicetur. Hac autem cõmunicata, succedat singultus, qui pari ratione, vti cætera accidentia perpetuo morbum factum concomitetur, cuius merito cum febris continua affligat, continuus etiam sit singultus, & hinc febris singultuosa dicatur. Ex quibus pateat quamlibet partiũ internarum thoracis, quæ vel proxime stomachum attingat, vel quæ facile ei communicare suam passionem queat, posse huic febri singultuosæ occasionem existere, vbi adeo ingenti inflammatione deprehẽdatur, vt & magna, & praua euadat. Agens autem Hippo. de hac febre, hæc eius signa esse recenset. Febris detinet vehemens, id est, ad hanc partium thoracis internarum inflammationem, quæ sit magna & praua, sequitur febris vehemens, vtpote inflammato loco propinquo cordi, eoque ingenti, & praua inflammatione affecto; & rigor,

quoniam, vt alias notaui, inflammationes internæ hunc habent morem, vt cum rigore, dum materia fluens ad locum affectum per loca sentientia transmigrat, incipiant, rarissimæque sunt illæ, quæ ab hoc ortum non ducant; & tussis, nam inflammatia partibus spiritualibus fit irritatio, ex qua necessario sequitur tussis & singultus, cū tam magna, & adeo praua sit inflāmatio vt stomachū male afficiat. Quo affecto os ventriculi consentiens, & velut conuulsiuum motum patiens, singultum incurrit; & vna cum saliua grumos sanguinis tussiendo reiicit, id est, cum à loco inflammato refidet materia similis ei, quæ impacta inflammationē causat, reiicit sputum cruentum, & grumosum. Cruentum quidem ratione sanguinis inflammantis, grumosum autē, id est, crassum quia vi inflāmationis adducitur. Quę sententia si verificatur de sanguine, qui omnium humorum est benignissimus, tanto magis verificabitur de cęteris humoribus, qui sui natura sint prauioris qualitatis, qualis est bilis aut flaua, aut nigra, quæ tunc temporis sputum sibimet in proportione coloratum, & pro ratione alterationis conceptæ immutatum causabit, & septima die moritur. Nam cum hic morbus sit admodum acutus, ac laborem ingentem (singultus enim cōtinuus est motus admodum laboriosus) & discrimina multa inferat, in primo septenario terminari solet, ęgrotātem perimens. Qui si septimā ratione roboris naturæ, & curationis rectè administratæ superarit, melius quidem habet, sed vbi integre per tussim nō expurgetur, vigesima die suppuratur. Quæ suppuratio, si in ægrotantis salutem terminari debet, debito tempore erumpet; & ab eruptione licet primis diebus, pus modicum excreetur, nihilominus in processu multū, & copiosum reiicietur, quo ad per quadraginta dies, qui est terminus purgationis supputationum, integre fuerit expurgatum.

143 *Huic primis diebus acetum & mel cocta bibenda dato, & postea acetum, & aquam admisceto, quo aquosior fiat potio; & ptisanæ succū modico melle admixto sorbeat, & vinum album vinosum insuper bibat. Postquam autem decem dies præterierint, si febris sedetur, & sputum purum sit, ptisanam integram sorbeat, aut milium.*

QVAMVIS huius morbi inscriptio sit febris singultiens, & singultus sit oris ventriculi propria passio, attamen Hipp. qui hanc febrem non à loco affecto, sed à symptomate insueto eam singultuosam appellauit, non dirigit curationem ad ventriculum, sed ad partem primario affectam, cuius affectionis merito compatiens ventriculus singultum incurrat. Hæc autē pars primario affecta, cum sit pars aliqua thoracia interna inflammatione deprehensa, si curanda est, inflammationis causa tollenda erit. Hæc cum sit sanguis, hicà loco affecto retrahendus erit, pro parte fluente, pro parte autem facta, qui impactus est, erit attenuandus, temperandus & cōcoquendus. Pro primo faceret sanguinis missio copiosa, cuius tamen non meminit Hippocrat. vt sui moris est. Pro secundo, quoniam sanguis grumosus, per tussim reiectus indicat peccate sanguinem crassiorem, ideo Hipp. ad hoc mel & acetum tanquam dissiccantia instituit, verum timens calorem, aquam aceto, vt aquosior & magis refrigerans fit potio, admiscendā esse monet. Ptisanæ succum tanquā abstergentem, & refrigerantem modico melle affuso, vt magis leniat & concoquat, pro sorbitione exhiberi; & declinante morbo vinum album vinosum superbibendum monet. Dixi, declinante morbo, quoniā dum inflammatio, & febris vrget, nullus sanæ mentis vinum vinosum exhiberet. Sciendum tamen est talia vina penes antiquos nō fuisse admodum potentia, quoniam vt notat Gal. lib. 3. reg. acut. com 6. ex vinis albis nullū valenter calefacere poterat. Quod enim summe calidum, ac potens erat, non album, sed flauum existebat, vnde pro qualitate vini exhibenda hinc habeatur, Hipp. genus vini concessisse, quod sui natura sit debile, licet aliquam vinositatem retineat: vt enim vini imbecillitatē insinuaret, album dixisse voluit. His actis, vbi ad decimam æger peruenerit, quo tempore dicebat superius, melius ipsum habere, iam declinato morbo, & febre sedata, totam ptisanam, aut milium, tanquā alimentum magis nutriens, exhibet. Hæc Hippocrat. solum morbum primarium respiciens, docuit, cum tamen & secundarii, & membri per consensum patientis etiam ratio habenda fuisset.

144 *At si vigesima die pus spuat, saluiam, & rutam, & satureiam, & origanum, ac hypericum, singula aquis portionibus contusa, ac cribrata permisceat, ita vt omnium cyathi parui, siue concha marina sit mensura, & polenta tantumdem. Hac teiunus in vino dulci temperatò bibat. Et si hyems sit, aut autumnus, aut ver, sorbitionibus vtatur. Si vero æstas, minime, verum amygdalas, & cucumeris semen torrefactum, & sesamum, singula aquis portionibus, vt in totum sit conchæ marinæ mensura, terat, & aquæ heminam AEgineam affundat, & farinam ac fauum inspergat, hac post potum sorbeat. Cibis vtatur pinguibus, & salsis, & marinis magis, quam carnibus. Calida lauet, minime vero caput. Hac facient à morbo liberatur.*

SI hæc inflammatio, cuius vi compatiens ventriculus singultu laborat, in decima die non soluatur, nec etiam purgetur, perseuerans, vt superius monebat, die vigesima suppurare consueuit. Quo casu cum medicus, eruptione facta, purgationi omni conatu incumbere debeat, Hippo. huic scopo intentus ea, quæ puris purgationem præstare idonea sunt, instituit. Verum quoniam non omnia, omni tempore conuenientia existunt, aliaque calidioribus, alia frigidis temporib. exhibenda sunt, ideo rationem temporū habens monet, vbi tempora sint vel frigida, vel ad frigidum declinantia,

quæ-

Siccatorius hic morbus Hip. 1
et idem ferè, ac Affectio Hy-
pochondriaca Neoterici:
corum, distincta à Melan
cholia hypochondriaca.

qualis eſt hyems, autumnus, & ver, propinanda eſſe validiora medicamenta, quæ tum attenuare, tum abſtergere, tum abſumere, tum ſiccare, tuſſim prouocare, & per tuſſim purgare apta ſint. Ad hæc autem præeligit ſaluiam, rutam, ſatureiam, origanum, & hypericum, quæ omnia in ſuppuratis ad ea præſtanda opportuniſſima exiſtunt. Hæc contundenda, cribranda, & permiſcenda monet, ea ad quantitatem parui cyathi, id eſt, ad ʒ tantundem polentæ ad contemperandam eorum caliditatem, admiſta. Quæ omnia affuſo vino dulci temperato, id eſt, aqua diluto, in formam ſorbitionis redigantur, indeq; ad prædictum vſum ſorbeantur, ſi tempus hyemale, vel autumnale, vel vernale extiterit. Quod autem in tranſlatione dixerit Cornar. & ſi hyems ſit, aut autumnus, aut ver, ſorbitionib. vtatur, nec veritati, nec textui Græco adaptatur, in quo dictio, ῥοφανέτω, id eſt, ſorbeat, refertur ad medicamentum iam explicatum, & in formam ſorbitionis redactum, nõ autem ad ſorbitiones ipſas, quas in ratione alimenti antiquiores in vſum habebant. His exhibitis in temporibus aut frigidis, aut ad frigidum declinantibus ſubdit Hipp. ſi vero æſtas, minime, id eſt, ſi fuerint tempora calidiora, ab huiuſcemodi medicamentis abſtinendum, & loco eorum magis temperata ſumenda ſunt, quale hoc eſt, quod ex amygdalis, quæ abſtergere ſine ſumma calefactione poſſunt, ex cucumeris ſemine torrefacto, quod abſtergens & leniens, deperdita humiditate ex torrefactione, exiſtit, & ex ſeſamo, quod mollire & lenire ob pinguedinem innatam valet, componitur. Quę omnia vbi trita fuerint, effuſa aqua in formam ſorbitionis redigantur, ſuperimpoſita p. q. farinæ & fani, vt ſorbitio ſuauior, & magis leniens euadat. Hanc ſorbitionem ſorbendam eſſe monet poſt potum, id eſt, poſt potionem eam, quæ ad attenuandam, & concoquendam materiam peccantem ex melle aceto, & aqua inſtituta fuit. Harum ſorbitionum vſus erit per eos quadraginta dies, per quos purgari pus integre debet. Quo tempore in ratione alimenti veniunt in vſum cibi pingues & ſalſi, potius autem marini, quam carnes, quoniam marina cibaria maiorem nitroſitatem & ſalſedinem, quæ ad facilitandam puris purgationem faciunt, quam animalium carnes, participant. Interimque balneum ad humectandum corpus, & ad laxandas thoracis vias, vt facilius inde pus expurgetur, ingrediatur, vitans, ne caput madefiat; nam hinc fluxiones ad thoracem prorītari poſſent. His actis inquit Hippocrat. patiens à morbo liberabitur, id eſt, facile erit, vt à morbo euadat.

Morbus lethargus dictus.

145 *Tuſſis oboritur, & ſaliuam ſpuit multam, ac liquidam, & nugas garrit, & vbi nugari deſierit, dormit, & recrementum male olens egerit.*

LETHARGVS eſt affectus pendens ex pituita cerebrum irrigante, in eoque tumorem, ſeu apoſtema cauſante, cuius merito ægrotantes obliuioſi, dementes, & ſomnolenti fiunt, ſimulque febre quadam leui, ac lenta deprehenduntur. Qui morbus cum duplicem habeat generationem, vti alias ex Galeno declaraui, videl. quod quandoque in eo pituita morbum faciens putreſcat, quandoque autem minime, hinc etiam fit, vt diuerſa in eo prodeant ſymptomata. Nam licet ambo communicent in obliuione, & ſomnolentia, attamen differunt in febre & dementia. Nam vbi ſit ſine putredine, febris eſt magis lenta, & dementia eſt ſimplex, at vbi ſit cum putredine, febris eſt minus lenta, & magis notabilis, dementia autem non eſt ſimplex, ſed cum delirio manifeſto. Vnde cum Hippocrat. huius lethargi ponat hoc accidens, quod nugetur & garriat, liqueat eum loqui de lethargo cum putredine pituitæ facto. Cuius indicia apponens, alia conſequentia, & non neceſſaria, alia ad prauitatem ſuccedentia recenſet, alia ex neceſſitate concomitantia dimittit. Primi generis ſunt, tuſſis, & ſputum multum, ac liquidum; nam ſemper hæc lethargicis accidunt, ſed ſolum à principio, nec in omnibus. Nam licet in pluribus cerebrum pituita repletum, eius portionem ad fauces transmittat, hincque os crebro phlegmate repleatur, non tamen fit certa tuſſis, ſed potius cerchnon, & irritatio ad tuſſim, cum materia non dilabatur ad arteriam, ſed in faucibus retineatur. Quam pituitam nonnulli à principio exereant, qui tamen in proceſſu morbi facti obliuioſi ac dementes, nec eam excreant, nec excreare tentant. Secundi generis eſt recrementum alui male olens, nam cum excrementa praue olentia, corruptionem, ac putredinem atteſtentur, talia recrementa in his lethargis ſuperueniunt, quę ex putredine non tantum materiam in capite exiſtentem corrumpente, verum etiam alia corporis excrementa ad malum alterante (qui ſolent eſſe lethales caſus) hominem ad interitum deducunt. Tertii generis eſt febris, quæ lethargum ex neceſſitate concomitans ab authore ſub ſilentio prætermittitur, qui morbi præſentis ſigna propria recẽſens, vere tantummodo duo apponit, quorum alterum eſt garrulitas & delirium, alterum eſt ſomnolentia.

146 *Huic aquam demacerata in ipſa farina craſſa bibendam dato, & vinum album vinoſum poſtea bibendum, & ptiſanæ ſuccum ſorbendum. Verum huic mali punici ſuccum admiſceto, & vinum vinoſum album inſuper bibat, & ne lauet. Hic in ſeptem diebus moritur. Si vero has effugerit, ſanus euadit.*

HIPPOCRATES lethargum curaturus, videtur eius eſſentiam, & generationem, ac cauſas parum nouiſſe, cum nec ratione materiæ, quæ eſt craſſa & viſcida, attenuantia, nec ratione fluxionis deriuãtia, aut reuellẽtia, nec ratione accidenti-

dentium, inhibentia adhibeat; sed tantum rationem victus habens, varia & indifferentia instituat. Nam aqua, in qua macerata farina fuerit, potest refrigerare & lenire, vinum album vinosum calefacere, ptisanæ succus parum nutrire & abstergere, mali punici succus ei admixtus vapores sursum ascendentes reprimere, quæ omnia ita indiscrete adhibita, aut nocumentum, aut parum iuuamenti præstabunt. Quæ dum in hoc morbo, qui adeo grauis est, vt in septima crebro ægrotantem perimat, sunt admodum periculosa, & discriminis plena. Quare magis exquisita aliunde est petenda curatio.

Morbus siccatorius appellatus.

147 *Neq; sine cibo esse, neq; cibum acceptum tolerare potest. Verum vbi quidem sine cibo manet, viscera sugunt, & os ventriculi dolet, & alias alia vomit, & bilem, & saliuam, & pituitam, & acria, & postquam vomuit, aliquantisper melius habere sibi videtur. At vbi cibum accepit, ructus adsunt, & cum rubore exardescit, & semper multum se cacaturum esse putat. Vbi vero ea gratia desederit, flatus prodit, & dolor caput habet, & totum corpus velut aciculis pungi videtur, alias alia parte, & crura grauia sunt, ac debilia, & consumitur, ac debilis fit.*

Hic morbus appellatus est siccatorius, à symptomate eum consequente. Nam ex hoc affectu corpus tum extenuatur, tum contabescit, extenuari autem & contabescentes siccantur, cuius siccationis merito hic morbus hanc appellationem sortitus est. Huius autem siccationis causa est, quoniam alimentum in corpus insumptum absumitur & discutitur. Discutitur vero & absumitur vi caloris intensi totius corporis, habitum alterantis. Hic calor duo mala parit, alterum est, quod non modo alimentum, verum etiam ipsummet corpus dissipat, alterum est, quod sanguinem ex hoc calore feruentem adurit, & torret, eumq; in atrum biliarium succum conuertit. Qui succus ad os ventriculi demandatus, duo incommoda ingentia & notabilia ipsi infert. Primum est, quod per propriam aciditatem, quam ex natura, antequam aliquã corruptionem deteriorem ineat, habet, maximam in ore ventriculi corrugationem faciat. Secundum est, quod ex propria intemperie frigida, & inæquali cum aceto assimiletur, valde ipsum labefactet, & admodum languidum reddat. Ex primo patiens hoc habet, quod, cum ex corrugatione oris ventriculi appetentia causetur, fame cõtinua laboret, quæ fames non modo est continua, verũ etiam ingens, quoniam non tantum ab ipsa atra bile os ventriculi obsidente fouetur, verum etiam vi caloris intensi totum habitum dissipantis adaugetur. Nam dissipato tum corpore, tum alimento, membra exteriora trahunt à propinquis, propinqua ab intimioribus, intimiora ab intimis, hæc à venis ipsis ventriculum protegentibus, quæ vbi ratione huius attractionis exuguntur, inferunt huius suctus sensum ori ventriculi. Qui sensus cum nil aliud sit, quam fames, necessario hinc fames ipsa, quæ ex præsentia atræ bilis causabatur, adaugetur. Ex qua fame adeo patiens affligitur, vt nec sine cibo perdurare, nec inediam tolerare queat, & cum suctus, & corrugatio sint vehementes, vt in ipsa inedia os ventriculi doleat. Ex ipso autem dolore & inedia hoc sequitur, vt cum doloris in ipso fiat attractio, & in inedia ventriculus, vt habetur à Gal. libr. 3. de nat. facul. cap. 13. & lib. 6. Aphorism. com. 10. attrahat à iecore, & circumstantibus partibus, vt confluant succi praui ad os ventriculi, qui ipsum vellicantes & dolorem augentes, morsus & vomitus causa existunt. Ex secundo autem patiens hoc consequitur, vt cum ex præsentia succi atrabilaris intemperatum, & inde languidum os ventriculi, & ventriculus ipse euaserit, vbi cibum assumat, eum tolerare nequeat. Nam ab eo grauatur; grauatus autem dolet & quoniam ventriculus ex hoc languore in concoquendo cibo laborat, plurimæ fiunt vaporationes, quæ ad faciem eleuatæ, in eam caloris sensum, ac ruboris colorem inferunt. Et quia ventriculus languens integram alimenti coctionem moliri nequit, cum eius calor innatus hinc obtundatur, inde succedit, vt dum cibi coctionem tentat, plurimos necessario flatus generet, qui vbi superiores partes petant, si ad os ventriculi decumbant, ructus, si ad caput, capitis dolorẽ pariunt. Vbi autem ad inferiores partes deflectantur, ventris gurgulationes, & intestinorum commotiones, & tandem sensum deiiciendæ alui præbent. Quam tamen vbi exonerare tentant patientes, solos flatus edunt, excrementa enim crassiora, ac fęces, quæ in his vi caloris superfluentis torrentur, & admodum siccata indurantur, talem commotionem in inferiori ventre nequaquam præstare apta sunt. Hunc casum describens Hipp. & eum siccatorium, ab extenuatione corporis illum consequente, appellans, iure merito inquit, quod patientes in hoc morbo, nec sine cibo esse, quia ab inedia, & fame tum affliguntur, tum dolent, nec cibum tolerare, quia ab eodem grauantur, & plura mala patiuntur, possunt. Nam vbi sine cibo manent, viscera sugunt, id est, os ventriculi suctum patitur, & viscera circumstantia, vt alimentum ad restaurationem dissipati attrahant, ipsum ventriculum sugunt, & os ventriculi dolet. Nam hic suctus, cum sit mala oris ventriculi sensatio, & ingens ac molestus existat, sensum doloris ipsi ventriculo infert, & alias alia vomit. Nam confluentibus prauis succis tum ob inediam, tum ob dolorem ad ventriculum, hinc facta irritatione sequitur vomitus, ex quo & bilis, & pituita, & saliua, prout hic vel ille humor in hypochondriis abundat, & attractioni præsto est. euomitur, & ὀξέα, id est, acuta, nõ acria, vt transtulit Corn. sub nomine acutorum comprehensis acidis succis, qui in hoc generantur, & euacuantur casu. Quibus per vomitum eductis, inquit Hipp. aliquantisper sibi melius habere videtur. Et iure, cum hinc exonoratus ventriculus ab his succis non amplius nec grauetur, nec mordeatur, re-

manen-

remanente tamen fame ipsummet angustiante. At si fame coactus patiens cibum assumpserit, ructus adsunt. Nam cum flatus generentur ex caloris imbecillitate, & imminutione, necessario in hoc casu flatus plurimi succedent, cum ventriculus ex præsentia melancholici succi sit languidus redditus. Et cum rubore exardescit. Nam laborans ventriculus plurimas gignet euaporationes, quæ ad faciem eleuatæ, ruboris & caloris sensum in eam inuehunt. Et semper multum se cacaturum putat, quod contingit, cum flatus ad inferiora conuertuntur, cum tamen in exonerandaluo ex ea irritatione admota nihil præter flatus edant. Et dolor habet caput, cum vaporationes, & flatus illi cerebrum petierint, & totum corpus velut aculis pungi videtur, alias alia in parte. Nam abundante succo illo atrabilari, & facta corporis ex intenso calore dissipatione, cui dubium, quod vaporationes ab illo succo eleuatæ, & per poros cutis transmissæ, præbeant sensum acus pungentis, cum vaporationes istæ sint acutæ & prauę? Et crura grauia sunt, ac debilia. Nam hinc languente corpore, membra ipsa sunt patienti grauia, cum lenia sint robustis solum, debilia autem, propter facultatem languentem. Et consumitur. Nam facta totius corporis & alimenti dissipatione, continueque ore ventriculi vel ex inedia, vel ex cibo languente, totum extenuatur corpus, quod debile etiam necessario euadit, cum proprio nutrimento defraudetur. Huic ex parte similem, ex parte dissimilem casum narrauit Hippocrat. lib. 5. Epid. historia quinta, mentionē faciens de viro Oeniadis laborante. Similem quidem, quoniam cum hic sine cibo esset, fortiter sugebat in ipsius ventre, & dolebat, consumebaturque & tabescebat, & nō accedebat ei alimentum à cibis cum comedisset. Dissimilem autem, quoniam à cibō, cum comedisset, & cibi concocti essent, melius habebat, nec laborem, aut dolorē ex suctu à cibo assumpto persentiebat. Sed quæ est causa aut similitudinis, aut dissimilitudinis? Similitudo hinc pendet, quoniam in vtrisque his casibus, facta ex ingenti calore totius corporis dissipatione, membra sibi inuicē propinqua, & ad venas tandem ipsius ventriculi pertingentia suctum in eo ingentem causant, ex quo suctu dolebat ventriculus, cum violentiam ex tanta attractione pateretur; consumebatur autem hinc corpus, & tabescebat, quoniā ex ea caloris vehemētia non modo alimentum, sed & ipsiusmet corporis substantia absumebatur. Dissimilitudo autem inde est, quoniam in hoc morbo ex præsentia bilis atræ ventriculum obsideoris, ventriculus ipse labefactatur, & languescit, qui vbi languidus factus est, cibum nec tolerare, nec perfecte concoquere, cuius merito plurimi flatus gignuntur, potest. At in ægro Oeniadis laborante nulla adest, præter intemperiem calidam totius corporis materia, per quam ventriculus langueret, & ideo à cibo melius habebat, tum quoniam ventriculus satur, nec suctum, nec dolorem sentiebat, tum quoniam ventriculus validus existens integre cibos concoquere idoneus erat, nec in eis concoquendis laborabat. Cum autem in coctione non laboraret, flatus non generabat, & alui excrementa, omni humiditate vi caloris absumpta, admodum siccata & combusta egerebat. Huic affectui etiam ex parte similis est appetitus caninus, nam in vtrisque est illa ingens corrugatio, & suctus oris ventriculi, ex quo inediam tolerare nequeunt, inexplebili fame cruciati, cum tamen in aliis conditionibus dissideat. Nam in appetitu canino superuenit vomitus à cibo, quum ex eo grauetur ventriculus, at in præsenti morbo vomitus ex inedia, & ieiuno existente ventriculo, succedit, nec ab assumpto cibo quid euomitur. Similem huic morbo conformitatem ex parte habet bulimos, nam in vtrisque est eadem corporis dissipatio & extenuatio, cuius ratione à Gal. libr. 5. de simpl. med. fac. cap. 5. dicebatur bulimos affectus frigidus & siccus, & adest eadem membrorum à ventriculo attractio. Cum tamen differant ratione sensus ventriculi, nam in bulimo nec est sensus illius suctus, nec vlla est appetentia, mortificata existente ventriculi facultate appetitrice, cuius ratione cibum non tantum non appetunt patientes, verum etiam illum abhorrent. At in hoc morbo est sensus suctus, est fames, est ventriculi dolor, & est molestia ingens in inedia, quam tolerare non possunt. Ex quibus liqueat morbum in præsenti loco ab Hippocrate enarratum esse quid distinctum ab omnibus prædictis nō tantum effectis, verum etiam, & causis, & symptomatibus.

148 *Huic medicamentum bibendum dato, primum deorsum purgans, postea superne, & caput purgato, & à cibis abstineat dulcibus, & oleosis, ac pinguibus, & ab ebrietatibus. Vomat autem à succis, & à cibis, & pro anni tempore, lac aut serum asininum bibendum præbens, pharmacum insuper bibendum dato, vtro tandem magis opus esse tibi visum fuerit. Æstate ac vere frigida lauet. Autumno autem & hyeme vnctione vtatur, & deambulet, & modice se exerceat. Si vero debilior sit, quam vt exercere possit, iter faciat. Et cibis frigidis ac aluum subeuntibus vtatur. Et si venter non egerat, molle infusum per clysterem iniicito. Morbus hic diuturnus est, & consenescentes, si ita futurum est, relinquit, sin minus commoritur.*

CVM hic morbus duplicem habeat causam, alteram succum atrabilarem, alteram intemperiem calidiorem, iudicatur, vt ratione primæ causæ euacuemus & contemperemus, ratione secundæ, refrigeremus. His duobus scopis intentus Hippo. pro primo ad humoris peccantis euacuationē præcipit, vt primo expurgetur corpus p medicamentū deorsum purgās, secundo, & euacuetur p pharmacū sursum ducens, tertio, vt caput purgetur. Quæ triplex euacuandi ratio, sicuti Hippo. est consueta,

ta, Ita in hoc casu videtur opportuna, cum talem succum, qualis obsederit os ventriculi, in reliquo corpore abundare censendum sit. Quapropter ad expurgationem totius corporis non incommoda erit triplex hæc euacuatio. Ad contemperandum autem peccantem succum, qui sicuti ex nimio feruore generationem duxit, ita etiam superfluum calorem, & cum calore aciditatem concepit, instituit fieri aut lactis asinini potum. Qui potus, sicuti ad retundendam aciditatem, & contemperandum calorem facere potest, ita pariter ad corpus renutriendum, & crassefaciendum cõmodus erit. Hoc autem potu per plures administrato dies (nam nec temperamentum, nec renutritionem ex vnica, aut paucis exhibitionibus consequi posse sperandum est) instituit, succum atrabilarium aliquam coctionem & cõmoderationem ex eo recepisse sperans, pharmacum insuper bibendum esse, sed an deorsum, an sursum purgans esse debeat, arbitrio medici curantis relinquit, qui hoc determinabit ex parte magis affecta, & ex promptiori ad euacuandum in ægrotante inclinatione. In hoc vnum obseruandum erit, vt ad alleuiandum ventriculum à prauis succis sæpius vomitus, aut à cibis, aut à succis (quæ fiot ista ad prouocandum vomitum facientia alias declaratum est) prouocetur. Et hæc de primo scopo. Pro secundo ad refrigerandum & contemperandum totius corporis feruoré, omne alimentum, & ambitum dissipantem, balneum frigidum æstate, & vere instituit; autumno autem, & hyeme timens aeris ambientis frigus, à balneo abstinet, & vnctione frigida corpus vngi monet. Adidem cibaria frigida administranda esse præcipit, cauens dulcia, oleosa, & pinguia, quoniam hæc omnia in habitu calidiori feruent, & maiorem corpori inuehunt calorem, sicuti & ebrietates facere aptæ sunt, cum à vino habitus calidiores calore vehementiori infestentur, cuius ratione in his libr. 6. Epid. sect. 4. text. 14. docebat aquæ potum non vini conuenire, sicuti & quietem, non exercitationem immodicam. Ad quam intentionem monet corpus parce exercendum, & solis deambulationibus contentum fore, quod si debilius existat, minimum vadat. Et quoniam in hisce patientibus, vt à principio dictum est, alui excrementa comburuntur, ac admodum siccantur, indeque raro excernuntur, idcirco monet cibis aluum facile subeuntibus vtendum esse, & vbi nec per hos cibos venter egerat, per clysteria mollia aluum subducendam esse. Hic morbus, inquit Hippocrat. diuturnus est, cum multum temporis duret, & relinquit consenescentes, si ita futurũ est, id est, si æger ex morbo non succombat, relinquit patientem in senectute, nam per decursum ætatis refrigerato corpore, hinc etiam temperatur feruor morbum faciens, vti ex Hippocrat. & Galen. habetur lib. 6. Epi. sect. 5. text. & comm. 6. Qui feruor si nec ex ætate remittatur, morbum fouens, erit in causa, vt necessario ægrum perimens simul cum eo commoriatur.

Febris interficiens appellata.

149 *Febris tenet, & rigor, & supercilia impendere videntur, & caput dolet, & vomit saliuam calidam, & multam bilem quandoque etiam infra egerit, & loci oculos non capiunt, & dolor ad ceruicem, & ad inguina emergit, & affectis viribus est, & nugas garrit. Hic septima die, aut etiam prius moritur; si vero hanc effugerit, plerunque sanus fit. Morbus est lethalis.*

FEBRIS hæc interficientis appellationem sortita est, quoniã cum ex omnibus febribus sit vehementissima, creberrime ac facillime patientes interficit. Vehementiam autẽ exinde habet, quoniam cum hæc febris sit ex genere ardentiũ, omnium est ardentissima & feruentissima. Nam cum febrium ardentium exquisitarum, quę omnes à biliosopendent succo, triplex sit differẽtia, alię enim fiunt à flaua bile, quæ vna cum sanguine in vasorũ capedinibus continentur, accensa, aliæ fiunt à flaua bile in venis aut ventriculi, aut iecinoris, aut pulmonis feruescente, vti docet Gal. libr. p. Epid. sect. 2. com. 73. aliæ autem fiunt à flaua bile erysipelatosum phlegmonem in prædictis visceribus excitante. Hę postremæ ex omnibus vti docet Gal. lib. 5. de loc. affect. cap. 6. sunt vehementissimæ, si autem vehementissimæ, igitur & periculosissimæ, & hoc eo magis, cum in eis tria illa viscera erysipelatosa inflammatione deprehensa sint, quorum merito in lethali casu ęgri constituti facile ab his febribus perimuntur. Febris igitur hæc, quæ ab Hipp. interficiens est appellata, est febris ardens à bile flaua in ventriculo, aut iecinore (pulmonem prudens prætereo, quoniam Hippoc. supponit erysipelatosum hunc affectum ventrem inferiorem, non superiorem occupare) erysipelas excitante. Cuius febris recensens signa Hipp. inquit, febris tenet, & rigor. Rigor quidem, quoniam, vt alias notaui, rari sunt affectus inflammatorii partium internarum, qui non à rigore incipiunt, & hoc potissimum bile flaua peccante, quæ dum ad locum patientem irruit, & per membranas, & loca sentientia discurrit, necessario rigorem causat. Ad rigorem autem deinceps succedit febris, id est, calor, & feruor febrilis, per febrem enim hoc in loco non audiamus ipsam febrem, quoniam febris esse signum febris non potest, sed per febrem febrilem calorem, qui post rigorem succedit, intelligamus. Superueniente autem rigori calore isto quamprimum elucescunt febris ardentis pathognomica indicia, quorum alterum est continuus feruor, alterum est sitis inexhausta. Continue enim ardent ac quasi torrentur patientes in febre ista, & assidue sitiunt, quantumlibet bibant, vt habet Galen. lib. 3. Epid. sect. 3. com. 34. Quæ duo signa sub silentio præteriens Hippocrat. tantum recenset nonnulla aut assidentia, aut superuenientia. Quæ enumerans inquit, & supercilia impendere videntur; nam bile circa ventriculum, aut iecur feruente, multæ fiunt ad caput euaporationes, quæ cerebrum petentes, eius partem

tem anteriorem, quæ exhalationes calidiores facilius parte posteriore, ob maiora eius tum vasa, tum ventriculos, recipit, replent, ex qua repletione supercilia tanquam suspensa non grauantia, quia materia abest, sentiuntur. Et caput dolet. Nam id calidioribus & aerioribus vaporibus repletum, non potest non dolere, cum ab eis membranæ & partes eius sentientes vellicentur, ac mordeantur. Et vomit saliuam calidam, & bilem multam. Saliuam quidem, quoniam irritato vomitu resudat ab ore ventriculi materia saliuosa, quæ non est frigida, vt consueuit quandoque esse pituita, sed calida tum ob feruorem febris, tum ob bilem innatantem. Cuius merito succedit vomitus, quoniam & bilis in hoc morbo peccat, & quantitate excedit, cuius merito, dum ad ventriculum ruit, copiosus in eo est vomitus. Quandoque etiam infra egerit, subintellige bilem, nam deiectiones biliosæ solent esse peculiares huic febri, vt notat Hipp. lib. 4. reg. acut. text. 3. & Galen. ibidem. Et loci oculos non capiunt, id est, ex ingenti calore & plurima ad partes superiores euaporatione, ita partes cerebri anteriores tum tument, tum extenduntur, vt communicata oculis hac passione, inde videantur patientes sibiipsi habere oculos ita amplificatos, vt vix in propria cauitate capere queant. Et dolor ad ceruicem, & ad inguina emergit. Nam cum ex ingenti calore torreatur corpus, maximus etiam feruor in partibus neruosis concipitur, quarum origo cum sit ad ceruicem, hinc etiam ad ceruicem dolor, qui sæpius delirii superuenturi, cum hic arrestetur cerebrum valde affectum esse, solet esse certissimum signum, emergit. Qui etiam inguinibus communicatur, vel per neruosas partes ad ea loca disseminatas, vel per venas & arterias eo loci diuaricatas, vt quę tum feruorem ex vena & arteria magna persentiant, tum etiam sæpius materiæ peccantis partem per modum abscessus, vt sæpe in his contingere vidi, recipiant, καὶ ἀνιᾶται, id est, cruciatur, cum tot symptomatibus affligatur. Hanc vocem traduxit Cor. & affectis viribus est, sed male, cum etiam vires in hoc morbo licet sæuissimo constare possint, cum ex eo patientes per suffocationem potius, quam per resolutionem pereant. Et nugas garrit, ratio est, quoniam vellicatis, & irritatis, ac supercalefactis tum cerebro, tum eius mēbranis, ab immodica & feruente biliosarum materierum vaporatione, non potest non subsequi delirium, cum cerebrum sua munia integre non obeat, nisi per commoderatam suarum partium temperiem. Ex hac febre, quæ sui natura lethalis & funesta existit, pereunt ægrotantes, inquit, in septima, aut etiam prius. Si vero septimam transcendant, plerunque sani euadunt, quoniam ea virtus, quæ vltra septimam morbum tolerare poterit, poterit quoque morbum ipsum superare. Sed qui sunt, qui in septima, & qui sunt, qui ante septimam pereunt? Deterrimæ febres, & signis affligenter difficillimis, vt docet Hipp. lib. 3. Prog. text. 2. quarto die, aut citius interimunt. Quæ autem non ita prauæ erunt, ad septimam prorogabuntur, eo tempore ægros, si lethales existant, interimentes, nisi ex prauitate morbi anticipantes crisim in sexta tanquam in die pessima eos perdant. Primus enim morborum acutorum circuitus, vt habetur libro citato text. 3. finitur ad quartam, secundus ad septimam.

150 *Huic perfrigeratoria adhibere oportet ad viscera, & ad caput, & hordeum torrefactum vna cum paleis fractum aqua macerare, & de excolata aqua mulsam facere, atq; hanc aquosam bibendam dare; cibum autem non offerre, neque sorbitionem vsq; ad septimum diem, si non debilis esse visus fuerit. Si vero sit, ptisanæ succum frigidum, ac tenuem modicum bis in die exhibeto, & aquam insuper bibendam. Postquam vero septem dies præterierint, & febris dimiserit, milium lingat. Ad vesperam cucurbitam, aut betas paucas sumat, & vinum album aquosum inde bibat, donec ad nonum perueniat diem. Postea cibo quam paucissimo vtatur, milium in prandio sumens. Balneo, donec dolor & febris affuerint, ne vtatur. Vbi vero cessauerint, multa lauet. Quod si venter non egerat, molle infusum per clysterem immittito, aut glandulas subdito. Quum vero calidus factus fuerit, molli pharmaco ad nares apposito, aluum infra purgato, postea lac asininum bibendum dato.*

QVONIAM in hac febre summum est incendium, totumque discrimen ex ingenti feruore, qui partes tum primario, tum secundario, & per consensum affectas occupat, pendet, ideo huic interius Hippocr. hunc tantum sibi proponit scopum, vt omni ingenio tum per exterius apposita, tum per interius assumpta refrigeret. Quapropter monet, vt quo ad exterius applicanda, statim refrigerantia, id est, quæ tum actu, tum potentia refrigerent, primo circa viscera, tanquam partibus primario patientibus, secundo ad caput, tanquā parti per consensum, & secundario laboranti, admoueantur. Quo autem ad interius assumenda, vt æger si valeat, ab omni sorbitione, & cibo, quoniā morbus est acutissimus & grauissimus, abstinens sola sit contentus potione refrigerante, in formā mulsæ aquosæ, hoc pacto formatæ, scilicet vt hordeum torrefactum cum paleis fractum aqua maceretur, quæ aqua excolata ad formandam mulsam assumatur, verum aquosam. Sed cur exhibet mulsam in morbo adeo feruido, cum omnia dulcia facile bilescant, in bilemque leui negotio cōuertantur? Vt aquæ simplicis nocumenta vitaret, quæ biliosis biliosa est, hypochondriisque affectis mala, infesta, atque pessima, & biliosissima, vt docet Hippocrat. lib. 3. reg. acut. 40. existit. Mulsa autem licet ratione mellis, ac dulcedinis, facile sit, vt in bilem transeat, tamen si sit diluta admodum, ac vere aquosa, hanc mutationem non inibit, quoniam talis refrigerat, non accenditur, nec hypochondriis est infensa. Hac ratione victus, scilicet vt sola potione vtatur,

monet ægrum vſque ad ſeptimam alendum eſſe, ſi validis ſit viribus, ſi autem ſit debilis, ad ſorbitionem ſimpliciſſimam deueniens ſolum ptiſanæ ſuccum tenuem, vt valde dilutus exiſtat, modicum, vt quantitate quam minimus ſit, frigidum aſto, vt feruorem ac incendium internum actuali caliditate non exacerbet, ſed contemperet, monet exbibendum eſſe, & hoc bis in die, vt rationem virium habeat, cui aqua ſuperbibenda ſit, non amplius mulſa, tum quoniam ſufficit ei nutrimentum ex ſorbitione paratum, tum vt maiorem tentet refrigerationem. Hæc vſque ad ſeptimam, quæ eſt dies ſolutionis huius morbi peracuti, agenda erunt. Vbi autem ſeptima prætereierit, & febris, quoniam phlegmon eryſipelatides fuerit extinctum, dimiſerit, vſque ad nonam perſeuerandum eſſe in cibo tenui præcipit, monens milium in prandio lingendum, id eſt, in prandio minima portione ſumendũ, in cœna autem cucurbitam, ac betas, quo ad quantitatem paucas (vetat enim copiam cibi ab inedia mox præcedente, & à morbi grauioris ſolutione, quod pariter in omnibus ſimilibus caſibus obſeruandom eſſe monet) dandas eſſe, quibus vinum album aquoſum, ne ex vinoſitate calefaciat, ſuperbibatur. Nona tranſacta, id eſt, ſuperatis illis duobus diebus, quos ab indicatione obſeruandos, & in tenui victus ratione adhuc detinendos eſſe libr. p. reg. acut. text. 25. docuerat, cibum ſenſim augendum, & milium in maiori quantitate exhibendum monet. Ad cuius ſimilitudinem idem de cæteris alimentis intelligas. Dum febris & morbus detinet, à balneo, cui antiquiores erant admodum aſſueti, abſtinendum eſſe, eoq; tantum ſoluto morbo, & febre dimiſſa, copioſo vtendum commoere facit, hoc obſeruato, vt aluo nõ egerente per mollia clyſteris, ſi vires valeant, per ſuppoſitoria, ſi langueant, venter ſubducatur. Et quoniam duplici ratione huiuſcemodi morbi ſolui conſueuere, ſcilicet vel ſolum extincto materiei feruentis incendio, vel & ſupra hoc excreta per aluum, aut per aliam viam bile morbum faciente, ſi fiat iudicium per excretionem, nihil medico agendum ſupereſt, niſi recta victus ratione ægrum regere, at ſi tantummodo materiei bilioſæ feruor ſit extinctus, nulla eius facta euacuatione, quoniam quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere ſolent, ideo de eius euacuatione cogitandum erit. Quo caſu Hippocrat. monet, corpus non expurgandum eſſe, quo ad debilis ex morbo, ac ex inedia æger exiſtat, ne ex violentia purgationis ſuccumbat, ſed tunc euacuandum eſſe, cum validus fuerit. Quæ ſententia ſicuti rationabilis, ita etiam obſeruanda erit, ne medicus ſanationem accelerans mortem procuret. Hippocrat. vero ad duo intentus, ſcilicet & ad euacuandam materiam peccantem, & ad refrigerandũ, ac humectandum corpus, quod ex huiuſcemodi febribus admodum incaleſcens & areſcens, vt plurimum ſolet ad tabem, vt notauit Galen. libr. 5. de loc. affect. cap. 6. tranſmutari, primo caput & corpus vniuerſum pharmaco deorſum purgante euacuat, ſecundo exhibet lac aſininum, quod ſicut corpus areſcens humectare, & incaleſcens refrigerare, ita & ipſum renutriens à tabe præſeruare poterit.

Morbus liuidus.

151 *Febris detinet ſicca, & horror alias atq; alias, & caput dolet, & dolor viſcera tenet, & bilem vomit, & quum dolor tenet, ſuſpicere non poteſt, ſed grauatur, & venter durus fit, & color liuidus, & labia, ac alba oculorum partes liueſcunt & aſpectum præ ſe fert velut qui ſtrangulatur. Quandoque etiam colorem tranſmutat & ex liuido cum virore ſubpallidus fit.*

SICVTI febris, de qua ſuperius actum eſt, Interficiens à terminatione appellata eſt, ita hic morbus à ſymptomate eum conſequente, liuidus dictus eſt. Hoc enim ſymptoma eſt liuor, qui eſt color intermorientis corporis, occupans vi cauſæ internæ totum patientis habitum. Huius liuoris duplex poteſt eſſe cauſa, nam alias gignitur ratione humorum in venis exiſtentium, & ad huiuſcemodi colorem declinantium, eoque cutim pariter inficientium, alias autẽ fit ingenito calore deficiente, ſpirituque vitali intermoriente. Cum prima adeſt cauſa, neceſſario liuidum corpus euadit, quoniam, vt dicebat Gal. lib. p. Aph. com. 2. corporis color ſimilis effloreſcit humoribus, ſi nõ regurgitauerint. Et æquum eſt, vt dicebat Hipp. libr. 6. Epid. ſect. 4. text. 28. ita extrinſecum corpus in colore ſequi, vt ſe habet alimentum, per alimentum audito eo ſucco, qui in venis exiſtens ad corporis nutritionem deſtinatus eſt. Nam hic ſi fuerit ſanguis, rubidum reddit corpus, ſi bilis, flauum, ſi melancholia, nigrum, ſi pituita, albidum, quæ tamen pituita, ſi aliquam aliam alterationem & corruptionem ineat, pallorem & liuorem concipiens, inde totum liuidum corpus reddit. Et quoniam à ſimili pituita fiunt febres ſyncopales humoroſæ, ex copia crudorum ſuccorum in toto ambitu cumulatorum pendentes, quæ liuidum corpus ex præſentia dictorum ſuccorum in nonnullis, vt inquit Galen lib. 12. Method. cap. 3. reddant, ideo has eaſdem febres Galen. libr. 6. Epid. ſect. p. com. 29. inter eas liuidas febres, quæ ab Hippocrat. in vltima febrium differentia eodem textu recenſentur, enumerat. Nam cum in his ſanguineus ſuccus deficiat, ſolique abundent crudi ſucci, à quibus ingenitus calor opprimitur ac imminuitur, neceſſario corpus pallidum ac liuidum euadit. Cum ſecunda liuoris adeſt cauſa, ex neceſſitate quoque corpus liuidum euadit, quoniam vitali ſpiritu intermoriente, ac innato calido ad interitionem properante, viridus color deperditur, & penitus palleſcit corpus, quamuis in eo optimi abundent ſucci. Nam cum liuores in corporibus, quamuis non male habentibus, ex ſola refrigeratione fiant, vt docet Hippocrat. libr. 5. Aphoriſm. 17. & 20. multo magis calido innato deficiente, ex quo corpus ægre ſe ſumme frigeſcit, corpus ipſum liqueſcet. Quod ſicuti malum eſt in ægris male habentibus, ita ſemper

per proximam mortẽ partium corporis liuor prænunciat. Hinc dicebat Hipp. libr. p. Pronogst. 15. si peruertamt, aut liuida est palpebra, mortem prope esse sciendum est, & lib. eodem text. 25. loquens de vlceribus acute laborantium, dicebat: si morituturus æger est, ante mortem aut lioidum & siccum, aut pallidum & siccum erit, libr. autem 2. text. 8. dicebat: Si vero præter graoitatem vngues quoque, ac digiti liuidi sint, expectanda mors continuo est. At si ex liuore harum partium mors præsagienda est, quid præuonciandum erit, vbi totum corpus liuidum euaserit, & nou ex qualitate succorum, sed ex caloris innati peouria? Certissima mors sane, verum oon eadem ratione, qoooiam siogulι illi casus intelliguntur ægro male habenti iam superuenientes, at liuor totius si non superueniat, sed morbum totum concomitetur, lethalem penitus esse casum, nõ tameu proximam esse mortem attestatur, quoniam vires in his perdurare quodammodo, quas in illis succumbere supponimus, valent. Talem liuorẽ in pestilentibos sæpe videmus morbis, cuius etiam meminit Thucidides in enarratione eius pestis, quæ Græcos, præ cæteris autem Athenienses tunc temporis populabatur, dum diceret: Et exterius quidem tangeoti corpus neque valde calidum erat, neque viride, sed subrubrum, liuidum, pustulis exiguis, & vlceribus efflorescens. Qui liuor nou tantum aliquando superuenire, verum etiam quandoque à principio ad finem vniuersum morbi cursum concomitari solet, cuius causa solet esse caloris iunati peouria, dum à pestilenti & veoenata qualitate is obruitur, ac expugnatur. Hoc enim deficiente viuidus corporis color deperditur, humorumq; omnium, quisquis in corpore abundauerit, propria qualitas, & efflorescentia dissipatur; cuius merito non tantum coloris, verum etiam temperiei, ac substantiæ mutationem ineunt. Nam hi, dum à pestilẽti aere, & à qualitate venenata alterantor, corruptionem subeunt. A corruptione autem alterius coloris & naturæ euadunt, vnde si liuorem ex corruptione concipiant, tanto magis liuidum patientis corpus, quod calore insito deficiente liuidum reddebat, euadit. Et quoniam ad huius similitudinem dantur nonnulli morbi, per quos ingenitus calor per superuenientia symptomata disperditur ac imminuitur, ideo etiam per quandam analogiam hi iidem morbi liuidi appellari iure possunt. Tales sunt febres syncopales, ex tenuitate humorum, qui facile exhalent, pendeotes. Tales etiam sunt illæ, quæ ex flaua bile putrescente ortum ducentes, & cardialgiam annexam babentes, syncopen facillime, bile flaua os ventriculi infestante, inducunt. Illæ liuidũ corpus reddunt, dum exhalantibus succis ad corporis alimentum destinatis simul cum his etiam calor insitus, cuius ratione animo deficiant, nisi recta ratione ac cibis opportunis restaurentur, dissipatur. Hę autem, quoniam, vbi os ventriculi à bile flaua mordicetur ac infestetur, & cor facillime ac promptissime consentiens spirituum opulentia, quæ ex oris ventriculi passione ob oimiam cum corde communicantiam disperditur, priuatur, ex qoo aoimi deliquiom, ac syncope necessario succedit. Cum autẽ tot modis liueat, aut per febrem, aut per alium morbum corpus, antiquiores medici, vt qui exteriora & parentia obseruabant symptomata, à quorum qualitate multos, vt iam superius enarratum est, designabant & denominabant morbos, ideo cum ex omnibus symptomatibus liuor corporis sit notabilis, & verendus, eas ægritudines, in quibus totũ liueat corpus, liuidas ab hoc symptomate appellarunt, aliique febres liuidas, alii morbos liuidos enarrauerunt. De febribus liuidis meminit Hipp. libr. 6. Epid. sect. p. text. 29. dum febriom differentias vniuersales perscrutaretur, ac doceret. De eisdem etiam meminit Euripho antiquissimus medicus, vti narratur à Galen. commento text. citati. De morbis autem liuidis meminit author in hoc loco. Attamen sciendum est, quod licet Hippocr. aliam & diuersam fecerit inscriptionem ab Euriphonte, nihilominus eorum eędem sunt sententiæ, vt inde vnus & idem morbus videatur febris liuida, & morbus liuidus. Sed quem morbum intelligit Hipp. per liuidum? Intelligit cardialgiam, seu cardiogmon à Græcis dictum, cum febrem ex flaua bile os ventriculi infestante, causat. Quem casum sicuti malum esse animaduertit li. 4. Aph. 65. ita eum hoc in loco explicare, & eiusdem curationem apponere voluit. Hunc igitur affectũ explicans, & eius accidentia narrans, inquit, febris detinet sicca, id est, in hoc morbo, à bile flaua pendente, hoc vnum proprium est, vt febris sit sicca, sicca inquam, quoniam in hac nullus succedit sudor, quod mirum est in febribus biliosis, cum hæ consueuerint, vt plurimum per sudorem terminari, excreta per cutim earum materia, vtpote tenuiori, & quæ facile in sudorem verti, & per sudorem purgari possit. Sed cur est sicca febris in hoc affectu? Quoniam materia biliosa non transmittitur ad partes corporis exteriores, per quas possit in sudorem conuersa purgari, sed tota circa viscera continetur. Quo loci feruens facit febrem siccam quidem, non modo ratione qua in loco sudori nõ opportuno includitur, verum etiam quia ex propria qualitate totum corpus valde exsiccat. Horror alias atque alias, id est, inordinati fiunt horrores, prout inordinate mordicat viscerum membranas, non fiunt autem rigores, quia à venis ad extra venas per loca sentientia materia biliosa non transmittitur. Et caput dolet, quod summa ratione contingit, si quod enim est membrum qood ventriculo & visceribus cousentiat, hoc vnum est caput, vnde facile, vbi flaua bilis circa ea loca abundet, dolore corripitur. Et dolor viscera tenet, nam & os ventriculi mordicatur, quo cardialgia, & cardiogmos infestat, & viscera etiam circumstantia nou modo ratione intemperiei, verum etiam ratione acredinis bilis eo loci cumulatæ affliguntur. Et bilem vomit. Nam irruente bile ad ventriculi os, eius pars per vomitum reiicitur, cuius merito dicebat Galen. libr. 5. de vsu part. cap. 4. vomitum bilis necessario præcedere cardialgiam. Et cum dolor tenet, suspicere non potest, sed grauatur, id est, vbi dolor os veotriculi torqueat, & viscera affligat, in deliqui-

um animi incidunt, cuius ratione deficientibus sensibus sicuti visu priuantur, ita etiam corpus regere, quod languentibus viribus graue sentitur, nequeunt. Et venter durus fit, ratio est, quoniam bilis tum vi siccanti ventrem siccans eum indurat, tum quia quandoque regurgitans in inania spatia, ventrem in tumorem, ac si aliqua inflammatione laboraret, attollit. Et color liuidus. Nam cui dubium est hinc corpus liuescere, cum syncopes, dolores, anxietates vrgeant patientem, non benignis humoribus sed prauis scatentem. Et labia, & albæ oculorum partes liuescunt. Nam sicuti hæ loca, vbi magis viuacitatem spiritus, & sanguinis viuiditatem repræsentant, cum in sanis oculi lucidi ac splendentes ob spirituum opulentiam existant, labia autem, vt quę cute duriori non sint obducta, ex sanguinis benignitate rubeant, ita morbosum corporis statum, magis quam aliæ quæcunque corporis partes demonstrant. Hinc in ictericis, in leucophlegmatia, in ascite, in mœroribus, in affectibus melancholicis, aliisque similibus accidentibus corporis statum promptissime demonstrant. Quam significationem in hoc morbo seruantes, liuorem præ cæteris præsentem ostendunt, & vltra quam alię partes faciant, illum concipiunt. Hinc Euripides hanc liuoris augmentationem in labiis animaduertens, dicebat; & labia, qualia moris exesis esse solent. Nam liuor in hac parte adeo manifestatur, vt colorem puniceum, qualem referunt qui mora matura comederunt, repræsentent. Et aspectum præ se fert, veluti qui strangulatur, id est, adeo torquentur hi ægri ex hoc morbo, vt videantur strangulari, nec aliter aspiciant, quam hi qui strangulantur. Oculis enim tortis, ac prominentibus aspiciunt præ violentia dolorum, & ob consensum cerebri cum ventriculi ore maximum. Quandoque etiam colorem transmutat, & ex liuido fit subchlorus, id est, ea est huius morbi violentia, vt non diu in eodem statu ægrum detineat, quoniam breui hominem tolleret, sed fiunt permutationes aliquę, ex quibus sicuti ex prauis accidentibus, & ex illius animi deliquiis quandoque releuantur, ita etiam color permutatur, facta varietate à liuido in subchlorum, id est, sicuti remittuntur accidentia, ita etiam remittitur color. Nam deterior est liuidus chloro. Et hæc de huius morbi accidentibus.

352 *Huic medicamentum & deorsum, & sursum purgans bibendum dato, & clysterem adhibeto, & à capite purgato. Et calida quam minime lauet, sed & vbi lauerit ad solem apricetur. Serum etiam & lac asininum pro anni tempore bibat, & cibis quam mollissimis vtatur, & frigidis, abstinens ab acribus & salsis, verum & dulcioribus, ac pinguioribus vtatur. Cæterum hic morbus vtplurimum cum ægro commoritur.*

HVNC morbum curaturus Hippocrat. duos sibi proponit scopos. Nam cum hic à flaua bile viscera occupante, & os ventriculi mordicante pendeat, primo eius euacuationem tentat, secundo si quid residui remanserit, eius contemperamentum procurat. Pro prima intentione exequenda medicamento deorsum purgante, vt bilis quæ viscera occupat, & circa venas communes ac intestina fluitat, euacuet, vtitur, subinde clysteri aluum subluens, & mundans. Secundo ad tollendam eam, quæ ad ventriculum repit, medicamentum sursum purgans adhibet. Tertio si quid per consensum caput passum fuerit, illud idem medicamento peculiari euacuat. Pro secunda autem intentione, & lac asininum, vti ad contemperandum aptissimum, vbi id anni tempus permittat, exhibet, præcipens cibis quam mollissimis, id est, actu & potentia humectantibus, ac concoctu facillimis, & frigidis, id est, tum actu, tum potentia refrigerantibus vtendum, ab acribus vero & salsis, vti quæ calefacere & exiccare, & inde bilis tum substantiam, tum temperamentum augere idonea sint, abstinendum esse. Et insuper monens pinguioribus, dulcioribus, ac opimioribus alimentis, vt ex his tum bilis genitæ acrimonia retundatur, tum sanguis temperatus generetur, vtendum esse. At quomodo dulcia & pinguia faciunt ad contemperandam bilem, cum dixerit Hippocrat. libr. 6. Epidem. sectio. 3. text. 14. balneum succum à pingui generari? Nimirum pinguedo sicuti vi ignis facile accenditur, & flammam emittit, ita à calore ingenito alterata succum calidiorem generat. Dulcia pari ratione, cum à calore proprio sint abunde concocta, vbi ab alieno magis alterentur, dulcedine priuantur, & amara euadunt. Hinc dicebatur ab Hippocrate ex pingui, sub quo etiam dulcia connectit, biliosum succum generari. At Hippocrat. hoc in loco per cibos pinguiores non intelligit pinguedinem ipsam, sed carnem, quæ ex animalibus pinguibus desumatur, per dulces autem non eos qui mel in sapore æquiparant, aut æmulantur, sicuti sapa, vina dulcia, & similia, sed illos, qui gustui suaues nulla insigni qualitate sint dotati, per opimos autem intelligit laute, ac abundanter exhibitos, qui cum eiusce sint naturæ vt bonum chymum generare sint apti, poterunt etiam tum bilem temperare, tum sanguinis optimi copiam augere, non autem bilem vel multiplicare, vel accendere. Quo vero ad balneum, cui tantum erant assueti antiquiores, animaduertit hoc quam minime vtendum esse, & vbi in vsum veniat, apricandum, id est, optime exsiccandum esse. Et hoc ne bilis fundatur ad vniuersum corporis ambitum, eumque affligat. Cura autem exposita, subdit: Cæterum hic morbus vtplurimum cum ægro commoritur, & iure merito, quoniam, vt docebat libro quarto, Aphorism. 65. in febribus circa ventriculum, & fortis æstus, & cordis morsus, malum. Malum est, quoniam ex his raro patientes euadunt, & cum raro euadant, vtplurimum etiam morbus hic cum ægrotantibus

bus commoritur. Veruntamen quo ad curationem hoc animadverto, quod præsupposita violentia medicamentorum, quæ antiquioribus erant familiaria, ea non admodum commendanda est, cum in hisce casibus leniora tantum expediant, qualia sunt nostra vocata benedicta, & lenientia. Præterea animaduerto authorem nihil particulare proponere, vt animi deliquium aut præcaueamus, aut tollamus, pro quo moneo lectorem Gal. lib. 12. Meth. adeundum esse, vt hinc veram huius morbi curationem hauriat.

Morbus ructuosus.

153 *Dolor corripit acutus, & dolitat vehementer, & ipse seipsum iactat, & vociferatur, & frequenter eructat, & vbi eructauerit, melius habere sibi videtur. Sæpe etiam bilem reuomit modicam, poculi parui mensura, & dolor corripit à visceribus ad imum ventrem, & laterum mollitudinem, & vbi hoc factum fuerit, melius habere sibi videtur, & venter inflatur, ac durus fit, & strepit, & flatus non egreditur, neque stercus.*

Affectum illum, quem Hipp. lib. 4. reg. acut. 103. aridam choleram appellabat, nunc morbũ ructuosum vocat, eadem, quæ in citato libro enumerabantur accidentia, recensens, quibus etiam nonnulla alia superaddit. Quorum causa cum acris spiritus, qui vel ratione ignei ventriculi, vel ratione assumptorum, vt alias diffuse docui, dum de arida agerem cholera, existat, iure merito ab eo narrata pendent symptomata. Quorum descriptionẽ aggrediens Hipp. inquit, dolor corripit acutus, per acutum mordicantem, & pungitiuum, vt qui fiat in locis neruosis, audiens dolorem. Et dolitat vehementer, nam cum causa doloris sit acris spiritus, & partes dolentes sint neruosa loca, quæ admodum sensitiua existunt, dolor non potest non esse vehemens. Et vociferatur, id est, præ dolore clamat, & frequenter eructat, intellige vbi hic flatus ad superiora erumpat. Et vbi eructauit, melius sibi videtur habere. Nam erumpente flatu licet acriori, & ventriculum mordicante, videntur patientes facilius morbi molestiam ferre, cum hinc vaporis affligentis exhalatio habeatur. Sæpe etiam bilem reuomit modicam poculi parui mensura. Nam ex biliosis, ac nidorosis humoribus, à quibus hi flatus eleuantur, vbi quid ad os ventriculi ascendat, ae commoueatur, facile vomitus succedit. Ad quam facilitatem respiciens Hipp. dixit, hoc sæpe fieri, cum tamen hoc rarissime contingat. Non enim choleræ siccæ proprius est humorum, quamuis acriorum vomitus, cuius ratione dicit bilem ad paucã quantitatem reiici. Nam humores isti acriores, ac nidorosi non in copiosiori mole esse consueuerunt, & hoc maxime in ventriculi regione, alias seuiora inducerent accidentia. Qui vomitus cum sit acrium humorum, qui in transitu os ventriculi vellicare possunt, ideo hunc non excitandum, quinimo prohibendum esse docebat loc. citato li. 4. reg. acu. 114. dicens, ita affectũ ne vomat seruato. Et dolor corripit à visceribus ad imum ventrem, & laterũ mollitudinẽ, id est, à regione ventriculi vsque ad imum ventrem, & latera, & lumbos corripit. Et vbi hoc factum fuerit sibi melius habere videtur, id est, eiecta per vomitum bile, licet ea in transitu os ventriculi vellicauerit, attamen sedato vomitu, melius habere videtur, cum non amplius ita mordicetur ventriculi os. Et venter inflatur, nam cum non etũpant flatus, omnino ex his venter tumebit. Ac durus fit, non vera duritie, sed tensione, quæ sensum decipiens duritiem repræsentat; nam ex retento flatu aluus tenditur, ac durus videtur. Et strepit dicebat Hipp. de arida cholera loquens, strepitus fiunt. Nam commotus per viscera & per intestina flatus, strepitum edit. Et flatus non egreditur, neque stercus. Hoc idem exprimens Hipp. loco citato sub aliis verbis dicebat, nihilque aluus deiicit, sed adstringitur. Si autem adstringitur, inde fit vt nec flatus, nec excrementa educantur, simulq; tormina, & dolores inualescant.

154 *Hunc si dolor habuerit, multa calida lauato, & calefactoria ipsi adhibeto. Vbi vero in ventre dolor ac flatus fuerit, clysterem adhibeto, & mercurialis cocta succum ad ptisanæ succum admisceto, ac sorbendum dato, & vinum dulce aquosum insuper bibendum. Cibum autem ne exhibeas, donec dolor remiserit, vt vuarum expressarum retrimenta dulcia, per noctem in aqua maceret, & hanc aquam per sex dies bibat. Si vero vuarum expressarum reprimenta non habeat, mel & acetum cocta bibat. Postquam autem dolorem emouerit medicamento deorsum aluum purgato. Cibis vtatur inde mollibus, & aluum subeuntibus, & marinis magis, quam carnibus. Carnibus autem volucrium, & ouillis coctis, edat etiam betas, & cucurbitum, ab alliis vero abstineat. Morbus hic si iuuenem corripiat tempore decidit, si seniorem, commoritur.*

Quæ curatio seu aridę cholerę, seu morbo ructuoso appellato debeatur, alias diffuse docui. Quare hanc vt certam supponens, descendo ad declarationem literæ Hippocratis, qui hunc morbum curaturus eo scopos curatiuos dirigit, vt dolorem leniat, & vt flatus, & humores peccantes aut répeter, aut euacuet. Pro leniendo dolore balneum, quod loco citato text. 114. commendabat, fomentaque ad idem anodyna instituit. Qui dolor si potissimum infestam aluum, quia in ea flatus retineantur, affligit, clystere adhibet, ventremque subducit potione tum purgante, tum contemperante, composita ex mercurialis coctæ succo, cui ptisanæ succus admixtus fuerit, & cui vinum dulce, vt contemperet, aquosum, ne calefaciat insuper sorbeatur. Et quoniam dolores in hoc morbo vehementes esse consueuerunt, monet à cibis, ne ex cruditatibus superingestis affectus augeatur, tam-

diu abstinendum esse, quo ad dolor remittatur. Et potionis loco vuarum expressatū retrimenta dulcia, vt contemperent, & aluum emolliant accipiant, per noctem in aqua macerent, quæ per sex dies in potu exhibeātur. In defectu autem horum retrimentorum, vinum & acetum cocta, sed diluta intellige, propinetur. His autem actis, & dolore hinc aut remoto, aut remisso, aluus medicamento deorsum purgante euacuetur. A purgatione autē cibi molles, id est, actu & potentia humidi, vt magis contemperantes existant, & aluum subeuntes, vt flatibus & excrementis siccioribus via detur, in vsum veniant, qui potius sint marini, quoniam facilius hi ventrem subducunt, quam carnes animalium. Ex quibus recipiantur quæ è volucribus, vt facilioris digestionis, & ouillis, vti humidis assumantur. Betæ etiam folia, quoniam sua abstersione aluum prouocant, & cucurbita, quoniam refrigerat, concedantur. Caueantur cætera ciborum genera, quæ vel calefacere, vel corpus succis biliosis aut nidrosis replere sunt apta. Hic morbus, qui ex sui natura non est nec acutus, nec lethalis, sicuti cholera humida, vt alias docui, inquit Hippocrat. si iuuenem corripiat, tempore decernit, si seniorem, commoritur. Sed quæ est ratio? Quoniam hic morbus, cum pendeat vel ab intemperie calida, vel à succis acrioribus & calidis, proportionatur iuuenum ætati, improportionatur autem senili, & ideo in illis est salubris, & tempore, ac conuenienti cura deuinci potest. At in senibus est periculosus, cum ratione virium effœtarum facile succumbant, nec admodum mordicationibus, vellicationibus, ac doloribus viscerum, præcipue autem oris ventriculi reluctari queant.

Morbus pituitosus.

155 *Corripit quidem morbus pituitosus etiam virum, sed magis mulierem, & est hac quidem crassa, & bene colorata, verum iter faciens debilitatur, & maxime si ad acliuem locum iter faciat. Corripit etiam ipsam febris tenuis, quandoque etiam suffocatio, & euomit, vbi ieiuna est, bilem, & saliuas multas, sæpe etiam vbi cibum accepit, de cibo tamen nihil, & quum laborarit, dolet pectus & dorsum, alias alia parte, & rubicundis cutis eminentiis impletur, velut ab vrtica inustis.*

MORBVM pituitosum Hippocrat. appellat non eum, in quo pituita in totius corporis ambitu abundans, aut cacochymiam, aut plenitudinem pituitosam pariat, sed illum, in quo pituita in loco particulari collecta tum partes spirituales, tum ventriculum ipsum lædat, stante reliqui corporis habitu incolumi, & facta ea collectione per repositionem à natura tentatam per modum abscessus. Quem casum registrans Hippocrat. in Aphorismis, & locum particularem designans dicebat libro 7. Aphorism. 55. Quibus inter ventriculum, & septum pituita reposita est, & dolorem affert non habens exitum, neque ad alterum ventrem, iis per venas ad vesicam pituita versa, soluitur morbus. Quæ re locus, in quo pituita hæc per modum abscessus reponitur, est interstitium illud, quod inter septum transuersum, & ventriculum existit. De quo loco non erat dubitandum à Marino, cum in omni & singula corporis humani parte, & etiam ad intra ossa ipsa, quæ durissimæ sunt substantiæ, fieri abscessus possint, vt docet Hippocrat. libro secundo, Epidem. sect. p. text. 12. Tanta autem pituitæ repositione & veluti abscessu in hac parte, cum ibi materia per congestionem conclusa retineatur, non est mirum si tum ventriculus, cum ab ea comprimatur, tum septum transuersum, cum ab ea deprimatur, patiantur, indeque ventriculi symptomata, & respirandi difficultates, aliaque hinc succedant incommoda ex hac repositione consequentia, nihil tamen reliquo corpore patiente, sed incolumi, quo ad alias partes, remanente. Quod cum describere vellet Hippocrat. inquit, hunc morbum pituitosum corripere tam marem quam fœminam, sed potius fœminam, quam marem, quoniam in fœminis vtpote frigidioribus pituitosum humorem cumulari est verisimilius, quam in maribus, cum sint calidiores. Mulier autem, dum hoc morbo corripitur, est crassa & bene colorata, id est, quo ad reliquum corporis habitum bene habet, nec immutatur quo ad corpulentiam, nec quo ad colorem, sed in proprio statu remanens hoc morbo facta repositione pituitæ inter septum transuersum, & ventriculum corripitur. Et si quæ fiat corporis & coloris ex hoc morbo immutatio, potius fit ad bonum quam ad malum, cum per hanc repositionem veluti per abscessum reliquum corpus à pituitæ oppressione vindicetur. Verum hæc mulier hoc morbo correpta iter faciens angustiatur, & præ angustia languet, & hoc maxime si ad accliuem locum iter faciat, vel ascendat. Nam cum in hoc motu maior requiratur respiratio, septum autem transuersum grauetur & deprimatur à pituita illa, eo loci congesta, impedita respiratio hominem angustiat, & præ angustia debilitat, cum ex necessitate gradum aut reuocare, aut sistere cogatur. Hinc etiam quandoque febre corripit accensa illa materia, aut ex motu illo, aut ex conculcatione, & quandoque etiam suffocatione, cum ex calore concepto turgens tumeat, & septum transuersum à libera respiratione retrahat, deprehendimus. Et quoniam ventriculus circa partes eius superiores ab hac pituitæ collectione compressus adeo læditur, vt continuam persentiat affectionem, ideo ratione huius malæ sensationis & doloris illati, vt dicebat in aphorismis, excrementa circa primas venas existentia ad os ventriculi recurrunt, & ad illud supernatant. Vnde fit, vt ieiuna existens bilem & pituitam euomat, quod idem aliquando à cibo facit, non tamen cibum, sed sola illa

illa excrementa reiicit, cum facilius sit supernatare ea, quam cibum ipsum. Et quum mulier patiens exercetur, quoniam septum transuersum, quod orbiculariter situm tam partibus anterioribus, quam posterioribus alligatur, ex hac actione ob pituitam illam grauantem & affligentem laborat, dolet, tum pectore, tum dorso alias alia parte, id est, modo magis in vna, modo magis in alia parte, & hoc tum ratione modi exercitationis potius hanc partem, quam illam affligentis, tum ratione pituitę, quæ copiosior in hac, quam in illa parte cumulata existat. Ex hoc labore etiam, quoniam in angustia respirationis, accēditur à principio sanguis, & hinc natura aliquam eius tentat excretionem. Hinc fit, vt quandoq; ad cutim protrumpant quædam papulæ minutæ inflammatoriam naturam referentes, quales sunt eę, quæ ab vrticis inuruntur, quæ papulæ non referunt naturam peccantis intra locū designatū materiæ, sed attestātur ex angustiato spiritu naturam sanguinis incalescentis portionem ad cutim transmittere. Quæ actio, sicut est salubris ratione humorum in venis existentium, ita nihil facit ad pituitam in dicto loco repositam.

156 *Huic medicamentum bibendum dato, & serum, ac lac asininum bibat: si vero serum potet, medicamentum deorsum purgans ad plurimos dies prabibendum dato. Et si serum bibere desierit, lac asininum postea bibat, & dum hoc potarit, à cibis quidem abstineat, vinum vero quam iucundissimum bibat, donec purgari desinat. At vbi à potione cessauerit, milium in prandio sumat. Vesperi cibo mollissimo vtatur, ac paucissimo. Abstineat à pinguibus & dulcibus, ac oleosis, & alias atque alias, maxime tamen hyeme, à lenticulæ decocto vomat, oleribus præsumptis, & calida quam minimum lauet, sed ad solem apricetur. Morbus autem commoritur.*

HIPPOCRATES hunc morbum curaturus, nō aliam nouit curandi rationem, quam iteratā, & sæpius repetitam materiei peccantis euacuationem. Et ideo ad hoc primo medicamentum purgās exhibet, postmodum ad eandem intentionem serum & lac asininum per plures administrat dies, hac seruata regula; vt in propinando sero ante ipsū semper medicamentum purgans pręcbibatur. Hinc enim continua fiet materiei peccantis euacuatio, nec corporis habitus, qui sanus præsupponitur, vl medicamentorum purgantium accenditur, cum hæ à seri frigiditate contemperentur. Vbi autem serum vna cum medicamentis purgantibus exhibitum bibere desierit, lac asininum potandum monet, vt superfluam ex sero suspicans euacuationem, corpus nutriat & purget. Quo tempore præcipit à cibis abstinendū esse, quoniam dum lac bibitur ad corpus nutriendū, sicuti alias monui, abstinebant antiqui ab omni genere cibi solidi, & hoc iure, cum hæc diuersias sit nocua, nec conuenientiam habeat lac cum cibis solidis. Concedit tamen vinum iucundissimū, donec purgari desinat, quoniam hoc sicuti lac facilime nutrit, nec natura in eo concoquendo elaborat. Lacte autem exhibito descendens ad cibos, primo milium in prandio concedit, vtpote medium inter tenues & crassos cibos, vesperi autem cibis mollissimis & paucissimis, ne ab extremo ad extremum transitus fiat, vtendum esse docet, monens insuper à cibis pinguibus, dulcibus, ac oleosis, vt qui cum sint difficilis coctionis, facile etiam pituitæ collectionem fouere sunt apti, abstinendum esse. Et quoniam morbus hic longior est, ne ex maiori pituitæ collectione maior continue euadat morbus, monet per quædam interualla, & hoc maxime in hyeme, lenticulę decocto vomitum excitandum, & ventriculum à pituita purgandum esse. Quo antem ad balneum, raro concedendū esse dicit, & vbi concedatur, apricandum esse, quoniam timet superfluam humectationem. Morbus hic, inquit Hippocrates, commoritur, id est, longior est, & in aliquibus vsq; ad mortem concomitari solet, ratio huiusce longitudinis ea fuit Hippocrati, quoniam forsan per talem curandi modum, nullum sanatum vidit, qui tamen cum in seniori ætate consistens viderit, in nonnullis hunc morbum per lotium sollari, annotauit in aphorismis, in aliquibus pituita ad vesicam versa, morbum hunc solui posse. Sed hæc etiam solutio cum sit rara, admoneat nos, morbum difficiliorem esse, quam præseferat, quoniam si aliam solutionis rationem à natura factæ nouisset Hippocrat. eam docuisset.

Pituita alba.

157 *Intumescit totum corpus albo tumore, & venter ad contactum crassus est, & pedes ac fæmora tument, tibia item ac scrotum, & acernatim respirat, & facies rubicunda est, & os siccum, & sitis tenet, & vbi cibum accepit, spiritus frequens incumbit. Hic eadem die quandoq; melius habet, quandoq; peius.*

QVAMVIS λευκὸν φλέγμα & λευκοφλεγματία idem significare videātur, attamen longe distincta sunt, cum diuersos, non eosdem morbos denotent. Leucophlegmatia n. est tertia hydropis species à nōnullis sarcitis, ab aliis hyposarcidium, ab aliis anasarca appellata, in quo totus habitus humiditate pituitosa vitio debilitatis hepatis cibū in sanguine commutare nequeuntis genita, refertus est. At pituita alba est affectus, in quo totus habitus tumet, ex abundanti pituita vitio alimentorum, & proprię naturæ genita, & ad ambitum totius corporis extramissa, absque vlla iecoris imbecillitate. Quare inter ista duo hæc adest differentia formalis ex parte causæ; licet ratione materiæ videantur identificari, cum tamen, & quoad materiam distincta quoque sint.

Nam pituita in leucophlegmatia peccans est potius serosa materia, quam verum phlegma, at in pituita alba, propriam naturam, & consistentiam ea adhuc seruat. Ratione autem causæ formaliter differunt, quoniam pituita serosa genita in leucophlegmatia ex iecoris, cuius munus sanguificandi intercidit, imbecillitate causatur, at in pituita alba stante iecoris virtute valida generatur, vel ex copia alimentorum frigidiorum & humidiorum, & in summa pituitosorum, vel ex propria patientium natura, vt contingit in his, qui sanguidioris ac frigidioris ventriculi existentes, nec iecur calidius habeant. De hac igitur pituita alba agens Hippocrates, nec includens in eius tractatu leucophlegmatiam, inquit, quod in ea corpus totum intumescat tumore albo. Nam cum tumeat ex materia alba, albus etiam tumor repræsentari, cum cutis æquiparetur in colore humoribus ad eam affusis, debet, & venter ad contactum crassus est. Nam musculi epigastrii, cum sint pituitosa materia referti, crassitiẽ magnam præseferunt, & pedes ac fæmora tument. Hæ enim partes ex grauitate materiæ ad eas decumbentis magis quam cæteræ intumescunt, quod idem tibiæ ratione fœmorum, & serotum ratione musculorum epigastrii facile patiuntur. Ab his enim facile in viciuos locos descendit materia, & aceruatim respirant, id est, frequenter & cumulate. Nam ex copia pituitæ musculi intercostales repieti existentes, redduntur languidi, ex quo coguntur frequentem edere spirationem, præter id, quod & vix internæ ab eadem materia etiam angustiantur, & facies rubicunda est, id est, facies naturalem retinens colorem ad alterum non transmutatur, quod præcipue apponit, vt animaduertat leucophlegmatiam sub pituita alba non comprehendi, cum docuerit lib. 2. epid. 2. sect. tex. 20. leucophlegmaticos ex hepate in subcandidum, seu subalbidũ colorem mutari, quæ mutatio non est in pituita alba, cum in ea facies rubicunda sit, & proprium seruet colorem, & os siccum, & sitis tenet. Sed vnde hoc, quod in tanta pituitosæ humiditatis abundantia hi sitiant? Hoc inde accidit, quoniam stante iecoris robore, & longa pituitæ mora, non potest non aliqua eius portio salsa euadere, cuius occasione os siccatur, & sitis succedit. Et vbi cibum acceperit, spiritus frequens incumbit, quod inde causatur, quoniam à repletione ventriculi septum transuersum comprimitur, & grauatur. Eo autem compresso & grauato spiritus frequentior editur. Hic eodem die quandoque melius, quandoque peius habet. Nam ieiunus & quietus melius habet, cibo autem repletus, ac etiam exercitatus deterius degit. Huic aliud symptoma addit lib. de Affectionibus, de hac eadem pituita alba agens, videlicet, quod tumor alias in alia corporis parte maior & minor fit. Nam hic ratione situs euariat, cum stando partes inferiores, decumbendo partes superiores magis tumeant, & in decubitu partes superiores minus, partes vero inferiores magis intumescant. Nam pituita, quæ in hoc morbo partibus solidis est apposita, non tamen agglutinata, facile ob sui grauitatem in loca magis decliuia descendit. Quę pituita aut ratione propriæ naturæ, aut ratione alimentorum pituitosorum genita, licet in corpore abundet, non tamen semper facit hunc morbum, sed tunc temporis solum, cum à vasibus internis ad externas partes transmittatur. Transmittitur autem, vti docet Hippocrates lib. citato de affection. cum quis ex febribus diuturnis pituitosis existens impurgatus manserit, & pituita ad carnes conuersa fuerit. Quo casu genitus hic morbus pituita alba dictus, supradicta superueniunt symptomata, quorum pars materiæ copiam, pars materiæ qualitatem insequitur. De hac eadem agens Hipp. lib. de internis affect. & ipsam antiquiorem, ad differentiam popularis, quæ est recens, appellans, alteras à prædicta assignabat causas, dicens, hunc morbum maxime fieri æstatis tempore ex aquæ potu, & insuper à somno multo. At nos hæc tria tanquam causarum huius morbi exemplaria audientes, dicamus, hunc morbum fieri ab omnibus his causis, quorum merito pituita copiosa in corpore admodum cumulari potuerit, quæcunq; existant ex rebus non naturalibus, dummodo pituitæ generationi accommodæ fuerint.

158 *Huic si quidem venter sua sponte turbatus fuerit in principio morbi proximus sanitati est, si vero non turbetur, medicamentum deorsum purgans dato, à quo aqua purgetur. Et calida non lauet, & sub dio exponatur, & serotum, vbi impletum fuerit, secato. Cibis vtatur, pane puro frigido, & beta, & piscibus scorpiis coctis, iusculo autem quam paucissimo. Et frigida omnia edat, & non dulcia, neq; pinguia, sed trita, & acida, & acria, excepto allio, cepa, & porro. Origanum vero & satureiam multam edat, & vinum inde vinosum bibat: & ante cibum iter faciat. At si à medicamento tumeat, clysterem adhibeto, & cibo, & deambulationibus, & illuuie præmito. Medicamenta vero quam paucissima exhibeto. Verum sursum purgans non prius dederis, quam tumores ad infernas partes descenderint. Quod si extenuato iam ipso suffocatio in pectore oboriatur, veratrum bibendum dato, & caput purgato, & postea deorsum purgans bibat. Morbus hic maxime à nullo discedit.*

Hic morbus quam primum factus fuerit, & medico si obtulerit, nisi naturæ beneficio solutionem receperit, statim curandus erit. Nam si inchoante morbo nequaquam curetur, in hydropem, vt inquit Hipp. in lib. de Affect. transit, & hominem corrumpit. Quę permutatio facilis admodum existit, quoniam per præsentiam illius pituitæ totius corporis habitus supra modum refrigeratur. Quo refrigerato venę, & inde hepar pariter refrigerantur, & inde debilitantur, intercidente iecoris sanguificandi munere, ex quo hydrops succedit. Ad quod aliudens Hipp. lib. 7. aph. 71. dicebat: A pituita alba aqua inter cutim superuenit, quod declas

declarans Gal. in com. dicebat: Quibus in vasis, & in toto corporis ambitu multa pituita fuerit aceruata, iis eam hydropis, quæ leucophlegmatia appellatur, speciem superuenire, intellige, nisi cito aut naturę, aut artis beneficio ea pituita euacuetur. Cuius euacuationis celeritatem attendens Hipp. & in lib de intern. aff. & hoc in loco dicit, quod si in principio morbi huius sua sponte venter turbatus fuerit, patiens sanitati proximus erit. Quod idem affirmans libr. 7. aphorism. 29. dicebat: Qui alba pituita detinetur, si fortis ventris fluxus superuenerit, à morbo liberatur: quo loci per albam pituitam intelligens Gal. leucophlegmatiam hydropis tertiam speciem, nec sibi consentire loco citato, nec veritati consonare videtur. Morbus igitur hic, qui celerem affectat materiei pituitosę euacuationem, si hoc habeat, vt in eo aluus turbetur, & euacuatio fortis sequatur, ad solutionem salutarem inclinat; si a. hoc non consequatur, statim medicus eius curationi se accingat. Sed quos scopos sibi proponere debet? Duos, alterum, vt materiam peccantem euacuet, alterum, vt corpus siccum & gracile reddat, quos exprimens Hippocrates in libr. de Affectib. dicebat: Huic pharmaca danda sunt deorsum purgantia, à quibus aqua aut pituita purgetur. Victus autem ratio constituenda est in cibis & potibus, ac laboribus, à quibus & siccissimus, & gracillimus euadat. Vt autem his scopis satisfaciat Hippocrates, in hoc loco ita procedens, inquit: Primo medicamentum deorsum purgans exhibendum esse, à quo aqua, id est, pituita, ea qua aquosus redditur sanguis, educatur. Et calida non lauet, id est, à balneo, quo antiquiores admodum delectabantur, abstineat. Et sub dio exponatur. Nam sicuti vmbratiles loci, & aer in thalamis inclusus facit ad corporis humectationem, ita exponere hominem sub dio, & in aere aperto, facit ad corporis exsiccationem, quæ in hoc morbo affectanda est. Et scrotum, vbi impletum fuerit, secato. Nam cum scrotum maxime ex omnibus partibus in hoc morbo tumeat, ei peculiare debetur præsidium, quod erit scarificatio: nam ex hac resudans pituitosus succus, mirum in modum tumor imminuitur. Cibis autem his vtatur, videlicet, pane puro frigido. Puro quidem, vt nulli admistus sit humori, quale est vinum, aut oleum, aut ius, qualemque exhibet ipse hydropicis, cum oleo & vino, libro quarto reg. acutor. 110. cum oleo autem solo, libro quinto Epid. textu 65. in cruditatibus ventriculi frigidioribus, libro tertio de Diæta, cum vino austero solo, cum iure autem in ferculis. Frigido vero, vt nocumenta calidi panis, quæ huic morbo admodum infensa sunt, caueantur. Nam cum panis calidus, vt docet libro secundo reg. acutor. 34. sitim inferat, & repentinam pariat plenitudinem, eo quod exsiccat, & tarde descendat, nequaquam in hoc morbo conuenit, cum in eo sit os siccum, & sitis vrgeat, quæ à pane calido adaugeretur, & cum in eo ab accepto cibo spiritus frequentia incumbat, quæ ab eodem pane, ob repentinam plenitudinem, & ob tardum descensum tum complicaretur, tum diutius protraheretur. Et beta, quæ ratione nitrositatis facile descendit, & aluum subducit. Et piscibus scorpiis coctis, tanquam marinis, & facile aluum subeuntibus. Iusculo autem quam paucissimo; quoniam quæ tum actu, tum potentia extant humidiora, omnia sunt cauenda, vtatur. Et frigida omnia edat, ne ex actuali caliditate magis tumeat ventriculus, & inde spirandi adaugeat difficultatem. Et non dulcia, neque pinguia; sed trita, & acria, & acida. Hæc enim cum vi attenuanti sint prędita, ad materiæ peccantis incisionem & præparationem faciunt. Illa autem tum propter lentorem, & visciditatem, tum quia antequam concoquantur, à iecore & venis attrahuntur, materiam pituitosam fouent: ideo illa reiicienda, hæc in vsum assumenda sunt, excepto allio, cepa, & porro. Sed cur hæc tria, quæ acria sunt, & facultatis existunt attenuantis, reiicit, præcipue autem allium, quod in hoc eodem morbo in libro de internis affectib. maxime commendabat, eiusque vsum frequentem, & copiosum, & quomodolibet sumptum siue crudum, siue coctum, siue elixatum, non tantum probabat, verum etiam iubebat? Quoniam hic curat eam pituitam albam, quæ diuturnis febribus, vt docebat libr. de Affectib. succedit, cum æger pituitosus existens impurgatus remanserit, pituitaque ad carnes conuersa fuerit. Quo casu timens febris exacerbationem, ac nouæ inuasionem, ideo ab his calidioribus abstinet, & iure, cum hæc in subiecto febribus diuturnis detento, ac languidiori facto leui negotio possint febrem accendere. At libro de internis Affect.b. curans eam pituitam albam, quam nulla præcessit febris, & in qua nulla eius est suspitio, & quæ ex potu aquæ, aut aliorum alimentorum, vel causarum refrigerantium orta est, summam affectans attenuationem, & nullam timens caliditatem, ideo allium, tanquam ad hoc aptissimum commendat. Loco autem allii in hoc morbo origanum & satureiam copiose edendam monet, cum non ita, vt allium, sint apta febrem parere, licet valide attenuare queant. In potu autem vinum vinosum, vt hinc habitus calefiat, & extenuetur, probat; vinum vinosum simpliciter dicens, nec album apponens, vt certo vina potentiora insinuaret, cum alba talia esse nequeant. Et ante cibum iter faciat, id est, leuiter, non violenter exerceatur. Tales enim habitus nequaquam motus & exercitationes vehementes admittunt, tum quia in his vires languent, tum quia si admitterent, funderentur humores, qui ad viscera recurrere, & maiorum malorum in causa esse possent. Hac instituta victus ratione, inquit Hipp. quod si à medicamento purgante propinato venter tumeat, id est, si per medicamentum purgans materia pituitosa, quæ erat in circumferentia corporis, ad inferiorem aluum deducatur, ibiq; ob sui visciditatē & tenacitatem impurgata retineatur, indeq; venter tumeat, non altero medicamento, sed per clystere

educa-

educatur. Et cibo, deambulationib.& illuuie præmisso, id est, summa cum diligentia alterationi & coctioni incumbito, cibo, id est, in recta victus ratione, deambulationib. id est, leui exercitatione, & illuuie, id est, totali balnei, ex quo illunies & sordities è corpore eximitur abstinentia. Eoq; casu pancissima medicamenta adhibeto. Nam ille ventris inferioris à pharmaco exhibito tumor indicat materiei pituitosæ reluctantiam, quę ob imperfectam coctionem & cruditatem adhuc perseuerantem causatur, quę duo medicamenti exhibendi occasionem tollunt. Et hæc de medicamento deorsum purgante. Quo autem ad sursum euacuans, cui admodum familiares, & assueti erant antiquiores, monet medicamentum sursum purgans non prius exhibendum, quam tumores ad infernas partes descenderint, & suffocatio in pectore, id est, spiratio difficilis oboriatur. Nam tumores descendentes indicabunt materiam attenuatam & paratam esse. Non enim pituita apposita partibus superioribus potest ad inferiores descendere, priusquā attenuata existat. Spiratio autem illa difficilis, quæ extimatur, id est, in partibus superioribus ob materiam ad inferas partes deductam emaciato superueoerit, indicabit occasionem purgandi per helleborum, cum dolores, qui sunt supra septum transuersum, vt docet lib. 4. aph. 18 purgatione indigere per superiora significent. Quare tempus exhibendi pharmaci indicabunt tumores descendentes, occasionem autem significabit spiratio difficilis, ac perfocatio quædam, à pituitosa materia partes spirituales occupante causata. Exhibito autem helleboro, vt sui motis est, deinceps caput purgat, & postea pharmacum deorsum euacuans, vt funditus materiam tollat, exhibet. Hac curationis forma tradita, inquit Hipp. morbus hic maxime in nullo διαχωρεῖ id est, decernit (non discedit, vt transtulit Cor.) Sed quid est hoc, quod in nullo decernit? Hoc insinuare vult Hippocr. quod ex hoc morbo nullos naturæ beneficio euadit, cum à natura nulla fiat in ea spontanea per euacuationem crisis, vbi morbus confirmatus & antiquatus fuerit. Nam adeo grauatur & opprimitur natura à nimia pituitosi excrementi mole, vt insurgente ad eius excretionem nedum non possit, sed oec etiam irritetur. Qui tamen casus in principio morbi possibilis est, cum tunc temporis natura nondum morbo succubuerit. In quo principio sicuti possibilis est vi naturæ spontanea materiæ peccantis euacuatio, ita etiam medico facilis erit sanatio, si quamprimum se curationi recte accinxerit. Quam curandi rationem qui magis particularem desiderat, adeat Hip. in lib. de inter. Affect. vbi & præparationem materiæ, & particularia; per quæ purganda sint medicamenta. & victum conuenientem, aliaq; opportuna docet. Ex quibus hoc vnum de pane tanquam vtilissimum notare voluit, quod exhiber panem paruum exassatum. Paruum quidem, quoniam ex prauitate meliorem subito coctionem, exassatum autem, vt omni eius humiditate absumpta, vim & facultatem siccandi valentem consequatur. Talem panem in huiusce modi morbo maxime conuenientem censeo, & exhibendum consulo. Aliud eo in loco aduertendum & considerandum moneo, cum à lumbis & à scroti venis sanguinem detrahendum, si medico visum fuerit, consulit. Sed ad quid in cacoehymia pituitosa mittit sanguinem? cum hoc perniciosum sit, vt docuit Gal. libr. de curatione per sang. missio. cap. 9. & 12. Nequaquam ad exhauriendum sanguinem hoc consulit Hippocrates, sed ad educendum pituitosum succum, quem sanguinem appellat, quoniam cruentus per talem sectionem prodit. Nam scarificatis lumbis, & sectis venis scroti, nulli dubium est, in pituita alba plurimum huius humoris ad extra profluere, vt etiam consulit Aet. & alii in hydrope in casu simili. Quæ sectio sicut facit ad euacuationem, ita facit etiā ad maiorem corporis difflationem, per quam pituitæ residentis reliquum facilius discuti poterit. Hoc autem iudicio medici curantis relinquit, quia magnitudo tumoris, & copia abundantis pituitę ad hanc actionem obeundam medicum adducere debent.

Cura. Morbus difficilis, id est, atrox aut grauis.

159 *In visceribus veluti spina esse videtur, & pungere, & anxietas ipsum corripit, & lucem ac homines fugit, & tenebras amat, & timor inuadit, & septum transuersum foris tumet, & ad contactum dolet, & expauescit, & terriculamenta ac somnia horrenda videt, & quandoq; etiam mortuos, Et morbus hic fere plurimos vere corripit.*

Si quæ vlla est pars, quæ ex proprio affectu cerebrum facile in consensum deducere queat, hæc vna est septum transuersum. Nam eo inflammato ac male affecto, ita delirant patientes, ac si cerebrū læsum esset, imo tanta est inter hæc duo membra quoad hoc similitudo, vt delirium pati ratione cōtinuum ea consequatur, quod in aliis delirii causis nequaquam contingit, cum remissionem & intermissionem in his recipiat, in illis vero non. Vnde lib. 5. de loc. affect. cap. 3. nitebatur Gale. ponere signa distinguentia phrenitidem ex primario cerebri affectu contingentem ab ea, quæ affectu transuersi accidit. Cuius continuitatis ratione, cum existimauerint prisci medici in ea sedem animę consistere, eam phrenes appellarunt, quasi mens in ea residear. Quam opinionem licet reiecerit Hippoc. lib. de sacro morbo, versus finem, docens, intelligentiæ ac prudentiæ sedem esse cerebrum, septum transuersum autem phrenum nomen fortuito, & ex quadam lege, aut consuetudine, non autem ex natura rei, cum in eo mens non residear, sortitum esse, eiq; solum vel gaudium, vel tristitiam, ex subita commotione, non ratiocinationem adscribendam esse: attamen hæc pars nomen phrenum retinens, hac voce non desiit appellari ab antiquis, quod ex eo factum est, non quia postea crediderint mentem in ea residere, sed quia cognouerint, hac affecta mentem lædi, eademque ac similia his, quæ à cerebro proueniunt, delinia subsequi. Quo stante, cui

te cui dubium, si eo ex calidiori sanguine inflammato, phrenetica succedant accidentia, quin & eo ex atrabilari humore tumente melancholica consequantur symptomata? Nam sicuti per consensum in eius inflammatione procellitus cerebrum ex euaporationib. calidioribus, & inde delirium continuum incurrit, pari ratione eo ab humore atrabilari deprehenso, cerebrum ab atrabilaris non dicam euaporationibus, sed fumis, (fumus enim proprie est is, qui ex materia adusta attollitur, non euaporatio) percussum in symptomata incidit melancholica. Nam cum horum fumorũ qualitas essentiam & qualitatem humoris, ex quo eleuantur, cerebro impartiantur, hinc cerebrum ac si humore melancholico occuparetur, melancholica incurrens accidentia, hominem absq; ratione mœrentem ac timidum reddit. Hinc miror Galenum de hypochondriaca melancholia loquentem earum partium tantum, quę infra ventriculum existunt, ad mentem Dioclis meminisse, tanquam hæ solæ hanc melancholiam causare aptæ sint, cum tamen potuerit non tantùm ex prędicta ratione & experientia, verum etiam ex Hippocrate ipso nouisse, à septo transuerso alteram melancholiæ hypochondriacæ speciem causari posse, cum non solum hoc in loco, verum etiam in libro de virginum morbis docuerit, vbi ad septum transuersum sanguis serecus decumbat, mœrores, anxietates, desperationes, timiditates, aliaq; his deteriora sequi melancholicorum accidentia, quæ multo grauiora & vehementiora sunt quam ea, quæ ex aliis infra ventriculum partibus melancholiam hypochondriacam causant, quoniam ad hanc partem facilius & promptius, & magis quam ad illas compatitur, & vehementiorem ac intimiorem à materia peccante impressionem recipit cerebrum. De qua melancholia hypochondriaca nunc loquens Hippocrates, & signa tradens, inquit primo, quod in visceribus veluti spina his inesse videtur. Sed quæ est huius ratio aut causa? Cum melancholicus succus sit duplex, alter veluti fęx sanguinis admodum spissus, fæci vini haud absimilis, nullum saporem insignem sibi asciscens, alter multo tenuioris essentiæ, qui & vomentibus & olfacientibus aperte acidus percipitur, & qui ratione tenuitatis & inæqualis essentiæ terram fermentat, hinc etiam duplex melancholiæ genus emergit. A primo fiunt patientes timidi quidem, ac mœrentes, attamen segnes & fere stupidi. A secundo autem præterquam q; mœreant & formident, anxii, ad quamcunque occasionem expauescentes, desperantes, horribilia & tremenda imaginantes, euadunt, quorum ratio est, quoniam ex illo succo primo, qui fere naturalis est, vaporationes attolluntur frigidiores, at ex secundo, qui quoniam aliquam exustionem passus est, omnino prę̈ternaturalis essentie, eleuantur fumi acriores, turbidiores, & teteriores, cuius ratione ex hoc quam ex illo deteriora superueniunt symptomata, quoniam ex hoc deteriorem, quam ex eo concipit labem cerebrum. Cum igitur duplex sit huius melancholiæ species, nec de omni loquatur Hippocrates, de ea solum, in qua succus melancholicus, qui exustionem senserit, morbum hunc pariet, inde ab Hippocrate dictum est, in visceribus veluti spinam his inesse videri. Nam cum in his partibus hæc generetur, ab iisdemque ad septum transuersum transmittatur, inde etiam ratione partis adustæ, quam retinet, aliquam punctionem in visceribus causat. Hanc punctionem autem vocauit Hippocrates veluti spinam, quæ pungere videatur, quam parem punctionem in cunctis, quæ ab hoc succo generantur, referunt, & hoc sępe cũ quiescunt, sæpius autem & magis cum comprimuntur. Et anxietas ipsum corripit, id est, fastidium, quale ex nimia ciborum repletione causatur, inuadit eos, perturbans & anxios reddens ob præsentiam atræ bilis, loca pręd icta obsidentis. Et lucem, ac homines fugit, & tenebras amat. Nam atra bilis suis fumis cerebrum obtenebrans facit patientem solitudinem desiderare, lucem, vt quæ spiritus exhilarare est apta, abhorrere, & tenebras, vt quæ propriam obscuritatem fouere possunt, deligere. Et timor inuadit, nam cum spes homini ex rerum iucundarum, aut præsentia, aut expectatione, ac in spirituum ætherea, ac subtili substantie, accidat, hæc locum in his habere nequit, sed superuenit timor, mutata æthereа spirituum substantie in tenebrosam, subtili in crassam, & imaginatrice facultate tristia spectra intellectui repræsentante. Et septum transuersum foris tumet, & ad contactum dolet. Nam recurrente atræ bilis copia in phragma ipsum, inde tumorem concipit, & ex tumore ad compressionem dolet, sicut etiam cæteræ partes sensu præditæ dolent, vbi tumentes comprimantur. Ex qua ad septum transuersum bilis atræ affusione non tantum succedit tumor & dolor, sed etiam ex dolore & tumore subsequitur spirandi difficultas; nam hæc læsa, cum sit pars respirationi potissimum destinata, non potest spiratio non immutari. Quam conditionem, licet omiserit Hippocrat. nihilominus subintelligenda est. Et expauescit, id est, terretur non tantum vi causæ internæ, sed etiam ex omni causa externa, quamuis leuissima pertimescit, ac horret. Et terriculamenta, ac somnis horrenda videt, & quandoque etiam mortuos. Nam cum ex fumis ascendentibus cerebrum male afficiatur, hinc spectra horrenda ac tristia imaginationi efferuntur, & vbi dormiant, cum in his non ita propriæ & assiduæ sint, sicuti cerebro per se affecto, vigiliæ, somnia horrenda conspicit, & quandoque etiam adeo phantasia ab his fumis procellitur & occupatur, vt de tristibus tristia semper cogitet, & in istis tristibus cogitationibus certo se mortuos conspicere, tam fixa & stabilis est eorum in hisce rebus imaginatio; sibi ipsi videatur, tantaque est penes hunc affectum rerum tristium certitudo, vt omnia tristia credant, se vere videre, pati, & sentire. Quod non aliunde ortum habet, quam ex prauitate, & crassitie humoris atri, qui in eo peccat. Qui humor, quoniam in

vero

uere solet ad partes principales, vbi aggregatus fuerit, in corpore moueri, inquit Hipp. hic morbos fere plurimos vere corripit. Quod idem sentiens lib.3.aph.20. dicebat: In vere fiunt atræ biles: per quam tamen sententiam nec cætera excluduntur tempora, præcipue autem autumnus, in quo talis humor copiose cumulari, & abundare solet.

160 *Huic veratrum bibendum dato, & caput purgato, & post capitis purgationem pharmacum deorsum purgans bibat, postea vero lac asininum bibat. Cibis vtatur quam paucissimis, si non debilis fuerit, & frigidis, & aluum subeuntibus, & non acribus, neq; salsis, neq; pinguibus, neq; dulcibus. Et calida non lauet, neq; vinum bibat, sed aquam maxime, aut saltem vinum aquosum. Neq; exercitiis vtatur, neque deambulet. Hæc si fecerit, à morbo liberabitur temporis progressu, si vero neglexerit, commoritur.*

SI ex morbis vllus est, qui purgationem ex helleboro desideret, hic vnus existit. Nam cum atrabilares succi, qui per helleborum educuntur, in eo peccent, & circa septum transuersum, ac supra viscera, cuius merito requirunt euacuationem per superiora faciendam, resideant, conuenientissima ad hoc erit hellebori potio, in qua tamen administranda prius cibo copioso & quiete, aliisq; similibus ad mentem Hippocratis lib.4.apho.13. corpus humectetur, & euacuationi per superiora præparetur. Qua peracta, vt sui moris, caput purgandum monet, post capitis autem purgationem, quoniam viscera atram bilem generantia possint adhuc eius portionem reseruare, per pharmacum deorsum educens euacuandum esse præcipit. Et quoniam viscera huiuscemodi bilem ex propria intẽperie calida, & sicciori generant, ideo ad ea contemperanda lac asininum exhibet, vt inde refrigerata & humectata non amplius similem signant materiam. Quoniam autem nullum medicamenti genus ad hoc profecerit, nisi recta victus ratio concurrat, ideo alimenta calefacientia abhorrens, & frigida instituens, monet cibos acres, salsos, dulces & pingues, vt qui calefaciendi vim possideant, cauendos, frigidos vero tum actu, tum potentia, & aluum subeuntes in vsum recipiendos esse, qui paucissimi existant, nisi debilis æger extiterit. Nam virtus valida inediam tolerare potest, inualida autem opportuna cibi quantitate, tum augenda tum manutenenda venit. Quo autem ad potum, à vino, quod naturis calidioribus infensum est, abstinendum, & aquam, vti lib.6.epid.sect.4.text.14. habetur, in potu propinandam esse docet, cuius potus, si male ab ægrotante toleretur, loco eius vinum aquosum exhibet, quod vinum si non refrigerare, vt aqua, saltem calefacere, vt vinum non poterit. Et quoniam aqua vti humida facultatem humectandi semper retinet, calefacit autem & frigefacit pro ratione caloris aut frigoris actualis, quem sibi asciuerit, ideo quęcunque corpus calidius calefacere possunt, abhorrens, balneum ex aqua calida ablegandum monet, insinuans, si ex aqua frigida daretur, innocuum, ac vtile esse posse. Et quoniam in genere calefacientium recensetur motus, ideo imperata quiete præcipit ab omni valida exercitatione, & ab omni etiam deambulatione desistendum esse. Ex his autem, ex quibus corpus refrigerari, & ad commodum temperamentũ immutari poterit, facile erit, vt temporis progressu à morbo, quoniam tunc amplius generationis atræ bilis, & exustionis humorum non dabitur occasio, liberetur. Quæ tamen refrigeratio nisi arte tentetur, naturę beneficio non obtinebitur, quoniam tanta viscerum caliditas sponte solui, aut temperari nequit. Quapropter non negligatur hic morbus, si enim hunc patiens neglexerit, cum eo vitam miserabilem ducens, commorietur.

Morbus niger.

161 *Nigrum vomit, velut fæcem, quandoq; cruentum, quandoq; velut vinum secundarium, quandoq; velut polypi atramentum, quandoq; acre velut acetum, quandoq; saliuam & pituitam, quandoq; bilem cum virore pallidam. Et vbi quidem nigrum cruentum vomuerit, cadaueris fætorem refert: & fauces & os à vomitu aduruntur, & dentes stupescunt, & id, quod vomitu reiectum est, terram eleuat. Et postquam vomuit, paululum melius se habere putat, & neq; sine cibo esse, neq; ampliorem cibum ferre potest. Verum vbi sine cibo manet, viscera fugunt, & saliuæ acidæ sunt. Cum vero cibum accepit, grauitas in visceribus est, & pectus ac dorsum velut stilis pungi videntur, & dolor tenet latera, & febris debilis est, & caput dolet, & oculis non videt, & crura grauantur, & color niger est, & consumitur.*

CVM de nigris deiectionibus agerem, indicaui, succum melancholicum in corpore humano duplici de causa copiose aggregari, scilic. vel vitio hepatis sanguinem adurentis, vel vitio alimentorum analogiam & proportionem cum hoc succo habentium. Qui succus à liene vti membro, quod ex eo nutriatur, attrahitur, absumiturq;, nisi aut ex aliqua intẽperie langueat, aut ex aliqua materia obstructũ sit. Quod si sit imbecillũ, aut obstructũ, tunc, cũ non expurgetur sanguis ab hoc limoso succo, alias ad hanc, alias ad illam transmittitur partem, diuersa morborum germina producens, alias autem circa vias communes, ac circa viscera reconditur, ibiq; tamdiu reseruatur, quo vel qualitate irritationem faciat, vel quantitate vasa nimis repleat. Quo casu insurgens natura eum modo per partes inferiores, modo per superiores, modo per vtrasque euacuat. Quæ euacuatio, dum hic succus propriam conseruat naturam, nec discriminis, nec periculi quid habet, quę tamen mala & incommoda admodum euadit, si hic succus vlteriorem alterationem passus ad naturam atræ bilis deflectatur,

& hoc

& hoc præcipue, vbi ad superiora vergens per vomitum educatur; nam hinc ventriculum infestās, plurimorum malorum est in causa. De quib. nunc agens Hippocrates morbum hinc pendentem appellat nigrum, non à fine, vti vocabat febrem interficientem, nec à faciei & corporis solo colore, vti dicebat de ictericia nigra, & de morbo liuido, sed à colore excrementorum, quæ per vomitum reiiciuntur, cum sint nigro colore infecta, à quibus tandem etiam, vbi morbus confirmatus fuerit, quia non penitus è corpore educantur, sed maiori ex parte ad intra corpus retineantur, totius corporis habitus denigratur. De hoc igitur morbo nigro, qui nihil aliud est, quam succi melancholici naturam bilis atræ consequentis copia circa ventriculum, ac viscera recondita, indeque vomitum per quædam internalla reiecta, agens Hippocrates, primo huius materiei, antequam symptomata morbum consequentia enarret, triplicem differentiam apponit: primam à colore, secundam à sapore, tertiam à substantia. Quoad primam, dicit hanc materiam quandoque esse nigram valuti fæcem, qui est color subniger, quandoque esse cruentam, id est, cum nigredine cruorem sanguineum aliquo modo referre, sanguinemque nigrum, vti dicebat libro quarto aphorism. 21. repræsentare, quandoque esse veluti polypi atramentum, id est, vehementer nigram, quale est succus à polypo reiectus, dum piscatorum & maiorum piscium offendicula euitans ad eos eludendos, & sui ipsius aspectum contingendum illum eructat, quandoque esse veluti vinum secundarium, quod lora à Latinis appellatum fiat, dum aqua super vinacea ex vuis nigrioribus affusa, & maceratione eorum facta, ex his si quid vinosi relictum est dilutum admodum, sed colore nigro, non tamen admodum saturato, educitur, ac si diceret, esse coloris nigri non saturati, & ad quendā ruborem inclinati. Quare quoad colorem, hæc materia erit vel subnigra, vt fæx, vel vti sanguis niger, vel impense nigra, vti atramentum sub subnigra cum quodam rubore, quas omnes differentias, qui rem diligenter perscrutabuntur, in actu practico obseruabunt. Quo autem ad saporem, inquit, hanc materiam esse acrem, vt acetum, id est, eam aciditatem & acrimoniam, quam acetum habet, referre. Nam cum succus melancholicus supra naturalem essentiam patitur vlteriorem alterationem, in atram bilem mutatus acidus manifeste & insigniter euadit, retinens ex adustione vna cum acidis partibus nonnullas etiam acres in similitudinem naturæ aceti, quod cum acidum sit ratione partium frigidarum retinet quandam acredinem partium putrescentium. Quo autem ad substantiam, inquit, non tantum in hoc morbo hæc excrementa nigro colore infecta, verum etiam quandoque salsam & pituitam, quandoque bilem chloram vomito reiici. Nam licet principalis læsio sit ex atra bile, attamen hinc labefactato ventriculo, tum pituitam in eo ex intemperie eius genitam existentem, tum bilem ex iecoris calore genitam & affusam etiam eructat, vel cum ea, vel post eam. His differentiis explicatis, docet Hippocrates quæ symptomata ad hanc materiam, vel ex vomitu excretam, vel ad intra viscera retentam, sequantur. Ad reiectam hæc, inquit, sequuntur, quod materia per vomitum electa, cadaueris fœtorem refert, non sane cadaueris putridi, sed putrescentis, hoc est eius, cuius putredo vix inceperit, nō progressa sit. Qualis autem sit fœtor iste, experientia significare, & ratio dictare potest, cum incipientis fœtor sit tolerabilis, licet quodammodo molestus, progressæ autem putredinis odor sit deterrimus, & vix tolerabilis, cum penitus abominabilis existat. Et os, & fauces à vomitu aduruntur, ratione acredinis, & dentes stupescunt, ratione aciditatis, & id, quod vomitu reiectum est, terram eleuat, id est, fermentat. Nam sicuti à fermento ratione partium putrescentium acrium, & ratione aciditatis farina circumstans fermentatur, pari ratione ab hoc succo, cum vtrarumq; partium tam acrium, quam acidarū copia in eo abundet & valeat, terra in modum fermentationis eleuatur. Nam ratione aciditatis habet penetrationem, ratione acredinis infert ebullitionem. Et postquam vomuit, paululum melius se habere putat. Nam cum vomitus fiat irritata natura, & à praua huius succi qualitate, & ab eiusdem copia, ea reiecta irritatio sedatur, & inde melius sibiipsi habere videntur. Ad retentam autem hanc materiam hęc succedunt, quod cum ratione aciditatis ingentem faciat in ore ventriculi corrugationem, ac suctum, inde inediam tolerare, & sine cibo, cum inde maxima succedat cibi appetentia, esse nequeunt. Qui tamen si ratione ingentis famis cibum ampliorem assumere cogantur, eum ob ventriculi languorem ex præsentia huius materiei frigidioris conceptum ferre non possunt. Inde enim ventriculus, qui ieiunus suctum ob corrugationem ingentem ratione aciditatis inductam à circumstantib. visceribus patiens, plurimam salinā acidam resudat, grauatur, & pectus, ac dorsum ratione vaporationum acidarum ad ea loca exhalantium, veluti stilis pungi videntur. Et dolor tenet latera, quoniam hinc etiam plurimi flatus, melancholici enim flatuosi sunt, eleuantur, qui hæc loca petentes, dolore eos affligunt. Et quandoq; ratione tot symptomatum febris quędam leuis inuadit, & caput per consensum à partibus inferioribus dolet. Et oculis propter plurimos fumos ad eos recurrentes vix videt. Et crura, cum hinc langueat totum corpus, grauari videntur. Et tandem ab hac materia, vbi retineatur, nec tota eiiciatur, corporis vniuersi habitus ea in venas transsumpta niger euadit, & inde facta mala corporis nutritione consumitur. Nam calor iste niger, vbi superuenerit, morbum in habitu factum, & inde corpus nō amplius recta nutritione frui posse, indicabit. Huic similem historiam vidi in nobili medico, cuius alias memini in capite de nigris deiectionibus. Hic cum in iouenili esset ætate, ventriculiq; esset languidioris, iecoris autem calidioris, vomitu succi nigerrimi, ac crassi admodum, & insipidi singulo quoquo mense ad minus corripiebatur, quē do-

loc & grauitas præcedens prænunciabat, quemq; ipse motu, tripudio, ac saltu excitabat. A vomitu melius habebat, & melius appetebat, nam ante ipsum omnem fere cibum abhorrebat, & per duos dies ante vomitum ab inappetentia coactus sine cibo permanebat. Hic circuitus per plures annos perdurans, & medicum prænarrato modo affligēs prope declinantem ętatem eum concomitatus est. Quo tempore facta fuit morbi mutatio, nam materia, quæ erat insipida, admodum acida euasit, & cum esset crassior, tenuior quoquo pacto facta est, eandem nihilominus semper nigredinem reseruans. Et cum vomitus esset rarus, frequentius inuadere cępit, & appetentia ingens ac continua inuasit, quæ ante vomitum vehementior, quam post vomitum erat. Hinc multa comedere, & sæpe ac sæpius in die cibum repetere cogebatur, à quo tamen semper grauabatur, & anxietate ingenti corripiebatur, adeo vt de ægritudine conquestus diceret, se nescire, an maior esset cruciatus ex inedia, cum sine cibo esset, an ex ventriculi labore & anxietate, cum cibum assumpsisset. Hic aluum nunquam fluidam habuit, & continuis dorsi ac pectoris doloribus augebatur, raro febris accedebat, capite fere continue dolebat. Visus, cum vomendi tempus in proximo esset, & in ipso vomitu hebes erat, & multa simulacra ante oculos obseruabantur, à vomitu autem visus & oculi in pristinum statum restituebantur. Hic cum subnigri coloris esset, tandem nigerrimus euasit, à cōtinua & insatiabili fame cruciatus, cuius vi licet perpetuo multa in cibo assumeret, nihilominus indies continue extenuabatur. Quę extenuatio eo excreuit, vt penitus emaciatus, & tanquam tabidus factus, tandem vitam cum morte commutauerit. Qui tamen præter enarrata incommoda hoc vnum post mutationem morbi passus est, vt prorsus melancholicus euaserit, timore ac mœrore confectus. Quæ melancholia aucta, sicuti fuit in causa, vt omnem curationem renueret ac negligeret, nullamq; victus rectam rationem seruaret, ita etiam fuit occasio, vt nullum leuamen ex arte medica reciperet. Hunc melancholiæ affectum, sicuti vidi prænarratum medicū comitari, ita censeo pręsentem morbū sectari. Nā ratio dictat, ex assidua bilis atræ præsentia multos ad cerebrum eleuari fumos, qui illud percellentes passionē melancholicam inducunt. Quare miror, cur Hippo. huius nō meminerit, cum si non continua, saltem interpellata existere debeat.

262 *Huic pharmacum bibendum dato frequenter, & pro anni tempore & serum, & lac, & à cibis abstineat dulcibus, & oleosis, ac pinguibus, & frigidissimis, ac maxime per aluum subeuntibus vtatur, & caput purgato, & post medicamentorum potiones sursum purgantes, de manibus sanguinem detrahito, si non fuerit debilis. At si aluus non egerat, molle infusum per clysterem immittito, & abstineat ab ebrietatibus, & venere. Si vero coierit, ieiunus fomentis vtatur, & à sole abstineat, neq; multum se exerceat, neq; deambulet, neq; calida lauet, neq; acria edat, neq; salsa. Hæc facienda sunt, & vna cum ætate aufugit etiam morbus, & cum corpore senescit. Si vero denigratus fuerit, commoritur.*

QVÆ curatio sit administranda, vbi nigra hæc excrementa in corpore cumulantur, & inde vel per sedem, vel per vomitum reiiciuntur, alias declaraui in capite de nigris deiectionibus, in quo & causas, & curatiuas indicationes clare exposui. Quare hac supposita ad Hippocratem descendo, qui hunc morbum curaturus hos duos sibi proponit scopos, alterum, vt humorem peccantem euacuet, alterum vt calorem intensum refrigerando contemperet. Hæc autem executurus, per pharmacum euacuationem, per serum & lac contemperamentum procurat, monens abstinendum esse à cibis dulcibus, oleosis, & pinguibus, vt quæ vel calefacere, vel facile accendi possunt, frigidissimis vero, ac aluum subeuntibus, vt quæ refrigerare, & ventrem subducere possunt, vtendum fore. Procurata euacuatione per pharmacum caput purgandum monet, vt autem insinuet, quæ pharmaca in hunc vsum recipienda veniant, singulariter explicat sursum purgantia. Nam si materia eo, quo sponte repit, ducenda est, cum hinc materia ad partes superiores ascendat, per vomitum euacuanda erit. Et quoniam vnica non sufficit ob materiæ copiam euacuatio, ideo pluralitatem exprimere per ea verba, post medicamentorum potiones sursum purgantes, voluit. Bis autem, & ter, prout rei occasio indicabit his administratis, iubet, si æger valeat, de manibus sanguinem detrahendum esse. Sed quæ venę, & ad quam intentionem in manibus secandæ sunt? Nulli dubium sit, eas quæ in cubito sunt, nequaquam audiendas esse, cum vniuersalem corporis euacuationem nusquam hoc in libro missione sanguinis procurauerit, sed eius tantum ibi ipsius meminerit vsum ad particularem, vel reuulsionem, vel euacuationem receperit. Quare per venas in manibus audiamus eas, quæ in manibus sectæ huic passioni conferre queunt. Tales autem sunt saluatellæ, & præcipue sinistra, quæ affectum lienem, ex cuius aut imbecillitate, aut obstructione hic morbus occasionem & fomentum habet, respiciunt, eperęque ipsum valde, vt docuit Galenus libro tertio de anatom. administ. capite quinto, & libro de cur. ratione per sanguin. mission. capite decimo sexto, iuuare possunt, in cuius analogiam censeo etiam ego, parem prope habere vim saluatellam dextram in affecto hepate, eiusque vsum non solum ratione prædicta, verum etiam hoc mihi comprobante experientia, commendo. Nam in antiquatis iecoris affectibus, præmissis vniuersalioribus agendis, maximum semper ex huius sectione subsidium ægrotantibus contuli. Has igitur saluatellas per venas in manibus existentes, audiens Hippocrates, eas se-

cand-

candas præcipit, dextram quidem ratione iecoris hunc melancholicum succum georeaotis, sinistrā autem ratione splenis euodem non attrahendis, neq; sumeotis. Et quoniam, vti dixi, factum fuisse in medico illo, aluus in hisce sistitur, monet aluum mollib. clysteribus subleuandam esse; nam acriora reformidat, quoniam hęc calorem adaugere, & magis accendere possent. Et ne cruditatibus repleatur, instituit ebrietates penitus cauendas, ac Veneris vsum intermittendum esse, quoniam tamen non inconuenit in hisce melancholicis passionibus aliquando animum & corpus laxare, & per quædam interualla veneri operam dare, vt hoc insinuaret, inquit, quod si ad exhilarandum animum patiens quandoq; coierit, tunc ne corpus inde nimium exiccetur, fomentis vtatur, & omnē vitę rationem eo dirigat, vt nulla ex causa calefiat, & ideo solem, exercitationes, motus vehementes, calida balnea, cibaria acria, & salsa, ac omnia in summa, ex quibus corpus incalescere possit, caueat. Ita enim curationi, si materia genita per pharmaca euacuabitur, materiæ autem generandæ per corporis refrigerationem, ac membrorum contemperamentum generatio inhibeatur, manus vltima imponitur, si hæc fiant antequam morbus confirmatus, ac in habitu factus sit: nam talis cum ęgro, vbi inde penitus emaciatus euaserit, commoritur. Qui tamen si rectè curetur, ægerque medico obtemperet, quoquo pacto imminui, non tamen in totum tolli poterit. Nam rectè curatus temporis diuturnitate sedatur, & sedatus cum corpore senescit, cum semper aliquę huius morbi reliquiæ reseruentur. Nam cum iecur ad tantam deuenerit caliditatem, vt huic humori generationem copiosam pręstet, & lien ad tantam imbecillitatem deuenit, vt huoc humorem nec attrahat, nec ad-mittat, vix datur, vt in pristinū statum restitui possint. Nam intemperies horum membrorum altius inhęserunt, sibique inuicem continuum fomitem conferunt.

Alius morbus niger.

163 *Subfuluus & gracilis, & oculis cum virore pallidis fit, & tenuem cutem habet, ac debilis est, quanto autem tempus amplius progreditur, tanto morbus amplius affligit, & vomit omni tempore, velut stillamentum modicum, ad duorum poculorum paruorum mensuram, & frequenter etiam cibum, ac vna cum cibo bilē & pituitam: & post vomitum dolet totum corpus, aliquando etiam antequam vomat, & horrores, tenues, ac febris tenet, & ad dulcia, ac oleosa maxime vomit.*

Hic morbus niger non à colore excrementorum, nec à colore corporis, sed à causa dictus est niger: nam in boc nec excremeota nigra prodeunt, nec corpus ad nigrum colorem immutatur. Sed cum in hoc, sicuti in præcedenti viscera sint obsessa à succo melancholico, iode fortitus est nomen nigri morbi. Hinc enim ortum ducit, quod cum ex calore iecoris, & ex imbecillitate, aut obstructione lienis circa hypochondria abundet succus melancholicus, hinc multæ viscerum obstructiones succedant, indeque iecur magis incalescat. Cuius caloris ratione, cum copiosa generetur bilis flaua, inde fit, vt ratione coloris ipsius bilis, quæ plurima in venis merito feruescentis iecoris cumulatur, corpus subfuluum reddatur. Talis enim color solet apparere in his, in quibus cacochymia biliosa colligitur, qui color præcipue apparens in oculis eos subchloros reddere consueuit: ratione autem, qua sanguis ex copia bilis deprauatus est, succedit mala corporis nutritio, ex qua corpus gracile euadit, gracilescente autem corpore, cutis, vt dicebat etiam lib. 6. Epid. sect. 3. tex. 29. laxatur, quā laxationem nunc vocat Hip. tenuitatem, quoniam in extenuatiooe corporis, dum laxatur cutis, videtur attenuari, cum prius crassior appareret, dum circumtensa corpori repleto, & carnoso adesset. Si autem ex eo, quod sanguis in venis biliosus euaserit, corpus male nutritur, & gracilescit, & cutis atteouatur; inde etiam fit, vt debilitetur & langueat: nam vbi corpus debita fraudatur nutritione, inde etiam imbecillius fit, propriis facultatibus languentibus. Quibus symptomatibus perseuerantibus, inde corpus etiam magis affligitur, quoniam quo magis morbus progreditur, eo magis etiā male afficit. In quo resudante ob eius copiosam & continuam generatam ad os ventriculi bilē, succedit continua fere biliosi ichoris ad formam stillamēti per os reiectio non copiosa, sed ad paruorum poculorum mensuram. Ex qua bilis ad os ventriculi resudatione hoc etiam succedit mali, vt hinc resupinatus ventriculus vomitu assumptum cibum, & vna cum cibo nonnunquam aliquid bilis & pituitæ reiiciat. Post quem vomitum, & aliquando etiam ante ipsum, totum dolet corpus, eo ad ventriculi vellicationem, à bilioso fucco causatam, compatiente, ex qoo quandoq; etiam horrores & febres lentæ, ac debiles in formam diariarum, & occasione bilis inductæ succedunt. Hic autem vomitus facile excitatur à dulcibus & oleosis siue elbis, siue potibus, quoniam resudante prædicta materia ad os ventriculi, facile est vt, assumptis dulcibus & oleosis, quæ facultatem laxandi ventriculum habēt, concitetur vomitus, in quem pronus est ventriculus ex resudatione prædicta. Quę symptomata omnia naturam & copiam biliosi succi sequuntur. Ad succum autem melancholicum ea, de quibus in superiori actum est, intelligantur succedere, vt vim huius morbi nigri & causam deprehendamus.

164 *Hunc medicamentis sursum ac deorsum purgare oportet, & lac asininum postea bibendum prabere. Cibis autem vtatur mollissimis ac frigidis, piscibus litoralibus, & cartilaginei generis, & betis, & cucurbitis, & carnibus tritis. Vinum bibat album, vinosum, aquosius. Labore & deambulationibus vtatur, & calida ne lauet, & à sole abstineat. Atq. hæc sane facienda sunt, verum morbus lethalis quidem est, non autem consenescit.*

CVrationem similem superiori, easdem sibi proponens indicationes, tradit, quoniam & hic morbus cum priori similes habet causas. Quapropter agendorum rationes ex superiori cõmento repetantur. Hoc vnum tamen moneo, ad corpus renutriendum Hippoc. vti carnibus tritis, quibus etiam vtebatur in lib. de inter. affect. in cura pituitæ antiquæ, quæ appellatur alba. Quare notum sit contusi carnei, quo in ægrotantibus data occasione vtimur, vsum admodum antiquum, nec fuisse Arabum aut recentiorum inuentum. Quo autem ad morbi huius naturam, monet Hippocrat. eum lethalem esse, non autem vti priorem consenescere. Ratio est, quoniam bilis facit morbos calidos, calidi autem morbi raro diuturni, & longinqui existunt. Et vbi diuturni sunt, si existant validi, & facultates aliquas præcipuas lædant, non possunt consenescere, quoniam ex his temporis processu natura succumbit, vt in hoc morbo verisimile est fore, cum os ventriculi ex eo continue laboret, ac corpus male nutriatur, & indies debilitetur.

Morbus corruptorius.

165 *Alia quidem omnia eodem modo patitur, verum grumos bilis concretos vomit, & deorsum similiter egerit, postquam cibos excreuit.*

HIc est tertius morbus niger, ab eisdem causis, quibus superiores causantur morbi, pendẽs, sed multo deterior, cum à vehementiori & ferociori causa producatur. Nam in hoc tam ingens est hepatis, & partium circumstantium feruor, vt non solum bilem generet, sed etiam eam adurat, indeque, ac si concreta esset ea coacta, & in formam grumorum redacta, aut per vomitum, aut per secessum reiiciatur. Talem autem formam bilis adipiscitur, cum ex nimio ardore torretur, & inde eius ichor ac serositas absumitur, tunc enim concreta ac grumosa videtur, cum tamen nequaquam ei concrescere aut grumescere ex propria natura, hoc enim soli sanguini peculiare est, contingat. Cum igitur talis sit hic morbus, vt bilem torridam ob superfluum hepatis ac viscerum feruorem generet, non potest non esse sæuus & ferox, cum sæuissimus ac ferocissimus in eo succus dominetur. Quam sæuitiem & ferociam attendens Hippocrat. eum corruptorium vocat; non tantum symptomatum vehementiam insinuans, verum etiam patientis corruptionem, ac interitum significans. Nam cum tantum feruoris excessum natura ferre nequeat, hinc etiam velociter patiens perimetur.

166 *Cæterum eadem facere oportet, quæ in priori morbo relata sunt, & clysterem adhibere.*

CVm eædem sint huius morbi, quę superiorum duorum existunt, causæ, eædem dantur indicationes, quare & curatio eadem cum prædictis procuranda erit. Verum quoniam insignior & vehementior est feruor in hoc morbo, quam in præcedentibus, ideo in hoc magis refrigerandum erit. Et quoniam medicamenta purgantia, quibus antiqui ad bilis euacuationem vtebantur, erant facultatis calidæ, ideo hæc abhorrens, & ab his abstinendum esse insinuans, monet, tantum clystere adhibendum esse.

Finis commentariorum in Hippocratis librum secundum de Morbis.

PETRI

PETRI SALII DIVERSI COMMENTARIA IN LIBRVM TERTIVM DE MORBIS.

TEXTVS I.

De febribus vniuersis à me dictum est: de reliquis iam dicam.

NEMO SANÆ MENTIS est, qui non nouerit, librum huoc ad præcedentem nullam communicatiooẽ habere. Cum enim profiteatur author, se de febribus in antecedente egisse, nihilq; de his in superiori actum sit, liquet huius ad ilium nullam esse consequutionem. An autem huius & illius idẽ fuerit author, vel diuersus, non ita constat; nam cõformitas docendi, & morborum eadem per capita distinctio eundem esse authorem persuadere potest. At phrasis diuersitas, & admissa in hoc sanguinis copiosa missio, cuius in superiori vel minima facta mentio est, diuersum fuisse significant. Attameo ego in hac ambiguitate potius in eam sententiam, quod idem fuerit vtriusq; author, quã quod diuersi extiterior, eo, cum in vtroq; volumine plurimam sententiarum conformitatem, vel potius identitatem conspiciam, & io diuersitate similitudinem videam. Sed quisquis fuerit author, parum admodum refert, cum non scribentis authoritas, sed seotentiarum integritas ac vtilitas atteodenda sit.

Cerebri tumor.

2 *Cum cerebrum ab inflammatione tumuerit, dolor totum caput occupat, maxime qua parte constiterit inflammatio. Consistit autem in temporibus, & aures sonitu implentur, & auditus hebescit, & venæ extentæ sunt, ac pulsant, & febris ac rigor aliquando corripiunt, & dolor nunquam deficit. sed quandoq; remittit, quandoq; magis premit, & vociferatur, ac exilit præ dolore. Et vbi surrexit, rursus ad lectum decumbere festinat, & iactat seipsum. Hic lethaliter quidem affectus est, in quot vero diebus moriatur, non habet indicationem, nam alii aliter pereunt, plerunq; tamen in septem diebus moriuntur; si vero vigesimum primum effugerint, sani fiunt.*

QVAMVIS illud axioma ex principiis philosophicis desumptũ, quod magis & minus non variat speciem, in naturali scientia verificetur, in naturalibusque rebus vero consonum reperiatur, attamen ab arte medica dum ea morboa & affectus præter naturam coosiderat, in eodem sensu noo recipitur. Nam cum medicus sit artifex sensatus, & morborum differentias ex diuersitate symptomatum deprehendat, sæpius ex maiori & minori virtutum læsione. & ex maiori & minori accidentium concursu eosdem morbos ab eadem causa prouenientes in plures distinguit. Hioc in deliquio aoimi, si minor sit læsio, lypothimiam, si maior, syncopen appellat, quamuis ab eadem causa proueniaot. Hioc etiam in dolore ventris inferioris, licet eos eadem causa pariat, distinctionẽ morborum faciens, vbi leuis sit affectus, dolorem ventris simplici & cõmuni nomine appellat, qui si vehementior sit, colicus vocatur, si autem existat atrocior, aliisq; propriis annexus symptomatibus, dicitur Iliacus. In pluribus aliis, quos longum esset recensere, hoc idem cootingit morbis, quos medicus ab inuicem distinguit, & tanquam diuersos esse supponit, licet solummodo per magis & minus distinguantur. Quod ea ratione factum est, quoniam cum ex hac diuersitate indicationum curatiuarum diuersitas eliciatur. Hinc morborum diuersitas erat assignanda, ne in eodem morbo diuersæ ac variæ esseot desumendæ indicationes curatiuæ, cuius diuersitatis rationem habens Hippocrates, ideo de cerebri inflammatiooe agens, de ea sub diuerso titulo, tanquam de re diuersa in diuersis egit locis. Nam cum hæc inflammatio & extensiue & inteosiue modo maior, modo minor esse queat: extensiue quidem, cum modo à cerebri in-

timiotibus partibus vsque ad membranam exteriorem, & ad os vsq; se extendat, modo autem solum has, aut illas, aut medias occupet partes: intensiue autem, cum modo magis feruida, modo minus, modo à maiori sanguinis copia, modo à minori, modo à benigniorib. modo à deterioribus causetur succis, hinc etiā factū est, vt diuersas morborum species inueheret, quas ostendens Hip. de his sub diuersis egit capitib. non tantum in præcedenti libro, sed in hoc quoq; modo hanc inflammationē simpliciter appellans, modo sphacelismum eam dicens, modo alio nomine eandem vocans. Nam quæ non intimas partes, nec ventriculos interiores apprehendit, nec in omnimodum consensum mēbranas ducit, simplici nomine inflammationis eā, de qua in præsenti agit, appellat, quæ vbi hoc nomine etiam existat digna, nec admodum feruida erit, nec ab insigni aut copia, aut prauitate sanguinis causabitur. Quæ vero omnes cerebri partes, & potissimum profundiores, ac vētriculis ipsis circumstantes occupauerit, & ab insigni copia sanguinis, aut prauitate causata fuerit, quoniam hinc cerebrum in periculum corruptionis deducitur, hæc ab Hip. nō inflammatio simpliciter, sed sphacelismus appellatur. Quod idem obseruans in aliis eiusdem casibus, vt in Comment. lib. secundi notatum est, etiam similem morborum distinctionē fecit. Quæ notasse volui, vt his præmissis noscant iuniores per cerebri inflammationem hoc in loco non omnes eius inflammatorios affectus intelligendos esse, sed eos tantum, qui leuiores, & qui non occupent partes interiores, sed solum exteriores, non tamen mēbranas, quia hinc phrenesis, illinc sphacelus cū detentione omnium principum facultatum succederet. De hac autem inflammatione nunc loquens Hip. inquit, ad eam subsequi cerebri tumorem, capitis dolorem totū caput, sed pcipue tempora occupantē, aurium sonitū, auditus hebetudinem, venarum extensionem, arteriarū pulsationem, febrē, & quādoq; horrorē, hoc pcipue de dolore monēs, q nunq; desinit, licet quandoq; aut magis, aut minus affligat, quodq; vi doloris, vbi premat, vociferetur patiens, ac è lecto exiliat, ad lectūq; vbi insurrexerit, quoniam vires animales hinc languent, regredi festinet, in quo postea anxius se iactet. Quorū symptomatum quæ sint causæ, nunc non disseram, cum horū omnium rationem in præcedenti libro, plurib. in locis, pcipue autē tex. 28. explanauerim, hoc vnum tamen animaduertens, sc. vt huius inflāmationis delirium subsequi, quod ab Hip. si non sit prætermissum, sub illa voce vociferatur, intelligēdum erit, quæ tamen vociferatio est quid distinctū à delirio, cum vociferantes etiam possint cōscia mente clamare. Quæ vociferatio est quid adeo proprium huic morbo, vt experientia testante in isto casu actiones has & vociferandi, & exiliendi, & ad decubitum festinandi, & se iactandi ab Hip. descriptas concomitari perpetuo patientem viderim, vt sit mirū, quomodo Hipp. tam distinctè hæc vero consona apposuerit, ac enarrauerit. Qui sicuti hæc symptomata nō falso aut ficte, ita etiam pari ratione nec inane, aut vanum huius morbi explicauit prognosticum, dicens, hunc morbum esse quidem lethalem, non tamen certum quoad dies habere indiciū, cum nō omnib. mortis idem statutus sit dies. Nam alii citius, alii tardius pereunt: qui citius in septima, qui tardius vltra septimā moriuntur, & q vltra septimam viuūt, si nec signa lethalia admista, nec vires imbecilles habeant, saluari possunt, dum vigesimā diem, quæ est critica, superauerint, & vigesimā primam, vbi vigesimū termini ū effugerint. Nam declinante morbo ad hoc tempus deueniēt, eiusdemq; solutionem integre recipient. Huius autem varietatis indicii causa est diuersitas inflāmationis, quæ cū in omnib. non sit eadem, causa est varietatis: nam in aliis est feruidior, in aliis minus, in aliis à benigniori fit sanguine, in aliis à prauiori.

3 *Quum itaq; dolor vexarit, frigefacere caput oportet, maxime per rasuram quidem, aut frigefactorio aliquo, velut est solani succus, & terra figularis, in vesicam aut folliculum immisso, ita vicissim modo apponas, modo auferas, priusquam tepescant. Sed & sanguinem detrahere oportet, & caput purgare ad apii succos odoratis admixtis: à vino autem in toto abstinere: ptisanæ succum sorbere, & inferā aluū soluere.*

HIPPOCRATES hanc cerebri inflammationē curaturus, has sibi indicationes proponit, videl. quoniā hic morbus fit per fluxum materiæ calidæ cerebrū occupātis, vt fluentē materiam retrahat, & quæ fluere posset, reuellat, fluxam vero primo repercutiat, & eā repercutiendo eandē tēperet, secundo, vt q penitus sit ablata, per propriā purgationem euacuet. Hinc ad retrahendā materiam fluentē sanguinis missionē instituit, ad reuellendā eam, quę fluere posset, pharmacū purgans exhibet, ad repercussionem & contemperamentum materiæ fluentis, per q inflammatio remitti poterit, de raso capite medicamenta actu & potentia refrigerantia, qualia sunt solani succus, aut terra figulina per aquā dissoluta, & in vesicā aut folliculū immissa, apponit, hac seruata ratione, vt vno apposito aliud subinde anteq tepefeat, admoueatur, quo feruor inflammationis ex actu refrigerantib. retundatur, & fluxus reprimatur, & calor materiæ peccātis retundatur. Quib. actis pro resolutione materię fixæ ad discutientia deueniendum erit, tum vt es insensibilitet dissoluatur, tum etiam vt paretur euacuationi, quæ per errhina vt residuum sensibiliter euacuetur, administranda erit. Errhinum autem ex succo apii, admixtis reb. odoratis refrigerantibus, quales sunt rosæ, sandali, citri succus, aliaq; his similia probat, & ne ex praua victus ratione morbus inualescat, vinum interdicit, & solum ptisanæ succum propinat, ita enim tenuiter alendo corpus vniuersum refrigerabit.

Cerebri repletio dolorosa.

4 *Quum doluerit caput præ cerebri repletione, vitiosorum humorum purgationem non factam esse significat, & dolores totum caput tenent, & delirat, & moritur septima die, & euadere non poterit, si non eruperit humor septima die*

die per aures. Sic enim & dolor sedatur & resipiscit. Effluit autem multus, & inodorus.

HIc capitis affectus est similis ei, de quo in superiori libro actum est text. 24. & 25. ꝓcedens ex cacochymia vitiosorum humorum cerebri anfractus, & vasa occupantium ac obturantium. Qui cum meatus cerebri oppilant, & inde vi obstructionum ab eis inditatum, supercalescant & putrescant, febrem, dolorem, & delirium pariunt. Febrem quidem ratione putredinis, dolorem ratione repletionis & abundantiæ, delirium autem ratione intemperiei calidæ, quæ cerebrum labefactans eius facultates lædit. Cum tanta autem vitiosorum humorum copia stante febre, dolore, & delirio, cui dubium, factum esse morbum grauem & periculosum? Nam affecto cerebro, quod est vnum ex principalissimis totius corporis membris, ex passione inflammationi perquam simillima, quā concomitatur febris, dolor vehemens, & delirium, habemus morbū lethalem, & qui ratione vehementiæ in prima septimana sæpius ægrotantem interimere consueuerit, nisi fiat per aures, adde & per aures humoris peccantis eruptio. Qui humor si fuerit multus, & inodorus, multus quidem, vt repletionem tollat, inodorus autem, ne aliquam malam corruptionem aut putredinem intus conceptam attestetur, salutem prænuncians & dolorem minuet, & delirium tollet. Et hoc præcipue si aliquam laudabilem coctionem consequutus, in ichorem probum, aut pus commodaens mutatus fuerit. Huius autem oppositū significabit, si sit crudior, quoniam naturā materiæ nequaquam dominari enunciabit, si paucior existat, quoniam plenitudinem tollere non poterit, & si prauum aliquem, & tetrū odorem habeat, quoniam partes internas praua corruptione ac putredine detentas esse indicabit.

5 *Huius aures, priusquam pus erupisse videris, potius ne curato: si vero supernam, ac infernam aluum purgare voles, seorsum vtramq; soluito. Postea capiti maxime quidem vniuerso, sed & per aures, & per nares fomentum adhibeto. Sorbeat autem ptisanæ succum, & à vino abstineat in totum. Postq; vero eruperit pus, continenter te, donec multa fluxio sedetur, postea autem colluito vino dulci, aut lacte muliebri, aut oleo veteri, atq; hæc tepida infundantur. Caput vero frequenter mollibus ac odoratis fomentis foueto, quo citius cerebrum purgetur. Hic primum quidem nō audit, progressu vero temporis, & fluxio minor fit, & auditus vna cum fluxione penitus quiescente contigit, & maxime sibiipsi similis redit. Cauere autem oportet solem, ventos, ignem, fumum, acrium odores, & alia huiusmodi, & quiescere, ac molli victus ratione vti. Sit autem aluus inferna præ vasorum vacuatione solutu facilis.*

CVm morbus hic à materiæ copia cerebrum replente & grauante pendeat, ideo Hippocr. huic intentus eam tum imminuere, tum concoquere tentat. Ad imminuendam eam instituit euacuationem per pharmacum, in quo vnum monet, vt si sursum & deorsum sit euacuanda, non vnico medicamento, quod ad vtrasque has euacuationes sit habile, nec vnica vice, ne duo motus contrarii eodem tempore procurentur, sed seorsum ac separatim hoc fiat, nimirum duobus diuersis, quæ & diuersarum sint facultatum, & in diuersis exhibeantur diebus. Ad concoquendam autem materiam instituit capiti vniuerso, & naribus, & auribus fomenta concoquentia, ac temperata vi prædita admouenda esse, eoq; tempore solum ptisanæ succū sorbendum, & à vino penitus abstinendum esse iubet. Procurata autē per prædicta, tum imminutione, tum cōcoctione materiæ peccantis, si erumpat pus, & hoc ꝑcipue ad nares, quousq; fluxio copiose erūpat, à fomentis intermittendū erit, ne his ad aures admotis non amplius concoctio, sed putredo vel humiditatis ex fomētis inductę ꝓcuretur. Ad quas aures à principio etiā prohibet anteq̄ pus erūpat, nihil peculiare admouendum esse, nō vt nihil circa eas administretur, sed vt circa eas solūmodo q̄d nō adhibeatur, cū in ꝓcuranda coctione nō solis auribus, sed & naribus, & vniuerso capiti fomenta sint admouēda. Per quæ vbi procurata fuerit cōctio, & vbi ꝓcurata coctione fuerit facta eruptio, & vbi ꝑ eruptionem copiosa fiat euacuatio, tunc monet ad leniendū, abstergendū, & exsiccandū aures aut lacte, aut vino dulci, aut oleo veteri omnib. tepidis, colluendas esse, ex quib. lac magis lenire q̄ abstergere, vinū abstergere, siccare, & parce lenire, oleū autē antiquū admodū siccare, parce linire, & minimū abstergere poterit. Quod si pus, aut ichor ex auribus fluens parce erumpat, nec purgationi debitæ sufficiat, mollibus ac odoratis fomētis residui materiæ coctio ꝓcuranda erit; nam his adhibitis, citius & facilius cerebrum ab nocua materia purgabitur. Quo casu sensus auditus, q̄ ex morbi violentia labefactabatur, in pristinum statū restituitur. Nam fluxione cessante, indeq; purgatis acribus, sensoriū auditus immune ab omni læsione vindicatur. Dum a. hæc curatio tentatur, caueant patientes omnia q̄ caput replere, calefacere, mordicare, & materiā intus existentē agitare possint, qualia sunt solis radii, vēti, ignis, fumus, odores acres, vociferationes, strepitus, fragores, aliaq; his similia, & interim molli, id est, tenui, ac humida victus ratione vtātur, aluumq; lubricā, ac solutu facilē, adstricta n. aluus in capitis passionib. semp mala est, seruēt. Ex quib. quidē sperat Hipp. in cōualitutis sanitatē conseq posse, attamē si his, & venę sectio & multa reuulsionū genera, q̄ in hisce casib. nunq̄ pretermittēda sunt, superaddātur, perfectiorē hui⁹ morbi curationē habebimus.

Syderati.

6 *Qui icti ac syderati esse dicuntur, quum cerebrum multa immunditia vitiosorū humorum repletū fuerit, anterior capitis pars primū dolorem ipsis exhibet, & suspicere nō possunt, aliqui ambob. oculis, aliqui altero, & sopor ipsos tenet, & desipiūt, & tēpora saliūt, & febris tenuis habet, & cor-*

& corporis impotentia. Hic tertia aut quinta die moritur, & ad septem non deuenit. Si vero deuenit, à morbo liber euadit.

DE hac eadem ſyderatione, quam apoplexiam non exquiſitã eſſe docui, bis in ſuperiori actũ eſt libro, ſcilicet text. 13. quo loci eius cauſas, differentias, & ſymptomata declaraui, & text. 46. & 47. vbi repetitis eius ſignis ac accidentibus, curationẽ adminiſtrandam explicaui. Quare nõ eſt, quod huius hoc in loco iteratam faciam mentionem, cum abunde, quæ ad hunc pertinent morbum, illis in locis explicata ſint, & hoc præcipue cum de eo ad literam hic repetantur eadem fere, quę de ſymptomatibus, & ſignis ſuperiori libro ſcripta ſunt. Nam in duobus eſt ſola variatio, etenim quod de imminutione ibi dictũ eſt, hic omittitur, & quod hic ponitur de deſipientia, illic ſub ſilentio prætetitur. At forſan ſub corporis impotentia hic etiam imminutionem facultatum audit, & ibi ſub ſopore deſipientia intelligitur. Soporati enim, vbi vi clamoris expergiſcantur, ſæpius delira & inconcinna verba proferunt, quam actionem potuit Hippo. hoc in loco deſipientiam appellare. Quo autem ad huius ſyderationis cauſas, quæ ab Hipp. in text. 13. & à me in cõmento enarratæ fuerunt, omnes has comprehendit Hipp. ſub nomine immunditię vitioſorum humorum cerebrum replentium. Immunditia enim penes Hippo. pro abundantia vitioſorum ſuccorum, quam proprio nomine cacochymiam vocamus, ſumitur, vt clare liquet lib. 6. Epid. ſect. 3. tex. p. & ex Gal. in com. Quæ cacochymia cum poſſit eſſe, & pituitæ & ſucci melancholici, pariter ab vtriſque, vt ſuperius notatum eſt, his ſuccis cauſari poterit hæc ſyderationis ſpecies. Quæ ſi non exquiſita exquiſita euaſerit, tertia aut quinta die ſolet perimere patientes, raro autem ad ſeptimam deuenit, quam tamen ſi attigerit, ſalutarem terminationem, vt quæ acutiem morbi pertranſierit, recipere poterit.

7 *Hunc ſi curare voles, capiti fomenta adhibeto, & ſectione facta tranſpirationem efficito. Si vero dolor tenuerit, etiam ſternutationes inducere oportet, & caput purgare leuibus ac odoratis, infernam item aluum purgare. A vino autem penitus abſtineat, & ptiſanæ ſucco vtatur.*

HVIVS morbi curatio eadem hic & in ſuperiori libr. text. 47. traditur, in his tribus conſiſtens, ſcilicet in materiæ coctione, & eiuſdem per errhina euacuatione, ac in ſyncipitis ſectione. Quę omnia, qua ratione adminiſtranda veniant, in præcedentis libri commentario declaratum eſt. His tamen nunc addit, quod corpus per medicamentum purgans euacuetur. Quæ euacuatio per pharmacum ſicuti eſt conuenienti ratione addita, pari etiam venæ ſectio, quæ in hoc caſu neceſſaria eſt, fuit prætermiſſa.

Cerebri corruptio.

8 *Si cerebrum corruptum fuerit, dolor caput tenet, & per collum procedit ad ſpinam, & æger non audit, & frigus ad caput deuenit, & totus intumeſcit, & de repente priuatur voce, & ex naribus ſanguis fluit, & liuidus fit. Quod ſi morbus leniter corripiat, vbi ſanguis diſceſſit, melius habet. Si vero vehementer correptus fuerit, cito perit.*

CORRVPTIONIS cerebri duplicem ſtatuebã eſſe differentiam, dum de ea in præcedenti libro variis in locis agerem. Nãm aliũ ſphaceliſmum incipientem, & nõ exquiſitum, alium progreſſum & factum eſſe dicebam, aliumque externas capitis partes, alium internas ac intimas cerebri occupare monebam. In incipiente dolorum ſimiliumque ſymptomatũ adeſt ſenſatio, in facto autem omnium ſenſuum eſt interceptio, & ſolus motus ſeruatur. In interno vel integre ſphacelatur cerebrum, vel quã proxime ſphacelo accedit, cum in illo mors & corruptio, in iſto mortis & corruptionis periculum immineat. In externo autem capitis partes exteriores hunc ſphaceliſmum vel vſque ad oſſa, quĩ eſt vetus ſphacelus, corripit, vel tantum partes carnoſas attingit. Stante autem hac multiplici differentia, ſciendum eſt Hippocr. hic loqui de interno ſphacelo primo quidẽ incipiente, ſed etiam poſtmodum progrediente, & facto. Incipiens enim tunc eſt, cum irruens ſanguis in cerebrum inflammationem ingentem in eo parit. Quam inflammationẽ inchoantem vehemens capitis dolor, à capite poſtmodum ad ſpinam procedens, comitatur. Et æger conturbatis ſenſibus non audit, id eſt, nihil intelligit, tunc inflammatione in ſphacelum progrediente. Quo caſu cum morbi non amplius fiendi, ſed facti rationẽ habeat, omnes deperduntur ſenſus, quod per repentinam vocis priuationem, vt ſui moris eſt, ſignificare voluit, & ad caput frigus, quoniam corpora ſphacelum, & corruptionem ineuntia, innato calore hinc ad extinctionem properante, refrigerantur, deuenit, id eſt, caput, quod per inflammationem feruebat, ſphaceliſmo ſuperueniente refrigeratur, & totus patiens tumeſcit. Nam ex huiuſcemodi violentis ac præſocantibus morbis natura vi immodica irritata ſolet extra vaſa in corporis cauitates, ac meatus patentes ſuccos, & ichores plurimos, ex quo totum tumeſcit corpus, eructare. Ex qua eadem irritatione apertis narium vaſibus ſolet quandoque ſanguis è naribus fluere, & quandoque etiam ex apertis internis vaſibus aut vomitu, aut per ſeceſſum ſanguis erumpit. Hinc autem ſuccumbente natura, & calore innato ad interitum properante, corpus neceſſario liuidum euadit; nam hinc vitalibus ſpiritibus pereuntibus, viuidus corporis color deperditur. Quæ ſigna licet lethalia exiſtant, attamen quoniam non omnia in puncto conſiſtunt, & in pluribus rebus datur magis & minus, non erit negandum, quin cum his ſignis nonnunquam etiam hic morbus leuius patientem affligat. Quam leuitatem ac remiſſionem

sionem attestabitur sanguinis è naribus eruptio, quæ si fuerit copiosa, non modo morbum esse leniorem enonciabit, verum etiam futuram salutem significabit, si vero parcior sit sanguis, & potius stillans, quam fluens, & potius niger, quã rubeus, & morbum esse grauissimum, & mortem esse in ꝓpinquo designabit. Quod idem denuntiabit, vbi nulla sanguinis eruptio adsit, & cæterorum symptomatum syndrome intensior existat.

9 *Huic sternutationes per odorata inducito, & aluum vtramque, aut alteram saltem purgato, & odorata, quæ leues odores habent, naribus admoueto, & sorbitionem tenuem ac tepidam exhibeto. Abstineat autem à vino.*

HIc morbus, qua ratione, & qua methodo curandus sit, clare docui, dum de particularibus affectibus tractarem, ad quem locum authorem relegans, & literam Hipp. exponens, moneo hanc curandi rationem ad hæc duo spectare, alterum, quod materiam imminuat, quod pharmacis sursum & deorsum ducentibus, vel altero tantum, scilicet, vel quod solum deorsum, vel solum sursum purget, omnia sanguinis missione, quæ in hoc casu omnibus præsidiis præferatur, euacuet, alterum, vt cerebrum tum sternutationibus excitet, tum rebus odoratis, quę leues odores, qualem habent rosæ, sandali, camphora, non graues, quales habent moschus, ambra, xibeth, aromata, possideant, refrigeret. Interim victu exhibita sorbitione tenui, qualis est succus ptisanæ colatus, ac tepida, vt hinc habitus magis laxetur, vinoq; cuiuscunq; generis penitus interdicto, vtatur. Quæ curandi ratio nõ omni conuenit tempore, sed eo tantũ, in quo morbus aut incipit, aut soluitur, cum enim est in vigore, nulla cibandi occasio, vt alias declaraui, datur.

Lethargus.

10 *Morbi lethargi appellati status idem est, qui & peripneumoniæ, verum difficilior, & non omnino liber, ac remotus est ab humida peripneumonia. Sed multo tardior est morbus. Patitur autem æger hæc. Tussis & sopor ipsum tenet, & saliuam liquidam, ac multam educit, & vehementer impotens est, & cum moriturus est, multum atque liquidum infra egerit.*

LETHARGI similitudinem ad peripneumoniam declarabat Gal. lib. 4. de causis pulsuũ, cum pulsus vtrorũq; differentias, & rationes redderet, docens, vtrosque hos morbos à simili pendere materia, cum peripneumonia à sanguine pituitosiore ac crassiore, lethargus autem à pituitoso humore generetur, & membra in his morbis patientia in eo similia esse, quod vtraque sint mollia, & laxa. Quare non mirum est, si nunc Hipp. asserat, lethargi & peripneumoniæ eundem esse statum. Qui tamen morbi, stante prędicta similitudine, in hoc ab inuicem differunt, quod lethargus est difficilior, & tardior peripneumonia. Difficilior quidem, quoniam in lethargo membrum patiens est principale, scilicet cerebrum, & est frigidum, cuius frigiditatis ratione ineptum resolutioni materiæ est. In peripneumonia autem est membrum non principale, sed principali inseruiens, videlicet pulmo, qui sui natura est calidus, cum sanguine biliosiore nutriatur, & ideo ad resoluendam materiam aptior. Tardior autem est, quoniam in lethargo membrum patiens est frigidioris temperiei, cum sit exangue, & in eo materia frigidior peccat, cum sit humor simpliciter pituitosus, quæ duo faciunt ad protogandum morbum. In peripneumonia autẽ membrum patiens est calidius, cum sit sanguineũ, & sanguine biliosо nutriatur, & in ea materia calidior peccat, cum non humor simpliciter pituitosus, sed sanguis pituitosior existat, quæ duo morbos reddunt breuiores. Qua de re est quidem certa similitudo ratione materiæ & membri, cuius merito lethargus non differt ab humida, id est, pituitosa peripneumonia, hanc enim humidam dicit ad differentiam erysipelatis pulmonis, quæ est affectio sicca, sed est & certa dissimilitudo ratione eorundem, cuius gratia lethargus est peripneumonia difficilior ac tardior. De quo lethargo nunc agens Hipp. eadem fere ad verbum repetit, quæ de eo dicta sunt in præcedenti libro, hac habita varietate, vt quæ de delirio ibi apponebantur, hoc in loco omittantur, & quæ de excrementis male olentibus ibi simpliciter dicuntur, hoc cum limitatione de morituris exprimantur. Sed forsan ibi de lethargo cum putredine, hic de eo, qui est sine putredine agit, & ideo in illo excrementa non tantum in morituris, verũ etiam in toto morbo possunt esse male olentia, in isto autem non male olent, nisi cum morbus in pernitiem ægrotantium tunc deuicta natura progreditur. Et sunt multa ac liquida, quoniam potius ex debilitate virtutis contentricis procedunt, quam quod excernantur vi facultatis expultricis, quæ concoctam materiam excernat. Tenuitas enim, & liquiditas materiam crudam attestatur, cum omnia concocta per concoctionem crassa euadant. Quo casu vitæ spes exigua est, cum nõ tantum cerebrum, sed & reliquum corpus male habere enuntietur.

11 *Huic valde exigua vitæ spes est, attamen hoc curandum est, vt plurimum spuat, & calefiat, & à vino abstineat. Si vero effugerit, suppuratus fit.*

LETHARGI methodica curatio habeatur à medicinam cõmuniter facientibus, quę enim nunc ab Hipp. proponitur, est satis rudis & inculta, cum respiciat solum materiã fixam, prout, quoniam est frigida, calefieri, prout est in loco affecto cõculcata, euacuari debet. Hic iubet ꝑ euacuationẽ sputũ prouocandũ esse, nam ꝑ gargarismata materia in cerebro fixa educi potest, & ꝑ cõcoctione & alteratione calefaciendũ esse tum ꝑ exterius admota, tum per interius exhibita præsidia. Quę licet calefacere possint, nõ tamen caput replere, & ma-

teriam sursum ducere, sicuti vinum, si exhibeatur, operaretur, quia ab eo (quod tamen inepte in secundo libro concedebat) abstinendum monet. His factis sperat Hipp. morbum superari, qui tamen si dicta ratione non superetur, æger autem dies criticos euadat, in suppurationem vetti solet. De qua suppuratione cum in primo libro text. 3. com. primo egerim, non est quod nunc de ea iterum verba faciam.

Morbus, siue febris ardens.

11 *In morbo febre ardenti appellato sitis tenet multa, & lingua horret. At color eius primo quidem tempore est veluti solet, verum valde sicca est, progressu vero temporis induratur, exasperatur, crassescit, ac nigrescit. Si vero in principio hac patiantur, citiores indicationes fiunt, si posterius, tardiores. Caeterum remissionis eadem omnia signa lingua exhibet, qua in peripneumonia, & vrina biliosa, aut cruenta dolorem ampliorem; flaua vero minorem significant, & sputum pra caliditate ac siccitate combustum ac crassum est. Sape vero etiam in peripneumoniam transit, quod si contigerit, breui moritur.*

CVM in commentario tum primi, tum secundi libri abunde, quę ad differentias, causas, & notiones febris ardentis pertinent, sint declarata, ea vti clara suppono, & ad literam Hipp. deuenio, qui signa huiusce febris pathognomica (quæ duo sunt, scilicet æstus vehemens, & sitis continua, ac immoderate) declaraturus, alterum per nomen febris (cum καυσώδης nil aliud importet, quam febrem cum æstu ac ardore ingenti) insinuat, alterum per proprium nomen, ac per propria inde insequentia symptomata explicat, dicens, sitis tenet multa, & lingua horret, id est, sitis, quæ est multa tum ratione intensionis, cum sit sitis fere inexhausta, tum ratione extensionis, cum perpetuo ipsam febrem comitetur, supcruenit. Ex qua siti lingua horret, id est, quoniam siccatur, rigida euadit, horror enim hoc in loco non refrigerationem, sed rigiditatem denotat. Lingua autem ita ob siccationem rigens, prout febris est aut in principio, aut in augmento, aut in statu, & prout maior vel minor est ardor, ac incendium partes internas vrens, ita etiam & in colore, & in propria substantia varias subit mutationes. Nam à principio, in quo minor æstus existit, (cum circa principia omnia, vt habemus libro 2. Aph. 30. sint imbecilliora,) lingua proprium seruat colorem, & solum sicca & rigida est, in incremento vero augescente incendio, magis inde siccata durescit. Quod incendium si adhuc magis inualescat, sicuti in vltima augmenti parte, & in statu ipso esse consueuit, inde absumpta fere omni linguæ humiditate, exasperatur, & vbi exasperata fuerit, ex maiori eriā, qualis solet esse in statu ipso, æstu, vt terrę sub feruenti solis in canicularibus diebus æstu accidit, finditur, & crassescit, contracta in minori mole tum longitudine, tum latitudine. Et tandem vbi summum sit incendium, nigrescit, exustionem internam significans, etenim omnia exusta in nigrum vergunt colorem. Quę linguæ symptomata, scilicet, duricies, exasperatio, crassicies, & nigredo, inquit Hipp. si à principio morbi appareant, citiores iudicationes; si autem posterius, tardiores significant. Ratio est, quoniam vbi morbus peracutus est, statim vt habetur libro 1. Apho. 7. extremos habet labores. Quare si febris ardens futura sit peracuta, & breui sit terminanda, cito percurrens augmentum ad statum properabit, & inde ardoris & incendii indicia, qualia ex linguæ dispositionibus narrata sunt, à principio morbi apparebunt. Si autem futura sit longior, quoniam hæc tardiori motu mouebitur, ideo etiam augescentis incendii notæ tardius apparebūt. Quare lingua nō ita à principio aut indurabitur, aut exasperabitur, aut crassescet, aut nigrescet, sed posterius, hinc morbi prorogationem prænuntians. Quæ eadem linguæ accidentia, sicuti cum augentur, & cito fiunt, morbum augeri, & exacerbari significant, ita etiam cum remittuntur, morbi remissionem denuntiāt. Nam si ex nigra rubra, si ex crassa tenuis, si ex aspera lenis, si ex dura mollis euadat, morbum & ardorem febris remitti arguit. Quod signum non tantum in ardenti febre, verum in peripneumonia pleuritide, hepatitide, aliisque internorum viscerum inflammationibus quoque verificatur. His duobus propriis febrium ardentium explicatis signis, transit Hipp. ad alia illas consequentia signa, ex quibus lotii qualitatem, & differentiam exponit. Nam cum in febre ardenti putredo sit in humorum ad intra venas existentium massa, ex necessitate pro ratione & qualitate humorum peccantium, & pro ratione & qualitate caloris vrentis lotium immutabitur, hac habita circumstantia, vt vbi humores sint deteriores, & magis torreantur, intensior sit color, vbi autem humores sint benigniores, & minus torreantur, remissus sit, & magis ad naturalem vergat color. Vnde cum biliosæ, id est, croceæ, aut cruentæ fuerint vrinæ, morbum esse sæuiorem arguunt, vbi autem flauæ (flauities enim est remissio crocei, & cum flauitie stat substātia lotii mediocris, quæ crassior omnino est in biliosis & cruentis) morbum benigniorem, & minus laboriosum indicabunt. Quoniam autem licet multa sit siccitas, & sitis in hac febre, tamen quandoque vel ex spiritualibus partibus residat, vel ex cerebro descendit materia per sputum reiicienda, hoc tanquam febris ardentis alterum signum non proprium, sed consequens assignans, inquit, quod tale sputum in casu isto præ siccitate, & caliditate combustum, & crassum apparet. Nam ex nimio ardore torretur, & tale, quale descriptum est, euadit, sicuti etiam ex eadem causa solent fieri circa dentes lentores, exusta ab ingenti calore pituita. Cuius merito dicebat Hipp. lib. 4. Aphor. 53. Quibus circa dentes in febribus quidam lentores nascuntur, iis fortes fiunt febres. His explicatis, duo de febre ardenti monet, alterum, quod quandoq; in peripneumoniam transit, ac permutatur, alterum, quod facta tali permutatione breui pereunt

pati-

patientes, sed quo ad permutationem, alias declarani qua ratione, & quomodo hæc fiat. Quo autem ad mortis periculum, doceui omnes morbotū acutorum in acutos permutatiooes esse lethales, paucosque ægrotantes ex hisce euadere, cum ob debilitaté virium ex priori morbo caosatam, altero superueniente morbo plurimi succumbant.

13 *Hunc autem hoc modo curare oportet, calida bis, aut ter singulis diebus, lauato, capite excepto. At in iudicationibus lauare non oportet. Et primis quidem diebus deorsum purgato, & aquam bibendam dato; nam plerunque vomitum aqua ciere solet. Posterioribus vero post purgationem humectato, & sorbitionibus vtatur, ac vinis dulcibus. Quod si non ab initio agrum curandum susceperis, sed signis iam in lingua existentibus, sinere oportet, donec iudicationes praterierint, & lingua signa mitiora facta fuerint, & neque medicamentum dederis, neque ad purgationē faciendam clysterem adhibueris, priusquam iudicationes pratereant.*

HIPPOCRATES febrem ardentem curaturus duos sibi proponit scopos, alterum, vt materiam peccantem euacuet, alterum vt tum per ioterius exhibita, tum per exterius admota corpus refrigeret. Quo autem ad primum scopom, tria dat documenta, quorum primum est, vt euacuatio fiat per medicamentum deorsum purgans, per quod sursum purgantia pharmaca excluduntur: secundum vt à principio morbi talis fiat euacuatio, si curandus à principio morbi se offerat patiens, cum eiusdem Hipp. præcepto lib. 2. Aph. 29. moneri deceat ea, quæ mouenda sunt, dum morbi inchoant: tertium, vt si à priocipio oon suscipiatur curatio, non procuretur talis euacuatio, donec signa linguę exposita, quæ augmentum ant statum febris arguunt, permaneant, & quousque iudicationis tempora oon præterierint. Illis autem mitioribus factis, ex quo morbum declinare cognoscimus, & iudicationis tempus, quod est in statn elapso, tuoc medicamenti deorsum purgantis erit, (quoniam tunc concocta erit materia) occasio. Quæ cum non sit cōcocta oec in augmento, nec in statu, quo tempore linguæ symptomata permanent, oec etiam pharmaco erit conturbanda, aut mouenda, sicut nec per clysterem purgatiuum tunc temporis est etiam exagitanda, qooniam si eruda commoueatur, maiorum malorum erit causa. Et hæc de primo scopo. Quo aotem ad secundum per interius exhibet aquam frigidam, tum quoniam hinc refrigerationem affectat, tum quooiam hinc bilio æ materiæ, quæ ad os ventriculi sæpius recurrere solet, reiectionem speret. Exterius autem balneum administrandum esse instituit, corporis refrigerationi, & humectatiooi attendens. Nam balneum, vbi corpus expurgatum fuerit, satis aptum est incendium febris ac vehementiam sitis remittere. Vnde ab Hipp. licet minus quam in peripneumonia balneum lib. 3. reg. acut. text. 58. lauare testetur, attamen in febre etiam ardenti commendatur, & præcipue conueniens erit, vbi corpus expurgatum fuerit. Quod attendens Hippo. inquit post purgationem humectato, id est, corpore per pharmacū purgato balneum admioistrabis. In quo hæc tria monet: primo vt pro maiori humectatione aut refrigeratione bis, & ter singulis diebus administretur: secundo vt totum corpus cap te excepto lauetur: tertio vt tempore iudicationis non administretur, ne forsan natura à proprio & tentato opere distrahatur. Peracto autem iudicationis tempore, & balneum conueniens erit, & sorbitiones, quæ ante statum ob acutiem morbi non præbentur, erunt propinandæ, & vinum dulce, cum hoc minus calefaciat, erit concedendum. Quæ curādi ratio, sicuti est rationabilis, ita maxime adnotanda, qnoniam in ea multa sont consideratiooe & animaduersione digna.

Pulmo tumens præ calore.

14 *Quum pulmo tumuerit pra nimio calore repletus, tussis tenet fortis & dura, & erecta ceruicis spiratio, & aceruatim respirat, & frequenter anhelat, & intumescit, & nares expandit velut equus ex cursu, & linguam frequenter exerit, & pectus semper ipsi ligari videtur, & grauitas in ipso inesse. Quapropter hanc capere pectus non potest, sed disrumpitur, & impotens fit, & dolor acutus emergit, & dorsum, & pectus, & latera velut acubus punguntur, & ardent ha partes velut eius, qui sedeat ad ignem, & rubores exoriuntur ad pectus, & dorsum velut à flamma, & morbus fortis incedit, & angustia, vt neq; stare, neq; sedere, neq; decumbere possit. Verum ita velut desperatis rebus anxius iactat se ipsum, & iam mori videtur. Moritur autem maxime quarta, aut septima die, quas si effugerit non valde perit.*

HVNC pulmonis tumorem, quem materia oō præ copia, aut crassitie, sed præ nimio calore cum inflante parit, oos proprio nomine erysipelas vocamus, qood à peripoeumonia ratione materiæ, ratione loci affecti, ratiooe causarom, & ratione terminationis diuersum existeos, ea incendium magnum, & omnia symptomata vehementiora habet. Hinc patientem tussis tenet fortis & dura, fortis quidem ratione vehementiæ, dura autem ratione frequentiæ, & orthopnæa, oam decumbere nequeuntes, insurgere ac recta sp rate, ne in suffocationis ducantur periculum, coguntur. Et aceruatim respirat, & frequenter, id est, respiratio est velox, ac freqnens. Nam summum incendium celerrimam & creberrimam requirit anhelationem, per quam & refrigerationem, & fuliginosorum excre-

excrementorum expulsionem celerem, ac crebrã recipiat, & intumescit, & nares expãdit velut equus à cursu. Intumescit quidem ore ad expulsanda illa fuliginosa excrementa, dum bucca & genæ cum quodam strepitu inflantur, expandit autem nares vti equus à cursu, quoniam præ summo ardore cogitur omnia superiora instrumenta etiam quam minima veluti nares in explosione spiritus dilatare, cum consueta ad hanc exsufflationem nõ sufficiant. Et linguam frequenter exerit, vti canes vi caloris exercent, ita enim patiens maius refrigerium sibi petere conatur. Et cum ex tumore pulmonis angustiatur, admodum hinc pectus ligari, ac si vinculo externo violenter cingeretur, sibi videtur, & ex tali angustia premente thorace pulmonem insurgit dolor, qui est grauatiuus, cum pulmo omni sensatione careat, solaque ligamenta ad eius effectum consentient. Quem dolorem grauatiuum vix tolerat thorax, cum videatur non posse pulmonem capere, sed disruptionis ex tumoris violentia sensum præbet, et impotens ad proprias obeundas functiones redditur. Quo casu dolor acutus, id est, vehemens emergit, & dorsum, & pectus, & latera in iis partibus, quibus alligatur pulmo, ratione mẽbranarum cõpatientium punctionis sensum percipiunt. Quæ eędem partes, vti magis sensitiuæ, internum incendium sentientes ardent, velut eius, qui ad ignem sedeat, & rubent veluti partes à flamma calefactæ, quo casu morsus fortis incidit, & angustia. Morsus quidem, quoniam ligamenta pulmonis, quæ sunt membranosa, patiuntur, & dolorem partibus, quibus alligantur, communicãt. Angustia autem non tantum ratione tumoris, verum etiam ratione immensi ardoris, ex quo adeo in spiritu angustiantur, vt nullum habentes quietis aut locum, aut tempus, nec stare, nec sedere, nec decũbere possint. Verum in tanta hac difficultate persistẽtes, veluti qui in dispertis rebus anxii existunt, nullam vitæ fiduciam habent, & sibiipsi mori videntur. Hæc sunt huius sæuissimi morbi symptomata ab Hippocrate narrata, quæ sub his capitibus rediguntur, tussis vehemens & crebra, orthopnœa, respiratio velox, & frequens, anhelatio cum oris & buccarum inflatione, ac narium expansione, linguæ ad extra prolatio, pectoris angustia, & grauatiuus dolor, sensus ac si pulmo intra pectus contineri nequeat, pectoris impotentia, in dorso, pectore, & lateribus punctionis sensus, ardor, ac rubor, ingens respirandi angustia, & in summa inquietudo, ac desperatio maxima. Quæ symptomata sunt adeo sæua, ac verende, vt non sit mirum, si iste morbus sit lethalis, & si in primo quartanario vt plurimum patientes perimere consueuerit, raro autem septimem (& hoc solum in robustioribus subiectis) attingat. Quam si superauerit, non ita interficit, sed salubriter, si omnia conuenienter administrentur, solui poterit.

15 *Hunc si cures, infernam aluum quam citissime clystere adhibito, probe purgari oportet, & de cubitis, & naso, & lingua, ac de omni corporis parte sanguinem mittere. Potiones item frigefacientes exhibere, & sorbitiones idem præstantes danda sunt, & vrinam cientia sæpe, sed quæ non calefaciant. Et ad ipsos quidem dolores quum irruunt calefactoria lenia ac humida adhibendo, locum calefacere, ac humectare oportet, vbicunque dolor fuerit. Ad reliquas vero partes frigefactoria adhibere vicissim ea apponendo, ac tollendo, ut vbicunque arserit, frigus facere. A vino autem penitus abstinere.*

QVæ methodica curatio erysipelati pulmonis debeatur, in com. libr. 1. sect. 5. com. 59. abunde, & clare explicaui, curatiuas indicationes, & præsidia, quibus illis sit satisfaciendum explanãs, quæ vti manifesta supponens Hippo. in hac curandi ratione mentem & modum expono. Cum morbus hic summum pariat incendium, ex quo patiens in anhelitu angustiatus suffocari, & sibi mori videtur, hinc ad hæc duo respiciens Hipp. duos sibi proponit scopos, alterum, vt corporis vniuersum habitum euacuet ac laxet, alterum est, vt feruorem remittat, ac symptomata inde consequentia tollat. Pro primo iubet quam citissime (cum in acutis tardari malum sit) liuita per clysterẽ aluo sanguinis missionem faciendam esse, ex cubitis, & naso, & lingue, ac de omni corporis parte. Ex cubitis quidem tanquam ex parte, ex qua vniuersalis totius corporis euacuatio succedat, ex reliquis autem vel ex his, ex quibus particulares fiunt corporis euacuationes, per quas ab intimis partibus deriuationem, aut remissionem, aut saltem corporis laxationem habemus. Ex hoc maxime cum hæ cum internis compatiantur, sicuti in hoc affectu patet de lingua, quæ exeritur, de naso, qui in expiratione expanditur. Reliquæ autem partes possunt intelligi hæmorrhoides, saphenæ, & similes, per quas à partibus superioribus rationabiles fiunt remissiones. Nec mirum sit Hipp. ex tot locis sanguinem mittere, quoniam copiosam affectans missionem, nec eam ex vno loco faciens, ex multis partibus eam procurat, vt multitudine copiam consequatur, quę in huiuscemodi exitiali ac sæuo morbo, vbi vires constiterint, est adeo necessaria, vt nisi ex hoc præsidio remittatur morbus, exigua salutis spes relinquatur. Pro secundo autẽ scopo ad intra potiones frigefacientes, de quibus in fine huius libri agendum erit, ac sorbitiones, vbi tempus & morbus eas admittat, idem præstantes instituit, quo casu etiam diuretica non propria, vt quę calefaciant, sed impropria, vt quæ refrigerent, qualia sunt melonum semina, ac similia, vt materia morbum faciens ad vias vrinæ deriuetur, exhibenda esse monet. Ad extra autem medicamenta frigefacientia, quæ subinde mutari, & denuo apponi ne incalescant, debent, admouenda esse præcipit, prætterquam vbi dolores vrgeant. Quibus locis ad eos leniendos non frigide, sed anodyna, ac temperato calore prædita administranda veniunt, quæ non sicca, sed humida actu existant, cum in hoc morbo dolores ex bilis, quæ humectari, & attemperari debet.

bet, violentia, & intemperie censentur. Qualis autem haec esse debeant, non explicabo, cum in primo commentario sigillatim explanata sint, sicuti & quo ad rationem victus omnia distincte enarrata sunt. De qua hoc in loco Hippo. omnia summatim perstingens, post potionum & sorbitionum refrigerantium usum hoc solum monet, ut à vino abstineant, & hoc iure merito, cum in tanto incendio omne genus vini, quamuis aquosissimi, sit noxium.

Capitis dolor.

16 *Quum à capite initiò sumpto dolor acutus statim vocem intereceperit, tum alias, tum si ex ebrietate hoc contingat, ita affectus septima moritur die. Minus tamen moriuntur, qui ex ebrietate tale quid perpessi sunt, & voce priuati permanserunt. Nam si eadem die, aut postera, aut tertia vocem edant, sani euadunt. Faciunt autem hoc aliqui ex ebrietate, & neutri moriuntur.*

De hoc affectu in superiori libro bis actum est, primo quidem text. 10. & 11. secundo autem text. 38. & 40. Quibus in locis hunc esse apoplexiæ casum declarauimus, quem nunc Hippocrat. ab affectu præcedente non à symptomatibus, cum aut concomitantibus, aut succedentibus dolorem capitis appellat. Nam cum apoplexia fiat cerebro affecto, in eoque materia eius vasa opplente ac obstruente recepta, non potest non summus inuadere dolor, quem acutum non à forma, sed à vehementia nunc vocat. Ingens enim superueniit irruente materia dolor, qui tamen cito aboletur deperdita tum sensuum, tum principum facultatum virtute. Quam noxam per vocis interceptionem denotans Hippocrat. inquit hunc dolorem vocem statim intercipere, id est, hunc dolorem omnium sensuum tam exteriorum, quam interiorum detentionem immediate sequi. Huius autem doloris, ac vocis interceptionis causam duplicem, scilicet internam ab humoribus in corpore cumulatis, & externam ab ebrietate insinuans, addit, tum alias, tum si ex ebrietate hoc contingat. Qua autem ratione ab interna causa, & qua ab ebrietate succedat apoplexia, nunc non differo, cum hoc in superiori libro abunde explicauerim. Quo loci etiam declarani eorundem diuersitatem, tum in generationis modo, tum in terminationis & solutionis forma. De qua terminatione nunc loquens Hippocrat. notat horum morborum solutionem, vtplurimum esse ad mortem, quæ in septima contingere consueuit. Minus tamen ex hisce morbis periclitari, qui ex ebrietate syderantur, quam qui ex interna causa. Ratio est, quoniam ebrietas in plurimis ebriis est solubilis, apoplexia autem ex causa interna in plurimis est lethalis, pauci enim ex hac euadunt, sicuti & pauci ex ebrietate interimuntur. Etenim in quam plurimis ebrietas, vel eadem die, vel sequenti, vel postridie ad summum (nam tertia dies vltimus terminus, quo crapulæ soluuntur, existit) soluitur. Solutionis autem indicium manifestum est vocis recuperatio, sicuti & salutis. Quæ vocis recuperatio non tantum in ebriis, verù etiam in apoplecticis à causa interna est signum salutate. Quandocunque enim in his superueniat, morbum salubre àtguit, neutrique moriuntur, id est, nec ebrii, nec cæteri apoplectici recuperata voce pereunt. Vnde sicut aphonia dicitur ab Hippocrat. hic morbus à deperdita voce, ita pari ratione solutionem recipit, vbi in eo vox recuperetur.

17 *His sternutationes fortes inducere oportet, & infusum per clysterem iniicere, quod bilem vehementer ducat. Quod si sensum æger receperit, thapsiæ succum in multa calida aqua dato, quo quam citissime reuomat. Postea attenuato, & à vino prohibeto per septem dies. Detrahendus est & à lingua sanguis, si venam comprehendere possis.*

Pauci in hac curatione contentus Hippocrat. duo principalia intendit, alterum, vt patientem excitet, alterum vt materiam à capite reuellat. Pro primo sternutationes, quæ validis (cum leuia in tanta virtutum detentione nihil conferant) procurentur medicamentis, excitandas esse iubet. Pro secundo clysteria acria (quæ per id quod bilem vehementer ducant, designare voluit) imperat. Excitato patiente, vomitum, qui in ebriis ad educendas cruditates, in cæteris apoplecticis ad minuendam materiam peccantem facit, per thapsiæ succum in multa calida aqua datum prouocandum esse præcipit, vt quamprimum materia intus existens reuomatur. Nam succus thapsiæ siccus est acerrimæ & calidioris qualitatis, quare multa aqua ad eum diluendum, & contemperandum egit, alias nimis mordicaret, & forsan vlceraret. Sed nos hoc medicamento caremus, & multis aliis ad hoc opportunis abundamus, quæ in bonum vsum adhiberi poterunt. Subiungit Hippocrat. Postea attenuato, id est, victu tenui, ne ex crasso aut morbus redeat, aut cruditates augeantur, vtitor, & à vino, sicuti & à quacunque alia vaporosa & calida materia, quæ cerebrum perere possit, abstineto saltem per septem dies. Verum si æger ex prædictis auxiliis non excitetur, sanguis à lingua detrahendus erit, si eam comprehendere possit, difficilis enim quandoque in his est linguæ extractio, cum musculis aperientibus resolutis vix os aperiri queat. Præterea resolutis linguæ neruis, quæ eam ad extra protrudunt, tota ad partes internas retrahitur. Sed qua ratione sanguis à lingua detrahendus? Credo hoc in exemplar alicuius particularis euacuationis esse appositum, ac si dixerit, vbi patientes non excitentur ex vniuersalibus præmissis euacuationibus, & ex sternutationibus, ac ex clysteribus acutis, ad aliquam capitis particulare missionem sanguinis est deueniendum, qualis

Ce est

est sectio illa venarum sub lingua apparentium, vel qualibet alia.

Phrenitides.

18 *Phrenitides etiam fiunt ex aliis morbis. Patiantur autem agri hac, septum transuersum dolent, vt ne contingere quidem permittant, & febris accedit, & mente mouentur, & intentis oculis vident, & alia similia faciunt his, qui peripneumonia affecti sunt, vbi sane in peripneumonia mente mouentur.*

HIPPOCRAT. ac si de phrenitide primario, & per se affecto cerebro egisset, acturus de ea, quæ fit inflammato septo transuerso, & inde cerebro in consensum deducto, inquit, phrenitides fiunt etiam ex aliis morbis. Quæ sententia indicat hoc volumen in parte ista mutilum esse, deficiente ea parte, in qua egerit de vera exquisita phrenitide, quod quidem insinuat titulus morbi in plurali significato positus, significans, non de vnica phrenitide, cuiuscemodi est ea de qua agitur, ex inflammatione diaphragmatis pendens, verumetiam de pluribus aliis tractandum esse. Phrenitis enim triplex constituitur; alia vera & exquisita, quæ ex inflammatione membranarum cerebri pendens delirium continuum, cum continua parit febre; alia vera, sed non exquisita, ex inflammatione septi transuersi causata, par delirium cum continua habens febre; alia non vera sed in similitudinem dictarum ex analogia febris, & delirii continui phrenitis dicta. Ad quem sensum in Epidemiis Hippo. omnem mentis alienationem cum febre continua phrenitim vocabat. Cum igitur inscriptio sit phrenitides, & subiongat Hippocrat. phrenitides etiam fiunt ex aliis morbis, liquet Hippocrat. non de vnica, sed pluribus egisse. Quarum tractatus cum interciderit, is solus, in quo de phrenitide à septo transuerso agitur, superest. Huius autem signa exponens, quatuor recenset præcipua, quintum autem tanquam quid commune addens. Ex his autem primum signum est dolor circa regionem septi transuersi adeo molestus, vt compressionem & contactum ea in parte æger non sustineat, nam inflammata hac parte, quæ est admodum sensibilis, non potest non succedere dolor. Ad hunc autem dolorem insequitur exigua respiratio & frequens, cuiuscemodi in dolorosis partium spiritualium affectibus necessario insequitur. Per quam spirandi difficultatē hęc phrenitis ab exquisita distinguitur, cum in exquisita spiratio sit à principio, & in processu magna & rara, cuius ratione dicebat libro primo Prognost. 27. Hippo. de spiratione loquens: Si vero spiratur magnus, multoque interposito tempore, delirium indicat. In hac autem ab initio, ratione doloris, sit parua, & frequens, licet in processu morbi postea futura sit inæqualis, delirio superueniente. Nam à principio dum adhuc non superuenit delirium, dolent, & inde parum & frequenter respirant. Superueniente autem delirio, aut non amplius, aut vix dolent (si enim quibus nam ęgrotat vt habetur libro secundo Aphoris. 6. dolorem non sentiunt) cum autem parum, aut nihil doleant inæqualis inde succedit spiratio, cum modo parua & frequens ratione doloris, modo magna & rara ratione delirii euadat. Sed & præter spirationis diuersitatem ex hac septi transuersi inflammatione aliud succedit signum, distinguens hanc phrenitidem ab exquisita, quoniam in hac à principio præcordia contenduntur, vt docet Gal. libro quinto de loc. affect. cap. tertio, quæ in processu etiam retrahuntur, vt docet libro secundo Prorrh. text. comment. 10. & ad intra conuelluntur, vt habetur libr. 3. Epid. sect. 2. comment. 1. At in exquisita nulla est à principio præcordiorum contentio. Quæ tamen in progressu morbi ex ingenti ac valida cerebri passione, in consensum ducto septo transuerso, succedere potest, vt citatis locis monuit Galenus. Dolor igitur ad regionem septi transuersi, quem à principio concomitatur paruus ac densus spiritus, & præcordiorum contentio, est huiusce phrenitidis primum symptoma. Secundum est febris. Nam inflammato hoc membro, quod respirationi destinatum in continuo motu est, & quod plurimum neruosę habet substantiæ, & cordi propinquum est, non potest non subsequi febris, quæ pro ratione humoris, & magnitudinis tumoris modo est sęuior, modo mitior. Tertium est mentis inconstantia, ac delirium, cum hac parte læsa, lædatur & mens, indeque patientes phrenetici euadant, cuius merito hanc partem phrenes, tanquam spienti parti, quid conferat, appellauerunt. Quod delirium licet simile illi, quod primario affecto cerebro, ac eius membranis videatur, non tamen par sequitur. Nam non vndequaque est continuum, vt inde dixerit Galen. libro quinto de loci affect. cap. quinto, hoc à continuo parum distare, nec est admodum ingens, vt dixerit Hippocrat. potius ἐκφρονὲς, id est, extra mentem esse, quam delirare, cum delirare plus aliquid significet, quam mente turbatum esse, aut amentem existere. Quartum est, quod intentis oculis aspiciant ægrotantes. Nam cum non vndequaque sint deliri, seu furiosi, sed mente tantum moti, præcipue à principio immotis ac fixis oculis tanquam stupidi, & nihil memorantes intuentur; nihil tale circa oculos patientes, quale phrenetici ex inflammato cerebro sustinent. Nam in his oculi à principio vehementer squalidi euadunt, & lachryma his superuenit acris, modo ex altero tantum, modo ex vtrisque, venæque ipsorum sanguine plenæ videntur, & penitus nonnunquam tanquam lippitudinem patientes se ostendunt. Quorum nullum sit ex septi transuersi inflammatione, nisi hoc in fine morbi, deducto in consensum cerebro, tandem opposito modo, quo fieri præcordiorum contentionem cerebro affecto diximus, sequatur. Quintum ab Hipp. propositum est, quod hi ægrotantes faciant similia his, qui ex peripneumonia mente mouētur. Sed quid faciant

peripneumonici, cum mente mouentur? Nõ tantum delirant, verum etiam difficulter ſpirant, & ex difficili reſpiratione anguſtiato thorace decumbere nequeunt, ac recta ſpicate coguntur. Quę omnia patiuntur phrenetici ex inflammato ſepto transuerſo, quum hinc lęſa reſpiratione nec decubitum, nec quietem tolerantes inſurgere, & reſidere in ipſo morbi vigore ſolent.

19 *Hoc modo affectum calefacere oportet calefactoriis humidis, & potionibus, excepto vino. Et ſi quidem fieri poterit, ſurſum purgare, & per tuſſim, ac ſputitionem educere oportet, quemadmodum in peripneumonia, ſin minus, inferna aluus præparanda eſt, vt egerat. Humectatio autem potionibus, hoc enim conducit. Morbus autem lethalis eſt. Moriuntur enim tertia, aut quinta, aut ſeptima die. Si vero leuiter corripiat, iudicat velut peripneumonia.*

HIPP. dimiſſa venæ ſectione, (quæ abſolute neceſſaria eſt in hoc caſu viribus ſtantibus) ſtatim ad euacuationem per pharmacum, quam tamen lib. 4. reg. acut. 22. iure merito in inflammationum principio penitus damnabat, deſcendit, ſurſum purgans, vti conſuetam euacuandi rationem adminiſtrans, inſtituitq; ad ſedandam tum inflammationem, tum dolorem ex ea ortum, admonenda eſſe calefactoria humida, tum extra, tum intra. Nam cum ſeptum tranſuerſum plurimam partem neruoſam habeat, & ratione neruorum maxime cerebro conſentiat, neruoſiſque partibus frigus infeſtum exiſtat, liquet, frigefacientia ſeu actu, ſeu potentia nõ eſſe ei admouenda medicamenta, ſed calefacientia, non autẽ cuiuſcunq; generis, ſed ea quæ tepidum poſſident calorem, ne ex vehementiori exacerbetur inflammatio, & quæ actu humida ſunt, vt magis ieniatur. Nam quę actu ſicca ſunt, aſpera exiſtunt, & moleſtiam partibus inflammatis inferunt, dummodo pars affecta non ſit medicamentis aperte expoſita, vt liquet in pleuritide, in qua ſicca fomenta libro 2. reg. acut. in principio admittuntur, quoniam pleura circumuallata eſt à coſtis & muſculis, tum exterioribus, tum intercoſtalibus. Hæc autem humiditas actualis in his calefactoriis medicamentis deſideratur, quoniam ex ea coctiones commodius & facilius procurantur, cum vera coctio magis elixationi, quam aſſationi proportionetur. Hæc igitur medicamenta calefacientia ſint actu humida, non tantum exterius adhibita, ſed etiam interius exhibita, eadem ratione, præter vinum. Quod licet poſſit, vbi non ſit admodum vinoſum, calefacere, & humectare, attamen hic noxium eſſet, quoniam vinum maxime omnibus inflammationibus internis eſt infenſum. Dum autem inflammationis lenitio, & doloris remiſſio pcuratur, per tuſſim ac ſputũ materia ex diaphragmate reſudans expurganda, vti in peripneumonia & phrenitide facimus, erit. Quæ purgatio ſi non ſuccedat, aluus inferna ad egerendum, inquit Hippocrat. præparanda eſt. Nam erumper forſan materia ad inferiorem ventrem, per quem eliminanda erit. Hæc autem præparatio fiat, inquit, per humectantes potiones, quoniam hæ ad hoc conducent, vt & materia peccans concoquatur, & inflammatio ieniatur, & inferna aluus fluida reddatur. Ex quibus omnibus ſimul habitis, morbi ſolutio, ſi vſquam ſperanda eſt, habebitur. Nam hic morbus eſt grauis, & lethalis adeo, vt quandoque in tertia, ſi ſit acutiſſimus, quandoque in quinta, ſi paulo minus acutus, quandoque in ſeptima, ſi ſit peracutus perimat patientem. Si vero ſit lenior, vſque ad vigeſimam, vti peripneumonia indicari ſolet, extendatur. Inter dies autem criticos recenſet tertiam, quintam, & ſeptimam, quoniam cum hęc inflammatio fiat in membranoſo corpore, & fiat à bile, mouetur de tertio in tertium.

Angina.

20 *Ab angina appellata ſuffocatur homo, & in faucibus magis ipſi inhærere videtur, & neque ſaliuam, neque quicquam aliud detrahit, & affecti ſunt oculi, ac prominent velut ſtrangulatis, & intente per ipſos videt, & ipſos conuertere non poteſt, & anxius eſt, & exilit frequenter, & facies, & fauces ardent, imo etiam collum. At videntibus nihil mali habere videtur, & videt, ac audit obtuſius, & præ ſuffocatione non intelligit, neque quid dicat, neque quid audiat, aut faciat. Verum hians decumbit, ſaliuã fundens ac talia faciens. Hic quinta, aut ſeptima, aut nona die moritur.*

HÆc angina eſt ea, quæ fit inflammatis muſculis laringis ſiue externis, ſiue internis, ab internis tamen diſcrimen maius impendet, & ſæuiora ſymptomata ſuccedunt, quam ab externis inflammatis. Hæcque eſt grauiſſima angina, quoniam partes intimiores in ea patiuntur, quibus affectis, ſuffocatio & ſtrangulatio imminet. Huius primũ ſignum eſt ſuffocatio, non ad ſternon, vel ad thoracem, qualis in peripneumonicis ſuccedit, ſed ad fauces, non quia affectio ſit in muſculis faucium, ſed quia affectis muſculis laryngis faucium extrema pars anguſtiatur, & inde ſuffocatio oritur, cuius merito ſaliuam nec excreare, nec deglutire eſt poſſibile. Cum hac ſuffocatione adſunt ſymptomata ea, quæ ſtrangulabundos concomitantur, ſcilicet oculorum prominentia, conſtantia, immobilitas, & præter hæc anxietas, per quam ſæpius exiliunt, & immoti manent, & facies ipſis, fauceſque ardent, ac rubore ſuffuſæ ſunt, & cum his quandoq; etiam collum præ vehementia inflammationis ſupercalefactæ. Ex quo cum male habeant, aſtantibus tamen belle habere videntur. Qui nihilominus vbi perſpexerint, patientes præ ſuffocatione ac ſtrangulatione ſenſus hebetes habere, indeque obtuſius videre & audire, nec mentis compotes admodum exiſtere, cum quid dicant, aut audiant, aut faciant, exacte non intelligant, nouerint eos præſuppoſitis ſymptomatibus prænarratis in præ-

 cipien-

cipienti esse discrimine, ex quo hiatores cum præ strangulatione os claudere non audeant, aut non valeant, decumbunt, saliuam quæ est in ore ad extra, cum ad intra eam deglutire nequeant, fundentes seu stillantes, non autem excreantes. Hi autem ex hac grauissima angina strangulati inquit Hipp. pereunt in quinta, in septima, & in nona die. Sed mirum videtur, cur dixerit adeo tarde huiusce ægrotantes perire, cum tanta morbi acuties tamdiu prorogari non possit, & cum libr. 3. Prognost. 18. docuerit huiusce modi anginam, & eadem die, & secundo, & tertio, & quarto ad summum strangulare. At sciendum est, in grauissima angina, de qua lib. 3. Prognost. agitur, nihil ruboris & tumoris in faucibus aut collo apparere, at in ista rubet facies, fauces & collum. Quare hæc sub secunda aut tertia ibi narrata, in quibus fauces rubent, & quandoque etiam ceruix, comprehenditur. Si autem sub tertia comprehenditur, quæ diuturnior omnibus secundum Hippocrat. existit, igitur vltra quartam diem prorogabitur. Si vero vltra quartam prorogati potest, igitur & in quinta, & vltra quintam in septima & nona possibile est ipsam produci. Hanc autem attestatur rubor ille, qui rubor malos est, dum pariter cum hoc tubore partes internæ male habeant. Si vero ab his ad extra totus vergat rubor & tumor, salutare indicium erit, nisi denuo ad intra recurrat. Quo casu lethalis esset morbus, nullam recuperandæ salutis spem retinens.

Paracynanche.

21 *At vbi horum signorum quid absfuerit, laxiorem morbum significat, quem paracynanchem vocant.*

PARACYNANCHE nunc ea dicitur angina, in qua musculi non laryngis, sed faucium siue sint externi, siue interni, inflammantur. Et quoniam ab huiuscemodi inflammatione mitiora incurrunt symptomata, & minus periclitantur patientes, ideo inquit Hippocrat. quod in hac angina non omnia prædicta adsunt mala, & ideo hunc morbum laxiorem, id est, tum in vehementia, tum in periculo magis remissum esse arguimus. Qui morbus non angina, seu cynanche simpliciter appellatur, sed paracynanche, ac si hæc angina non exquisita, sed notha angina seu prope veram anginam facta dicatur.

22 *Huic venam secare oportet maxime sub mamma. Concomitatur enim hanc partē spiritus calidus, oportet quoque deorsum purgare medicamentis, aut per clysterem. Fistulas item detrudere conuenit in fauces iuxta maxillas, quo spiritus ad pulmonem trahatur, & faciendum vt quam citissime spuat, & pulmo gracilis fiat. Et suffitus fiat per hyssopū ciliticum, sulphur, & bitumen, & attrahas, & per fistulas, & per nares, vt exeat pituita. Fauces & lingua confricentur his, quæ pituitam ducunt, & venæ sub lingua secentur. Sed & à cubitis sanguis dimittatur, si vires validæ fuerint, à vino abstineat, & ptisanæ succum tenuem sorbeat. Postquam vero remiserit morbus, & iam cibos gustarit, elaterio recenti purgato, vt ne in aliud malum incidat.*

QVAMVIS Hippocrat. duplicem anginæ speciem propusuerit, attamen vnicam ambarum curationem proponit, credens vtrisque hanc sufficere posse, cum & ratione vniuersalium agendorum, & ratione particularium administrandorum eędem videantur esse curatiuæ indicationes. Etenim quo ad vniuersalia cū corpus primo exinaniendum veniat, monet tum sanguinis missione, tum purgatione euacuandum esse. Sanguinis quidem missione, vt quamprimom sanguis à cubitis (per pluralitatem cubitorū insinuat copiosam sanguinis missionem, cum in vtroque cubito venæ secandæ sint) auferatur, si vires validæ fuerint; deinceps ex partes, quę sunt sub mammis, phlebotomentur, id est, ad eustas mendosas fiant scarificationes (per phlebotomiam abusiue nunc scarificationem intelligit, cum nequaquam venarum sob mammis in vsu fuerit sectio, nec ea apte administrari possit) vt hinc eueuetur pulmonis conceptus calor, ex quo feruidus redditur spiritus; & pariter venæ sub lingua, vt hinc materia inflammationem causans deriuetur, & euacuetur, simul aperiantur. Purgatione autem, si æger pharmacum haurire poterit, vt deorsum medicamento euacuante materia peccans tum reuellatur, tum è corpore educatur; si autem bibere nequeat, vel locus pharmaco non detur, vt per clysteria (hæc ad reuellendum summe valent) talis purgatio tentetur. Quo autem ad particularia, quoniam ex hac inflammatione fauces admodum angustiantur, & inde vix spiritus trahitur, monet primo fistulas (quæ sint argenteæ leues & tenues, ne ex magnitudine comprimant inflammatum locum) ad intra locum affectum immittendas esse, vt hinc spiratio libera fiat; deinde sputum proocandom, & pulmonem, id est, partes intimas per excreationem purgandas esse. Hoc autem agendum per suffumigium docet, quod ex attenuantibus, discutientibus, & acrimonia quadam irritantibus, quale est hissopus ciliticus, sulphur, & bitumen, paratum ad intra per nares, tum per fistulam iam immissam attrahatur. Sed & ad idem gargarismata ex iisdem parata eandem haberent vim, sputumque pariter prouocare possent, ad quod idem linguæ & faucium confricatio valet. Nam hinc pariter, vt ex illis, irritatæ partes hæ saliuam, & materiam euacuatam refudarent. Sed penes me hęc præsidia importuna forent vigente inflammatione, quo tempore repellentia & refrigerantia tantum conueniunt. Quæ tamen in progressu morbi ad discussionem & euacuationem adaptari possunt. De quorum vsu cum superius in præcedenti egerim libro, non est, quod nunc de iisdem agam. Dum hæc admouentur, à vino penitus est arcendus æger, qui solo ptisanæ succo tenui,

id est,

id est, aquoſo alendus eſt, dum morbum hunc acutiſſimum patitur. Qui vbi remittatur morbus, craſſiori alimento, quales ſunt ſorbitiones, nutriatur. Eo autem ſoluto, cibos guſtet, & ne ex reliquiis morbi recidiuam, aut aliud patiatur malum, purgante medicamento euacuetur. In quem vſum Hipp. in exemplar aliorum elaterium recens vti validum & antiquioribus familiare probat. Quod præceptum tanquam vtiliſſimum non negligatur, ſicuti nec illa ſub mãmis ſcarificatio eſt parui pendenda. Nam hac adminiſtrata thorax, qui exſpirandi difficultate laborat, laxatur, & inde faciliorem ſpiritum reddit. An autem vere ſecuerint antiqui venas ſub mammas, & inde non ſcarificatio, ſed venæ ſectio ſit intelligenda, certe nullum habeo teſtimonium, nec cenſeo hoc illis in vſum fuiſſe, cum nec apte ſecari poſſint. Dicam tamen, quid mihi acciderit in ſanguinis miſſione ex mammis facta, vt inde alii hanc rem conſiderantes iudicent, quid ſanguinis miſſio ex hac parte facta prodeſſe poſſit. Curabam baiulum, febre ardenti & maligna detentum, cum in maxima hic eſſet anxietate, iuſſi hirudines ano admoueri, ſed an ex incuria miniſtri, an ex ægri ignorantia, applicitæ mammis fuere, quæ vbi ſanguinem haurientes repletæ fuerunt, tandem conciderunt, ex indeque copioſæ ſanguinis miſſioni occaſionem dederunt, quam aſtantes ſuperfluam iudicantes me aduocarunt. Sed accedens inuenio hominem adeo ex morbo conualuiſſe, vt admirans huius remedii nouitatem, huic ſoli ſuccedentem recuperatam ſanitatem adſcripſerim. Hoc notare volui, vt ab aliis huius conditio conſideretur, & ſi cui placuerit, in vſum reuocetur, non tamen in anginæ medicationem, cuius curationem tripliciter diuerſam licet author propoſuerit in præcedenti libro, & in hoc alteram addiderit, attamen quartam magis rationabilem libro 4. reg. acut. text. 30. deſcripſit.

Morbus Regius.

23 *Morbus regius huiuſcemodi acutus eſt, & cito occidit. Color totus maliconum valde refert, & cum virore pallidus eſt, qualis ſunt lacerti cum virore pallicantes, conſimile eſt etiam corpus, & in vrina ſubſidet velut eruum fuluum, & febris ac horror debilis habet. Quandoque etiam veſtimenta ferre non poteſt, ſed mordetur ac raditur, & mane cum cibum non accepit, viſcera plerunque lacinantur, & cum quis ipſum excitat, aut alloquitur, non patitur. Hic plerunque in quatuordecim diebus moritur. Has ſi effugerit, ſanus euadit.*

PRÆTER eas icteritiæ ſpecies, quæ aut per criſim excernente ad cutim bilem natura, aut per obſtructionem, vel in hepate, vel in veſica felis, vel in ecphyſi factam, cuius merito ſanguis à bilioſo ſucco non depuratur, aut per intemperiem calidiorem totius, ac hepatis ſuperfluam bilis copiam, cuius ratione copioſa in toto abundet habitu, generationem fiunt, altera ſupereſt, per quandam ſanguinis extraneam corruptionem, cuius violentia in bilem vertitur, facta. Huius poteſt eſſe cauſa duplex, altera externa, altera interna. Externa poteſt eſſe ferarum virulentarum ictus, aut morſus, cuiuſmodi aſſerit Galen. libro 5. de loc. affect. cap. 7. in imperiali ſeruo ex viperæ morſu factam fuiſſe, aut alicuius lethalis veneni, cuius merito ſanguis corrumpatur, & in bilem vertatur, hauſtus ac potio. Interna autem ſolet eſſe ipſius ſanguinis corruptio, & in bilioſum ſuccum mutatio, non ex ſimplici aliqua intemperie, ſed ex prauitate ſanguinis cauſata. Congeruntur enim ſæpe in humano corpore adeo praui ſucci, vt ex leui occaſione corruptionem ineant, & qualitatem deleteriam, vt Galen. loco citato, & libro ſexto eiuſdem voluminis cap. 5. docuit, & nos alias declarauimus, concipiant, qui caſus adeo conformatur his, qui ex epoto veneno gignuntur, vt forſan nulla alia ratione ab inuicem diſtingui poſſint, quam ex cognitione præcedentis victus. Nam qui ſanorum more educatus, cibis probis vſus fuerit, indeque laudabilibus humoribus abundet, ſi derepente talem ſanguinis in bilem mutationem ſubeat, ſuſpicandum erit à venenato pharmaco hoc factum fuiſſe. Qui autem cibariis praui ſucci, & eduliis vitioſæ qualitatis fuerit vſus, & inde ſanguinem deprauatum in venis congeſſerit, vbi eius fiat in bilem repentina mutatio, cenſendum erit ex intrinſeca occaſione, & ex propria humorum prauitate hoc factum fuiſſe, & inde hanc icteritiam ortum duxiſſe. De hac poſtrema icteritia, quæ ex ſanguinis extranea fit corruptione, cuius non externa, ſed interna ſit cauſa, agit Hippocrat. hoc in loco, eius docens ſigna & ſymptomata, ac quandam curationis formulam tradens. Antequam autem hæc doceat, monet hanc icteritiam eſſe acutum morbum, & raro decimamquartam pertranſiſſe diem, ac cito propter acutiem occidere, & hoc iure merito, cum natura tantam ac tam prauam corruptionem diu tolerare nequeat. Nam præter ſymptomata, quæ ſunt mala, vires cito ex tanta cacochymia corruptionem ſubeuntes concidunt, & inde patientes de vita periclitantur. Huius autem icteritiæ color inquit Hippocrat. refert maliconum, id eſt, repræſentat colorem putaminis mali punici, non in parte externa, in qua ſæpius rubet, ſed in interna, in qua cum quadam flauitie palleſcit, quem colorem exprimens Hippocrat. chlorum appellat, & ad maiorem declarationem, ſimilem ei, cuius ſunt lacerti eſſe monet. Qui color non modo in oculis ac facie talis apparet, verum etiam in toto corporis ambitu par exiſtit. In hoc vrina habet ſedimenta (de his inferius agam, differentias & cauſas exponens) orobina fulua, & ſuperuenit febris, cum ex tanta, ac repentina mutatione corruptioneque non poſſint non accendi, & aliquam putredinem ſubire humores. Quam febrem leuis comitatur horror, quoniam non derepente, ſed ſenſim fit huius

materiæ transitus per sensibilia loca, quæ continue hac materia occupata sunt, & cum ee vniuersali totius corporis à bilioso succo occupatione etiam cutis copiosa bile sit repieta, & suffusa, etiã inde fit, vt quandam asperitatem & inæqualitatem concipiat. Quorum merito vestimentorum contactum, cum inde mordeantur, ac radi videantur, moleste ferunt, & hi, cum inediam patiantur, lancinationem & mordicationem circa viseera, cum ex inedia bilis mordacior, ac ardentior euadat, ex cibo autem temperetur ac mitescat, sentiunt. In tanta autem molestia exinde ponuntur, vt nõ modo tristia, verum etiam astantium sermones, ac eorum erga ipsos commoda vtiliaque studia ægre ferant, vixque patiantur. Nam vbi ex inedia exacerbetur bilis, anxiosi, iracundi, impatientes, ac fastidiosi adeo euadunt, vt vix consortia hominum tollerare possint. Ex his omnibus adeo male eruciantur hi icterici, vt tempus acutorum morborum seruantes raro decimamquartam attingant. Quam tamen si administrata recta victus ratione superauerint, poterunt è morbo factis faciendis conualescere. Nam cum in his duabus primis septimanis totius morbi vigor consistat, hoc superato, spem salutis recuperandæ concipere poterunt. Quæ cum quoad symptomata, & signa ab Hippocrat. enarrata sufficiant, attamen quoniam de sedimentis eruum referentibus me acturum dixi, ideo eorum differentias, & causas exponam, & quid in hoc morbo significent, declarabo. Vrina eruum referens duplici ratione talis dicitur, scilicet quia erui vel colorem, vel formam æmulatur. Ratione coloris ea vrina dicitur orobina, quæ colorem erui repræsentat. Sed cum triplex sit erui color, vt docet Galen. libro primo de alimentis cap. proprio, de quo meminit Galen. libro primo, de antidotis in cõfectione pastillorum sciliatieorum, scilicet, vel albus, vel pallidus, vel flauus, seu subruber, pariter & alba, & pallida, & flaua, seu subrubra vrina poterit appellari orobina. Verum cum color orobi non sit resplendens, sed opacus, vrina orobina non poterit esse tenuis, sed adeo crassa, vt hanc opacitatem repræsentet. Quam crassitiem verbis exprimens Hippocrat. libro 4. Epidem. 47. dicebat. Cuidam septima die vrina vt orobi lotura, similis ipsa sibi ipsi, id est, vrinæ erunt albæ, vt lotura orobi, nihil in se ipsis quo ad contenta diuersum habentes, sed per totum, ac in toto sibi similes. Deinde autem per concoctionem fiebant tenuiores. At quis color harum vrinarum erat? An albus, an pallidus, an flauus? Hanc rem declarat Hippocrat. in fine reet. dum inquit, vrina qualis Antigenis alba, crassa, similis, id est, hæc vrina orobina, quo ad colorem erat alba, quo ab substantiam crassa, quo ad contenta nihil dissimile continens, & sibi ipsi in tota substantia similis. Quare non est mirum si ad huiuscemodi vrinam, vt inquit reet. recidiua successit. Nam qui, cum vrinis crudis, quales sunt istæ, saluantur, raro recidiuam effugiunt. Sed quod dictum est de albo colore idem asseratur de pallido, & flauo. Ratione autem formæ illa vrina dicitur orobina, in qua sedimenta erui formam referunt. Verum quoniam eruum præter formam etiam colorem habet, & quoniam licet eius forma sit vna, nihilominus eius color est diuersus, ideo ista sedimina erui formam referentia, quoad colorem possunt esse diuersa. Quare alia erunt alba, alia pallida, alia flaua. Sed quoniam pallida & alba in colore conformantur, nec vllam habent differentiam nisi secundum magis & minus, cum alba sint simpliciter alba, pallida autem sint alba quidem, sed magis remissa, & quodam pallore admixta, ideo censeo ab Hippocrat. cum orobini sedimenti libr. quarto Epidem. 21. species recenseret, duas tantum enumeratas esse, scilicet albam, & flauam, pallida sub alba comprehensa. Dicebat autem Hippocrat. vrinarum sedimenta tum aliud album oroboides, alterum album, aliud ramentosum subchloron, vitella ouorum, seu pisa referens, id est, ex sedimentis orobinis aliud est, quo ad colorem album tantum, aliud subchlorum, vitella ouorum vel pisa referens. Quo ad formam autem aliud est orobinum solum, aliud etiam ramentosum. Orobinum autem illud, quod in hoc loco subchlorum, seu subflauum ad formam pisorum, vel vitelli ouorum admodum colore saturati appellat, alio in loco vti libro quarto, reg. acut. 78. vocat rubrum, dicens, vrinæ autem cum hypostases erui modo subrubras habuerint. Hęc autem coloris similitudo desumpta est ex ea differentia qua nonnulli eruum distinguunt in album & rubrum, vel in dulce & amarum, cum dulce sit album, amarum autem rubrum. Quorum dulcedo & amaror non simpliciter sed comparatiue dicitur, cum album dicatur dulce, quia est rubro minus amarum, cuius ratione dicebat Galen. libro primo de alimentis, albos orobos cæteris esse minus medicamentosos, rubrum autem dicitur amarum, quia albo est longe amarius. Hanc differentiam sedimenti albi & rubri non adnotauit author libr. de vrinis Galeno adscripti, nec Actuarius in suo opere, qui existimauit, cunctas orobinas hypostases esse rubras, desumpta similitudine ab orobo, vbi dempta cortice excorietur, cum hic vti ab excorticatione rubeus apparet, ita pari ratione sedimina rubra ab eo orobina denominentur. Horum omnium sedimentorum siue alba, siue rubra, siue flaua existant, vnica est causa, scilicet, colliquatio, aut vi caloris intensi, aut vi prauæ qualitatis, ac malæ corruptionis introducta. Sunt autem alba hæc sedimenta, cum succi tantum, & potissimum crudiores colliquantur; sunt autem rubra, cum hæc colliquatio membra ipsa attigerit. Ad quem sensum dicebat Galen. libro secto, Epide. sect. 5. comm. 15. Indicat autem colliquatorum membrorum colorem, cum partes aliquę erui, & hordei speciem referentes vna cum ipsa eceunt, à iecore

core

core enim huiusmodi corpuscula veniunt, sicuti carnosiora à renibus. Et quoniam in colliquatione membrorum ex ingẽti calore causata aduritur, & absumitur sanguis, ideo Gal. libro quarto apho. com. 76. dixit, orobina sedimenta fieri sanguine in renibus, vel in hepate exusto, hoc habeos. Nonnũquam tamen talem vidi renum dispositionem, sed quę sunt veluti caruncula sæpius à me visæ sunt in illis febribus, in quibus & quæ sunt similia Orobis sedimina conspiciũtur sanguine crasso in renibus, aut in hepate exusto. Hanc eandem causam sedimenti rubri orobini assignauit author libro de vrinis Galeno ascripti cap. proprio, & Actuar. lib. 2. de iudica. cap. 10. videlicet carnis colliquationem. Quæ colliquatio quoniam vel est particularis in renibus, vel in toto corpore est communis, ideo hanc ab ea per hæc distinguũt, quod in sola renum affectione necessario non adest febris, & lotia possunt esse cocta. At in vniuersali carnosæ partis liquatione necessario adest febris, & lotia sunt cruda. His habitis patet, cur in hoc regio morbo dixerit Hipp. & in vrina sobsidet veluteruum fuluum. Nam cum in hac icteritia adsit deleteria, & mala qualitas, ex ingenti prauorum humorum corruptione causata, à qua & colliquationes & absumptiones corporis gigni consueuere, non mirum, si in lotio sedimina orobina appareant, quæ fulua erunt, id est, ad colorem rubrum vergent, vbi colliquatio non modo succos, sed & membra attigerit. Quam colliquationem febris quoq; superueniens si ingens exstat, fouere potest; si autem sit debilis, illa corruptio & praua qualitas ad hoc peragendum suffi:ient. Hoc dixi, quoniam illa dictio debilis, siue ad febrem cum rigore, siue ad rigorem tantum exclusa febre adnectatur, parem ac verum rei sensum tolerat ac seruat.

24 *Oportet autem ipsum calida lauare, & aquam mulsam bibẽdam dare, ita vt de nucib. Thasiis decorticatu, & absinthii coma, aquis porti[illegible] nib. acceptis, & de aniso cribrato dimidi[illegible] admixto obolos tres ieiunus e[illegible] illa[illegible] rursus dum cubitum it, ha[illegible] [illegible]sam sumat. Bibat etiam v[illegible] tenue, & sorbitionibus vtatur, [illegible] à cibu abstineat.*

HIPPOCRATES huoc morbum regium curãs, potius in exemplar eorum, quæ agẽda essent, quam quod absolutam tradiderit curationem, hãc curandi formulam adscripsit, eo dirigens scopos, vt alexpharmacis, & his, quæ corruptionem sistere possunt, corruptelæ humorum reluctetur, eorundemq; coctionem procuret, ac vires, quæ ex tanta corruptione labefactantur, conseruet, ac roboret, & quoniam cutis aspera ex hoc morbo redditur, vt eam asperitatem tollat. Hinc vt primo scopo satisfaciat, format medicamentum confectum ex nucibus, quæ quoniam venenaris qualitatibus resistunt, ideo in mithridalicum illud medicamẽtum, quod ex caricis, ruta, & sale conficitur, infumuntur, & ex absinthii coma, quod icterlcis, biliosis succis, & hepati mirum in modum confert, & ex anisocribrato, quod sicuti ictibus ac morsibus virulentarum bestiarom ex Diosc. lib. 3. cap. 60. prodest, ita etiam venenatis qualitatibus resistit, ac putredini, & corruptioni ob propriam siccitatem repugnat. Huios medicamenti quantitatem ad tres obulos, id est, ad scrupulum vnum & semis in aqua mulsa, quæ coctionem humorum procurare potest, tum mane, tum vesperi exhibet. An autem Thasias nuces, vel quia magis celebres, vel quia magis vtiles ad hoc existant, eligat, ignoro Ad eandem intentionem vinum antiquum tenue, quod forsan ratione caliditatis in tanta biliosi succi cacochymia videretur suspectum, propinat, cum hoe venenatis qualitatibus putredini ac corruptioni resistat, & vires, si quid aliud restaurari possit. Ad quarum conseruationem duo monet, alterum vt sorbitionibus, quoniam febris adest, vtatur, alterum, vt à cibis nequaquam abstineat, tum quoniam viscera in hoc morbo ex inedia lancinantur, tum quoniam stante virium languore, & humorum corruptione, parum alimenti quidem, at sæpius, vt docebat Gal. lib. 1. aph. com. 17. offerendum est. Parum quidem, quoniam multam cibi copiam vires languentes sustinere nequeunt, sæpius autem quoniam corruptio humorum ad eorundem contemperamentum multa exigit. Ad tollendam autem cutis asperitatem & lancinationem, balneum ex multa calida aqua paratum instituit, quod proficere ad hoc potest, quoniam vt habetur libro 4. reg. acut. 58. balneum cutis superficiem mollit, & inde eiusdem asperitatem & inæqualitatem, quæ in hoc morbo est molesta, tollit, & præter id discussioni bilis, quæ est in cute, satisfacere poterit. His indicationibus intentus Hippoc. docet, hunc morbum curandum esse. Ad eius analogiam nos multa alia, & his validiora addere & administrare, vt perfecta morbi curatio habeatur, poterimus.

Tetanus.

25 *Cum detentiones tetani appellatæ corripuerint, maxillæ arrigent velut ligna, & os aperire non possunt, & oculi lachrymantur, ac distorquentur, & dorsum riget, & crura contrahere non possunt, similiter neque manus, & facies rubicunda est, & valde dolet, & vbi moriturus est, & potum, & sorbitionem, & pituitam per nares reuomit. Hic tertia die, aut quinta, aut septima, aut decimaquarta perit. Vbi vero has effugerit, sanus euadit.*

TETANVS est æqualis totius corporis spasmus sine principum facultatum detentione. Huius æqualitatis causa est, qood cum spasmus sit musculorum ad propria principia cõtractio inoolũtaria ex morbifica caosa, & in tetano omnes musculi sint pariter conuolsi. æqualis inde totius corporis sequtur spasmus, æqualis inquã, quoniam ex eo nec

in hanc,nec in eam inclinant partem musculi, sed omnes pariter nullo ad alterius contractionem sequente rigidi permanent. Nam cum ad motum vniuersi corporis plures sint destinati musculi, qui mutuam operam sibi præstantes voluntarie modo flectant, modo extendunt membra, & in operatione dum operantur, flectentes cedunt, qui extendunt, & in extensione cedant flectentes, quam cognationem, & in operando consensum Hippocrates libro tertio de artic. text. 100. & libr. 3. de fract. text. 35. frattationem vocat, hinc fit, vt dum musculi hanc frattationem habentes, id est, tam extendentes quam flectentes pariter sint conuolsi, neuter alteri cedat, & corpus totum rigidū, ac si immotum esset, cum tamen motum violentum vtrinque patiatur, rigidum euadat. Talem morbosum statum vocant Græci tetano, nos neruorum distentionem appellamus. Huius signa tradens Hippocrates inquit, quod maxillæ rigeāt, vt ligna, nam vtrisque musculis temporalibus, & maxillam mouentibus conuulsis, adeo cohærent maxillę inter se, vt dimoueri, aut aperiri nequeant, indeque os perpetuo clauditur. Oculi autem distorquentur conuulsis musculis eos mouentibus; & lachrymantur ex conuulsionis violentia, & expressis humiditatibus ad caruncula, quæ sunt in eorum angulis interioribus, & dorsum riget, cū corpus æqualiter conuulsum in nullam partem inclinari queat. Ex quo etiam succedit, vt nec crura, nec manus contrahere possint, nusquam cedentibus musculis extensioni destinatis. Cum autem ex æquali musculorum frattantium conuulsione, nec etiam cedant hi, qui respirationi dicati sunt, & inde rigidi maneant, angustiātur in anhelim. Ex quo facta ad caput plurima euaporatione, facies inde rubicunda euadit, & dolet valde, & hoc à principio temporalium musculorum pręcipue, cum à capite conuulsionis principium ordiatur, indeque in ea maxima contractio sentiatur. Quę contractio vbi ad summum augeatur, patientemque ad interitum deducat, tanta euadit, vt inde occlusis faucium & gulę anfractib. nihil cibi assumere possint, imo & pituitam à capite descendentem, & sorbitiones oblatas, ac potum ipsum, nihil horum deglutientes, per nares ipsas reiiciant. Hic morbus aliquando acutissimus est, & intra terminum morborum acutorum interimere consueuit, quandoque autem hunc terminum transcendit, & transcendens salutarem morbi solutionem promittit. Quanto autem tempore hic morbus durare queat, & quomodo terminum acutorum morborum transcendat, alio in loco declaraui.

26 *Huic catapotia ex pipere & veratro nigro deuoranda dato: & iusculum volucrium pingue calidum. Inducendæ sunt etiam fortes ac multa sternutationes, & fomenta adhibenda. Quum autem fomentis non vtitur, calefactoria humida, ac pinguia vndequaq; in vesicis ac vtriculis apponantur, maxime tamen ad partes dolentes, & calido oleo multo ac sæpe illinatur.*

NEMINI dubium sit, cum spasmus fiat vel ex inanitione, vel ex repletione, Hippocrat. hoc in loco agere tantum de eo, qui ex repletione causatur, quæ repletio cū pendeat ab humore frigido, hinc statim medicamentum purgans admixtis calefacientibus exhibet, formans catapotia ex veratro nigro admixto pipere. Piper autem admiscet non modo, vt temperiem materiei peccantis respiciat, verum vt penetrationem medicamenti ad partes neruosas foueat. A pharmaco propinat iusculum volucrium pingue ac calidum, volucrium quidem, vt crassitiem iuris ex quadrupedum carne resultante caueat, pingue autem, vt hinc partes neruosæ leniantur, calidum vero, tum quoniam neruosis partibus frigidum est noxium, tum quoniam conuulsiones à frigore, cum hinc in neruis magis constipetur materia, & membra magis rigida euadant, exacerbatur. Et quoniam materia tetanum faciens vtplurimum à capite descendit, & descendens fixa & stabilis in membris neruosis residet; ideo tum ad diuertendam materiam à capite fluentem, & ad discussionem fluxæ sternutatoria multa, ac fortia imperantur. Multa quidem, vt materia fixa sæpius agitetur; fortia autem, v. à cerebro notabilis fiat, tum euacuatio, tum deriuatio. Ad leniendos autem dolores, & ad laxandum corpus rigidum ex conuulsione factum, fomenta, quibus continue corpus foueatur, instituantur. Cessante autem fomentorum vsu calefaciētia humida & pinguia, id est, decoctiones ex calidis medicamentis paratæ, quibus olea conuenientia admisceantur, in vesicis, aut in vtriculis ad partes cōuulsas, & ad caput potissimum, quæ dolore vehementiori cruciantur, applicentur, sępiusq; vniuersum corpus oleo multo calido illinatur. Quale autem debeat esse hoc oleum, & quæ alia præsidia ad perfectam huius morbi curationem desiderentur, non adscribam, cum omnia hæc singula ex communiter medicinam facientibus possint haberi.

Opisthotonos.

2 *...um autem distentio in posteriores partes opi... ...onos appellata tenuerit, reliqua quidem ...dem sunt; verum in posteriores par... ...r, & vociferatur aliquando, & dolores eme..gunt vehementes, & crura interdum contrahere non permittit, neq; manus extendere. Sunt enim cubiti incuruati, & digiti in pugnum contracti, & pollicem plerunq; aliis digitis continet, & clamat, & nugas garrit quandoq;, & non potest seipsum continere, sed aliquando exilit, vbi dolor premit. Quum vero dolor remittit, quietem habet. Aliquādo etiam vox intercipitur simul, vt morbo corripiantur, aut insani & atra bile perciti fiant. Hi tertia die moriuntur voce soluta, & reuomunt per nares. Si vero effugerint decimum quartum diem, sani fiunt.*

SICVT æqualis totius corporis spasmus in tetano contingens corpus totum rigidum reddit,

nec

nec illud ad partem vllam declinare permittit, ita inæqualis ad alteram partem detorquens modo ad posteriora, modo ad anteriora corpus inflectit. Cũ antrorsum deflectitur, emprostbotonos, cum retrorsum, opisthotonos appellatur. Hæc inæqualitas nõ penes totius corporis, sed colli tãtũ contractionẽ attenditur; nã vbi caput ad posteriora conuulsis ceruicis musculis retrahitur, sufficit ad opisthotoni generationẽ, licet reliquũ corp⁹ retro nõ flectatur, si a. ad anteriora cõuulsis musculis colli anteriorib. fiat retractio, emprostbotonos, licet nõ totũ corpus antrorsũ retrahatur, gignitur. Horum quæ & spasmi eædẽ sunt causæ, sc. vel externæ, vel internæ. Tetan⁹ sæpius ab internis, emprosthotonos, & opisthotonos sæpius ab externis producũtur causis, imo sicuti rarissimũ est, q̃ ab externis fiat causis tetanus, ita rarissimũ est, quin ab externis fiant tum emprosthotonos, tum opisthotonos. Nã hi vt plurimũ fiunt à plagis, à vulnerib. & à similib. exteriorib. causis, raro autem hos videas ab interna causa progenitos. De his acturus Hip. sub silentio emprosthotonum obuoluens, de opisthotono tantummodo agit: ratio est duplex, altera quoniã cum vtriusq; eadẽ sit causa, eadẽ vtrisq; debetur curatio, altera, quoniã rarissime emprosthotonos, frequẽtissime opisthotonos accidit. Vnde hunc tanq̃ frequentiorẽ, & tanq̃ eum, qui cũ emprosthotono in causa cõmunicat, curare docens, vtriusq; curationẽ docuisse videtur. Huius a. signa tradens inqt, tetanũ & opisthotonũ in eisdẽ communicare accidentib. prêterq̃ in his, q̃ enumerabantur. Nã & in opisthotono pariter, vt in tetano maxillæ rigẽt, os difficulter aperiri potest, oculi lachrymantur, & detorquẽtur, facies rubescit, tempora dolent, & cibus ac potus, vbi ęger male habens moriturus existat, per nares relicitur. Verũ p̃ter hęc in opisthotono hęc peculiaria adsunt, videl. q̃ in posteriora fit cõuulsio, cum spasmus fit ad ceruicis musculos, & patiens ob dolorum vehementiam quandoq; clamat, cũ maxillæ non ita vti in tetano cohęreant, nec partes capitis anteriores lęsæ pariter existant, & interdũ crura contrahere non potest, neq; manus extendere. Sed quid est hoc, quod dicit interdum? an opisthotonici crura cõtrahere aliquãdo possunt, aliquãdo non possunt? Pręterea si opistbotonos est cõtractio corporis ad posteriores partes, cur in his crurũ cõtractio, quæ est ad posteriora, impeditur aliquãdo? Et si crura contrahere, ac retrorsum ea conuellere nõ est possibile, quomodo hic spasmus dicitur opisthotonus, id est, ad posteriora retractus? Præterea si manus extendere non possunt, sed cõtractæ permanent, cũ hæc contractio ad anteriora fiat, quomodo hoc in opisthotono fieri asseritur? Hęc enim duo opisthotoni essentiæ refragari videtur, vt crura cõtrahere, cũ hic sit motus ad posteriora, nõ possint, & manus extẽdere, cũ hæc extensio sit motus retrorsum, nequeant. Hanc difficultatẽ de contractione crurũ forsitan considerans Cel. Aurel. lib. 3. acut. pass. c. 6. dum de opisthotonicis loqueretur, dixit: His etiam crura conducuntur, affirmatiuam habens literã, licet hæc ex Hip. qui negatiuã habet, transcribere se profiteatur. Sed vti Cel. Aur. hoc signum verisimile ponens in manifestissimũ lapsus est errorem, ita ex aduerso Hip. qui hoc signum in opisthotonis aliquãdo asserit abesse, verissimã tradidit doctrinam. Etenim sciendum est, quoad mẽbra extrema, scil. quoad crura & brachia, omnes has partes inter posteriores ab Hip. recenseri, vt docet Gal. in fine com. 65. aph. lib. 3. quoniam omnes hæ partes è directo sunt medullæ spinalis, cum omnium harum musculi neruos ab ea recipiant. Vnde cum ex osse sacro oriantur nerui ad crura decurrẽtes, & ex his portio in anteriores, portio in posteriores musculos disseminetur, hinc fit, vt si magis afficiantur in opisthotono anterioris femoris musculi, cum hinc conuellantur illi duo, qui ad genu in magnam & latam chordam desinentes, & supra molam prætermecti in tibiæ principium ad eã eleuandam, & extendendam inseruntur, penitus crurum contractio impediatur. Quod quoniã non est perpetuum, cũ si magis afficiantur musculi posteriores quam anteriores, crura contrahantur, & simul cõducantur, ideo summo iure dixit Hip. nõ semper, sed interdũ in opisthotono hanc crurũ cõtractionẽ impediri. Cũq; pariter ex spinali medulla brachia neruos recipiant per spõdyles colli, & vertebrarũ circumstantiũ, ex iisq; maiores inserantur in musculos brachii anteriores, q ad contractionẽ brachii destinati fuere, & inde eorum actio q̃ extendentiũ, ob neruorũ tum robur, tum magnitudinem, est validior, hinc succedit, vt in opisthotono licet vtriq; lædantur, attamen ex maiori in anteriorib. musculis cõtracta lęsione contractio fiat maior in musculis contrahentib. quã extendentib. & inde sequatur, vt manũ extendere nequeant, & hoc p̃cipue, cũ hinc, vt inquit Hip. cõtorta brachia tendantur, & in hac tensione manus in pugnũ contrahatur pollice, vt qui validiora possideat ligamenta, & prius ac vehementius cæteris digitis inde contrahatur, in pugnũ ab aliis digitis suppresso. Quod etiam hæ partes scil. tam crura, quam brachia, tanquam corporis partes posteriores, & inde in opisthotono prædicta ratione patientes existant, hinc etiam habeatur, quod ex harum læsione non emprosthotonos, sed opisthotonos, tanquam hinc posteriori corporis parte patiente sequatur, sicuti præter experientiam Hippocrates libro quinto Epidemior. clare testatur. Nam in textu 70. narrat magnæ nauis gubernatorem in manu indice, ac osse inferno ex anchora confracto opisthotonicũ euasisse. Et historia sequenti narrat, filium Harpali ex luxatione magni digiti pedis in opisthotonicum incidisse, Timonemque Damonis filium illi in enarratione proximum ex corrosiuo pharmaco circa malleoli tibiam apposito, pariter opisthotonicum factum fuisse. Quæ partes licet potius anteriores, quam posteriores quoad situm sint dicendæ, attamen ratione neruorum à posteriore spinalis medullæ regione deuenientium potius opisthotonon, quam emprosthotonon pariunt. Hæ igitur sint causæ, cur dixerit Hippocrates, interdum crura in his non posse contrahi, nec manus pariter extendi. Præter hæc autem in opisthotono, subiungit Hippocr. ista adsunt, quod

patiens

in hanc, nec in eam inclinant partem musculi, sed omnes pariter nullo ad alterius contractionem sequente rigidi permanent. Nem cum ad motum vniuersi eorporis plures sint destinati musculi, qui mutuam operem sibi præstantes voluntarie modo flectant, modo extendunt membra, & in operatione dum operantur, flectentes eedunt, qui extendunt, & in extensione cedant flectentes, quam eognationem, & in operando eonsensum Hippocrates libro tertio de artie. text. 100. & libr. 3. de fract. text. 35. fratrationem vocat, hinc fit, vt dum musculi hanc fratrationem habentes, id est, tam extendentes quam flectentes pariter fiut conuulsi, neuter alteri cedat, & corpus totum rigidū, ac si immotum esset, cum tamen motum violentum vtrinque patiatur, rigidum euadat. Talem morbosum statum vocant Græci tetano, nos neruorum distentionem appellamus. Huius signa tradens Hippocrates inquit, quod maxillæ rigeāt, vt ligna, nam vtrisque musculis temporalibus, & maxillam moueutibus conuulsis, adeo cohærent maxillę inter se, vt dimoueri, aut aperiri nequeant, indeque os perpetuo elauditur. Oculi autem distorquentur conuulsis musculis eos mouentibus; & lachrymantur ex conuulsionis violentia, & expressis humiditatibus ad caruneulas, quæ sunt in eorum angulis interioribus, & dorsum riget, cū corpus æqualiter conuulsum in nullam partem inclinari queat. Ex quo etiam succedit, vt nec crura, nec manus contrahere possint, nusquam cedentibus musculis extensioni destinatis. Cum autem ex æquali musculorum frattantium conuulsione, nec etiam cedant hi, qui respirationi dicati sunt, & inde rigidi maneant, angustiātur in anhelitu. Ex quo facta ad caput plurima euaporatione, facies inde rubicunda euadit, & dolet valde, & hoc à principio temporalium musculorum pręcipue, cum à capite conuulsionis principium ordiatur, indeque in ea maxima contractio sentiatur. Quę contractio vbi ad summum augeatur, patientemque ad interitum deducat, tanta euadit, vt inde occlusis faucium & gulę anfractib. nihil cibi assumere possint, imo & pituitam à capite descendentem, & sorbitiones oblatas, ac potum ipsum, nihil horum deglutientes, per nares ipsas reiiciant. Hic morbus aliquando acutissimus est, & intra terminum morborum acutorum interimere consueuit, quandoque autem hunc terminum transcendit, & transcendens salutarem morbi solutionem promittit. Quanto autem tempore hic morbus durare queat, & quomodo terminum acutorum morborum transcendat, alio in loco declaraui.

26 *Huic catapotia ex pipere & veratro nigro deuoranda dato: & insculum volucrium pingue calidum. Inducenda sunt etiam fortes ac multa sternutationes, & fomenta adhibenda. Quum autem fomentis non vtitur, calefactoria humida, ac pinguia vndequaq; in vesicis ac vtriculis apponantur, maxime tamen ad partes dolentes, & calido oleo multo ac sæpe illinatur.*

Nemini dubium sit, cum spasmus fiat vel ex inanitione, vel ex repletione, Hippocrat. hoc in loco agere tantum de eo, qui ex repletione caussatur, quæ repletio cū pendeat ab humore frigido, hinc statim medicamentum purgans admixtis calefacientibus exhibet, formans catapotia ex veratro nigro admixto pipere. Piper entem admiscet non modo, vt temperiem materiei peccantis respiciat, verum vt penetrationem medicamenti ad partes neruosas foueat. A pharmaeo propinat insculum volucrium pingue ac calidum, volucrium quidem, vt crassitiem iuris ex quadrupedum carne resultante caueat, pingue autem, vt hinc partes neruosæ leniantur, calidum vero, tum quoniam neruosis partibus frigidum est noxium, tum quoniam conuulsiones à frigore, cum hinc in neruis magis constipetur meteria, & membra magis rigida euadant, exacerbatur. Et quoniam materia tetanum faciens vt plurimum à capite descendit, & descendens fixa & stabilis in membris neruosis residet; ideo tum ad diuertendam materiam à capite fluentem, & ad discussionem fluxæ sternutatoria multa, ac fortia imperantur. Multa quidem, vt materia fixa sæpius agitetur; fortia autem, v. à cerebro notabilis fiat, tum euacuatio, tum deriuatio. Ad leniendos autem dolores, & ad laxandum corpus rigidum ex conuulsione factum, fomenta, quibus continue corpus foueatur, instituantur. Cessante autem fomentorum vsu calefaciētia humida & pinguia, id est, decoctiones ex calidis medicamentis paratæ, quibus olea conuenientia admisceantur, in vesicis, aut in vtriculis ad partes cōuulsas, & ad caput potissimum, quæ dolore vehementiori cruciantur, applicentur, sępiusq; vniuersum corpus oleo multo calido illinatur. Quale autem debeat esse hoc oleum, & quæ alia præsidia ad perfectam huius morbi curationem desiderentur, non adscribam, cum omnia hæc singula ex communiter medicinam facientibus possint haberi.

Opisthotonos.

2 *[…]um autem distentio in posteriores partes opi[…]nos appellata tenuerit, reliqua quidem […]dem sunt; verum in posteriores par[…]r, & vociferatur aliquando, & dolores eme[…]gunt vehementes, & crura interdum contrahere non permittit, neq; manus extendere. Sunt enim cubiti incuruati, & digiti in pugnum contracti, & pollicem plerunq; aliis digitis continet, & clamat, & nugas garrit quandoq;, & non potest seipsum continere, sed aliquando exilit, vbi dolor premit. Quum vero dolor remittit, quietem habet. Aliquādo etiam vox intercipitur simul, vt morbo corripiantur, aut insani & atra bile perciti fiant. Hi tertia die moriuntur voce soluta, & reuomunt per nares. Si vero effugerint decimum quartum diem, sani fiunt.*

Sicvt æqualis totius corporis spasmus in tetano contingens corpus totum rigidum reddit, nec

nec illud ad partem vllam declinare permittit, ita inæqualis ad alteram partem derorquens modo ad posteriora, modo ad anteriora corpus inflectit. Cũ antrorsum deflectitur, emprosthotonos, cum retrorsum, opisthotonos appellatur. Hæc inæqualitas nõ penes totius corporis, sed colli tãtũ contractionẽ attenditur; nã vbi caput ad posteriora conuulsis ceruicis musculis retrahitur, sufficit ad opisthotoni generationẽ, licet reliquũ corp⁹ retro nõ flectatur, si a. ad anteriora cõuulsis musculis colli anteriorib. fiat retractio, emprosthotonos, licet nõ totũ corpus antrorsũ retrahatur, gignitur. Horum quæ & spasmi eædẽ sunt causæ, sc. vel externæ, vel internæ. Tetan⁹ sæpius ab internis, emprosthotonos, & opisthotonos sæpius ab externis producũtur causis. imo sicuti rarissimũ est, ꝙ ab externis fiat causis tetanus, ita rarissimũ est, quin ab externis fiant tum emprosthotonos, tum opisthotonos. Nã hi vtplurimũ fiunt à plagis, à vulnerib. & à similib. exteriorib. causis, raro autem hos videas ab interna causa progenitos. De his acturus Hip. sub silentio emprosthotonum obuoluens, de opisthotono tantummodo agit: ratio est duplex, altera quoniã cum vtriusq; eadẽ sit causa, eadẽ vtrisq; debetur curatio, altera, quoniã rarissime emprosthotonos, freqũetissime opisthotonos accidit. Vnde hunc tanq̃ frequentiorẽ, & tanq̃ eum, qui cũ emprosthotono in causa cõmunicat, curare docens, vtriusq; curationẽ docuisse videtur. Huius a. signa tradens inq̃t, tetanũ & opisthotonũ in eisdẽ communicare accidentib. præterq̃ in his, q̃ enumerabuntur. Nã & in opisthotono pariter, vt in tetano maxillæ rigẽt, os difficulter aperiri potest, oculi lachrymantur, & derorquẽtur, facies rubescit, tempora dolent, & cibus ac potus, vbi æger malehabens moriturus existat, per nares reiicitur. Verũ p̃ter hæc in opisthotono hæc peculiaria adsunt, videl. ꝙ in posteriora fit cõuulsio, cum spasmus fit ad ceruicis musculos, & patiens ob dolorum vehementiam quandoq; clamat, cũ maxillæ non ita vti in tetano cohæreant, nec partes capitis anteriores læsæ pariter existant, & interdũ crura contrahere non potest, neq; manus extendere. Sed quid est hoc, quod dicit interdum? an opisthotonici crura cõtrahere aliquãdo possunt, aliquãdo non possunt? Præterea si opisthotonos est cõtractio corporis ad posteriores partes, cur in his crurũ cõtractio, quæ est ad posteriora, impeditur aliquãdo? Et si crura contrahere, ac retrorsum ea conuellere nõ est possibile, quomodo hic spasmus dicitur opisthotonus, id est, ad posteriora retractus? Præterea si manus extendere non possunt, sed cõtractæ permanent, cũ hæc contractio ad anteriora fiat, quomodo hoc in opisthotono fieri asseritur? Hæc enim duo opisthotoni essentiæ refragari videntur, vt crura cõtrahere, cũ hic sit motus ad posteriora, nõ possint, & manus extẽdere, cũ hæc extensio sit motus retrorsum, nequeant. Hanc difficultatẽ de contractione crurũ forsitan considerens Cel. Aurel. lib. 3. acut. pass. c. 6. dum de opisthotonicis loqueretur, dixit: His etiam crura conducuntur, affirmatiuam habens literã, licet hæc ex Hip. qui negatiuã habet, transcribere se profiteatur. Sed vti Cel. Aur. hoc signum verisimile ponens in manifestissimũ lapsus est errorem, ita ex aduerso Hip. qui hoc signum in opisthotonis aliquãdo asserit abesse, verissimã tradidit doctrinam. Etenim sciendum est, quoad mẽbra extrema, scil. quoad crura & brachia, omnes has partes inter posteriores ab Hip. recenseri, vt docet Gal. in fine com. 65. aph. lib. 3. quoniam omnes hæ partes è directo sunt medullæ spinalis, cum omnium harum musculi neruos ab ea recipiant. Vnde cum ex osse sacro oriantur nerui ad crura decurrẽtes, & ex his portio in anteriores, portio in posteriores musculos disseminetur, hinc fit, vt si magis afficiantur in opisthotono anterioris femoris musculi, cum hinc conuellantur illi duo, qui ad genu in magnam & latam chordam desinentes, & supra molam prætervecti in tibiæ principium ad eã eleuandam, & extendendam inseruntur, penitus crurum contractio impedietur. Quod quoniã non est perpetuum, cũ si magis afficiantur musculi posteriores quam anteriores, crura contrahuntur, & simul cõducantur, ideo summo iure dixit Hip. nõ semper, sed interdũ in opisthotono hanc crurũ cõtractionẽ impediri. Cũq; pariter ex spinali medulla brachia neruos recipiant per spõdyles colli, & vertebrarũ circumstantiũ, ex iisq; maiores inserantur in musculos brachii anteriores, q ad contractionẽ brachii destinati fuere, & inde eorum actio q̃ extendentiũ, ob neruorũ tum robur, tum magnitudinem, est validior, hinc succedit, vt in opisthotono licet vtriq; lædantur, attamen ex maiori in anteriorib. musculis cõtracta læsione contractio fiat maior in musculis contrahentib. quã extendentib. & inde sequatur, vt manũ extendere nequeant, & hoc p̃cipue, cũ hinc, vt inquit Hip. cõtorta brachia tendantur, & in hac tensione manus in pugnũ contrahatur pollice, vt qui validiora possideat ligamenta, & prius ac vehementius cæteris digitis inde contrahatur, in pugnũ ab aliis digitis suppresso. Quod etiam hæ partes scil. tam crura, quam brachia, tanquam corporis partes posteriores, & inde in opisthotono prædicta ratione patientes existant, hinc etiam habeatur, quod ex harum læsione non emprosthotonos, sed opisthotonos, tanquam hinc posteriori corporis parte patiente sequatur, sicuti præter experientiam Hippocrates libro quinto Epidemior. clare testatur. Nam in textu 70. narrat magnæ nauis gubernatorem in manu indice, ac osse inferno ex anchora confracto opisthotonicũ euasisse. Et historia sequenti narrat, filium Herpali ex luxatione magni digiti pedis in opisthotonicum incidisse, Timonemque Damonis filium illi in enarratione proximum ex corrosiuo pharmaco circa malleoli tibiam apposito, pariter opisthotonicum factum fuisse. Quæ partes licet potius anteriores, quam posteriores quoad situm sint dicendæ, attamen ratione neruorum à posteriore spinalis medullæ regione deuenientium potius opisthotonon, quam emprosthotonon pariunt. Hæ igitur sunt causæ, cur dixerit Hippocrates, interdum crura in his non posse contrahi, nec manus pariter extendi. Præter hæc autem in opisthotono, subiungit Hippocr. ista adsunt, quod

patiens

patiens prę dolore clamans eiulat, & eiulando tractu in consensum cerebro delirat, & non potest præ dolore seipsum continere, sed aliquando vbi vrgeat dolor, exilit, cum vero intermittit, quiescit. Nam cum in hoc morbo per interualla quædam contractiones intendantur, & per alia quædam remittantur, his intensis inualescit, his remissis laxatur dolor, dum autem inualescit, exiliunt ægri præ dolore, dum remittit, quiescunt. Hanc rem paulo aliter lib. de intern. affect. & lib. de diebus decret. expressit Hippocrat. dicens, In vehementia conuulsionum hos vix detineri ab astantibus, quin à lecto excidant. Hi aliquando, subdit Hipp. quamprimum à morbo corripiūtur, fiunt (quod vbi penitus est lethalis casus, euenit) aut aphoni, aut insani, aut melancholici. Aphoni quidem, vbi conuulsio respirationis instrumenta, pręcipue autem intercostales musculos, quorum opera fit efflatio, apprehenderit, abolita enim efflatione, nec vocem edere est possibile. His autem respirationis instrumentis conuulsis, lethalis euadit casus, quoniam hinc non tantum vox, sed & spiratio impeditur. Qua impedita non tantum molesta, sed & periculosa euadit affectio. Insani autem, aut melancholici fiunt opisthotonoci, cum ex vehementia cōuulsionum adeo elidatur cerebrum, vt non tantum circa motiuas, sed etiam circa rectrices virtutes offendatur. Quo casu pro ratione sanguinis in eo abundantis, varia sequitur in rectricibus facultatibus læsio, si enim fuerit feruens & biliosus, insani, si autem frigidus & melancholicus, mœrentes, timidi, ac in summa melancholici fiunt. Qui casus pariter vt præcedens lethalis erit, quoniam maximā arguit cerebri noxam, ex qua cerebrum morbificis causis succumbens, mortem proximam significabit. Hi omnes opisthotoni solent citissime patientes interimere, vt non tantum tertia die, vt hic asserit Hippocr. & exempla habemus libro quinto Epid. in citato magnæ nauis gubernatore, & in filio Harpali, verum etiam secunda quandoque pereant, vt factum intelligimus in eo, qui iaculo acuto percussus fuit, posterius paulo infra ceruicem vulnus accipiens, qui vt iib. citato tex. 44. habetur, secunda die mortuus est. Hi pereunt, inquit Hippocrates, soluta voce, & cum reuomunt per nares. Sed quid intelligit soluta voce? Sicut intentis fidium chordis acutior redditur sonus, ita intentis conuulsionibus vox acutior redditur. Hæc autem acuties tunc soluitur, cum pereunte ægro vox subobscura & remissa redditur. Per nares autē reuomunt, cum penitus conuulsis faucium musculis nihil ad intra permeare dimittitur; qui est casus proximam mortem prænuncians. Hoc tempus non pertranseunt opisthotonici, vbi à principio acutissime angustientur, si autem leuius afficiantur, ad decimam quartam, quę est acutorum terminus, peruenire possunt, quam si prætereant, spem salutis concipere possunt.

28 *Curandus hic est velut superior, quod si voles, etiam sic facies. Aquam frigidam plurimam superfundito, & postea vestimenta tenuia, pura, ac calida superintegito. Ignem autem tunc non adhibeto. Hoc auxilium & ad tetanos, & ad opisthotonos adhibere oportet.*

Opisthotonos ex repletione cum à tetano, nec causa, cum vtriq; ab eadem materia generari consueuerint, nec parte affecta, cum in vtrisque musculi patiantur, sed modo & loco differant, cum corpus in tetano totum rigidum euadat, in opisthotono autem retrorsum reclinetur, & in tetano tam partes anteriores, quam posteriores, in opisthotono vero partes solum posteriores patiantur; ideo iure Hip. dixit, hos sicuti tetanicos curandos esse. Nam eadem vtrisq; debetur curatio, iisdemque præsidiis, quæ ad tetanicos superius descripta sunt, vel similibus, tractandi erunt. Sed & præter hanc alia proponitur curandi norma, videlicet, quod aqua frigida plurima superfundatur, postea vestimentis tenuibus, puris, ac calidis superintegatur, igneq; penitus interdicatur. Sed quorsum hęc? Nulli dubium, calorem innatum esse eum, qui deuincens morbificas causas morbos superat, ac soluit. Hic quandoque ex seipso, quandoq; ab arte adiumentum recipiens ad profligandas has causas insurgit. Ars vero nonnunquam per materię peccantis præparationem, nonnunquam per corporis læsi dispositionem, nonnunquam per eiusdem calidi augmentationem hoc agit. Hæc autem caloris innati augmentatio duplici ratione paratur, scilicet, vel per similia, vel per cōtraria. Per similia augetur calor innatus, dum ea, quæ calori innato proportionantur, vel intus exhibentur, vel extra admouentur. Per contraria vero, dum frigefacientia vel ad intra, vti in febre ardenti fit, per frigidæ potum propinantur, vel ad extra, vti fit in hoc opisthotono, administrantur. Illa frigefacientia ad intus suscepta calorem innatum augent, extinguendo putrescentis materiæ feruorem, à quo calor innatus dissoluebatur, & annihilabatur. Ea autem, quæ ad extra admouentur, hoc per antiperistasin faciunt, dum per hanc calor concentratur, ex eaq; augmentatur, vt fit in hyeme, in qua ventres calore innato sunt calidissimi. Hanc antiperistasin, & concentrationem à causa frigida causatam considerans Hipp. eiusque analogiam seruans, instituit in hoc morbo, licet à materia frigida pendeat, frigidam aquam plurimā superinfundere, non ad materiam refrigerandam, quoniam sic morbum exacerbaret, sed ad concentrationem caloris innati faciendam, ex qua per antiperistasin augescens possit ad peccantis materiæ discussionem insurgere. Hoc tamen obseruato, quod peracta frigida perfusione superinduantur patientes vestimentis tenuibus, ne asperitate cutē mordicent, puris, ne vllo liquore madeant, & inde reuocationem caloris impediant, calidis, vt eiusdem ad extra reuocationem facilius procurent. Igne autem interdicuntur, quoniam ignis vehemēs actiuitas spontaneum ex propria natura caloris innati motum distraheret, corpusque non proprio calore incalescere permitteret, sed extraneo calefaceret. Quare vitato igne ad caloris innati reuocationem

tionem sufficiant post frigidæ profusionem vestimenta subtilia munda, & quoquo pacto calida. Hæc eandem sententiam resignauit Hipp. & in libr. de humidorum vsu, & lib. 5. apho. 25. sed his quatuor cōditionib. superadditis. Quarum prima est, vt ista frigidæ perfusio fiat in conuulsionib. sine vlcere. Nā si vel tetanus vel opisthotonos, vel emprosthotonus fiat ex vlcere, vel ex vulnere, his frigida esset noxia, cum vlcerib. frigidū sit inimicū. Secunda est, vt patiens sit iuuenis. Nam cum florida ætas cuicunq; excessui facilius, quam cæteræ ætates resistant, poterunt iuuenes frigidæ perfusionem ferre, quam pueri ob mollitiem, senes ob caloris & spirituum penuriam non tolerabunt. Tertia, vt subiectum sit carnosum. Nā excarnes & extenuati, licet iuuenes existant, tantam frigiditatem non tolerarent, cum cito penetralia viscerum in his permearent, caloremq; in extinctionis periculum deducerét. At carnosa corpora multum propugnaculi habent ad viscerum, & insiti caloris defensionem, spirituumq; opulentia fruuntur, quorum merito frigidæ perfusionem leui negotio ferunt. Quarta est, vt hoc æstate media fiat. Nam eo tempore corpora refrigerantibus gaudent, & refrigerantia facile tolerant, quod hyeme tum molestum, tum periculosum ob ambientis frigiditatem esset, facileque in æstate calor reuocatur, cum hyeme potius cōcentretur, ac suffocetur. His igitur quatuor conditionibus obseruatis, norma ab Hipp. hoc in loco tradita in tetanicis & opisthotonicis administranda erit.

Voluuli.

29 *Voluuli fiunt, quum supernus ventriculus calescit, infernus vero frigescit. Resiccatur enim simul intestinum, & præ inflammationis caliditate obturatur, vt neq; flatus, neq; cibi pertranseat, sed venter durus sit, & quandoq; vomat primum pituitosa, deinde biliosa, postremum stercus. Et æger sitim habet, ac dolorem maxime circa præcordia. Verum & totum ventrem dolet, & inflatus est, singultit, & febres corripiunt, & fiunt maxime septima die.*

CVm de ileo, qui est superfluitatum, quæ per aluum excernuntur, retentio, abunde satis proprio in loco egerim, eius essentiam, causas, differētias, & curationem tradens, superest solum, vt literam Hip. exponam. vbi prius animaduerto ileum, seu voluulum penes antiquiores non semper hūc, quem diximus, significare morbum. Nam ab huius similitudine author lib. de intern affect. alios morbos volnulos appellauit. Etenim sicut in ileo retinentur excrementa, quæ per aluum inferiorem excerni debebant, ita vbi cacochymia copiosa in corpore aggregetur, quæ nullo pacto per corporis ad excretionem superfluitatum destinatos meatus nō expurgetur, sed retineatur, morbos inde genitos appellat voluulos. Et quoniam cacochymia succorū naturalium est triplex, sc. alia pituitosa, & alia biliosa, alia melancholica, ideo etiam triplicem voluulum designauit, hos ab inulcem ex tempore generationis, & ex colore distinguens. Nam primū, qui ex pituitosa cacochymia gignitur, docet fieri hyeme, & colorem in eo plumbeum apparere: secundum quem biliosa parit cacochymia, monet æstate accedere, & inde patientes ictericos euadere: tertium vero, qui ex melancholica cacochymia pendet, dicit autumno generari, & inde patientem nigro colore infici. De his in isto loco non agit Hippocrates, sed de eo tantum, qui proprie, non analogice voluulus appellatur. Hic autem cum à plurib. & diuersis fiat causis, indeq; plures eius sint, vt alias explicaui, differentię, nō de omnibus, sed de ea solum, quæ vi inflammationis intestina apprehendentis causatur, agit, dicens, hunc voluulum fieri, cum supernus ventriculus calescit, infernus autem frigescit. Cur autem ille calescat, & hic frigescat, docens inquit, hoc inde fieri, quoniam inflammatio, quæ intestina apprehendit, ea resiccat, & obturat. Resiccat quidem, quoniam præ feruore ea torret; obturat vero, quoniā ea præ tumore occludit. Ex quo feruore, tumore, resiccatione, ac obturatione hoc succedit, vt partes infra locum inflammatū existentes propria, & influenti sanguinis & spirituum opulentia priuatæ frigescant, quę autem supra inflammationem existunt, magis calescant; in eis residente humorum calidorum tum copia, tum fluxione, tum etiam ad easdem, & præcipue ad supernum ventriculum eorum fluxione recurrente, & vomitum excitante; in hoc autem voluulo resiccatis, & obturatis ab inflammatione intestinis, nec flatus, nec cibi, id est, ciborum excrementa infra locum patientem descendere queunt. Imo his ad superiora recurrentibus, cum locus affectus horum contactum tolerare nequeat, indeque virtus expultrix male operans ad ea excernenda insurgat, succedunt vomitus, primo quidem pituitosarum materierum, si tales præsto sint, deinde & biliosarum, demum vero stercoris. In hoc affectu venter ex tensione loci inflammati durus apparet, & præ vehementia inflammationis valde, & hoc præcipue ad præcordia, dolet, inflaturque calore insito ad extinctionem eunte, ac prędebilitato. Singultus his superuenit, vbi ventriculum in consensum traxerit, eique propriam affectionem communicauerit. Febris necessario, quam siris molesta concomitatur, hos corripit. Nam inflammatio in penitioribus corporis partibus affligens, & corpora admodum sensitiua apprehendens, non potest febrem non parere, indeque accidentia sæua non causare. Quorum violentia cum morbus valde acutus euadat, hi voluulosi septimani fiunt, id est, in septima die, vt plurimum terminari solent. Quæ autem intestina in ileo inflammentur, & quomodo ad præcordia fiat dolor, alias declaraui.

30 *Hos sic curare oportet. Supernum ventriculum quam citissime purgato, & sanguinē de capite ac cubitis detrahito, vt superna aluus calescere desinat, & partes supra septum transuersum frigefacito, excepto corde. Infernas autem calefa-*

calefacito, homine in solio aqua calida collocato, ac semper oleo illito. Calefactoria quoque humida apponito, & glandulam de melle solum decem digitorum longitudinis facito, & ex summa anteriori parte fel taurinum oblinita: atq; sic bis ac ter subdito, quo omnia combusta stercora, circa rectum ac princeps intestinum contenta, educas. Et si quidem sic obedierit, postea clysterem adhibeto, sin minus, follem fabrilem indito, & in ventrem flatum immittito, à quo & ventrem, & intestini contractionem distendas. Deinde extracto folle clysterem adhibeto. Sit autem infusum per clysterem iniiciendum paratum non ex valde calefactoriis, sed ex his, quæ stercora dissoluunt, ac colliquant. Postea obturata per spongiam sede in aqua calida desideat continens clysteris infusum, & si hoc infusum susceperit, & rursus dimiserit, sanus euadit. Cæterum priore tempore mel optimum delingat, & vinum splendidum vernaculum bibat. Quod si voluulo amoto febris ipsum corripiat, desperatus est: forsassis enim & inferna aluus soluta ipsum occiderit.

CVm tria sint principalia accidentia, quæ ad ileum ex intestinorum inflammatione causatũ sequuntur, ideo tres sibi proponit Hippocr. principales scopos, quibus incumbens sperat inflammationem, ac voluulum ipsum superare posse. Ex accidentibus autem primum est superni ventriculi calefactio, secundum inferni frigefactio, tertium est flatus, ac excrementorum cibi interceptio. His obuians, tria sibi proponit agenda, quorum primũ est, vt supernum ventriculum frigefaciat, secundũ, vt infernum frigefaciat, tertium vt excrementorum viam aperiat, & excretionem lacessat. Pro primo tria agenda proponit. Quorum primum est purgatio per superiora, quę mihi suspecta est, tum quoniam homines huic euacuationi nostri non sunt, sicuti antiquiores, assueti, tum quia vomitus, cum locum inflammatum laceret, & materias sursum à reliquo corpore ducat, est cauendus. Secundum est sanguinis de capite, & cubitis missio. De cubitis quidem, quoniam in his sectę venæ potissimum inferioris totius plenitudinem tollunt, sanguinem à loco inflammato reuellunt, & habitum corporis refrigerant. De capite autem, quoniam in hoc sanguis vel per hirundines, vel per scalpellũ, vel per cucurbitulas scarificatas detractus materiam ab eo fluentem potest reuocare, & superiora alleuiare, ac laxare, quorum merito fomes caloris superni ventriculi tollitur. Tertium est partium supra septum transuersum existentium, excepto corde, frigefactio. Nam æstuante superno ventriculo, qui est thorax, ob vapores & exhalationes feruidas ab inflammata parte ascendentes, refrigerantia ei admouenda sunt, non tamen cordi, vt quod principalissimum membrum, ac totius vitæ sustentamentum existens, admodumque parti inflammatæ consentiens, calore eius insito inde deficiente, cuius merito vires in hoc morbo facile & cito concidunt, nequaquam frigefaciendum venit, cum his admotis periculum extinctionis innati calidi subiret. Pro secundo scopo itidem tria instituit, alterum, vt vsq; ad partes infra septum existentes totum corpus in solio calidæ aquæ, cuius merito dolores lenientur, & locus inflammatus demulcebitur ac laxabitur, collocetur, alterum vt oleo (intellige calido) eædem partes continue illinantur. Hinc enim corpus laxabitur, & calor, qui ad superiora totus recurrit, ad inferiora reuocabitur. Si autem reuocetur, indicio erit, inflammationem deuinci ac superari, etenim ea vigente, & intestina ad gangrænam deducente, partes corporis infernæ refrigerantur, incalescunt autem, si ea soluatur, cum calor & spiritus iterum in easdem reuocentur. alterum est, vt calefactoria humida, quæ per fomenta in vtre, aut vesica, aut spongia admoueantur, applicentur. Hinc calidum insitum quod pariter humidum existit, fouetur, ac reuocatur. Pro tertio scopo bis & ter glandulam decem digitorũ longitudine ex solo melle factam, & in summitate felli taurino oblinitam ad educenda stercora vi inflammationis combusta, supponit. Quæ si obedierint, clystere ad maiorem & faciliorem excretionem infundit, sin minus, follem fabrilem indit, & in ventrem plurimum flatum, vt inde intestina vi inflammationis contracta distendantur, & à stercore separentur, immittit, quo peracto clystere nõ acre, quia id inflammationem exacerbaret, sed molle ad emollienda & dissoluenda stercora infundit. Infuso autem clysteri sedem spongia obturat, & patientem in solio calidæ aquæ ad facilitandam fecum emollitiem, ac liquationem, dum clystere ad intra continet, desidere pręcipit. Quod clystere, si quemadmodum ad intra recipiunt, ita pariter excernatur, salutẽ portendit. Nam duo mala in ileo esse consueuere, alterum vt nihil per sedem, ea ac intestinis supra modum angustiatis, admittatur; alterum, vt infusa, quoniam intestinorum vis expultrix in hoc morbo perperam operatur, cum ad superiora, non ad inferiora materias dirigat, retineantur, & nequaquam excernantur. Quapropter si duo his opposita succedant, scilicet, & vt clystere patiens admittat, & idem, vbi illud retinuerit, excernat, erit sperandum, eum ex morbo conualiturum fore, nisi tamen duo alia mala excreto clysteri & ventre excernente subsequantur. Quorum alterum est, vt voluulo amoto, id est, inflammatione sedata, & obturatione sublata, febris patientem corripiat, alterũ vero vt aluus soluatur, & diarrhæa deprehendatur. Nam hæc duo (hęc notentur & memoriæ mandentur, quoniam huic sententiæ correspondet experientia) lethalem facient casũ. Etenim febris morbo peracuto superueniẽs tollit de medio patientem, iam ex pręcedenti ægritudine prędebilitatum, aluus autem soluta post ileum indicat intestinorum facultates abolitas, præcipue autem retentricem, qua nusquam operante potius in hoc casu, in quo antea feces non

tantum

tantum retinebantur, verum etiam sursum transmittebantur, excrementa decidunt, quam fluant. Hos per exordia, id est, à principio antequã morb⁹ factus & absolutus sit, mel optimum ad ventriculi abstersionem, & ventris subductionem delingere, & vinum splendidum, id est, tenue, ac vernaculum, id est, patrium, ac consuetum ad flatuum discussionem, & alui humectationem bibere præcipit, ac si dicat, morbo autem facto, & inflammatione absoluta, nec mel, cæteraq; huic in calore similia, nec vinum, vtpote quod inflammationes internas exacerbet, propinandũ esse, cum eo tempore refrigerantia tantũ, & quæ inflammationẽ lenire non exasperare queant, sint administranda. Hęc Hip. pro voluuli curatione, qui aliam huic similẽ lib. de aff. exponens, non per follem fabrilem, sed per fistulã vtriculi (nos vesicam assumimus) extremitati alligatam insufflandum, & flatum ad intra aluum immittendum docet. Quę duo instrumenta licet forma diuersa, tamen in actu, & in operatione ꝑsenti conueniunt. Follis tamen fabrilis ad hoc valentior est, q̃ fistula vtriculo alligata, de qua licet alias scripserim, me tunc nullam habuisse aut vidisse experientiam, attamen nunc testor, me eo in iliaco expertum fuisse, & iuuamentum conspexisse, non tamen inde solutum fuisse.

Peripneumonia.

31 *Peripneumonia talia facit; febris acuta tenet, & spiritum frequentẽ ac calidum respirat, & anxietas adest, & impotentia, & iactatio, & dolor sub scapulas, & ad claviculã, & ad mammã, & grauitas in pectore, quandoq; etiam delirium. Quidã dolorem non sentiunt, donec tussire inceperint, verum hic morbus diuturnior ac difficilior illo est. Saliuã tenuem, ac spumosam primum spuit, lingua flaua est, verum ꝓgressu tẽporis nigrescit. Si igitur in principio nigrescat, citius morbus finitur: sin posterius, tardius. Tandem vero etiam rumpitur lingua, & si digitũ apponas, inhæret. At liberationẽ à morbo significat lingua, similiter velut in pleuritide.*

TER de peripneumonia in hisce libris actũ est, primo quidem in 1. lib. sect. 3. ad princ. secundo eadem sect. tex. 126. tertio in 2. lib. text. 90. Quib. in locis cum plurima ad huiusce morbi notitiã & curationem tradita fuerint, videanturq; satis ad hæc facere posse, nihilominus hic locus sicco non est transigendus pede, cum multa in eo notabilia, & à medicis aduertẽda existant, & cum præcipue quoad signa, & progressũ morbi, ac eiusdem met curationẽ sit pręferendus his, quę in 2. lib. de peripneumonia tractata sunt, inibi enim multa diminute explicata fuere, curatioq; satis inepta & ineruditα apposita fuit. Cum a. hic locus sit præferendus, igitur & exacte exponendus erit. Inquit igitur Hip. à symptomatib. & signis peripneumoniam consequentibus principium ducens, quod peripneumonia talia facit, id est, hæc mala parit, & hæc accidentia habet, videl. quod febris acuta tenet. Acuta quidem non respectu constitutionis morbi, sed respectu vehementię caloris. Etenim febres internorũ viscerum inflammationem insequẽtes calore sunt vehementes, dummodo non sint lypiriæ, & cacoethes, cum tamen morbi constitutio non à febre, sed ab eiusdem acutie pendeat. Et spiritum frequẽtem ac validum respirat, id est, respiratio necessitate aucta est frequens, & cum in pulmone ex inducta inflammatione sit feruor, calidum expirant; si autem calidum expirant, igitur & frigidum aerem inspirare, vt inde internus attemperetur feruor, cupiunt, cuius merito & frequentia augetur. Sed & præter frequentiam spiritus solent peripneumonici angustiato pulmone, & thorace ex decubitu compresso iacentes vix respirare, vnde vitantes decubitum insurgunt, & orthopnæici euadunt. Quapropter in his non tantum est frequens, verum etiam recta spiratio. Et anxietas adest; nam cum ex difficili anhelitu admodum in respiratione angustientur, anxii, inquieti, ac desperati redduntur. Et impotentia, subintellige, in motricibus facultatibus. Etenim qui habent difficilem respirationem, ad omnem vehementem motum sunt inepti, cum aucto motu maior requiratur respiratio, quæ in respirandi difficultate prohibetur. Et iactatio, nam sicut, qui in suffocationis periculum (causa vel externa vel interna existẽte) deducuntur, exagitantur, ac iactantur, siue vt vim illatam caueant, siue vt noxiam causam amoueant. Quod discrimen cum peripneumonicis ex anhelitus difficultate imminere videatur, non sit mirum, si iactatio eos consequatur. Et dolor sub scapulas, & ad claviculã, & ad mammam; qui dolor his partibus non ratione membri principaliter lęsi, sed ratione ligamentorum, quibus thoraci annectitur pulmo, communicatur, & hoc præcipue, vbi inflammatio vehemens existat. Hæc enim affectum proprium ligamentis impartiens, dolorem in dorso & pecto inducit. Nam quamuis pulmo, qui principaliter est inflammatus, omni sensu careat, nec inde videatur in peripneumonia nullum subsequi dolorem posse, attamen peripneumoniam ob dictam causam dorsi, & pectoris dolor concomitatur, vt clare haberi etiam potest ex Hip. libr. 3. reg. acut. tex. 58. & ex Gal. ibidem. Qui si negat in peripneumonia lateris dolorem, qualis est in pleuritide, adesse, non tamen negat in ea dorsi & pectoris dolorem contingere. Quantum autem differat lateris dolor à pectoris dolore, penes Hip. iam alio in loco declaraui. Et grauitas in pectore; nam præter dorsi & pectoris dolorem tumente ex inflammatione pulmone, eodemque totam thoracis cauitatem replente, grauatur thorax, indeque grauitatis sensus insequitur. Quandoque etiam delirium, ad peripneumoniam enim semper cętera annotata signa, vbi insignis fuerit, succedunt, at delirium non semper, sed quandoque. Ratio est, quoniam cum peripneumonia potius à sanguine pituitoso, quam bilioso fiat, ideo raro delirium in ea apparet, quod tantum est, cum sanguis ille pituitosus miscellam bilis admittat, indeque vehementiorem caliditatem tum participet, tum inuehat. Ab hac autem magis vehementi caliditate delirium fieri potest

superinducto, ptis affectu. Nam cum à pulmone ad caput plurimæ euaporationes, pro ratione sanguinis, aut magis biliosi, aut magis pituitosi, fiant variæ capitis affectiones, nam vbi erit magis pituitosus, comatosi, vt docet Galen. libro quarto de causis pul. capite de pulsu peripneumonicorũ, euadẽt peripneumonici, vbi vero erit magis biliosus, potius delirabunt, q cum non sit perpetuum, ideo dixit Hip. quandoq; delirium hos concomitari. Huiusce n. in peripneomonia delirii habemus exemplum lib. 5. Epid. hist. 5. in Euridamo, qui in Œniades peripoenmonia laborans, decima die cœpit delirare. Quod deliriũ sicuti raro superuenit pipneumonicis, ita etiá curatus ex hoc Euridamus facile ad mentẽ rediit. Ex quo colligo, dictionẽ illá, quandoq;, non tantũ denotare, delirium non esse propriũ omnib. peripneumonicis, sed nec esse cõtinuum in his, in quib. hoc cõtingat, nisi peripneumoniæ phrenitis succedat, vel hoc morbo illi superueniente, vel eius in hunc facta permutatione, qui casus lethalis esse solet, vt notat Hip. lib. 7. aph. 12. cum morbis acutis aliis superuenientib. & morborum acutorum in acutos facta permutatione, lethalis casus penitus euadat. His explicatis signis subdit Hip. Quidam dolorem non sentiunt, donec tussire inceperint. Verum hic morbus diuturnior ac difficilior illo est, quasi dicat, sicut non est perpetuum, quod peripneumonici delirent, ita nec est perpetuum, q dolorẽ sub scapulas, & ad claniculam, & ad mammá patiantur. Nam cum hic dolor non fiat nisi vbi vehemens fuerit pulmonis inflammatio, ideo in his, in quibus leuior fuerit ab initio phlegmon, non apparebit hic dolor, sed tantum cũ tussire inceperint, id est, cum morbus inualuerit, & ad augmentum properabit; quo tempore tussis erumpens indicat materiam è loco affecto fudare, & morbum inualescere, tunc dolor hic superueniet. Verum hæc peripneumonia est præcedenti diuturnior, quoniam sicuti morbi qui extremos statim habent labores, vt habetur lib. primo aphorism. 7. sunt peracuti & breuiores, ita qui non statim, sed postea, & in progressu hos habent, sunt minus acuti, & longiores & difficiliores, quoniam hæc symptomatom & laborum procrastinatio indicat, morbum à materia magis pituitosa, ac tenaci, & viscida, cuius merito magis difficolter è bronchiis pulmonis euellitur, & magis discussioni ac resolutioni reluctabitur, causari. Tussi autem à principio apparente, vel in progressu succedente, excreatur, inquit, saliua tenuis ac spumosa. Tenuis quidem, quia est cruda, spumosa autem, tum ratione partis, ex qua decidltur, cum pulmo sit spongiosus, tum ratione caloris intemperati, ac ignei adhoc in patiente mẽbro vigentis, & nõdũ naturæ aut artis beneficio deuicti. Ab huiusce modi n. calore fiũt spumosa quãdoq; sputa in pipneumonia, vt docet Gal. li. 7. aph. cõ. 30. Lingua his à principio flaua est, at progresso temporis nigrescit, tandem vero finditur, & vbi digitum apponas, inhæret. Quę omnia in peripneumonicis de lingua aduertenda sunt. Nam ratione humoris peccantis fit flaua, ratione exustionis fit nigra, finditur ratione immoderati caloris, inhæret autem digito apposito ob humiditatem viscidam linguæ infusam, & vi caloris non absumptam, sed exustam. At si linguã peccantem & abundantem succum, vt docet Hippocrates lib. 6. Epidem. sectio. 5. textu 14. attestatur, & χλωραὶ linguæ bilem peccare indicant, cum tales à bile fiant, quomodo dictum est in peripneumonia, in qua sanguis pituitosus peccat, linguam esse flauam? At sciendum est, hanc flauitiem in peripneumonicis non intensam, sed valde remissã esse. Quam differentiam aduertens Hippocrates lib. Epid. Histor. 6. in Cydis filio, & propria voce eam describens, dicebat: Lingua qualis est peripneumonicis ὠχρόλευκη, id est, coloris ocreæ subalbidæ, pariter ac si dixisset, lingua in Cydis filio erat semialba, ac simul semicrocea, qualis solet esse in peripneomonicis. Talis autem existit subflaua cum quadam albedine, hoc est, color linguæ erat subflaui coloris admodum per albedinem remissi. Sed quæ est huius coloris causa? humor inflammationem causans. Nam pituita sanguini admista non simpliciter albam, cum putrescat, ac inde feruat, superinducta in viscere inflammatione, potest reddere linguam, sed flauam esse facit ex propria natura, cui admiscetur flauities, vel propter bilem cum pituita admistam, vel propter sanguinis ex inflammationis feruore in biliosum succum conuersionem. Fatentur enim omnes medici cum Galeno, id libro secondo de different. febr. capite nono docente, vsto aut putrescente sanguine eius subtiliorem partem verti in biliosum succum. Quapropter cum hinc duo hi admisceantur, & peccent succi, in peripneumonia lingua erit subflaui coloris, admodum remissi. Flauities enim à bile, albedo autem à pituita causabitur, quæ pariter magis modo ad flauitiem, magis modo ad albedinem declinabit, prout sanguis magis ad bilis, modo magis ad pituitæ naturam verget. Lingua hæc, quæ à principio subflaua est, progressu temporis, id est, inflammatione inualescente, & ad augmentum properante nigrescit, nam cum ex eius feruore, sanguine hinc exustionem subeunte, plurimæ ad superiora attollantur fuliginosæ euaporationes, inde nigro inficitur lingua colore. Quæ nigredo si à principio appareat, quoniam exustionem ingentem, & morbum extremos labores statim habere indicat, morbum cito terminandum fore arguit. Sin minus à principio, sed postetius appareat, quoniam minorem morbi acutiem significat, morbum longiorem, ac tardius terminandum promittit. Hæc lingua, quæ in morbi initio est subflaua, in progressu autem fit nigra, augescente inflammationis feruore quandoq; finditur. Nam sicuti sub æstiuis ardoribus terra ob eximios squalores finditur, ita etiam lingua à vehementioribus exustionib. rumpitur. Sed in hac linguæ ruptione id, quod de terra notandũ est, animaduertator. Nam sicut non omnis terra per æstiuos ardores finditur, sed ea tantum, quę humiditatem lentam participat, nam quę penitus sicca quacunque humi-

humiditate absumpta existit, non finditur, sed in puluerē comminuitur, ita non omnis lingua ex febrium & inflammationum vehementia rumpitur, sed ea, quæ aliquam humiditatem reseruat. Nam quæ nullam humiditatem habet, à superfluo calore exasperatur, non finditur. Hinc in febribus ardētibus lingua fit sicca, & aspera, nō autem rumpitur, at in peripneumonia, in qua ratione pituitæ abundantis lingua madescit, à superabundante calore non exasperatur, sed finditur. Et quoniam in hoc feruore pituita illa, ex qua lingua maduerat, viscidior & tenacior euadit, ideo ad tactū lingua inhęret. Antequā n. hæc pituita linguæ superinfusa admodū à calore illo igneo alteretur, primo linguam cōpactam, coactam, ac tanquam omni mollitie expoliatam (quā vocat Hip. & Gal. lib. 1. Pror. tex. & cō. 3. densam) reddit, secundo inualescente alteratione eam findit, & quoniam cum talis facta est lingua, obscure patientes loquuntur, ideo Hip. lib. 7. Epid. hist. 18. in Balis filio eā ab hoc symptomate obscurā vocat, dicens: lingua obscura pipneumonica. Qualiscunq; n. existat hæc lingua peripneumonica, siue sit flaua, siue nigra, siue densa, siue fissa, siue digito inhærens, semper est sicca, nam ex inflammationis vehementia lingua non tantū connata & naturali humiditate exinanitur, verū ea quoq; quā tum ex vasis circumstantib. tū ex glandulis, quas à fundenda saliua σιαλογώ; appellāt, recipit. Quā siccitatem licet aperte nō apposuerit Hip, eam tamen insinuat per nigredinē, & fissionem, & inhærentiā, innuens in peripneumonicis non penitus dictas humiditates absumptas esse, sed aliquid earum relictū esse, cuius ratione findi non exasperari lingua debeat. Hæ n. linguæ præternaturales affectiones, sc. flauities, nigredo, densitas, fissuræ, & ad tactum inhærentia, sicuti dum apparent, morbum augeri, & vehementiorem fieri arguunt, ita dum earum oppositum euenit, morbi solutionem significant. Nā si lingua in hoc morbo nec nigrescat, nec densetur, nec findatur, nec ad tactū inhęreat, vel si nigra facta, postea ad flauum, seu ad naturalē mutetur colorē, si densa emolliatur, si fissa æquetur, si inhærens lenis & humida reddatur, morbi solutionem indicat, eademmet ratione, qua in pleuritide, sicuti inferius declarabitur, lingua pernitiem vel salutem designat. Et hæc de lingua.

32 *Hæc n. patitur homo ad minimū dieb. quatuordecim, ad summum vna & viginti, & per hoc tempus tussit vehementer, & vna cū tussi purgatur, primū saliua multa, & spumosa, septima vero & octaua die, vbi febris in vigore fuerit, si humida sit, peripneumonia crassior pdierit, sin minus, nō. Nona vero & decima cū virore pallida ac subcruenta: duodecima n. vsq; decimā quartam multa & purulenta. Atq; hoc in his contigit, quorū natura & corporis affectiones humidæ sunt, & morbus fortis est. Quorum v. & natura & morbi constitutio sicca est, in his minus. Siquidem igitur decima quarta die resiccatus fuerit, & non amplius purulentū tussi inde reiecerit, sanus est. Sin minus, ad duodenigesimā, & vigesimam primam, & animū aduerte. Et si quidem tunc sputum illud quieuerit, euadit, sin minus, interroga ipsum, an dulcior sit saliua, & si affirmauerit hoc, scito pulmonē ipsi suppuratum esse, & morbus annum durabit; si non, in quadraginta dieb. pus eduxerit. Si v. insuauem saliuā esse dixerit, status morbi lethalis est. Verum in primis dieb. hi maxime manifesti fiunt, si n. putrefactum & purulentū expuerit dieb. duob. ac viginti, & nō exulceratus fuerit, euadit: sin minus, nō. Hæc peripneumonia nullum eorum, q̄ in pulmone sunt vitiorum relinquit. Si igitur aliq̄ horum malorum adsit, cognoscere oportet, & quæ ægrotus mala habeat, & quæ medicus aggredi debeat. Si vero pauca horum signorū habuerit, ne decipiatur. Nā perniciosa nō est peripneumonia, sed mollis.*

CVm in explicatione iudiciorum peripneumoniæ docuerit Hip. alia morbum breuiorem, alia morbum diuturniorem significare, ideo nunc vtrunq; terminū morbi, ac eiusdē quoad dies progressum declarare intēdit, dicens, peripneumoniā ad minus quatuordecim, ad summū viginti, & vno dieb. terminari. Sed quæ est huius sententiæ ratio? Ratio est, quoniā licet peripneumonia sit tū ratione loci affecti, tū affectionis, morbus acutus, verū quoniam à pituitoso gignitur sanguine, ideo ante decimam quartam, quæ est acutorum simplicium terminus, non soluitur, nā celeritas, quæ tū ratione loci affecti, tū ratione affectionis induci possit à frigiditate peccantis humoris reprimitur, & retardatur. Qui peccans humor, si morbū à principio non simpliciter acutū, sed leniorē, vt in his, qui à principio dolorem non sentiunt, contingit, faciat, tunc morbus introducitur, cuius acuties à prima die nō numeratur, hicq; ad vigesimam primam durabit. Quod idem contingere poterit, si etiā à principio morbus acutiem receperit, verū sanguis peripneumoniam faciens, fuerit admodum pituitosus. & inde ad motum, & ad coctionem, ac resolutionem contumax extiterit. Per hunc dierum circuitū, inquit Hip. patiens tussit vehementer: nam præter irritationem visceris inflāmātis affectus merito causatam, etiam resudans ex loco inflammato materia tussim causat; quæ vehemens est, tum quoniam affectio est vehemens, tum quoniam ex loco recondito materia est euocanda & educenda, per quā locus affectus purgetur. Hęc materia est saliua à principio quidē multa, vbi copiose resudet, & spumosa tum ratione partis, à qua deciditur, tū ratione feruentis inflammationis, & tenuis, quoniam adhuc cruda est affectio. Procedente autem morbo, & ad vigorem properante, vbi morbus sit salubris, hæc materia aliquam coctionem recipiens incrassatur, indeq; in vigore morbi crassior excreatur. Huius vigoris terminus statuitur septima & octaua dies in his, quorum in decima quarta futura est solutio, & iure merito. Nam cum principii & augmenti tem-

pus ad tempus vigoris & declinationis proportionetur, si morbus in dieb. 14. soluendus est, prima septimana principium & augmentum, secunda vigorem & declinationem continebit. Cum a. finis primæ septimanę sit septima dies, initium autem secundæ sit octaua, & cum finis augmenti naturam status participet, ac fere æquet, ideo septima & octaua dies huius vigoris terminus staturus est, & hoc eo magis, cum in septima, quæ est dies critica, accessio maior incidere consueuerit, quæ tamen vsq; ad octauã diem crebertime prorogatur, cuius merito etiam vtriusq; mentionẽ egit. In his a. ambabus, cum vtræq; vltimũ aug mẽti terminũ, & status initiũ retineant, incipiũt crassiora, id est, cõcocta excreari, si humida sit pipneumonia, id est, si pipneumonia eiusce nõ fuerit naturę, vt in ea sanguis adeo cõculcatus & coactus existat, vt nihil ad extra resudet, sed fuerit laxa, & mollis, ac resudans. Talis n. est humida, & in ea sputa cõcocta excreari incipiũt in septima & octaua, in decima quarta solutionẽ recepturã se fore arguẽs. Si a. peripneumonia non fuerit à principio humida, sed sicca, nec saliuæ ab initio adsit excreatio, non expuunt peripneumonici in septima aut octaua crassiora, & cõcocta, sed in nona & decima, tunc aliquali concoctione inchoante, subchlora, id est, subpallida, subflaua, & subcruẽta simul excreare incipiũt. Eadem a. coctione ꝓcedẽte tandẽ à duodecima, in qua ẽst status morbi vsq; ad decimã quartã, in qua cessante vigore declinat morbus, excreant multa, & purulenta, id est, concocta; nã vt alias declaraui sæpius Hipp. per putredinẽ intelligit coctionẽ, & per purulenta intelligit cõcocta. Hæc cõtingunt in his, in quib. ægrotantis natura, & corporis affectio in humiditate conformãtur, cõcurrente morbi acutie ac vehemẽtia. In quib. vero ægrotantiũ natura & corporis affectiones ad siccitatem vergũt, morbo nõ ita acuto aut vehementi existente, tardius hæc eueniunt. Qua de re si in dictis dieb. dicta ratione procedat morbus, & in decima quarta per tussim reiecta materia cõcocta penit⁹ resiccetur, ea die soluitur morbus, & patiens sanus euadit. Si a. non prorsus in decima quarta resiccatus fuerit, quia adhuc sputi cocti perseueret excretio, tunc morbus ad vigesimam prorogabitur. Quo transacto tẽpore vigesimã primam, & vigesimã secundam diẽ aduertas; nam si tũc videris sputi excreationem quiescere, pulmonẽq; inde penitus purgatũ ac exiccatum esse, scies morbum solutũ esse, & patientẽ ab eo conualuisse. Si a. adhuc perseueret excreatio, nec inde pulmo penitus resiccatus sit, tunc interroges, an saliua dulcior facta sit, an insuauis euaserit. Nam cum peracto prædicto viginti dierum tempore adhuc madeat pulmo, sputaque copiosa prodeant, signum erit pulmonis inflammationem non solui, sed verti in suppurationem, quam suppurationem attestabitur superueniens sputi aut dulcedo, aut insuauitas. Etenim sapor superinductus vlteriorem alterationem, quam eam, quæ veræ coctioni debetur, materiam morbosam subire significabit, qui si ad dulcedinem decliuis existat, mitiorem casum, & tutiorem suppurationem designabit; si autem insuauis, lethalẽ esse casum præmonstrabit. Nã dulcedo ex mediocri calore, & mediocri alteratione causatur; at insuauitas ex ingẽti calore, & ingẽti alteratione, ac corruptione gignitur. Dulce sputũ licet purulentũ 40. dieb. (totidem n. eiusdẽ retentionem tolerat natura, vlterius a. nequaq̃, cum inde putreat, & vim corrodẽdi acquirat) expurgari debet. Quod si hoc tẽpore nõ expurgetur, morbũ annuũ, id est, talem, quæ ad annum prorogari, si qua longissime terminetur, causabit. Insuaue autẽ sputum, quod corruptionem visceris attestatur, morbum lethalem quidem, sed non duraturum esse arguit. Nam cum suppurationes, quæ fiunt cum corruptione viscerum, sint lethales, hinc etiam succedit, vt morbus inde enascens cito terminandus sit, & sicuti cito terminantur, ita etiam cito apparent, fiuntq; feruente adhuc inflammatione. Quo casu cito purulenta sputa apparent, vt plurimum autem in septima, vt notauit Hip. lib. 2 Progn. tex. 54. Seruantẽ vero talia, cito mori certũ est, quod si vltra septimam tale sputum appareat, morbũ paulo plus prorogabit, non tamen eũ longum faciet. Quæ indicia cum in morbis lethalib. cito appareant, ideo dixit Hip. verum in primis dieb. hi maxime manifesti fiunt. Nam primis diebus sputa talem suppurationem & corruptionem attestantia, apparere solent. Veruntamen hoc sciendum est, quod qui talia, id est, putrida, ac purulenta intra viginti duorum dierum spatium reiiciunt, si ex his pulmonis vlcus non subeant, euadere possint. Si autem ex pure contento, & in viscere genito exulcerentur, nulla spes est salutis, breuique perituri sunt ex ea patientes. Hæc autem peripneumonia, ex qua non vlceratur pulmo, cum nullum peculiare vitium in pulmone relinquat, est salubris, sicuti ea, ex qua vlceratur, cum peculiare vitium in pulmone ex morbo acuto iã labefactato, & languido relinquat, est lethalis. Quæ optime à medico sunt aduertenda, vt quibus morbis æger detineatur, & quibus affectibus ab eo sit reluctandum, noscat. In consideratione autem signorum ac superuenientium malorum vim & efficaciam omnium attendat, ne vbi pauca sint mala, piculũ insigne timeat, vbi s. plura & intensa, salutem præsagiat. Etenim vbi peripneumonia à prauis signis non cõcomitetur, perniciosa nequaq̃ existit, sed mollis id est, salubris, ac facile curabilis, sicuti n. mollia agentib. ita huiuscemodi pipneumonia facile curationi cedit.

33 *Cęterũ peripneumoniã hoc modo curare oportet, nõ tamẽ peccabit, si quis etiã pleuritidẽ, & phrenitidẽ ita curare aggrediatur. Primũ caput leuius facere incipe, quo nihil influat ad pectus. Primis a. diebus sorbitiones sint dulciores, sic n. id, ꝙ consedit ac cõpactũ est, potissimum elueris, ac cõmoueris; quarta die, & q̃nta, ac sexta non amplius dulces, sed pingues, nã ad sputũ sursum excitandũ cõducunt. Si v. pro ratione spuere nõ possit, ex pharmacis sursũ educentibus dato, aluum autem in primis quatuor aut quinque dieb. subducere oportet, & hoc paulo amplius,*

quo

quo & febres obtusiores sint, & dolores leniores. Quum autem euacuatus fuerit, & corpore debilis, infernam aluum tertio quoq; die deorsum commoueto, quo & corpus potens sit, & superna regiones humoris exortes. Nam si multus humor infra secedat, à quinta die mortem inducit: infra enim humore secedente, superna partes resiccantur, & sputi purgatio non prodit. Oportet igitur & infernam aluum neq; valde suppressam esse, vt ne febres sint acuta, neq; valde egerere, quo saliua sursum educi possit, & ager viribus valeat.

IN peripneumonia curanda eædem offeruntur indicationes curatiuæ, quæ & in aliis inflammationibus thoracis. Nam cum hęc fiat à materia pulmonem obsidente, indicatur, vt ea materia euacuetur; euacuabitur, si vel retrocedat, vel è proprio loco educatur; retrocedet vel reuulsa, vel deriuata: educetur vel sensibiliter per sputum, vel insensibiliter per discussionem. Verum quoniam hæc, nisi corpus fuerit præeuacuatum, rationabiliter administrari nequeunt, ideo primo indicatur, vt ante cætera totius euacuatio præmittatur. Hanc vniuersalem corporis euacuationem, vel per venæ sectionem, vel pharmaco moliemur, illa autem particularia singularibus remediis exequemur. Quæ curandi ratio quoad indicationes, cum sit communis internis inflammationibus, ideo Hipp. inquit, hanc eandem curandi formam, quæ peripneumoniæ conuenit, conuenire quoq; tum pleuritidi. His autem prædictis indicationibus alteram superaddit Hip. maxime aduertendam, videlicet, quod primum, id est, ante omnia caput leuius faciendum est, ne ab eo quid influat in pectus. Nam cum in pulmonis morbis, vt habetur libr. 2. progn. 49. sit malum grauedinis, sternutamenta ac destillationes vel pręire, vel subsequi, quoniam vel ab iis concutitur & laceratur, vel ab iisdem repletur pulmo, ideo ad cauendam horum malorum noxam, pulmone affecto, ac phlegmonante quamprimum caput leuius faciendum erit. Leuius autem fiet sanguinis missione, vini abstinentia, tenui victus ratione, & fricationibus, cucurbitulis, ac scarificationibus inferiori corporis parti admotis, hisque aliis similibus, quę vel caput euacuare, vel à capite humores ac vaporationes reuellere apta sint. Leui autem facto capite, id est, præmissa totius corporis euacuatione, facta humorum & vaporum ad infernas partes reuulsione, & instituta tenui victus ratione, maxime intentus sit medicus sputi & excrementorum pulmonis eductioni. Hinc Hippo. monet primis diebus sorbitiones dulciores, vt id, quod in pulmone insedit, ac compactum est, eluatur, ac ad excretionem commoueatur, exhibendas esse, quibus per primos dies, id est, vsq; ad primum quaternarium tribus diebus ab Hippocrate libro primo Prognost. tex. 11. circumscriptum, (per quod principium morbi designatur) exhibitis, & inde materia à pulmone abstersa, ac ad excreationem irritata, sequentibus diebus, id est, in quarta, quinta & sexta, per quas morbi augmentum significatur, non amplius sorbitiones dulciores, sed pingues, (nam talia ad sputum excreandum maxime conducunt) erunt propinandæ. Etenim pinguia in cōparatione rerum dulciorum magis excreationem per tussim facilitant, dulciora autem in comparatione pinguium magis tussim protitant. Quapropter cum in augmento magis excreationi, quam proritandæ tussi sit incumbendum, hinc in augmento dulciora cauenda, pinguia autem, quæ & simul etiam dulcia sunt (nam & sub nomine pinguium non modo vnguinosa, vt docet Gal libr. 6. Epid. sect. 5. comm. 14. verum etiam dulcia, & quæ prorsus naturaliter se habentibus suauia sunt, comprehendūtur) exhibenda erunt. Etenim Hipp. dulciores, non simpliciter dulces sorbitiones excludit, probans vsum pinguium, quæ siue sola, siue admixtis dulcibus exhibeantur, facient & ad faciliorē sputorū excreationem, & ad inflammationis concoctionem. Tale potest esse butyrum, quod à Gal. lib. 10. de simp. med. facul. cap. proprio in pleuriticis & peripneumonicis ad excreationes ex pulmone summe commendatur, hac habita distinctione, vt si solum lingatur, magis concoquat, minus educat; si autem cum melle, & amygdalis amaris, magis educat, minus concoquat. Quapropter cum in augmento tum excreationi, tum coctioni sit incumbendum, pingues quidem sorbitiones, veruntamen melle, aut alia re simili admixta, cuius ratione non dulciores, sed pingues cum quadam dulcedine existant, erunt exhibendę. Si autem his exhibitis sputum pro ratione morbi non prodeat, Hip. sumpta indicatione à consuetudine vomitus antiquioribus assueti, monet corpus per medicamentum sursum purgans euacuandum esse. Quod genus medicamenti sicuti nostris hominibus est insuetum, ita pariter noxium esset tum ratione violentiæ inde thoraci illatæ, tum etiam, quoniam materia & inflammatio existens cruda, tantam non tolerarct vexationem. Quoniam autem plurimum in acutis morbis refert, aluum fluidam esse, excrementaque in imo ventre existentia facile deiici, duo quoad hoc adnotāda præcipit. Alterum est, vt in primis quatuor, aut quinq; diebus aluus abundantius subducatur, quo febres, exinanito ventre, ac excrementis eiectis, fiunt remissiores, dolores autem euadant leniores. Quibus enim cibus, & alui excrementa inclusa sunt, sorbitiones, quarum in his vsus est ad sputi excreationem necessarius, exhibitis, vt habemus lib. 1. reg. acut. text. 32. dolores augentur, qui iidem, si aluus subluatur, vt inferius tex. 45. liquet, remittuntur. Sicuti autem alui subductione dolores leniuntur, ita pariter febres, cum ab internis viscerum excrementis foueantur, ex ea obtusiores redduntur. Alterum est, vt cum ex alui subductione corpus debile factum fuerit, debile non debilitate virium corpus nostrum regentium, quoniam actio fuisset inconueniens, & casus foret lethalis, sed ea debilitate, qua libro secundo de nat. human. tex. 10. Hip. corpus in Epidemicis morbis, quam debilissimum esse reddendum consulebat. Quæ debilitas in eo consistit, vt caloris proprii

abundantia, & succorũ in corpore existentiũ opulẽtia imminuatur. Hanc imminutionem in lib. de natura humana per cibi ac potus detractionẽ, hic per alui abundantiorem subductionem procurat. Quorum morborum merito dicitur corpus factũ debile, quoniam cum hinc calure insito non admodum vigeat, nec copiosis succis scateat, videtur languidum, cum tamen cum huc languure omnes virtutes nustrum corpus tegentes possint esse validæ. Alterum, inquam, est, vt cum ex alui subductione corpus debile factum fuerit, post quartam aut quintam vnoquoque tertio die aluus deorsum commoueatur; sed non ita abunde, vt primis illis diebus, verum mediocriter, & in ea mensura, vt corpus validum persistat, & partes supernę (credo literam negatiue legendam esse,) nuu penitus resiccentur. Nam sicuti copiosę euacuationes corpus dissoluũt & desiccant, ita pariter moderatæ corpus in suu robore relinquunt, & humiditates eius nnn disperdunt. Quod si vllo in casu est cauendum, hoc in vno casu est vitandum, quoniam abundantior alui fluxio post quintam, aut arte procurata, aut naturæ conatu facta mortem inducere solet. Nam cum vera peripneumoniæ solutio per sputum fieri debeat, si ex copiosa alui fluxione partes superiores deorsum omni humiditate deriuata exiccentur, sputi excreatio penitus tollitur. Hoc autem retento, spirandi difficultas augetur, qua aucta spiritus fit frequentior, à multo autem & frequenti spiritu, vt habemus libro primo reg. acutorum 37. summe tum viscosum, tum incoctum efficitur sputum. Hoc autem intus rętentum spirationem malam adauget, indeque mutua opera sibi inuicem opitulantes tandem ægrum suffocant. Quapropter in his hæc duo obseruanda sunt, alterum, ne inferna aluus supra modum retineatur, quoniam hinc febris ardentior, & dolor vehementior euadit; alterum ne immoderate ac nimium egerat, quoniam hinc vires labefactarentur, & sputi eductio resiccatis partibus superioribus impediretur, quæ duo sicuti sunt mala, ita etiam mortem accelerarent. Verum præter hæc sciendum est, in peripneumonia abundantiorem alui egestionem non tantum esse malam, si arte procuretur, verum quoque si naturę conatu accidat, cuius merito dicebat Hippocrates 7. aphor. 16. A peripneumonia habito alui profluuium adueniens, malum. At ex aduerso experientia testatur, peripneumoniam quandoque alui fluxu solui, cuius exemplum libro septimo Epidem. historia 14. in Caupone habemus, qui peripneumonicus ex superueniente alui fluxu mitius primo habuit, demum autem sanus euasit. Ad hoc sciendum est, Hippocratem hoc in loco abundantiorem alui egestionem non in quocunque tempore, sed in augmento morbi, & dum ad statum properat, improbare, cum tunc temporis materiæ sint adhuc crudæ, & symptomata existant vehementiora (circa principia enim, & circa fines omnia imbecilliora, cum vero consistant, & ad consistentiam accedant, omnia fortiora existunt) quorum merito de viriũ labefactatione & de corporis solutione ex nimia egestione dubitandum est. Quod idem insinuans in libro septimo aphorism. dicebat, à peripneumonia habito, id est, maxime, vt exposuit Galenus, vexato, alui profluuium superueniens malum. Maxima autem vexatio est in augmento, & dum ad statum morbus accedit. Quod designans tempus Hippocrates, hoc in loco dicebat, post quintam alui copiosam subductionem mortem inducere, post quintam, inquam, id est, transacto principio, & morbo per augmentum ad statum properante, quo tempore cum morbus vrgeat, materiæ sint crudæ, symptomata sint vehementiora, si profluuium alui superueniat, talis excretio haud naturæ recte operantis ratione gignitur, cum eo tempore aliquid bene euacuari sit impossibile, cum coctionem præire, subsequi vero separationem, & postea euacuationem, vt bona sit excretio, ac crisis, oporteat. Sed est casus præter naturam earum, quæ sunt in corpore, dispositionum. Nam tunc tale alui profluuium succedit, compatiente vel hepate, indeque alimentum ad se non alliciente, nec immutante, vel ventriculo cibum corrumpente, vel facultate retentrice aut languente, aut extinctionem subeunte, indeque cibaria & succos continere nequeunte. At si vel in fine status, vel post vigorem celebrata iam coctione tale alui profluuium superaccedat, poterit esse salutare, cum euicta morbosa materia, & superante natura fiat. Qui casus cum fuerit in Caupone, non sit mirum, si per alui fluxionem euaserit, & hoc eo magis, cum madentis excretionis mala, quæ sunt paulatim, & frequenter deiicere, vt docuit libro secundo Prognosticor. 14. subterfugerit. Nam hic cum post vigorem morbi quinta, sexta & septima habuerit, octaua sudauit, nona pallidum, id est, sputum aliqualiter coctum excreauit, decima autem alui fluxu superueniente multum & raro deiecit, cuius merito in vndecima melius habuit, & in decima quarta, qui est minor peripneumoniæ circuitus, penitus è morbo conualuit. Quoad sudorem autem, qui apparuit in octaua, animaduertito, eum non improbandum esse, licet Hippocrates libro quarto reg. acutor. 78. dixerit, in peripneumonicis eum ad statum peruenerint, sudores malos esse, quoniam Hippocrates eos damnat, qui fiunt circa ceruicem, & caput tantum, quos etiam libro primo Prognosticor. 29. pessimos esse asseuerabat, & qui fiunt vincente ob æstus impetum ac violentiam ægritudine, & cruda adhuc materia existente. At in caupone materia coquebatur, æstus remittebatur, & per totum corpus, cum tandem conualuerit, sudasse censendum est. Qui sudor ad sanitatem etiam, sicuti & sputum præter alui fluxionem contulit, cum inde pars materiæ fuerit excreta, reliqua autem per aluum fuerit euacuata.

34 *At medicamenta sursum educentia, sexta & septima*

ſeptima ac nona die, & morbo adhuc vlterius progreſſo, magis exhibeto. Sit autem medicamentum, veratrum album, thapſia, elaterium recens, ſingula æquis portionibus. Quod ſi ſaliua non probe purgetur, & ſpiritus fuerit frequens, & purgatio non præualeat, prædicendum eſt, nullam ſpem vitæ reliquam eſſe, ſi purgatione nihil efficere poſſit, ſed & alia facienda ſunt, quæ in peripneumonia fieri ſolent, ſi inferna aluus miniſterium ſuum probe obierit.

CVM monuiſſet Hippocrates ad purgandum pulmonem primis diebus ſorbitiones dulciores, quarta autem, quinta & ſexta pingues exhibendas eſſe, hiſque exhibitis, ſi non prodeat ſputum, nec excreatio pro ratione morbi ſuccedat, propinandum eſſe pharmacum ſurſum edocens, nunc explicat, quo tempore hoc ſit exhibendũ, & quod ſit illud, quod exhiberi debeat. Tempus eſt, vt ſexta, ſeptima & nona die exhibeatur, & etiam adhuc vlterius progreſſo morbo (quoniam materia magis euicta erit, vbi morbus ad vlteriores dies proceſſerit) magis conueniet illud exhibere. Medicamentum autem erit helleborus albus, thapſia, & elaterium recens, quæ ſingula æquis portionibus admixta admodum commode poterunt materiam peccantem, & ſuccos ſuperfluos per ſuperiora educere. Si autem hac peracta euacuatione non probe ſputum purgetur, ſed ſputo retento ſpiritus frequentior euadat, ex purgationeque non ſubleuetur æger, arguendum eſt, nullam vitę ſpem reliquam eſſe, ipſumque patientem omnino periturum fore. Quæ ſententia ſicuti peracta purgatione eſt vera, ita quo ad purgationem faciendam non eſt recipienda, quoniam tale medicamenti genus quo ad qualitatẽ noſtris temporib. eſt incommodum, quo ad tempus eſt intempeſtiuum, & quo ad ſpeciem eſt ſupra quã deceat, validum. Quare hoc medicamenti genere dimiſſo, vbi aluus inferna non immoderate, ſed probe munus ſuum obierit, cætera, quæ in peripneumonia fieri ſolent, tententur, & ſuis loco & tempore adminiſtrentur. Talia autem erunt ſputi per propria medicamenta ꝓuocatio, thoracis per conuenientes vnctiones laxatio, materiei intus pulmonem obſidentis, ad extra per vnctiones attrahentes, & exaſperantes, ac per cucurbitulas, vel ſcarificatas, vel non ſcarificatas euocatio, eiuſdem peccantis materiei tum per frictiones, per ligaturas, per ſcarificationes, per cucurbitulas reuulſio, tum eradicatiua, ac electiua, tandem per pharmacum inferne euacuans abſoluta purgatio. Qua ratione autem, qua methodo, quo tempore hæc adminiſtranda veniant à Gal. ꝓpriis in locis à cæteriſq; medicinam facientibus deſumamus, contenti his, quæ Hipp. antiquo more hic de peripneumonia narrauit.

35 *Quin aliter curationem facere oportet. A prima die initio ſumpto æri magni conchulam maiorem dato, dauci & vrticæ vtriuſque itidem vnam, ſinapis & rutæ quantum tribus digitis comprehendere potes, & ſuccum ſilphii magnitudine fabæ. Hæc in aceto dulci, & aqua permixta, & diluta, & excolata, ieiuno tepida bibenda dato. Poſtquã vero purum expuere cœperit, æri conchulam maiorẽ, & ſeſamum, & amygdalas purgatas, in aceto dulci aqua diluto bibenda præbeto. Si vero magis ducere voles, radicis capparis corticem admiſceto.*

CVM peripneumonia à pituitoſo ſanguine cauſetur, docueritq; in ſuperioribus Hipp. generalia documenta in eiuſdem curatione obſeruanda, nunc ad magis particularia deſcendens, & ſibi ꝓ typo eam peripneumoniã, quæ à pituitoſiori ſanguine pendet, proponens, & generalia præcepta exequutioni iam demandata ſupponens, omnem ſcopum ad attenuationem materiei peccantis dirigit. Quæ cum ſanguis admodum pituitoſus exiſtat, ideo validiora ad id aſſumit medicamenta, quæ ratione caliditatis materiæ frigiditatẽ coerceant, ratione validæ attenuationis craſſitiem attenuent, & ratione abſterſionis viſciditatem tollant. Hæc autem ſunt æri radices dauci, & vrticę ſemina, ſinapis, & ruta. Quæ omnia præter vim attenuantem, qua prædita ſunt, etiam facultatem abſterſiuam poſſident, & reſpicientia thoracem craſſos humores è pulmone abſtergere, ac ſeparare, & præter id eoſdem etiam expectorare apta ſunt, & hoc præcipuę, ſi poluerisata in aceto mulſo ſuperaddito ſilphii ſucco ad diffundendos humores aptiſſime diluantur, & ieiuno ventriculo tepida in potu exhibeantur. Ex quibus ſperans Hipp. materiei in pulmone exiſtentis tum coctionem, tum eductionem, ſubiungit. Quod vbi ſputum purum, id eſt, cõcoctum prodeat, tũc ad totalem peccantis humoris excreationem pinguia attenuantibus & abſtergentibus ſuperaddenda eſſe, quale eſſet, ſi ſupra radicem æri ſeſamũ & amygdalæ amaræ coniiciantur, & in aceto mulſo aqua diluto bibenda præbeantur. Quod medicamentum ſi magis ducere volueris, inquit Hipp. his capparis radicem admiſceto. Hæc enim præ omnibus ad prędicta eſt valida, cum ratione qualitatis amaræ, quam prædominantem poſſidet, & acris, quam ſecundo loco obtinet, valide extergere, expurgare, ac incidere, & ſimul attenuare, ac diſcutere valeat. Quare in maiori neceſſitate hæc radix addatur, in minori autem illa ſufficiant. Quæ medicamenta tanquam exemplaria agendorum aduertantur, non tamen feruente inflammatione in vſum recipiantur. Nam cum ſupra modum calida exiſtant inflammationem exacerbarent, niſi vel admodum temperata, vel in remiſſa inflammatione exhibeantur.

Pleuritis.

36 *Quũ pleuritis apprehẽderit, hoc patitur, dolor latus, & febris, & horror tenet, & frequentẽ ſpiritũ habet, & erecta ceruicis ſpiratio vrget, & tuſſiendo reiicit ſubbilioſa, velut à mali punici*

corio, si non ruptiones habuerit; si vero habuerit, etiam sanguinem à ruptionibus. Est autem & sanguinea pleuritis, in qua subcruenta reiicit. Et est quidem biliosa mitior, si non ruptiones ager habeat, sin minus, dolorosior quidem est, sed non lethalior. At sanguinea fortis & dolorosa, & lethalis est.

CVM ad satietatem medicinam communiter facientes de pleuritide egerint, nonnullaque de eadem à me in com. lib. 1. adnotata fuerint, non est, quod hoc in loco longior existens, materiam exquisitissime ab aliis pertractatam diffuso stylo repetam. Verum ne ea, quæ ad præsentem locum sunt necessaria, omittam, animaduerto Hippo. hic triplicem pleuritidis differentiam annotasse. Quarum prima est à materia: secunda à tussi: tertia à loco dolente. Quo ad differentiam à materia, licet pleuritis à quocunq; sanguinis genere causari queat, attamen Hippo. hic de calidiori materia solum sermonem habens, tantum de biliosa & sanguinea agit. Quo autem ad differentiam à tussi, cum alia possit esse humida, alia sicca, humida inquam, quia à loco affecto materia resudans excreatur; sicca autem, quia vel nil resudet, vel resudans ob viscididitatem, aut tenacitatē materiei, aut ꝓpter impotentiam virtutis animalis non educatur, de vtraq; meminit. Quo autem ad differentiam loci dolentis, cum in altera dolor sit in partibus lateralibus thoracis, in altera autem sit dolor in partibus posterioribus ad dorsum, hic etiam de ambabus loquutus est. Incipiens autem ab ea pleuritidis differentia, quę à materia sumitur, inquit, in hac ista adesse mala, scilicet dolorem lateris, nam affecta succingente costas mēbrana latus dolet, nisi inflammatio partes eius posteriores apprehenderit, febrem, quæ acuta esse ob cordis viciniam cōsueuit, horrorem, qui & in rigorem crebro permutatur. Declarauimus autem rarum esse, quin pleuritis à rigore incipiat, etenim in transmissione materiæ à venis in pleuram fere necessario rigor, aut saltem horror succedit, spiritum frequentem, nam ex violentia doloris spiratio immutatur. Fit autem crebra, natura dolorem refugiente, indeque magnitudinem anhelitus vitante, cuius merito dicebat libr. 1. Prognost. 27. spiritus crebrior significat dolorem, aut inflammationem, quæ supra præcordia fatiget orthopnæam. Quæ sicuti est rara, in pleuritide, & in omni morbo acuto, vt habetur libr. 1. Progn. 23. existit praua, ita etiam nō superuenit nisi illis pleuriticis, qui pessime habent, ac ad interitum properant. Sputum subbiliosum, quoniam vbi gignatur pleuritis à sanguine calidiori, cum vi inflammationis in parte affecta conculcatus putrescat, ferueat, & vratur, necessario eius pars subtilior in bilem cōuertitur, quæ ex loco affecto, nisi inflammatio sit cacoethe, propter eius subtilitatem resudans sputum subbiliosum, colorem mali punici in flauitie ęmulans, reddit; nisi tamen sanguis in loco inflammato cōculcatus adeo maleficus existat, vt ruptionem, ac corrosionē in membrana succingente patiens sit in causa, vt sanguis ex ea sub propria forma erumpat. Talis autē pleuritis dicitur ab Hipp. sanguinea à sanguine ipso, per ruptionem à loco affecto erumpente, non autem ab eo resudante. Resudans enim facit sputum aut eructum, aut subcruentum, at in erumpente per ruptionem, non sputum, sed sanguis syncerus excreatur. Et ideo dicebat Hipp. ἵνδὲ τῷ αἱματώδῃ ὕφαιμον, Id est, est autem & sanguinea, & in sanguinea sanguineum, id est, cum ea feruido sanguine generatur pleuritis, ea dicatur sanguinea, in qua per ruptionem sanguineum (non subcruentum, vt transtulit Interpres) id est, purus sanguis excreatur. Ea autem dicitur biliosa, in qua sputum subbiliosum educitur, quę duplicem potest habere differentiam, cum vel sine ruptione, vel cum ruptione esse possit. Quæ est sine ruptione, est magis blanda & mitior altera; quæ autem est cum ruptione, est dolorosior quidem, quoniam huiuscemodi ruptio non fit à bile, nisi vbi ea acrior & mordacior extiterit. Non tamen est lethalior sanguinea, quoniam facta ruptione, si sola bilis resudet, ex qua sputū biliosum redditur, & pleuritis ipsa biliosa dicitur, signum est leuem esse ruptionem, & causam eam facientem nec admodum vehementem, nec admodum prauam esse. At si facta ruptione sanguis erumpat, cuius merito sanguis syncerus excreatur, & pleuritis sanguinea vocatur, indicium erit, ruptionem insignē esse, & materiam ruptionem facientem ferocem & effrenatam existere, cuius merito cum à natura coerceri nequeat, propria acrimonia & ferocia per corrosionem sibi exitum parat. Huiusce autem naturæ cum existat sanguis hic, qui hanc sanguineam pleuritidem parit, indeque eum maleficam naturā adeptum esse significet, non sit mirum, si hæc pleuritis ab Hipp. lethalior biliosa dicatur. Quæ pleuritis, concludens ait, est fortis, dolorosa, & lethalis, fortis quidem, quia à feruido gignitur sanguine, dolorosa, quia præter tensionem, & alia accidentia cęteris locis inflammatis communia, habet corrosionem, cuius vi fit ruptio, annexam, lethalis autem, quia cūm à malefico & feroci causetur sanguine, deterrima & lethalia inducit symptomata. His autem in recto sensu declaratis & perceptis, liquet Hipp. Galen. nequaquam obsistere, quando pleuritidem sanguineam biliosa mitiorem esse docebat. Nam Galen. de ea, in qua sputum reiicitur subcruentum, tale per resudationē factum, loquebatur; at Hipp. sermonem habet de ea, in qua per ruptionem sanguine erumpente, non sputum cruentum, aut subcruentum, sed sanguis syncerus excreatur. Hæc autem pleuritis sicuti ab Hippo. ita & ab experientia lethalis constituitur.

37 *Quum igitur affuerit simul singultus, simulque cum saliua sanguinis grumos nigros tussiendo reiecerit, septima die moritur. Si vero dies decem transgressus fuerit, à pleuritide quidem sanus fit, verum vigesima suppuratur, & pus tussiendo reiicit. Demum vero reuomit, & non adeo facilis curatu est.*

QVVM

QVVM pleuritis è biliosa per ruptionem sanguinea euaserit, hincque maleficum ac feruentem prædominati sanguinem indicauerit, casum lethalem factum esse arguendum erit. Nam cum sanguis in hac pleuritide non per resudationem exeat, sed per ruptionem à loco affecto erumpat, fit casus similis ei, qui ex sectione externæ inflammationis non suppuratæ contingit. Sicut enim in hoc tumore intempestiue aperto, dolor exacerbatur, fluxio inualescit, materia crudior euadit coctio intercipitur, & in summa inflammatio sæuior redditur, ita pariter facta ruptione in hac pleuritide, dolor augetur, fluxio augescit, materiæ cruditas crescit, coctio, cum materia non coerceatur à natura, impeditur, & demum pluribus malis succedentibus pleuritis deterior euadit, quæ adeo in deterius labitur, vt tandem in septima patientem perimat, vbi primo singultus superuenerit, & æger nigros sanguinis grumos reiecerit. Hæc enim duo lethalia sunt, nam singultus in omni acuto morbo, & qui cum inflammatione fatiget, est lethalis. Grumi autem sanguinis nigrioris reiecti arguunt sanguinem pleuritem facientem ex inflammationis feruore, ac incendio exustum esse, & ad bilis atræ naturam declinare. Quapropter vbi hæc duo indicia accesserint, quæ sunt admodum praua, mortem instare prænuntiant. Terminus autẽ primus mortis est in septima, quia in hac die morbi vigor summus futurus est, ad quem si ratione virium cõstantium perueniat æger, ea die peribit, verum tamen non adeo necessario, quin & in sexta, quæ est dies deterioris iudicii, & ante sextam mori non queat. Nam solutio salutaris contingit necessario in die critica, non autem mors, cum qualibet die mori ægrotantes, non autem saluari possint. Ad mortem enim sufficit morbi sæuities, at ad salutẽ requiritur, vt coctio præcedat, & ad coctionẽ separatio, & tandem in crisi excretio succedat, quæ indistincte qualibet die contingere nequeunt, sed habent determinata tẽpora, & determinatos dies in morbis acutis. Hæc autem pleuritis, quæ in septima ægrotantẽ est interemptura, si vel quia vires in ægrotante sint admodum robustæ, & validæ, morbo reluctentur, vel quia morbus in sæuitie sit remissus, si ad decimam perueniens eam transgressus fuerit, à pleuritide quidem sanus fit, verum in vigesima suppuratur. Nam cum æger à septima ad decimam, quo tempore summus morbi vigor adesse debet, pertransierit, naturaque ob humoris peccantis segnitiam eius perfectam coctionem assequi non potuerit, eam quam potest, à decima, quæ est totius temporis dimidia pars, vt tempus coctionis diuturnitati cruditatis proportionetur, vsque ad vigesimam tentat, ac molitur. Talis autem cum simplex coctio, in qua simpliciter natura materiæ dominatur, esse nequeat, erit medica, quæ per suppurationem præstatur. In hac enim natura quidem dominium, verum calori præternaturali associata, consequitur. Suppurata autem pleuritide ista pus tussiendo primum reiicitur, demum autem & euomitur, id est, pus à principio in pauca quantitate, demum autem copiose excreatur. Quo casu superueniente, non adeo facilis curatu est morbus inquit Hippocrat. Sed quæ est difficultatis ratio? Inde difficultas pendet, quod quamuis in quadraginta diebus, qui est terminus perfectæ purgationis ab Hippocrat. libro 5. Aphorism. 15. constitutus, pus ratione suppurantis inflammationis integra expurgetur, attamen remanet vlcus ex ruptione causatum. Cuius sicuti est in prędicto tempore difficilis curatio, cum suppuratio abstergentia, attenuantia, aperientia, & euacuantia, vlcus autem adstringentia, valentia, agglutinantia, & quietẽ procãtia desideret: ita post quadragesimã difficillima, cum tunc vlcus temporis diuturnitate, & pulmonis ex continua tussi, per quam pus expurgatur, laceratione sit amplius, & sordidius, & malignius factum. Quare non sit mirum, si dicat Hippoc. morbum hunc, vbi ad hunc statum peruenerit, non adeo facilem curatu esse, id est, admodum difficulter curationem admittere. Quæ difficultas penes me est tanta, vt vix deprehendam hominem sanari posse.

Pleuritides siccæ.

38 *Sunt & siccæ pleuritides sine sputo, verum hæ difficiles sunt. Indicationes autem similes aliis sunt, sed ampliore in potu humectatione opus habent, quam aliæ.*

PLEVRITIS potest esse sine sputo, at non sine tussi. Quare cum per tussim sputum in pleuritide educatur, à tussi erit desumenda hæc differentia. Nam illa pleuritis, in qua per tussim sputum excreatur, dicitur humida, ea autem, in qua nihil tale educitur, & in qua tussis sine sputo existit, vocatur sicca. Huiusmodi autem est difficilis, inquit Hippocrat. vel quia, cum sit malignior, & materia in ea valde conculcata existat, nihil ex ea resudet, vel quia resudans materia aut propter viscidiratem, & inobedientiam à loco affecto nequaquam eluatur, nec separetur, aut separata propter virium imbecillitatem ad extra non propellatur. Qui omnes casus sunt praui, & difficilis iudicii; nam ea, in qua nihil resudat, potius in corruptionem, quam in solutionem terminabit. Ea autem, in qua materia à loco affecto resudans difficulter auellitur, suffocationem inducere solet, cum à sputo retento spiritus frequentior reddatur, à spiritu autem frequenti sputum crassius fiat, indeque mutuam operam sibi inuicem his duobus conferentibus, tandem sputo penitus retento, & spiritu frequentiori reddito, suffocatio sequatur. Illa vero, in qua vires sunt imbecillæ, est prorsus lethalis, cum eadem, quæ in superiori, sequantur accidentia, & præter hæc salutis spes, quæ in acutis morbis in solo virium robore fundatur, adimatur. Quare omnes hæ pleuritides siccæ difficiles, ac admodum periculosæ existunt. Harum autem indicationes in eisdem, in quibus aliarum contingunt diebus eueniunt (de his autem, tum in superioribus, tum in inferiori-

bus

bus est actum) & curam cæteris similem requirunt, hac tamen habita differentia, vt ampliorem in his, quam in aliis homectationem procuremus. Hanc autem potionibus, vtpote quæ actualem participant, & communicare aptæ sunt humiditatem, administratis, & copiose exhibitis canentes omnia, quæ actuali hac humiditate priuata sunt. Quod animaduertentes iuniores vitent maxime & condita ex saccaro, quoniam hæc calefacere & exsiccare potius, quam humectare apta erunt.

39 *Biliosa vero, & sanguinea nona & vndecima die iudicant. Atq; hi magis sani fiunt. At si in principio quidem molles quidam tenuerint dolores, à quinta vero ac sexta die acuti, hi vsque ad duodecimum perueniunt, & non valde effugiunt. Periculum autem maxime est vsque ad septimam, imo etiam vsque ad duodecimam, post has vero sanantur. Quæ vero ab initio molles sunt, à septima autem & octaua acuta, ad decimamquartum iudicant, & sani fiunt.*

CVm docuerit Hipp. in superioribus sanguineam pleuritidem, quæ fiat per ruptionem in septima, ægrotantem perimere; si vero hanc diem transgressa ad decimam perueniat, ipsam quidem solui posse, at non simpliciter, verum per supputation terminandam fore, hincque morbum non facile curatu successiurum esse, nunc sermonem ad pleuritidem tum biliosam, tum sanguineam, quę non per ruptionem, sed per resudationem succos peccantis eructant, dirigens, monet has nona & vndecima die regulariter iudicia recipere, & hęc potius salutaria, quam insalubria, aut lethalia. Quæ tamen pleuritides si à principio leuiores pariant dolores, à quinta vero & sexta die grauiores, & acutos ac vehementes admodum inducant, ad duodecimam ad minus iudicii pertrahunt, quod superioribus ex aduerso est potius insalubre, aut difficile quam salutare, & incolume. Et ideo ex tali pleuritide (inquit Hipp.) non valde effugiunt, id est, tales pleuritides vel difficile habent iudicium ad sanitatem, vel male ad mortem terminantur. Periculum autem in his maius est à die exacerbationis dolorum vsque ad septimam, in qua morbi vigor futurus est. Quinimo vsque ad duodecimam diem dictã, cum morbi tarde acutiem recipientes tardius his, qui à principio eam secum aduehunt, iudicentur. Quam duodecimam si transgrediantur, cum omnem tunc morbi vehementiorem insultum superauerint, sani euadent patientes, non tantum peracta coctione, verum etiã integre materiei peccantis & cōcoctæ facta purgatione. Quæ autem pleuritides non à quinta, aut sexta, sed tardius scilicet vel in septima, vel in octaua acutiem maiorem, inualescente febre, dolore, ac spirandi difficultate, receperint, non in duodecima, vt hæ, quæ à quinta & sexta acutiores euaserunt, iudicium habebunt, sed tardius, videlicet in decimaquarta, quã si superauerint patientes, sani euadent. Nam hæc dies est vltimus morborum simpliciter acutorum terminus, vltra quem prorogari non solent, nisi vel decidant ex acutis, vel à principio nequaquam, sed in posterum euaserint acuti. Quæ duo ab his duobus pleuritidis generibus ablegantur, cum simpliciter acutæ supponantur, & à principio tales existant. Nam cum inquit Hipp. si à principio in his molles tenuerint dolores, à quinta vero & sexta acuti, non negato hanc pleuritidem esse acutum morbum, sed dolorem à principio leuiorem, in quinta vero & sexta, aut in septima & octaua vehementiorē euadere affirmat, ac si diceret, eam pleuritidem, quę à principio symptomata vehementiora annexa habet, citius, quam in septima, quæ autem post principium vltra quartam vsque ad octauam hæc eadem habet, tardius, quam in duodecima, vel decimaquarta, terminari. Cur autem dolores in his postponant, in illis anticipent, est ratione fluxionis, materiæ facientis morbum, & formæ inflãmationis. Nam vbi à principio fluxio violenter irruat, dolores statim vehementiores accidunt, qua tardante, tardantur & dolores. Ratione autem materiæ, quoniam irruente materia calidiori & tenuiori, statim morbus extremos habet labores, fluente autem minus calida & crassiori, non statim sed in progressu doloris sæuiunt. Ratione autem formæ inflammationis, quoniam vbi inflammatio non sit praua, perspiratum & viam materiei resudanti præbet, cuius merito dolores in progressu morbi semper leniuntur. At vbi praua existat materia peccans, resudare nequit, & inde aucta inflammatione, & in prauiorem semper naturam declināte, in progressu morbi dolores ac omnia pleuritidis accidentia sæuiora fiunt. Hæ sunt causæ, quibus à principio dolores sunt leues, in progressu autem possunt esse vehementes. Qui dolores in progressu morbi aucti, pro ratione dispositionis, vel fluxionis, vel materiæ, vel formæ inflammationis pariter vel erunt lethales, vel salubres. Lethales, si fluxio in augmento morbi inualuerit, si materia erit crudior, & viscidior, si inflammatio fuerit prauior perspiratum, & viam materię præcludens. Salubris, si fluxio non sit copiosa, si materia erit benignior, & inflammatio prauam naturam non fuerit adepta.

Pleuritides ex dorso.

40 *Pleuritis ad dorsum in tantum ab aliis differt. Dorsum dolet velut ex plaga, & suspirat, & aceruatim respirat. Statim autem spuit pauca, & corpus delassatur, tertia aut quarta die saniem mingit subcruentam. Moritur autem maxime quinta die, sin minus, septima. Has si effugerit, vixerit, & morbus leuis est, ac minus lethalis. Custodire tamen oportet vsque ad decimumquartum. Postea vero sanus euadit.*

DE differentiis à loco dolente in pleuritide abunde iam in com. lib. p. sect. 3. text. 26. actum est, vbi causas differentiarum explicauimus. Ex his autem differentiis nunc eam præ manibus sumens Hipp.

Hipp. in qua dolor ad dorsum vrget, eius symptomata & progressum, ac terminationem, & terminationis modum declarare intendit. Symptomata hanc pleuritidem consequentia, inquit Hipp. Primo est dolor, velut ea plaga, id est, est dolor adeo vehemens, vt patiens ea parte dolore sibi videa-, ac si inibi vulneratus esset. Nam cum hæc pleuritis fiat inflammata ea pleuræ parte, quæ est ad dorsum, & costas ad earum exortum ac spinam ambit, necessario ingens subsequitur dolor, quoniam non tantum pleura est affecta, verum etiã nerui ea spina inibi prodeuntes in eorum exortu compatiuntur, quibus male ex inflammationis feruore affectis non potest non vehemens superuenire dolor. Secundo ςέν[illegible], id est, gemit suspirans, nam dolor adeo vrget, vt languendo præ cruciatu ægrotans gemat. Tertio aceruatim respirat. Nam cum dolore vrgente, & inflammatione pleuræ instante, respiratio frequentior reddatur, in hoc casu frequentissima euadit (quod est aceruatim respirare) cum dolor sit admodum ingens, & cum non altera tantum, sicuti in laterali dolore, sed vtræq; partes doleant. Quarto spuit statim pauca, id est, quamuis à principio hic morbus sit valde sæuus, attamen paucum prodit sputum. Nam pro ratione inflammationis quantitas excreationis non correspondet. Quod licet in quibusdã aliis pleuritidum generibus, quandoque ratione cruditatis contingat, attamen in hoc casu hoc est peculiare, & perpetuũ, vt paucum prodeat sputum, & hoc ratione partis, cum inibi sit pleura robustior, densior, & magis alligata, quorum merito difficulter materia peccans resudare potest. Quinto corpus delassatur, id est, corpus admodum in hac pleuritide euadit imbecillũ. Huius imbecillitatis est [illegible] quod eum calidum, vt inquit Hipp. lib. 5. [illegible] 16. neruorum incontinentiam, per quam fiunt imbecilles, eorũ substantia à calore dissoluta, pariat, inflammatioque in hac pleuritide spinam superequitans calorem, & feruorem medullæ spinali, à qua neruorum motui inseruientium propagines exoriuntur, impartiatur, non potest totum corpus non inde delassari, dissoluta ac male ratione caloris affecta eius substantia. Sexto ichorem in tertia aut quinta die mingit subcruentum, id est, lotium prodit admodum rubicundum, ac ad sanguineum colorem quã proxime accedens, cuius hæc est causa, quoniam inflammatio hæc circa dorsum & supra spinam existens, arteriam magnam, & venam magnam, quæ medium spinæ perreptant, cõtag[i]o. ac feruore male afficit, cuius merito facta in eis sanguinis ebullitione lotium admodum coloratur, & inde subcruentum mingitur. His autem stantibus, videlicet q; in hac pleuritide sint dolores vehementiores, respiratio sit frequentissima, sputũ in pauca prodeat quantitate, male afficiatur spinalis medulla, cuius merito corpus delassetur, arteria & vena caua phlegmonem participent, & inde lotium subcruentum reddant, cui dubiũ, hanc pleuritidem aliis esse, stante paritate materiei peccantis, & affectionis superinductæ, sæuiorem? Et non solum sæuiorem, verum etiam magis acutam. Nam cum cæteræ pleuritides sint simpliciter acutæ, hæc est peracuta, ita vt vel in quinta, vel ad summum in septima vigorem habeat, cuius merito inquit Hippoc. quod æger ea hac pleuritide moritur in quinta, sin minus, in septima. Hos autem dies si effugerit, vixerit, id est, morbo superuiuere poterit. Nam superato vigore, ratum est, q; ægri pereant, nisi vbi deliquerint, vel vbi in declinatione robur virtutis animalis, qualis in pleuriticis ad ex[pu]lsi[o]ndam materiam peccantem requiritur, deficiat. Nam ea debili existente, si non ea purgetur locus affectus à materia morbosa, ægritudo potest sæuire, & inde ægrotantem perimere. Superato igitur vigore, & septima transgressa, æger potest superuiuere, quoniam tunc morbus factus est lenis, & minus lethalis. Nam sæuiora, & magis lethalia symptomata solent vigorẽ concomitari, in declinatione autem sunt mitiora, & magis salubria. Verum quoniam hic morbus est sæuus, & aliquando dolosus, ideo non tantum per duos ab indicatione dies, vt lib. 1. reg. acut. 25. habetur, tenui victu, ac recta ratione regendus est æger, verum vsque ad decimam quartam prorsus custodiendus est. Nam si hanc diem sine errore, & virtute animali valida existente transgressus fuerit, sanus omnino erit.

41 *Cæterum quibusdam pleuriticis saliua quidem pura est, mictio autem cruenta, velut serosa à carnibus assatis sanies, dolores vero acuti per spinam ad pectus & ad inguen tendunt. Hic si septimum diem effugerit, sanus fit.*

QVONIAM paucum illud sputum, quod in hac pleuritide excreatur, non semper vnius est qualitatis, sed diuersum existit, cum alias coloratum, pro ratione materiæ peccantis, alias purum sit, declarat Hippocrat. quid succedat in hac pleuritide, vbi sputum purum prodeat. Hoc autem est, quod cum non resudet materia, inflammationem causans in thoracis cauitatem, non tingitur excreatio. Verum quoniam inflammatio superequitans vasa illa maiora spinam perreptantia, & inde arteriam magnam, & venam cauam phlegmone inficiens, ad eas feruorem communicat, & materiam resudat, hinc fit, vt ad emulgentis ex sanguinis ebullitione concepta, & materia à loco affecto resudante, excernatur lotium cruentum. Quod idem contingere poterit ratione venæ [illegible] pari, quæ per dorsum ad spinam delata & vtrinque ad costas octo inferiores diuaricata materiam à loco affecto transmissam recipiens per sinistram emulgentam, in quam tamulum inserit, lotium cruentum excernit. Quod lotium assimilatur ichori, ex carne recenter mactata & assata resudanti; nam sicut hic est cruentus, ita & lotium. Quemadmodum autem per communionem venarum tale in hac pleuritide prodit lotium, ita per communionem neruorum à spina prodeuntium communicatur dolor à dorso ad pectus, & ad inguina, cum ab eadem diuaricentur

ricentur nerui ad partes thoracis tum laterales, tũ anteriores, & pariter ad inguina, cum ex osse sacro ad hæc plures neruorum propagines emergant. Ex tali pleuritide, id est, ex hac, in qua purum excreatur sputum, verum lotium eruentum mingitur, & dolores à dorso ad pectus, & ad inguina procedunt. Vbi septimam transgressus fuerit, æger sanus euadit, quoniam cum morbus sit peracutus, & eruentum lotium significet eam à sanguine factam fuisse, peracto vigore de salute sperandũ erit. Nam sicut synochæ febres, quæ à sanguine putrescente causantur, septima die finiuntur, ita etiam huiuscemodi pleuritides tum ratione materiæ, tum ratione morbi, cum sint peracutæ, septimam non excedunt.

42 *At si alicui in his pleuriditibus contingat dorsum rubefieri, & humores calescere, & inter desidendum grauari, & venter exturbatur egestione cum virore pallida, ac valde graueolenti, hic propter ventris egestionem vigesima prima die moritur. Hanc si effugerit, sanus fit.*

DOCVERAT superius, ægrotantes in pleuritide ex dorso transacta septima, in qua ad summum morbi vigor constiterat, vsque ad decimam quartam (ob morbi sæuitiem & dolosam eius naturam) esse recta victus ratione, & tempestiua medicamentorum administratione custodiendos, ne ex prauo victu, aut ex neglecta remediorum admotione facta recidiua, æger pereat. Hanc eandem sententiam hoc in loco in ea ex dorso pleuritide, in qua facta inflammatione à sanguine purũ reiicitur quidem sputũ, sed cruentũ excernitur lotium, amplificat, hoc idem tempus ad vigesimam primã extendens, & vna prænotatam custodiam adhibendam fore insinuans. Nam hæc pleuritis, cum fiat à benigniori materia, quam sit ea, quæ fit à bile, poterit sua tempora post vigorem vltra decimã quartam extendere. Nam bilis cum sit tenuior, & mordacior sanguine, parit morbos, quorum resolutio & declinatio est breuior, & celerior ea, quæ sanguineis accidit, & hoc præcipue, vbi copiosior fuerit sanguis. Nam cum resolutioni obstet copia, & materiæ qualitas, non mirum sit declinationem in his fore longiorem. Talis autem est in hac pleuritide ex dorso, vbi materia eam causans fuerit abundantior, sanguinis copia, cuius ratione transacta septima contingit dorsum rubefier non facta materiei peccantis ab interioribus ad exteriora transmutatione, sed ea ab internis partibus ad externas expansa, & communicata. Quæ materia, cum sit sanguis, non modo rubescit dorsum, verum humeri quoq; ob viciniam flammæ incalescunt, indeque, quoniam & internæ, & externæ partes simul coafficiuntur, corpus resideudo grauatur. Et quoniam inflammatio non veram, sed dolosam recipit in septima declinationem, ideo perseuerans, & vtrinque corpus attingens, feruorem per venam magnã iecori communicat, cuius feruoris merito æstuans hiparehylum traductum corrumpit, & praua alteratione immutat, indeque plurimam bilem, ac valde graueolentem gignit, quæ decumbens ad intestina diarrhæam causat. Ex qua, cum ex ea non purgetur corpus, sed debilitetur, vigesima prima ad summum patiens è vita decedit. Nam cum talis fluxus non tantum sit prauus, cum hepatis æstum ac feruorem vltra pleuriticum affectum denotet, sed praua etiã existat causa, cum vires ex continua euacuatione labefactet ac discutiat: his tamen omnibus, si diligens incumbat post septimam medicus, scilicet vt & sanguinis copiam imminuat, & locos inflammatos curet, hepatis feruorem attemperet, indeque eius malam coctionem corrigat, poterit æger non tantum vigesimam primam superare, verumetiam è morbo penitus conualescere. Hoc enim est id, quod Hippoc. insinuat, dicens, hanc si effugerit, sanus fit.

43 *Quibus autem statim sputa varia sunt, & dolores valde acuti, hi tertia die moriuntur. Hanc autem transgressi, sanescunt. Qui vero sanus non fit, septima aut nona, aut decima, hic suppurare incipit. Melius est autem suppuratum fieri, etiam si dolorosum sit. Minus enim lethale est.*

QVI sputa pura, id est, nullo infecta colore, vna cum lotio cruento reiiciunt, dicebat Hipp. in septima die vigorem recipiunt, quam si effugerit patiens, sanari poterit. At si (nunc subiungit) non sputa pura, sed varia, id est, vario infecta colore, statim reiiciant, & dolores valde acuti, id est, admodum vehementes à principio vrgeant (quoniam extremi labores statim accedentes morbum peracutum significant) hic tertia die à violentia morbi, qui die im ... um habere supponitur, perimuntur. Etenim ... acuti morbi in primo quaternario, vt ... paulo vlterius, solent consistere, ac vigorem assumere. Si autem hanc tertiam diem transgressi fuerint, sanescunt, id est, sanari, si virtus non succumbat, & exacte facienda fiant, poterit. Nam omnibus cum ratione administratis, ac viribus cõstantibus, cu... summus vigor preterierit, morbi integra solutio expectanda erit. Quæ si in septima, aut nona, aut decima non accedat, de morbi suppuratione coniectandum erit. Etenim, vt habet Hipp. libro 2. Prognost. 52. vbi dolor, qui partium spiritualium loca obsideat, nec screationis purgatione, neque ventris subductione, neque venæ sectione, nec medicamento, neque recta victus ratione terminetur, in suppurationem morbum vertis sciendum est. Quo casu eligibilior est suppuratio, quam quiuis alius euentus, quoniam cum ex prædictis dolor non cedat, nec morbus ad suppurationem declinet, argumentum habemus malefici morbi, qui nullam solutionem salubrem sit recepturus, sed sola morte terminandus existat. Et ideo summo iure subdit Hippocrat. melius est autem suppuratum fieri, etiam si dorsum sit, minus enim lethale est. Mitius inquam non in comparatione ad salubrem morbi solutionem, quoniam in inflammationibus internis semper tutior est resolutio,

lutio, quam suppuratio, imo in his suppuratio semper mala est, & difficilis iudicii, & vtplurimum lethalis, sed est mitius in comparatione ad eum pleuriridis statum, in quo dolor nullo præsidio cedit, & accidentia mala vrgent, quoniam in hoc de certa morte est coniectandum, at suppuratione instante, licet ex ea sequatur difficile iudicium, aliquam salutis spem concipere possumus. Quare hic suppurationis casus, licet dolorosus, (quoniam febres & dolores potissimum fiunt, dum pus conficitur) erit eligibilior, ac tutior prædicto, in quo de certa morte est præsagiendum; si autem tutior, erit etiam eodem minus lethalis. Quæ dictio lethalis consideranda venit, cum per hanc Hippocrat. insinuat, huiuscemodi suppurationis casum non esse tutum, sed lethalem. Nec huic sententiæ aduersatur text. 54. libri 2. Prognost. per quam monemur, si septima die purulenta screatio incipiat, patientem decimaquarta periturum esse, quoniam Hippocrat. hoc in loco sermonem habet de incipiente suppuratione, quæ si tecta procedat ratione, & debito tempore erumpat, deinde etiam purgetur, potest, licet sit periculosa, salubri solutione terminari. At in prognosticis loquitur de suppuratione facta, dum biliosa adhuc perseuerat screatio, & de eaintempestiuo tempore erumpente. Nam ante puris perfectam generationem, & dum humor biliosus adhuc maleficam retinet naturam, erumpit. Qui est casus lethalis, cum affectum cacoethes, & in quo à materia malefica locus patiens deuincitur, significent.

44 *Porro supra omnia relata signa in vnaquaque pleuritide considerare oportet linguam. Si enim bulla subliuida fiat in lingua velut ferro in oleum tincto, si quidem in principio fiat aspera, difficilior est morbi remotio, & necesse est sanguinem tussiendo reiicere in diebus, quibus id fieri oportet. Si vero facto morbi progressu fiat, indicationes quidem contingent ad decimumquartum diem, verum necesse est sanguinem spuere.*

QVon sicuti lotium, ita & lingua abundantium in corpore humorum speciem significet, clare docuit Hippocrat. libro 6. Epid. sect. 5. text. 14. Quare non est mirum, si eius habendam esse in morbis acutis rationem sæpius docuerit, monens eius colorem aduertendum, & insuper siccitatem, asperitatem, & disruptionem considerandam esse, cum ex his morbum vel sæuiorem, aut benigniorem, vel magis aut minus acutum existere deprehendamus. Hinc eam in febre ardenti obseruabat, in peripneumonia diligentissime considerabat, & nunc in vnaquaque pleuritide animaduertendam esse monet. A calore enim non tantum humorum peccantium speciem deprehendere possumus, verum etiam an maior, an minor sit exustio, cum in morbis acutis nigredo feruorem materiæ peccantis, alii colores calorem minus intensum attestentur, siccitas & asperitas humiditatum absumptionem, rimæ caloris vehementiam cum humiditate arguunt. Quæ omnia si statim à principio compareant, morbum acutiorem, & cito solutionem recepturum indicant; si autem tardius accedant, morbum minus acutum, & in longiori tempore terminaturum denunciant. Præter hæc omnia considerat Hippocrat. si in pleuritide aliqua linguæ superaccedant, veluti bullæ, & vesicæ. Nam cum hæ fiant ratione ingentis feruoris, vti apparet in externis ab igne tactis partibus, indicant, si ratione caustæ internæ in morbis acutis fiant, maximum æstum, ac vehementem putrescentium humorum incendium. Ad quod respiciens Hippocrat. inquit, si bulla subliuidi coloris, qualis est ferrum cum prius candens in oleo immersum, & tandem refrigeratum fuerit (talis autem ex remisso puniceo in intensum liuorem declinat) fiat in lingua à principio, vbi aspera prius existat, quoniam asperitas humiditatis in lingua absumptionem, & in internis partibus exustionem, bulla autem partis affectæ & peccantium humorum incendium consequitur, difficilior est morbi, quamuis per conuenientia curetur præsidia, remotio, (hanc enim morbi per auxilia medica solutionem significat vox illa, ἀπάλλαξις) & si talis pleuritis salubriter soluenda est, necesse est in die aliquo iudicatorio sanguinem è parte affecta per tussim erumpere. Nam cum huiuscemodi pleuritides fiant à sanguine feruido, & admodum ebulliente, si morbus vsquam soluendus est, hunc sanguinem pars affecta tandem eructabit, quo prodeunte non tantum tumor imminuitur, verum etiam feruor remittitur. Hæc autem dies indicatoria, in qua talis eruptio contingere debet, ad summum erit decima quarta, & hoc præcipue, vbi talis bulla non à principio, sed in progressu morbi apparuerit; nam talia iudicia statim apparentia morbum breuiorem esse significant. Hanc eandem sententiam habet Hippocrates libro de Coacis prænotio. in pleuriticorum prædictionibus paucis mutatis verbis, dicens: Bulla subliuida oriente in lingua à principio, qualis est ferri tincti in oleum, difficilior solutio contingit, & iudicatio quidem ad decimum quartum diem peruenit, sanguinem autem plerunque spuunt. At forsan translata est hæc sententia ex hoc libro tertio de morbis, sicuti & plurimæ aliæ, quæ ex aliis libris in illum transpositæ, & transcriptæ fuerunt, sed simplici magis sermone. Nam quod dixerat à principio, bullam apparentem morbi medicationem difficiliorem arguere, & sanguinis reiectionem in aliqua die critica prænunciare, post p[illegible] autem, & [illegible] decimamquartam iudicium significare, in libro de Coacis prænot. dicit simpliciter, bulla subliuida à principio in lingua pleuritici oriens difficilio-

rem fore morbi solutionem arguit, & iudicationem ad decimamquartam peruenturam significat. Talis autem pleuriticus, sanguinem plerunque spuit. Quare quod de sanguine in die critica reiiciendo hic dicit, in Coac.prænot. plerunque fieri nulla addita temporis circumscriptione inquit: Sed forsan eruptio fit in die critica, & ab eruptione plerunque tale prodit sputum, per quod etiam fieri iudicium debet. Quod autem dixit hoc in loco ἀπάλλαξις, id est, morbi per iuuantia medicamenta remotio, in Coac.prænot. dixit, ἀπόλυσις, id est, absolutio, quæ duo tamen coincidunt, cum morbi remotio per medicamenta non sit aliud, quam morbi vera solutio, & solutio morbi non sit in curato morbo, nisi morbi sublatio per veram medicationem procurata.

45 *Habet autem se res de liberatione ab hoc morbo hoc modo, si quidem tertia die inceperit maturari ac expui, citius liberabitur. Si vero posterius maturescat, posterius iudicationes fiunt; quemadmodum in capitis signis.*

Explicatis pluribus pleuritidis conditionibus, ac differentiis, nunc quando ea sit vel cito, vel tarde salubriter soluenda, declarare intendit, dicens. Quod si sputum materiam peccantem significans intra primum quartenarium non tantum reiiciatur, verum etiam maturari incipiat, quoniam coctio, vt habetur libr. 1. Epidem. sect. 2. text. 45. celeritatem iudicii, & securitatem salubrem portendit, citius, id est, vel septima, vel in nona pariens è pleuritide conualescet. Si autem posterius, quod est vltra primum quartenarium, (vel sit in septima, vel in nona) sputum, quod excreatur, incipiat concoqui, ac maturari, tardius, id est, in secundo septenario, vel sit vndecima, vel in decimaquarta, morbus iudicationem recipiet, quemadmodum in capitis signis, id est, quemadmodum apparet clare in capitis vulneribus. Nam suppurationes recta ratione cito apparentes, morbum cito, quæ opposito modo, tarde soluendum significant. Nam in morbis indicia mox apparentia, vt habetur libro primo Aphorism. 12. morbum breuiant, quæ autem postea apparent, eundem producunt. Quę aphoristica sententia (hoc aduertatur) cum sit generalis, tam ad bonam, quam ad malam crisin ac terminationem se extendit. Et ideo in exemplificatione pleuritidis de apparentia sputi simpliciter meminit, cum sputum bonum cito apparens, celerem salutem, prauum autem cito itidem apparens, celerem mortem prænuntiet. At hoc in loco, cum de salutari tantum iudicatione fiat sermo, ideo non tantum de sputo prodeunte, verum etiam maturescente verba facta sunt, quoniam vt dictum est, ex coctione securitas, ac iudicii celeritas protenditur.

46 *Dolores porro in omni pleuritide plerunque magis interdiu, quam noctu leuiores fiunt.*

Dolores & labores in illis morbis, qui certos paroxysmos, & periodos habent, solent in accessionum exacerbatione esse grauiores, cum circa principia & fines omnia sint imbecilliora, in statu vero existant fortiora. At in illis morbis, in quibus non sunt aut periodi certæ, aut certi ac ordinati paroxismi, & ægritudo in formam synocharum, aut conclusarum, & continuarum febrium procedens nullum febris periodicantis typum seruat, dolores & labores in vnius naturalis diei spatio, quod vigintiquatuor horarum termino concluditur, ratione temporis in nocte, ratione autem materiei morbum facientis qualibet diei parte exacerbari solent. Nam cum diei partes ad anni tempora, vt Hippocrat. libro secundo Epidem. sect. p. & Galen. libro sexto Epidem. sect. p. comment. 14. docent, analogiam habeant, prout hæc analogia ortum & occasionem à materia habet, ita se inuicem in natura consequuntur. Nam sicut in hora matutina sanguis dominatur, ita ea proportionatur veri, in quo sanguis abundat, & morbi à sanguine pendentes potissimum vagantur. Meridies autem, cum in eo bilis cæteris antecellat humoribus, proportionatur æstati, in qua bilis abundat, & morbi à bile prodeuntes passim inuadunt. Hora vespertina vero, in qua atrabilarii præualent humores, proportionatur autumno, cum in eo huiuscemodi prædominentur succi, & morbi à similibus succis causati vigeant. At nox ad hyemē analogiam habet, cum in vtraque cæteris prædominetur pituita humoribus, morbique à pituita pendentes tunc temporis potissimum affligant. Eapropter dixi, ratione materiæ morbum facientis posse dolores in præsuppositis morbis qualibet diei parte non indeterminate, sed determinate exacerbari. Nam si morbus sit à sanguine, dolores & exacerbationes contingent matutina potius, quam altera diei parte; si sit à bile, erunt potius in meridie; si ab atrabile, vel à succo melancholico, ad vesperam; si à pituita ad noctem magis inualescent. At si ratione temporis (circumscripta materiei ratione & causa) labores considerentur, potius in nocte, quam interdiu affligent, & hoc potissimum in morbis acutis, in quibus adsint viscerum, ac internarum partium inflammationes. Nam cum nox hyemi proportionetur, indeque in ea pariter, ac in hyeme fiat humorum, & caloris ad intra concentratio, in huiuscemodi morbis plurimum materiæ in venis existentis ad intra, & ad inflammatas regurgitabit partes, quæ inde aggrauatæ maioris cruciatus, & vehementioris exacerbationis erunt occasiones. Quibus insuper addatur, quod tunc temporis aeris frigiditas, tenebræ circumstantes, lucis solis ab-

lis absentia, quæ omnia humorum difflatioem prohibeot, maiorum laborum sunt occasiones. Quibus si adiungatur somnus, qui in omnibus internis inflammationibus omni tempore, præterquam in declinatione ob humorum à partibus externis ad internas reuocationem, est noxius, habebimus causas dolorum magis efficaces. Quas conditiones respiciens Hippocrat. cum loquatur de pleuritide, quæ est vna ex internis & periculosis inflammationibus, hoc unum notat, scilicet quod in omni pleuritide plerunque magis interdiu, quam noctu dolores leuiores fiant. Dixit autem plerunque, quoniam habita consideratione temporis solius, hoc verificatur. Cum ratione materiei morbum facientis possit contrarium verificari, vtputa si fiat pleuritis à bile, possunt dolores in die potius, quam in nocte exacerbari. Quod cum non sit perpetuum, ideo dixit hoc plerunque fieri, videlicet, vt interdiu potius, quam noctu dolores pleuriticorum sint leuiores. Nam ratione temporis hoc verificatur, quod ratione materiæ quandoque possibile est ex aduerso contingere. At si autumno tempus vespertinum, vt docet Hippocrat. libro secundo Epid. sect. p. proportionatur, & in autumno fiunt morbi acutissimi, & lethalissimi, in cuius analogia ad vesperas exacerbationes sunt totius morbi partes deteriores, igitur dolores & labores in morbis ratione temporis non debent esse vehementiores, nec sæuiores in nocte, quam in die, sed potius ad vesperas, cum tunc deteriorem à tempore ob analogiam ad autumnum naturam adipiscantur. Ad hoc sciendum est, horam vespertinam matutina & meridiana hora esse deteriorem, ob recessum solis tunc temporis ad occasum propetantis. Etenim solis, qui huius sublunaris mundi ingenitum calorem non modo souet, verumetiam (cuius ratione ad omnium rerum generationem tanquam principale agens concurrere dicitur) infundit, recessus hæc in languentibus operatur, videlicet vt cum in languentibus ipsis calor ingenitus à causis morbificis obtundatur, ex earumque violentia labefactetur, hic idem calor tunc temporis magis obtundatur, & magis labefactetur, quoniam recedente sole eius caloris viuiditas imminuitur, ac lumen remittitur, cum radii solares magis obtusum angulum in obtusionem semper vsque integrum occasum declinantes faciant. Cuius merito cum destituatur ingenitus ægrotantis calor à viuido calore solis, indeque minus ab eo foueatur, magis languet, & tunc magis languens minus causis morbificis reluctatur, & ab eisdem magis oppugnatur, potissimum tunc temporis aere frigido, & tenebroso, qui calori ingenito, dum languet, aduersatur, superingruente. Quorum merito fit vt declinante die summa cum ratione ægri deterius habeant, & ad vesperas deteriores patiantur exacerbationes. Hoc idem, quod in singulis diebus solis recessus operatur, in autumno, dum à tropicis cancri ad tropicos capricorni recedens à nostro Zenith elongatur, præstat. Nam in isto solis recessu radii solares magis obtusum angulum formantes minus viuidum influunt, tum calorem, tum lumen, cuius merito genus humanum minus causis morbificis resistens, ratione materiei acutiores, ratione temporis anni periculosiores subit ægritudines. Hanc eandem analogiam recipientes terræ, ac vrbes ad occasum sitæ, admodum morbosæ, vt declarat Hippocrat. libro de aere, aquis, & locis, existunt, cum in eis aquæ sint insalubres, venti pariter eiusdem rationis in eis prædominentur, quos Hippocrat. ibidem similes esse autumno dixit. In quibus omnibus, videlicet & in diei hora vespertina, & in anni tempore autumnali, & in terris, ac vrbibus ad occasum sitis, cum præter hæc humor melancholicus aut prædominetur, sicuti in vespertino tempore, in quo etiam magis moueatur, aut abundet, sicuti in autumno, aut æquipollentiam habeat, sicuti in terris, ac ciuitatibus ad occidentem sitis, non mirum sit, si exacerbationes ad vesperas, cum in earum vigore humor melancholicus moueatur, sint aliis deteriores, & si autumnales morbi sint aliis longe magis lethales, cum succi atrabilares in eis vigeant, & si terræ, ac vrbes ad occidentem sitæ sint admodum insalubres, cum aer, venti, & alia in eis dominantia ad similem succorum generationem valde polleant. His habitis dico horam vespertinam summo iure, tanquam deterrimam ab Hippocrat. notari, non tamen simpliciter, cum de ea loquatur solum in comparatione cæterarum diei partium, non autem in comparatione noctis. Nam cum in hora matutina sanguini, in meridiana bili, in vespertina melancholico humori dominium adscribatur, & cum in hora matutina sol exoriens ambientis frigus, & tenebras per viuidum calorem, & per superuenientis lumen tollat, in meridiana dum medium cœli peragatur, idem admodum illustret, & calefaciat, in verspertina autem recedens calorem, & lumen adimat, non sit mirum, si ea diurnis hora vespertina sit deterior. At si vespertinum tempus nocturno comparemus, eadem non est proferenda sententia, quoniam si in hora vespertina sol recedens ea operatur mala, quanto maiora, vbi recesserit, operabitur? Nam tunc temporis non destituitur aer lumine, & calore, sed destitutus est, nec lumen vna cum calore tunc adimitur aut imminuitur, sed exemptum ac sublatum est. Quare si hæc actio dum est in via, mala existit, deterior erit, dum in termino fuerit, quo tempore cum dominetur pituita, quæ frigida & humida est, tanto deterior erit actio, cum sicuti ea in senibus abundans mala propter eorum frigidam complexionem, vel lethalia, vel incurabilia parit, ita in nocte, quæ est frigidissima totius diei pars, incommoda maiora prodit. Nam cum eo tempore non tantum à materia, verum etiam ab ambiente calor insitus oppugnetur, ideo tunc temporis exacerbationes sunt molestissimæ, &

hoc eo magis, cum e... [illegible] pars quieti dicata, ob ingruentes occasiones inquietudinis & laborum sit causa. At si tales fiunt in noctu ratione temporis exacerbationes, cur Hippocrat. libr. quinto & septimo Epidemiorum per eadem verba hoc vnum de solis suppurationibus, & oculorum morbis adnotauit, dicens; certe in omnibus suppurationibus, & iis, quæ circa oculũ, ad noctem labores? Quoniam per morbos oculorum morbos cerebri, & qui per fluxionem ab eo fiunt, per suppurationes morbos internos, & præcipue thoracis insinuare voluit. Quod tamen cum per excellentiam verificetur in oculorum morbis, & in thoracis suppurationibus, ideo hoc de vtrisque singulariter ab Hippocrat. notatum est. Nam cum lumine, & calore humores ab intra ad extra euocentur, & inde fusi ac rarefacti facilius discutiantur ac dissipentur, tenebris autem noctium superingruentibus iidem reconduntur, ac condensantur: talis humorum retractio, & condensatio est in morbis oculorum, & suppurationibus molestissima. In illis quidem, quoniam cerebrum excrementis magis grauatur, (cuius ratione fit etiam, vt delitia, sicut notauit Hippocrat. libro quarto reg. acut. tex. 63. magis noctu, quam interdiu incidentur. Nam vbi quis ex morbo fit deliraturus, delirii prælndia magis appatent in nocte quam in die) & inde fluxiones magis inualescunt. In his autem, quoniam materia suppurans magis concentrata, & magis condensata, magis etiam putrescit, & inde febres & accidentia deteriora inducit. Cerebrum autem, & thorax præter hæc magis grauatur in nocte, propter analogiam, quam habet nox ad somnum. Nam sicut per noctem frigiditas & humiditas in aere augescit, ita per somnum facta in cerebro à frigidioribus vaporibus obstructione, ipsum magis refrigeratur & humectatur, in thorace autem facta caloris & humorum concentratione, ab his viscera magis conculcantur, ea conculcatione ab inspiratione frigidioris & humidioris aeris adaucta. Quare in vtrisque ad noctem per excellentiam fiunt maiores exacerbationes, quod idem cum verificetur in pleuriticis, iure dixit Hippocrat. interdiu leuiores esse pleuriticorum dolores, quam noctu.

47 *Curare vero pleuritides hoc modo oportet, vt plurimum phrenitidem, & peripneumoniam, præterquam quod hic balneis calidis, & vino dulci vtendum est.*

IN curatione pleuritidis tradenda omnes scribentes plurimi fuere, & plurima ad hoc idem spectantia tradidere, nosque de eadem nonnulla in commentario libri primi adnotauimus. Ea propter de methodica huius morbi curatione hoc in loco non ero solicitus, sed tantum eo dirigam sermonem meum, vt Hippocratis sententiam aperiam, & si quæ ex eius dictis emergant difficultates, expediam. Inquit igitur Hippocrat. (antequam ad particularia descendat) pleuritidi par conuenit ei, quæ phrenitidi & peripneumoniæ debetur curatio, præterquam quod hic balneis calidis, & vino dulci vtendum est. Sed quid est hoc? Per hæc insinuat Hippocrat. hunc morbum, qui est inflammatio pleuræ, eadem curatione tractandum esse, qua cæteræ partium principalium inflammationes curandæ sunt, qualis est phrenitis, quæ est membranarum cerebri, & peripneumonia, quæ est pulmonis inflammatio, quarum tanta est similitudo, vt in omnibus materiei fluentis reuulsio, fluxæ euacuatio, dolorum & symptomatum vexantium sedatio pariter iudiceut. Præcipua autem est analogia pleuritidis ad peripneumoniam ratione loci affecti, cum in vtrisque membra spiritalia, & thoracis loca sint inflammata, eniw merito libr. de locis in homine, explicata pleuritidis curatione, subiungebat Hippocrat. & eodem modo peripneumoniam curato. Pleuritidis autem ad phrenitidem est analogia ratione partis affectæ, cum in vtrisque affectæ sint membranæ, in phrenitide cerebri, in pleuritide thoracis. Cuius ratione in libr. de affect. cum pleuritidis curationem tradidisset, & phrenitidis eandem docere instituisset, dicebat, huic ad dolorem quidem danda sunt, quæ in pleuritide, & tepor faciendus, vbi dolor hæret. Sed stante hac analogia, & indicationum curatiuarum similitudine, subiungit Hippocrat. his tribus similem deberi curatioñe, præterquam quod in pleuritide balneis calidis, & vino dulci vtendum est. Ratio huius est, quoniam cum balnea lateris, pectoris, & dorsi dolores admodum mulceant, hæcque præcipue in pleuritide vrgeant, siue sit pleuritis lateralis, siue ex dorso, hinc potissimum in pleuritide balneorum vsus indicatur, qui minus indicatur in peripneumonia, cum in peripneumonia dolores nunquam ratione partis affectæ sensu carentis sint vehementes, minime autem in phrenitide, cum non sint in ea affectæ partes thoracis, sed capitis, cumque in ea, quia mens læditur, minime dolores sentiantur. Quo ad vinum autem, in pleuritide, vbi sputa prodeunt cocta, dulce conuenire potest, cum si quid aliud, vt inquit Hippocrat. libro tertio regim. acut. quart. efficacius sputum ducat, quod nec etiam malum est in peripneumonia, verum tutius in pleuritide, cum in peripneumonia inflammatio cordi vicinior existat. Pessimum autem est in phrenitide, quoniam mentem tentat, delirium auget, & cerebro maxime infensum est. Quare non sine ratione dictum est, his tribus eundem competere curandi modum, præterquam quod in pleuritide balneis calidis, & vino dulci vtendum est, tanquam huic hæc duo peculiariter competant.

48 Si

48 *Si igitur prima aut secunda die, postquam inuasit, ægrum accesseris, si stercus prodit purum, aut leuiter biliosum, & modicum infusum ex thapsia per clysterem iniicito. Si vero aluus commota, noctu quidem egerat, postridie vero dolor, & tormen vexet, rursus clysterem adhibeto. At si æger biliosus sit natura, & non purgatus correptus fuerit à morbo, priusquam saliuam biliosam expuat, etiam medicamento bilem probe purgato. Si vero iam expuat biliosa, medicamentum ne dederis. Si enim dederis, sputum sursum prodire non poterit, sed septima aut nona die suffocabitur, maxime si præcordia doleant.*

INTER principales curandæ pleuritidis iudicationes communi omnium scribentium sententia hæc vna in eius initio est fluentium humorum ac sanguinis reuulsio. Quam cum duplici ratione videlicet vel sanguinis missione, vel alui subductione procurare possimus, sectionem venæ Hipp. in hisce libris vel negligens, vel eam, sicuti docuit libr. 4. reg. acut. 19. in omni acuto morbo tentandā, supponens, eius nō meminit, sed de alui subductione, vti reuulsorio præsidio tantum verba fecit. Quoniam autem subduci aluus duplici ratione potest, scilicet vel solis clysmatibus, vel purgatorio pharmaco, ideo ex his ambobus, quando alterum veniat in vsum, hic declarare intendit, monens hoc ab excrementorū qualitate indicari. Nam repentibus in aliquam partem humoribus excretiones inspiciendæ sunt, quæ si fuerint biliosæ, totum corpus tali succo abundare censendum erit. Nam vbi lotia, & stercora biliosa sunt, iudicant bilem copiosam in corpore aggregari, eamque inde exturbandam, & purgandam esse. Si vero excretiones similes sanis existant, significant corpus tali cacochymia nec grauari, nec laborare. Quare nec tunc vlla purgandi bilem datur indicatio. Quam rationem animaduertens libro 2. Aphoris. 15. dicebat, in exemplar aliorum faucium morbos, & tubercula in corpore enascentia apponens, vbi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet. Nam si biliosæ fuerint, corpus vna ægrotat; si vero similes sanis, tutum est corpus nutrire. Quod idem hoc in loco animaduertens Hipp. inquit, fluentibus ad locum affectū in principio pleuritidis humoribus, si tunc temporis ad ægrotum accedat medicus, alui excretiones considerandas esse. Nam si puræ, id est, similes sanis prodeant, aut leuiter sint biliosæ, id est, parum à sanis varient, & modicum, id est, in parua quantitate exeant, cum ex his corpus non ægrotare, id est, bilioso succo nequaquam abundare habeamus, bilis purgatio non indicabitur, sed sola clysmata, quæ sint acriuscula, sufficient, qualia sunt ea, quę ex thapsia, vel ex altero electiuo simili pharmaco componuntur. Hæc autem indicatæ fluentium humorum reuulsioni satisfacere in morbi initio poterunt, tum quia facultate propria materias fluentes, quæ vtplurimum sunt biliosæ, attrahentia, eas à partibus superioribus ad inferiores retrahunt, tum quia, cum modica abundet bilis, non copiosa indicatur euacuatio, quare ea, quæ per clystere fit, sufficit, cum eam modicam, quæ abundat, bilem possit à loco affecto retrahere. Indito autem clystere, & retractione ad inferas partes per dictum clystere tentata, si adhuc humorum ad partem affectam perseueret fluxio, quam indicabit dolor perseuerans, & postridie adhuc magis augescens, & magis vexans, rursum alterum clysma infundendū erit, vt inde fiat totalis fluentium humorū retractio. Si vero excretiones biliosæ fuerint, vel quia æger à natura biliosus existat, id est, quia ex intemperie naturali bilem copiosam generet, vel ex causa morbosa biliosus euaserit, id est, quia ex causa præternaturali bilem abundantius cumulet, tunc quoniam corpus vna ægrotat, & biliosus succus in eo abundat, indicatur purgatio per electiuum pharmacum, quod bilem ducat. Verum in huiusce pharmaci, exhibitione considerandum est, an biliosus succus, qui in corpore abundat, solum fluat, an etiam vltra fluxionem colligatur in parte affecta. Vbi enim solum fluat tunc conuenienter exhibebitur pharmacum, quoniam ex eo fluentium humorum habebitur retractio. Vbi autem non tantum ad locum affectum fluat, verum etiam in eo acertietur, ac colligatur, (quemadmodum συστρέφεσθαι Græci, vt docet Galen. libro quarto reg. acut. comm. 22. dicunt, sicuti collectiones σύστροφας, vt habetur superiori text. appellant,) non amplius pharmacum conuenienter exhibendum erit, quoniam tunc facta collectione oon amplius fit retractio, quoniam vt habetur loco citato, tunc materia cruda pharmaco non cedit, sed tantum partes sanæ à pharmaci violentia absumuntur & tabefiunt, indeque lucta, & labor virtutis sequitur, & materia agitata coctioni magis rebellis redditor. Hanc materiæ fluentis collectionē animaduertens Hippocrat. nunc docet bile abundante, & ad locum affectum tantummodo fluente, pharmacum propinandum esse, antequam æger biliosa excreare inceperit. Quamdiu enim sputum cæteris excretionibus biliosis exeuntibus nō est biliosum, signum est materiam tantum fluere, nondum autem in loco affecto acertustam & collectam esse. Si vero materia peccans non tantum fluat, verum etiam in loco affecto coaceruetur ac colligatur, quod indicabit sputum, vbi biliosum prodeat, tunc non amplius pharmacum exhibendum erit. Quod si exhibeatur, tunc hæc mala producet. Nam materiā crudā, quæ pharmaco non cedit, agitans, crudiorem coctionique magis rebellē reddet, deinde virtutem labefactabit. Virtute autem labefactata, & materia peccante crudiori facta, succedit vt ratione cruditatis è loco affecto nihil eesudet, ratione autem debilitatis, si quid parum resudaret, excreari nequeat. Quapropter sputum in totum retinebitur, hoc autem retentum dolorem, & spirandi difficultatem auget, his autem augescentibus aut in septima, aut in nona ad summum æger suffocabitur, & hoc maxime si

præcordia doleant, id eſt, ſi ad affectum pleuriticum etiam præcordia compatiantur. Nam hinc iudicatur materiam peccantem non tantum pleoram, ſed etiam partes propinquas, & circumſtantes obſediſſe, indeque omnes eas male habere.

49 *Quod ſi ad dolores in lateribus etiam præcordia doleant, clyſterem adhibere oportet, & in potu ieiuno bibendam dare aristolochiam, hyſſopum, cuminum, ſilphium, papauer album, florem æris, mel, acetum, & aquam. Et per medicamenta quidem ita primas curationes facere oportet. Reliqua vero ſic ſe habent.*

DOLOR lateris, qui in pleuritide eſt pathognomicum ſignum, & qui ſolet pleuriticos continue concomitari, tum ex motu membranæ, tum ea eiuſdem tenſione vi inflammationis exorta cauſatur. Hic præcordiis communicatur, vel ea magnitudine paſſionis iiſdem communicatæ, vel ex materiei peccantis motu, quæ ad intra proprios limites non conſiſtens, ſed ad extra vagans vſque ad præcordia confluit. In hac fluxione & commotione materiei pleuritidem cauſantis ad præcordia liquet materiam à partibus ſuperioribus ad inferiores declinare, ex quo indicatur, vt eam deorſum (nam eo ducere oportet, quo natura vergit) euacuemus, motum eius ad inferiora adiuuantes. Hinc inquit HIPPOCRAT. quod ſi in pleuritide ad dolorem in lateribus etiam præcordia doleant, clyſtere adhibendum eſſe, tum vt materiam ad inferiora retrahamus, tum etiam vt naturæ motum adiuuemus. Clyſteria enim, & præcipue ea, quæ non ſunt mollia, ad hæc duo peragenda potiſſimum conferunt, tettahunt enim deorſum, & ſi materiam ad inferas partes mouet, eiuſdem motum fouent & iuuant. Quo caſu etiam, id eſt, vbi ad dolorem in lateribus etiam præcordiorum dolor ſuperaddatur, iubet Hippocrat. in oximellite (quod per mel, acetum, & aquam, eum ex his conficiatur, intelligit) exhibendam eſſe ariſtolochiam, hyſſopum, cuminum, ſiphium, papauer album, & florem æris. Sed ad quam intentionem hæc admouenda eſſe præcipit? Succedente ad lateris dolorem præcordiorum dolore, vbi cauſetur ex materia ad intra proprios limites non conſiſtente, ſed ad extra vagante vtriuſque materiei, ſcilicet & illius, quæ in thorace reſidet, & illius, quæ ad præcordia influit, ratio habenda eſt. Illa enim è thorace eliminanda; hæc autem diſcutienda, & ad excretionis vias deducenda, & vtraque attenuanda eſt. Hæc omnia inſigniter oximel, dummodo mediocre, non autem valde acre exiſtat, operatur. Nam in reſpectu prioris materiæ, vt inquit Hippocrat. libro tertio regim. acut. 14. ſputum educit, & facilem reddit ſpirationem, in reſpectu autem ſecundæ, vt ibidem text. 30. & 31. dicit, hypochondrio viſceribuſque eſt beneuolum, & excrementa bilioſa, ac ſetoſa ad vias vrinæ promouet, atque flatus & materiam craſſam glutinoſamque ſecat, & abrumpit. Ariſtolochia autem ad hæc apta eſt ratione ſuæ tenuitatis & abſterſionis, quorum merito aſthmaticis, & his, qui anguſti ſunt thoracis, vtilis eſt, dolentibuſque ex infarctu, aut ex craſſitie crudorum ſpirituum valde commoda exiſtit. Hyſſopum vero hæc eadem præſtare poteſt, cum tenuium ſit admodum partium, cuius ratione extenuando antiquæ tuſſi, pulmonum affectibus, & aſtmaticis valde prodeſt, & præter id, humores etiam craſſos inferius deturbat, & per inferas purgat partes, quod in hoc caſu tentandum eſt. Cuminum quoque indicationibus prædictis ſatisfacere poteſt, cum valde tenuium ſit partium, & diſcutientem admodum poſſideat facultatem, & materiam peccantem per viam vrinæ valenter promoueat ac porget. Silphium vero his iiſdem indicationibus opitulari poteſt, cum ratione maximæ tenuitatis materias fundere ac liquare, cuius merito fluxioni ac euacuationi, ſiue per aluum, ſiue per lotium maxime diſponuntur, ſit aptum. His omnibus papauer album duplici ratione admiſcetur, videlicet vt & dolorem leniat, & vt medicamentorum prædictorum caliditatem immodicam temperet. Florem æris ſuperaddit, tum quoniam ratione maximę abſterſionis, qua ſupercilium magnas aſperitates extergere, se auferre aptum eſt, poteſt glutinoſas, & obnixe hærentes in viis materias ſeparare, & ad exitum parare, tum quoniam ratione propriæ facultatis poteſt humores craſſos, qui ad præcordia vel mouerentur, vel hæreant ad infernas detrudere, ac promouere partes. Quapropter ex his omnibus habebimus medicamentum attenuans, & abſtergens, & quod non tantum materiam in thorace contentam per ſputum expurgare, verum etiam eam, quæ ad præcordia fluit, fundere, diſcutere, & vel per aluum, vel per vias lotii tandem excludere poteſt. Hoc autem explicato, & enarrato medicamento, Hippocrat. prædictis pharmacis per interius adminiſtrandis contentus ſubiungit: Et per medicamenta ita primas curationes facere oportet, id eſt, quo ad medicamenta per os adminiſtranda ſufficiant ea, quæ prædictis indicationibus ſatisfacere apta erunt. Reliqua vero ſic ſe habent, id eſt, reliquum curationis, quod in duobus conſiſtit, ſcilicet in præſidiis exterius admouendis, & in recta victus ratione, erit tractandum ea forma, quam in ſequenti declarabimus, dum de vtriſque agemus.

50 *Multa calida pro viribus agri lauato, capite excepto.*

PLEVRITICIS exteriora duplici ratione admouentur, alias enim ad leniendos dolores, alias vero ad concoctionem phlegmonis, & materię pec-

peccantis applicantur. Ad primam intentionem fomenta dolorem lenientia, vt docuit Hippocrates libro secundo reg. acut. in principio administrantur. Ad secūdam autem in processu morbi, & vbi tempora cruditatis, quæ principium termināt, pertransierint, & augmentum versus statum properans accesserit, fomenta, inunctiones, cataplasmata, aliaq; similia admonentur. Inter hæc autem tum numeretur & balneum, quod ex Hip. libro 4. regim. acut. 58. non tantum lateris, pectorisque, & dorsi dolorem demulcere, verum etiam sputum maturare, & ad excretionem facilitare, spiritum promptiorem reddere est aptum, ideo Hip. monet pleuriticos, tum ad dolorum lenitionem, tum ad materiæ coctionem multa calida lauandos esse. Sed quo tempore? an in principio morbi ad leniendum dolorem, an in progressu ad concoquendum? Cum per balneum, vt docet Gal. libro vndecimo method. cap. 20. liquentur ac fundantur succi in corpore existentes, duo in administrando balneo animaduertenda sunt; alterum vt plenitudo non adsit, alterum, vt crudi non existant succi. Stante enim plenitudine & cruditate, fusis ac liquatis humoribus, fluxiones ad locum affectum augescunt, & admodum irritantur, indeq; morbus inualescit, ac sæuior euadit. Quare ad hæc in balnei administratione euitanda, duo alia præmittenda sunt, primum est, vt corpus sit remota plenitudine euacuatum, secundum vt desinente cruditate coctionis vestigia appareant. Quibus duobus obseruatis liquet, balneum in principio pleuritidis nusquam proficue administrari posse, sed in processu tantum, vbi coctionis signa apparuerint. Ad quod respiciens Hipp. lib. de loc. in homine, non ante quartam in pleuriticis balneo vtebatur, idemque in septima, si febris ac morbus non cederet, repetendum esse monebat. Balneum igitur, quod non ante totius corporis euacuationem, nec ante coctionis signa est administrandum, in pleuriticis conuenict, tum ad leniendos dolores, tum ad coctionem peccantium succorum, sed hac habita consideratione, vt potius in respectu coctionis, quam lenitionis administretur. In eius autem administratione tria monet Hipp. aduertenda esse, primum, vt copiosa admodū sit aqua, quoniam minus laboriosum ex ea redditur balneum: secundum, vt pro viribus ægri hoc administretur, id est, si valeat æger, nam imbecilles talem actionem nequaquam tolerant, imo ex balneo magis debilitantur: tertium, vt capite excepto totum lauetur corpus. Excipit autem caput, quoniam hoc lauandum venit, vt docet lib. 3. reg. acut. 59. vbi sanguis ex naribus fluat quidem, sed in minori quam deceat quantitate, vel vbi talis fluxus desideretur. Quæ duo cum vel non adsint, vel non desiderentur in pleuritide, cum pleuritis nequaquam per sanguinis è naribus fluxum solui aut debeat, aut consueuerit, ideo in balneandis pleuriticis caput excipiatur.

51 *Et quum iudicationes sunt, dolentes locos humidis fomentis tepefacito, & oleo illinito.*

EUNTE morbo in iudicationem, vbi sit salubris, nulli dubium est, tunc temporis coctionis signa manifesta apparere. Quæ signa sicuti sanitatem prænuntiant, ita & futuram iudicationem præmonstrant. Iudicatio autem hæc, cum nusquam recta & proficua esse queat, nisi materia concocta fiat, ideo omni ingenio eluceentibus coctionis signis ad perficiendam materiei peccantis coctionē coctio procuranda erit. Quod in pleuritide animaduertens Hipp. monet, cum iudicationes sunt, id est, cum tempora crisis appropinquant, dolentes locos humidis fomentis tractandos, & oleo, vt inde absoluta procuretur coctio, illiniendos esse, per hæc non tantum fomenta, & olea concoquentia, sed etiam vnctiones ex pinguedinibus & adipibus paratas, & emplastra, & cataplasmata coctionem procurantia, subintelligens. Hæc autem præsidia concoquentia, quę apparentibus coctionis signis sunt vtilia, in principio essent incommoda, cum ex his eo tempore potius fieret maioris copiæ humorum ad locum dolentem attractio, quam coctio, eumque eo tempore potius dolorum lenitio, quā materiei peccantis coctio sit procuranda, cum ratione doloris, cuius vi fluxiones ad dolentem loū maxime sæuiunt, & hos potissimum in principio stante corporis plenitudine, & humorum cruditate, sit demulcendus locus affectus, ne inde augescat morbus, non autem per pure concoquentia tractandus, concoquētia enim calorem internum adaugent, & eo aucto, & conclusa materia dolor augetur, quo aucto morbus inualescit, cum per eum fluxio magis irritetur & prouocetur. Quod animaduertens Hipp. libro de affectionib. in curā pleuritidis monebat, concoquentia, antequam signa coctionis elucerent, non esse admouenda, sed tantum eo tempore, quo manifesta appareret coctio, dicens: Quum autem pus (per pus, vt multoties notaui, intelligit sputum concoctum) purgari inceperit, latus calefacere conducit, & forinsecus maturare ea, quæ circa latus sunt, prius autem hæc facere non expedit. Quod præceptum, sicuti pulcherrimum, ita à Medicis nusquam est negligendum; nō enim concoquentia impune pleuriticis in principio administrentur, nam vt subiungit Hipp. teficcantur. Etenim sputum tunc admotis concoquentibus non prodit, sed viscosum factum magis inhæret, & in factum excretioni non cedit, vnde tussis sicca suboritur, cuius merito dixit Hip. pleuriticum reficcari. Quapropter à principio anodyna, in processu autem pleuritidis, vbi signa coctionis manifesta apparuerint, concoquentia adhibeamus: ita enim agentes Hipp. tum in tertio reg. acut. tum in prædictis locis satisfaciemus.

52 *Quum vero impetu fertur morbus, & agrum, & medicum à curationibus quiescere conuenit, ne quid mali inducatur.*

HÆc sententia per modum parenthesis inter superiorem & inferiorem posita est, docens idem, quod docebat Hip. libro secundo aph. 29. cū

moneret consistentibus ac vigentibus morbis, ab omni enacuatione quiesceodum esse. loquitenim: dom impetu fertur morbus, id est, dum morbus est in statu, & crisis tempus instat (hoc enim tempore impetu fertur morbus) & medicum, & ægrum à curationibus, id est, à pharmacis & purgationibus, quas etiam superius tex. 49. curationes vocabat, quiescere conuenit, ne quid mali inducatur. Nam si porgatio tunc tēporis adhibeatur, crisis interturbatur, coctio, quæ in statu perficitur, impeditur, & vis animalis, quæ tunc magna ex parte est fatigata, labefactatur, quæ omnia mala, & in perniciem ægrotantium casura sunt. Qua de re tutius est consistente morbo, & crisi instante rem totam naturæ dimittere, & ab omni pharmaciç genere abstinere.

53 *Dandus autem est ptisanæ succus coctus, aliquanto crassior spissitudine mellis.*

EXPENITA altera reliquiæ curationis parte, quæ io exterius adhibendis coosistit, nunc ad alteram transit, quæ in recta victus ratione instituenda fundatur, dicens: pleuriticis exhibendom esse ptisanæ succum coctum paulo crassiorem μελιχρωοτέων, id est, faciens illum coloratum cum melle, quod est, ac si diceret, dandam esse ptisanam cū melle conditam. Ptisana enim, vt dicebat Hipp. libru 1. reg. acutor. 18. omnibos frumentaceis gustamentis præfertur, & in morbis acutis, præcipoe autem in pleuriticis, eius vsus est quam commodissimus; qoare non immerito nunc eius succus exhibetur. Sed cur dixit coctum? Dixit succum, quia non totam ptisanam, sed eius succum, id est, colatam partem exhibere intendit; dixit aotem coctū, non quia ptisana sit per se quid crudom, cum talis ex se existere, quandoquidem per ebullitionem & coctionem fiat, nequeat, sed dixit coctum, velut absolutam coctionem insiooaret, vel vt postquam colatus fuerit succus, qui sit crassioris substaotiæ, diluatur, & iterum admixto melle (nos saccarum loco mellis admiscemus) coquatur.

54 *Post balnea etiam vinum dulce & aquosum bibendum est, non frigidum, modicum, ex angusti oris pocillo, & vbi tusses inuaserint, amplius bibendum, & quam maxime excreandum, & potu humectandum, quo pulmo humidior factus, facilius ac citius sputum reddat, & tussis minus affligat.*

QVEMADMODVM ptisana per totom morbū semper commoda est, cum refrigerans, lubricans, humectans, abstergens, leniens. non adstringens, non sitim inferens, non turbans existat, ita vinum non quodcunque, nec quandocunque in pleuritide conoenit, cum vina aostera adstringant, potentia calefaciant, indeqoe inflammatas partes male afficere apta sint, cumqoe cruda existente materia, & sæuiente ac augescente morbo, omnia vinorum genera inflammationibus internis sint infesta. Quapropter Hippócrates sicuti superius docuit ptisanæ colatę vsum esse commodum, ita nunc quando vinum in pleuriticis in vsum, & quale recipiendum existat, docere intendit, dicens, vini vsum conuenire post balneum, id est, eo tempore vinum exhibēdum esse, quo ęger balneo vsus fuerit. Tale autem tempus est, vt superius explicatum fuit, post coctionem morbi apparentem, quare vinum noo conceditur ab Hipp. nisi cocta pleuritide. Vinum autem ad hoc aptum erit, inquit Hipp. dulce & aquosum. Dulce, vt lenire, & sputum prouocare queat, aquosum autem, vt non calefacere, nec inflammationem proritare sit aptum, per quæ vinom tum potens, tum austerum excluditur. Hoc autem ea ratione est exhibendum, vt primo actu sit calidum, nam cum frigidom thoraci, ac partib. externibus sit inimicum, omnia frigida in pleuritide vitanda erunt; secundo, vt sit modicum, modicum inquam, vel qoia aquosum euaserit, admista multa aqua vino modico, vel quia molta vini, quāuis aquosissimi, copia omnibus acutis morbis, qui nullius rei plenitudinem & abundantiam tolerāt, est infesta; tertio, vt ex angusti oris vasculo potetur. Nam hoc modo haustum potius lambendo, quam deglotiendo ingeritur, cuius modi vtilitas est in thoracis morbis internis, cum inde facilius excreationes excitentur. Qui modus faciet etiam ad hoc, vt in modica quantitate, cum ęgri solamine potetur, cum ita diutius quantitas minor gulam, & fauces irrigare sit apta. Hoc aotem vinū, quod modice & parce potandom est, vbi tusses inuaserint, id est, vbi irritata tussi excreationes sputorum instent, paulo ampliori mole erit bibendum. Nam hinc lenito thorace, & pulmone humectato, excreationes facilius prodibunt, indeq; citius partes internæ porgabuntur, quibus purgatis morbus declinabit, indeq; tussis minus affliget. Sed cur Hippoc. cæteris vinorum generibus vinum dulce præfert, & cur in huiusmodi pleuriticorum potione dulcedinem affectat, cum in libr. de affect. in cura pleuritidis docuerit, potiones acidiores esse dandas, quo sputum de latere purgetur? Si enim potiones ad prouocandum sputum debeot esse acidiores, igitur dulcedo in pleuriticorū potione nequaqoam est affectanda. At sciendum est, cum pleuritis fiat impacta, ac inhærente in membrana succingente costas materia, eam iudicationē sibi proposuisse Hippoc. vt materiam lateri inhærentem, siue sit bilis, siue sit pituita, à latere dedocat. Deducitur, si attenuetur, & à loco affecto separetur. Ad hanc autē obeoodam actionē nil efficacius excogitari acidis potionib. potest, quoniam acetū attenuare, & materiam à loco affecto simul dimouere, & inde ad excreationem excitare potest, ad quod respiciens libro de loc. in homine in pleuritide ab initio aceti mulsi, aut poscæ vsum laudabat, ita enim materiam à loco affecto dedocere, & ad excretionem promouere cogitabat. Verom sciendum est, qood quamuis acidæ potiones ad hęc peragenda siot aptæ, haudquaquam tamen hæ admodum acidæ cooueniunt. Nam cum acetum non tantum polleat facultate incidendi, verum etiam siccandi, ideo vbi potiones sint valde acidæ, valde etiam siccare poterunt, siccando autem ipsom sputum magis crassom, & magis glutinosum, vnde

magis

magis obnixe membranæ hæreat, reddit. Hinc autem & respirandi difficultas augebitur, & tussis interturbabitur, & eorum, quæ lutua sunt, excreatio impedietur. Quas noxas animaduertens, & perpendens Hippocrates libro tertio regimin. acutor. 26. non iniuria oximel valde acre damnabat. Vnde censeo Hippocratem eo in loco per acidiores potiones non intelligere eas, quæ valde existunt, cum tales sint admodum noxiæ, sed eas, quæ inter dulces aciditatem mediocrem participant, acidiores eas appellans in respectu dulcium, qualis est mulsa, apomeli, hydromeli, rhodomeli, omphacomali, & aliæ similes potus arte parati, non in respectu simpliciter acidorum, cum eæ, quæ mediocriter acidæ sunt, ad hæc munera obeunda sint aptissimæ, nequaquam autem eæ, quæ valde existunt acidæ. Vnde oximel mediocriter acidum esse debet, posca autem admodum diluta sit, ne ex violentia aceti, quod membranis insensum, & materias crassas inuiscare, & glutinare ob vim siccantem aptum existit, aut membrana subiungens mordicetur, aut materis peccans incrassetur. Hanc aciditatem in comparatione vini non considerabat Hippocrates, tum quoniam vinum, vbi acidum fiat, propriam deperdit naturam, in aceti naturam conuersum, tum quoniam in potionibus pectoralibus maior quam sit in vino, dulcedo requiritur, cuius ratione his mel, tanquam omnium dulcissimum admiscetur. Verum quoniam ex se non est aptum materias crassas aut incidere, aut dimouere, ideo ad hoc eisdem acetum admiscendum esse cogitarunt antiqui medici, vt simul cum dulcedine leniente simul admisceatur aciditas attenuans, & materias ad excretionem irritans. Eapropter acida in comparationem vini non veniunt consideranda, sed tantum in comparationem eorum, quæ ex melle parantur, & talia à principio vti vtilia propinari possunt, quod haudquaquam vino competit, cum hoc stante cruditate sit incommodum. Cuius merito eius in principio nullus est vsus, sed tantum cocta pleuritide, quo tempore non attenuanda, nec à latere peccans materia est deducenda, sed tantum lenienda, vt per tussim facile excreari queat, quod tunc temporis vinum dulce per propriam dulcedinem lenientem apte peragere potest.

55 *Sed & mali punici dulcis vinosi succum, lacte caprino modico, & melle admixto, paulatim sæpe dato, & noctu, & interdiu.*

PRÆTER vinum alterum potionis genus pleuriticis exhibendum instituit Hippoc. compositum ex mali punici succo, lacte & melle. Compositionis ea est ratio, vt cum coctionem & excreationem intendat, per hæc tria eadem procuret. Mel enim ad hęc pollet, cum dulcedine leniat & concoquat, vi autem extersoria, qua plurimum pollet, ad excreationem proritet. Lac ad eadē peragenda aptissimum est, quoniam parte pingui, quam possidet, concoquit, caseosa, dum est recens, lenit, serosa vero abstergit & separat, & inde excreationē excitare potest. His succum mali punici, non cuiuscunque generis sed determinati, videlicet dulcis vinosi admiscet. Nam cum mali punici triplex sit differentia, etenim aliud est dulce, aliud acidū, aliud saporis, inter hæc duo mediantis, quod Græci vinosum appellant, Hippocrates vtrunque extremum vitans, vinosum, quod nos medii saporis appellamus, in hunc vsum assumpsit. Dulce enim cum habeat quid æstuosum, vt docet Hipp. libr. 2. de diæta, in inflammationibus internis est suspectum; acidum autem cum cæteris sit magis adstringens, nec conueniet, cum adstringentia sint in pleuritide fugienda; quæ enim adstringunt, sputum prohibent, & inde morbum exacerbant. Vinosum autem, cum minus æstuosum dulci, vt loco citato docet Hip. existat, & sit minus adstringens, quam acidum, aptissimum ad hoc erit, tum quoniā propria frigiditate mellis caliditatē tēperabit, tū quoniā sua vinositate sputū ꝓuocabit. Sed si vinosi succus tantum in vsum recipitur, cur dixit Hip. mali punici dulcis vinosi succum, dulce & vinosum simul connectens? Quoniam cum vinosa non sint vnius ac simplicis naturæ, sed diuersæ, quandoquidem ex his alia sint magis dulcia, alia magis acida, ideo dixit vinosi dulcis succum esse accipiendum, quoniam aciditatem ratione adstrictionis & exasperationis suspectum habens, dulcedinemq; ratione lenitionis affectans, probat succum illius mali punici, quod quidem vinosum existat, verum ad dulcedinē, quam ad aciditatem potius inclinet. Huius, inquit, sit vsus, vt paulatim exhibeatur tam noctu quam interdiu: huiuscemodi enim medicamenta, quæ ad lambendum, vt excreatio proritetur, exhibentur, paulatim, & tam in die, quam in nocte assumenda sunt. Hinc enim ex continuata administratione sputum prouocatur, & inde morbus facile soluitur. An autem tale medicamenti genus in vsum sit recipiendum, necne, dixerim mihi suspectum esse ratione lactis, quoniam hoc solet in inflammationibus internis in nidorosam qualitatem conuerti, cū lac ex igneo calore nidorosum euadat. Verum ex altera parte, cum sit refractum à succo mali punici, poterit forsan hanc alterationem subterfugere, cuius succi licet possit esse vsus suspectus ratione adstrictionis, cum omne mali punici genus ex Gal. sit adstringens, tamen vbi fiat pleuritis à bile, non est improbandus, tum quoniam huiuscemodi succus bilis feruorem refrangit, tum quoniam vinosum ad dulcedinem declinans non caret vi leniente ob adscititiam dulcedinem. Quapropter mihi tutus, & valde opportunus in huiuscemodi pleuritide hic succus euadit, non tamen simplex, sed aliquo alio liquore ad hoc idem apto contemperatus. Hanc autem contemperantiam excogitauit Hippo. per lac procurandam esse, vt ex his ambabus mixtis mellis caliditas corrigatur, & per mel vtrorumq; dulcedo adaugeatur, simulque fiat medicamentum medium, quod nec admodum acidum existat, nec in primis qualitatibus vel calidum, vel frigidum præter rationem euadat.

Etsi-

56 *Et somnum quam maxime prohibeto, quo purgatio, & citius & copiosius fiat.*

CVm somnus, & præcipue longus, potissimum ille, qui in accessionum principio contingit, sit omnibus internorum viscerum inflammationibus infestus, quandoquidem sanguis in somnis, vt docet Hip. lib. 6. Epid. sect. 5. text. 30. ad interna magis refugiat, indeq; dormientes, vt asserit eodem libro sect. 4. text. 13. calidiores euadant, cum non tantum calor insitus, verum etiam extraneus per somnum concentretur, hinc Hippocrates summo iure monet, pleuriticos à somno arcendos esse. Nam si per somnum sanguis & calor concentratur, & ad interna refugit, cui dubium, quod per hæc pleuræ inflammatio adaugebitur, ac exacerbabitur? Verum non per hæc tantum inflammatio irritabitur, sed etiam, quia cum per somnum vis animalis sopiatur, & voluntariæ actiones intermittantur, ac quiescant, nec pleuritis per sputum purgari, nec materia resudans excreari potest, sed intus remanens difficultatem anhelitus adauget, viam spiritus crassitie & viscitidate obstruens, quę mala nusquam nullaque ratione euitari possunt, quam per tussim, quæ ex naturæ irritatione per motum animalem completur. Quapropter somnus quam maxime prohibendus est pleuriticis, tum ne ex somno concentratis sanguine & calore inflammatio augeatur, tum ne ex superinducta per somnum quiete tussis, per quam pleuritici purgantur, inhibeatur. Dixit autem, quam maxime, non autem penitus, quoniam somnus non est penitus relegandus, ex immodica enim vigilia corpus dissolueretur, ac vires omnes labefactarentur, sed dixit quam maxime, vt insinuaret, longiorem somnũ esse ablegandum, & eum, qui in principio accessionum contingere consueuit. Lõgitudo enim & huiuscemodi temporis intempestiuitas admodum noxia existit, cum per illam maxime grauentur vires, in hac autem quasi suffocentur ex nimia humorum, ac caloris vtriusque concentratione. Quare quam maxime prohibeatur somnus, id est, quantum fieri poterit, somnus breuior imperetur, vt natura quietem sufficientem recipiens, nec à materia conculcetur, nec à purgatione impediatur, ita enim purgatio & citius, & copiosius fiet. Citius quidem, quoniam per nimiam quietem non interturbabitur, copiosius autem, quoniam instante naturæ actione, & robore materia peccans facilius & copiosius purgabitur.

57 *At vero sanguineam pleuritidem sic curare oportet. Post iudicationes cibis leuibus reficito, & quietem agat, & nimium caueat solem, ventos, repletiones, acida, salsa, pinguia, fumum, flatus in aluo, laborem, venerem. Si enim morbus recidiuauerit, mors sequetur.*

CVm sanguineam pleuritidem prę cęteris fortem, dolorosam, & lethalem esse docuerit, eius tanquam grauioris & mortiferi morbi quasdam singulares appoint annotationes. Quarũ prima hæc est, quod huiuscemodi pleuritis est adeo sæua, & discriminis plena, vt post iudicationes, id est, postquam recte curata solutionem receperit, ex quocunq; etiam leuissimo errore recidiuare, indeque patientem interimere, ac morte mulctare consueicat. Quapropter exquisitissima post iudicationem eget viuendi norma, vnde huiuscemodi pleuritici iudicatione peracta non tantum per duos dies ptisana alendi, vt habemus libro primo reg. acut. 25. verum etiam vlterioribus diebus cibis leuioribus nutriendi sunt. Nam vbi morbi fuerint grauiores, virtutes naturales languidiores remanserunt, indeque ciborum aut copiam, aut crassitiem, ac robur male tolerant, ex copia admodum grauatæ, ex mala autem qualitate nutrimentum laudabile suggerere nequeuntes, & inde potius in recidiuam morbi declinantes. Quare cum grauis hęc præcesserit pleuritis, nec copiose alendi, ne vires hinc obruantur, nec cibariis difficilis coctionis, ne inde aggregatis prauis humoribus, & ad locum ex ꝑgresso morbo languidum & imbecillũ decurrentibus recidiua fiat, sunt nutriendi, sed lente, ac leuioribus cibis sunt reficiendi, hisq; imperanda est quies, ne ex motu concitentur humores, indeq; ad locum affectum iterum fluãt. Quam fluxionem cum etiam proritare possit calor, quoniam calidi est rarefacere, & motum rebus præstare, ideo etiam solem nimium, id est, qui nimis calidus, qualis est sub cane, existat, hi caueant, vel nimium soleta, id est, multam sub sole moram hi fugiant, cauentes ventos, quoniam frigidi constipant, & thoraci aduersantur, calidi autem fundant, & fluxiones irritant. Caueant pariter repletiones, quoniam hinc facultates grauatæ nouo disponuntur morbo. Caueant acida, salsa, & pinguia, quoniam soluto morbo acida membranam mordicant, salsa exasperant, pinguia eam nouæ ruptioni, cum laxent, disponũt. Fugiant etiam fumum, quoniam hic respiratoriis organis, & omni thoracis morbo est infestus, quãdoquidem in morbis thoracis egemus aere puro, fumus autem illum inficit, & vim mordicantem, & exasperantem ei impartit. Vitent etiã ea omnia, quę flatum in aluo parere queunt, quoniam huiuscemodi flatus discurrens potest ad thoracem ascẽdere, indeq; locum morbosum dolore affligere, qui dolor facile recidiuam causare posset. Labor pariter & venus in his vitanda sunt, quoniam ex vtrisq; ad motum humores concitantur, & fluxiones in conualescentibus & debilibus corporibus ad loca imbecilla proritantur. Quare hæc omnia, ne inde recidiua fiat diligentissime cauenda sunt, si enim recidiuaret hic morbus, leui negotio, ac facilime, cum sit adeo sæuus & periculosus, patientem interimeret.

58 *In expuitionibus autem, si dolor habeat, & expuere non possit, ieiuno æris florem dato magnitudine oliuæ, & succi silphii dimidium eius, & trifolii seminis modicum. Hæc ex melle delingat.*

HÆc est altera de pleuritide sanguinea singularis apposita annotatio, per quam intendit, si

post

post iudicationem pleuritidis dolor non cesset, & sputum retineatur, quid agendum sit explicare. Nouimus enim crebro in pleuriticis post solutā pleuritidem dolorem, qui diutius perseueret, remansisse, qui dolor non aliunde ortum ducit, quam tum ex loci à morbo contracta imbecillitate, per quam facile ab omni materiei decursu, quāmis benignæ, patitur, tum ex quadam loci intrinseca ex morbi violentia contracta ruptione, qua non sanata, sicuti fit in ruptis, vt docebat Galenus libro 4. meth. in fine, semper aliquis perseuerat aut dolor, aut dolendi occasio. Quæ duo sc. & imbecillitas, & ruptio non sanata, cum fuerint in pleuritide, eruot doloris occasiones, dolor autē vere affligit, cum aderit materia, quæ locum vel imbecillum obsideat, vel ruptum adimpleat. Qua de re ad solutionem huius doloris indicatur, vt materia locum affectum occupans absumatur, ipsum autem ruptum, vt docet Gal. loco citato, vehementius siccetur, & vbi materia per absumptionem non consumatur, sed in thoracis viis cumuletur, vt per sputum educatur. Hinc Hippocrat. in pleuritide sanguinea, si post iudicationem, id est, postquam sputa concocta prodierint, & postquam inflammatio sedata fuerit, dolor, qui ex inducta ruptione causatur, perseueret, & materia in locum affectum, & ruptionem parientem irruens non espuatur, ad absumendam hāc materiam, & ad locum affectum vehementius siccandum instituit medicamentum, quod tenuissimarum partium, vt facilius penetret, & penitius agat, existit, & quod calidum & siccum est in tertio gradu. Calidum quidem, vt potenter absumat, siccum autem, vt vehementer ruptum locum exsiccet, flos enim æris calidum est. & siccum in tertio, sicuti est & trifolium (per quod asphaltides audiamus, de quo tum loquitur Galen. libro octauo, cap. proprio, tum Diosc. libro 3. cap. 17. ipsum ad pleuriticorum dolorem laudantes) silphium autem nouimus etiam ex Galē. libro citato, cap. proprio, strenue calefacere, & vim amoliendi & liquandi habere. Quare hoc medicamentum, quod instituit Hipp. ex flore æris, silphio & trifolii semine, valde opportunum erit soluta pleuritide ad tollendum dolorem, qui remanserit, cum materiam ibibi cōtentam facile absumere, & locum ruptum vehementius siccare sit aptum. Hæc autem exhibet ex melle, quoniam in affectibus thoracis medicamēta sunt admiscenda his, quæ materias ad ipsum deducere queant. Talia autem cum sint dulcia, & cum inter dulcia mel excedat, ad hoc optimum erit, cum præter hæc & malum descripti medicamenti saporem propria suauitate corrigere sit aptum.

59 *Aut piperis grana quinq́, & silphii magnitudinem fabæ, mel, acetum, & aquam ieiuno tepida bibenda praebeto. Hoc etiam dolores sedat.*

HIPPOCRATES eandem sibi iudicationem proponens, videlicet, vt soluta pleuritide, & dolore remanente, ac sputo non prodeunte, materiam in loco affecto aut existentem, aut ad eundem decurrentem absumat, & ruptum vehementer exiccet, alterum apponit medicamētum, quod valenter tum excalefacit, tum exiccat, compositū ex pipere, quod valde tum calefacere, tum siccare, vt docet Gal. libro octauo de simpl. med. facul. cap. proprio, est aptum, & ex silphii succo, qui ad eadem æquualēter, imo magis pollet. Hoc exhibet in oxymelle, quod per mel, acetum, & aquam designat, tum vt per hoc illud tanquam per manum ad vias thoracis deducat, tum vt si quid materiei peccantis, quæ per dictum pharmacum non absumpta, ex loco affecto refudet, superfit, per id è thorace aptius per tussim excreetur. Hoc, inquit, tepidum bibendum exhibeatur; ratio est, quoniam frigida thoraci infesta sunt, calidiora autem exasperant, tepida vero leniunt. Hoc pharmacum, subdit Hip. etiam dolores sedat, id est, præter illud primum iā explicatum, & præter id, quod exercationem faciliter, etiam dolorem non cedentem mitigat. Sed qua ratione dolorem sedare dicitur, num quia anodynum sit? Nequaquam, cum anodyna temperatum possideant calorem, & potius humida, quam sicca existant. Hoc autem valenter tum calefacit, tum exiccat, sed quia, cum vehementius vtrumque hoc agat, causas doloris amoueat, materiam peccantem absumens, & ruptum vehementer siccans.

60 *Quod si pro ratione spuere non possit, sed moretur sputum hærens in ipso, & stertat in pectore, ari magni radicis conchulam maiorem, & oleum, ac acetum mixta dato, & acetum aqua dilutum insuper bibat.*

TERTIA annotatio apposita de sanguinea pleuritide hęc est, per quam monet Hippocrates quid agendum sit, vbi materia ab exhibitis medicamentis non absumpta fuerit, verum resīdans in viis spiritus hæserit, ac stertorem pepererit. Quoniam enim in casu isto indicatur, vt materia hæc per sputum educatur, per screatumq; euacuetur, ideo medicamentum instituit, quod valentem possidet facultatem tum extergentem, tum attenuantem, per quam apposite ac congruenter reiectioni humorum à pectore commodat. Tale autem est radix ari magni, id est, dracontii appellati, quod licet ari consimilem habeat facultatem, tamen cum eo, vt inquit Galen. libro sexto de simpl. medicam. facultat. capite proprio, sit amarius & acrius, ac perinde calefactorium magis, & tenuioribus partibus existat, eodem est ad lentos & crassos succos extenuandos & abstergendos, indeque à thorace eliminandos vehementius. Quam vehementiam attendens Hippocrates non arum simpliciter, sed maiorem, quem dracuntium appellat Galenus & Dioscorides in hunc vsum assumpsit. Verum quoniam hoc non sufficit ad expectorandam materiam, nisi concitetur tussis, ideo hanc radicem in oxeleo propinat. Oxeleum autem ad concitandam tussim est aptissimum, quoniam vt docet Galen. libr. 2. de simplic. med. fac. c. 16. omne oleum ad tussim impediet,

ciet, cum pingula, vel monet capite sequenti 17. illi tu inæqualitatem in aspera arteria, & ad tussim impetum efficiant. Oleo autem admiscet acetum oxeleum formans, quoniam præter inæqualitatem asperæ arteriæ etiam mordicationem inferre intendit. Ad hoc autem aptum est acetum ratione proprii saporis præter id, quod & materias crassas attenuare potest. Ab hoc medicamento insuper bibendam esse polcam monet, vt inde partes prædictæ abluantur, & materia in eis contenta diffecetur. Ab aceto autem, quod ex se non est, sed merito aquæ fit potabile. hanc facultatem posca desumit, & ideo non iniuria post prædictum medicamentum propinanda venit.

61 *Aliud forte. Florem æris magnitudine fabæ, & nitrum assatum dupla portione, & hyssopi quantum tribus digitis comprehendi potest, melle misceto, & aquam ac oleum modicum adstillato, & tepefacta in conchula maiore infundito, vt ne suffocetur. Hoc etiam in peripneumonia facere oportet, si non purgetur.*

MATERIA non absumpta, ac stercore ab ea inducto perseuerante, si non releuetur æger ex antea descripto medicamento, aliud fortius administrandum esse monet, quod ex flore æris magnitudine fabæ, ex nitro adusto in dupla portione, & ex hyssopo, quantum tribus digitis apprehendi possit, compositum melli admisceatur, quibus aquæ ac olei modicum adstilletur. Hoc medicamentum superiori est admodum potentius, quoniam ex mineralibus recipit florem æris, qui præter insignem, quam possidet, extergendi facultatem, cum sit calidum & siccum in tertio, non modo materiam peccantem potest attenuare, verum etiam eam aptum est desiccare, & digerere. Ex succis concretis autem assumit nitrum, quod propria ac nitrosa qualitate, per quam succos inhærentes, tenaces ac viscidos separare ac extergere valentes potest, insignitum, vbi aduratur, sicut præcipit Hip. sumendum esse, substantia admodum tenuius redditur, ex quo, si quid aliud, desiccare, & digerere, ac lentos crassosq; succos extenuare valet. Ex plantis vero recipit hyssopum, quod cum sit calidum & siccum in tertio, & partium admodum tenuium, ad eadem peragenda est potentissimum. His mel admiscet tum ad suauitatem aliquam indendam, tum ad parandum ipsum thoraci accommodum medicamentum. His autem aquam & oleum adstillat, tum vt medicamentum diluat, tum vt idem ad lambendum aptum disponat. Aquæ autem admiscet, vt per oleum tussim, per quam peragenda erit hæc materia, excitetur. Verum quoniam hoc medicamentum admodum forte existit, & insignē ad concitandam tussim impetum ciet, ideo ne ex eius haustu mala subsequantur accidentia, & forsan inde suffocatio, monet hoc tepidum propinandum, tepida enim cuicunque excessui contrariantur, nec mordicant aut irritant, & per χηραμίδα infundendum esse, per chiramidem autem isti interpretantur conchulam maiorem. Erotianus in Onomist. interpretatur concham magnam, per quam intelligendum venit omne vas, quod sit canum in medio, & angustum habeat os. Nos ad hunc vsum assumere possumus ampullam vitream, cuiuscemodi Caluus in sua translatione interpretatus est; per tale enim vas paulatim hoc medicamētum infundi potest. Quod si per vas oris ampli infunderetur, difficultatem magnam, & suffocationis periculum inueheret. Hoc etiam medicamentum subiungit Hippoc. in peripneumonia si non purgetur, facere oportet. Sed num quocunque tempore hoc opportunum est? Nequaquam, sed solum iuxta post tum pleuritidis casum, cum soluta inflammatione superest materia, quæ vias spiritus obsidens, & stertorem simul inducens, è thorace veniat eliminanda, ac per tussim excreanda.

62 *Si vero neq; stertat, neq; velut oportet spuat, capparis fructus, quantum in tribus digitis comprehendi potest, & piper, & nitrum modicum, & mel, & acetum, & aquam misceto, atque hac tepida sorbenda prabeto. Altera die eadem in aceto, melle & aqua feruefacta sorbeat, Hoc etiam stertentib. dato, & his, qui purgari nō possunt. At si fortius facere voles, hyssopi & sinapis, & nasturtii concham maiorem melle & aqua terito, & feruefacta, ac excolata tepida sorbenda dato.*

QVARTA annotatio de hac sanguinea pleuritide apposita hæc est, per quam monet, quid agendum sit, vbi sedata inflammatione, & concocta materia, nec stertor resudante ea ad vias spiritus sequatur, nec sputum pro purganda ipsa prodeat, sed retineatur. Qui casus à primo cum nulla alia ratione differat, nisi quia in eo dolor perseuerat, in hoc autem non affligit, in vtrisq; enim eadem affectio, & affectionis causa persistit, cum eodem habet easdem, ac similes indicationes. Eapropter æque ac in primo iudicarat in isto, vt materia peccans absumatur, & vt ad excreationem per incidētia præparetur. Quas indicationes sibi proponens Hipp. medicamentum instituit ex capparis fructu, ex pipere, & nitro, tanquam absumentibus, & valenter extergentibus, quibus mel, aqua, & acetum, tanquam attenuantia, & sputum facile prouocantia admisceantur. Capparis enim fructus, cum sit subamarus, acris, & acerbus, incidendo, & extergendo potest absumere, & simul locum affectum purgare. Hoc idem piper, cum valenter calefaciat & siccet, agere potest. Nitrum vero potentius hoc idem faciet, cum propria qualitate valide extergere, & exsiccare, ac simul extenuare queat. Quod si aduratur, ob adeptam propriæ essentiæ maiorem tenuitatem, efficacius molietur, mel autem, acetū, & aqua proportionaliter oximelitidi facultatem habebunt, cum ex iisdem oximel ipsum constituatur. Hæc tepida sorbenda esse monet, adiiciens altera die, si efficacius desideramus medicamentum, hæc eadē non simpliciter aceto, aquæ, & melli admiscenda, sed in ipsis feruefacta, ac per ebullitionem concocta adhibenda in sorbitionem esse.

Quod

Quod medicamentum, licet ad eos, qui non purgati stertorem non habent, instituatur, attamen, inquit Hip. etiam stertentibus opportunum est, vbi stertentes materiam affligentem non excreauerint. Si autem hęc non satisfecerint, & medicamentum omnibus prædictis fortius desideraueris, monet hoc vltimum ex hyssopo, sinapi, & nasturtio formatum in melle & aqua terendum, postmodũ ad ignem feruefactum & excolatum, ac tepidum propinandum esse. Sed cur hoc omnibus est fortius, & cur feruefactum & excolatum exhibetur? Est fortius quia præter hyssopum recipit sinapi & nasturtium, quæ sunt calida & sicca in quarto, & proinde vim vstoriam habent. Talia autẽ medicamentis ad anhelosos & asthmaticos commode admiscentur, cum lentos & crassos humores dissecare, & simul etiam absumere apta sint. Decoquuntur autem in aqua & melle, vt vim vstoriam deponãt. Excolantur vero, quoniam non eorum substantia, vtpote quę nimis est ob vim vstoriam potens, sed decoctio, quæ eandem facultatem refractam & temperatam referuat, est propinanda. Tepida autem exhibentur, quoniam vtraque extrema vias spiritus exasperant, tepida autem eas leniunt.

63 *Atq. hoc modo hi morbi curati sanantur, si non quid sputi in pulmone relictum pus fiat, à quo arida tussis sequitur, & febris ac horror emergunt, & erecta ceruice spiratio tenet, & frequentem & aceruatam respirationem æger habet, & vox paulo grauior fit, & color cum calore faciem occupat. Progressu vero temporis morbus magis manifestus redditur.*

PLEVRITIDIS, quæ sua acutie patientem non perimat, duplex consueuit esse solutio: alias enim per purgationem excreta per sputum materia, alias per suppurationem, vbi eadem retineatur, nec per screatum educatur, solui solet. De prima abunde superius egit, de secunda hic tractat, dicens, quod pleuritis modo prænarrato curata sanatur, si materia eam faciens penitus vi prædictorum medicamentorum excreetur. Si autẽ hæc materia per sputum nequaquam purgetur, sed ad intra locum affectum, vel ad intra pulmones, vbi à loco affecto resudet, retineatur, necessario, cum deuicta fuerit à calore insinito, in pus conuertitur, indeque patientes suppurati euadunt. Hanc suppurationem accidentia infra dicta concomitantur. Primo quidem arida tussis, nam si humida foret, per eam materia peccans expurgaretur, indeque suppurationem haudquaquam subiret. Secundo febris ac horror emergunt, id est, febris ac horror, quę duo prius soluta erant, de nouo accedunt. Quod non immerito euenit, cum febres in confectione puris consueuerint superuenire, dũ a. superueniunt, horrores eas concomitantur, cũ materia suppurans membranas attingens eas attingit, & corrodit; hinc enim fiunt horrores & rigores, quandoq;. Tertio orthopnæa succedit angustiatis spiritus vis à materia suppurante, & hoc præcipue vbi copiosa existat. Quarto his vox grauior euadit, nam huiusmodi patientes solent, dum suppuratio fit, ob vocis instrumenta, quæ tetrum vaporem à suppurante materia recipiunt, labefactata raucescere, & raucedo ista solet esse instantis suppurationis certissimum signum. Quinto color cum calore faciem occupat, id est, his rubent malę eleuatis ad faciem à materia suppurante calidis vaporationibus. Cum enim faciei cum pulmone sit maximus consensus, hinc semper ob prædictam causam malæ rubent in suppuratis. Ad hæc progrediente morbo alia solent subsequi mala & symptomata, quæ certam attestantur suppurationem. Talia sunt grauitas partis affectæ, nam factum pus est oneri partibus circumstantibus; caliditas eiusdem partis, quæ est maior, quam in sana, cum in affecta parte resideat pus, quod licet sit factum ex caloris ingeniti victoria, attamen plurimum caloris præter naturam in se ipso retinet; sudores superueniunt copiosi ob virium languorem, eo quod diductum alimentum per ipsos discutitur; oculorum cauitas partibus carnosis & humidioribus præcipue absumptis; vnguium curuatio consumpta carne, cui vtrinque firmantur; virtutum naturalium, præcipue autem appetitricis, vnde cibos abhorrent, languor, cum expirante ad naturalia membra tetro à pure genito vapore hinc facultates naturales inficiantur ac labefactentur. Talia igitur, aliaque his plura similia in progressu morbi succedunt mala, quæ non instantem, sed factam suppurationem attestantur, eiusque indicia certa sunt.

64 *Hunc si intra decem dies susceperis, vbi victu & balneo calefeceris, medicamentum, quod pus ducat, in pulmonem infundito, aliisque pus ducentibus vtitor, atq. sic velut suppurato victus rationem præscribas. Caput quoq. resiccato, vt ne quid influat.*

CVM explicauerit superiori textu pleuritidis suppurantis signa, reliquum erat, vt eiusdem curationem apponeret. Quam hoc in loco docere intendens, eam compendiose tradit, summa tantum eius fastigia attingens, ad particulares autem medicamentorum species haudquaquam descendens. Etenim cum pleuritidis suppuratio, quæ nulla ratione impediri artificiose potuerit, sit adiuuanda, tria presidiorum genera sibi proponit Hippoc. exequenda, per quæ suppurationi suffragetur, eandem facilitando. Tria autem hæc sunt, victus ratio, exteriora admouenda, & medicamenta ad intus, quæ faciant ad purgationem puris, administranda. Per duo priora suppurationem fouere, per tertium vero thoracis ac loci affecti à pure purgationem moliri intendit. Inquit igitur Hippoc. quod si talem pleuriticum suppurantem curandum susceperit medicus intra decem dies, id est, antequam diem decimam quartam, quæ est terminus acutorum, attingat, prius suppurationem, quã inhibere non potuerit, victu & balneo calido adiuuet, per

victum conuenientem victus rationem, per balneum autem omnia exteriora subintelligens. Talia vero monet esse calida, quoniam vt docebat ipse libro quinto aph. 22. calidum est suppuratorium, & dolores lenit, & accidentia ad suppurationem consequentia corrigit. Secundo perfecta suppuratione puris purgationem per medicamenta ad intra pulmonem infundenda quærat, & in puris purgatione victus suppuratis conueniens præscribatur, hoc vnum insuper, quod maxime aduertendum, & semper obseruandum est, monens, vt in supputatorum curatione capitis maxima habeatur ratio, ne ab eo quid in thoracem confluens, vel morbum adaugeat, vel suppurationem impediat, vel purgationem interpellet. Quare obniae reficcandum erit, ne quid ab eo ad inferiores partes influere possit. Hæc generali documento peragenda Hippocrates apposuit, eorundem singularem prætermitteus explicationem, quam & ego prætermittam, cum de his omnibus in superiorib. Commentariis abunde egerim, ad particularia descendens, & commodam victus rationem, & conuenientia tam intra, quam ad extra admonenda medicamenta apponens. Quapropter ad superiora loca lectorem relegans, hæc prudens silentio obuoluo, ne tædio sim legēti in rerum repetita declaratione.

65 *Si vero ex eo, quod in pulmonem infusum est, pus non educatur, rumpitur hoc ipsum ex pulmone in thoracem, & post ruptionem sanus esse videtur, quoniam ex angustia ad amplam capacitatem pus peruenit, & spiritus, quem respirando attrahimus, in pulmone locum ac sedem habet. Verum progrediente tempore pectus pure impletur, & tusses, & febres, & alii dolores omnes magis ipsum præmunt, & morbus inclarescit.*

SVPPVRATA pleuritis solet vel artis, vel naturæ beneficio pus eructare facta eius extra loeū suppuratum eruptione. Quæ eruptio duplici ratione fieri contingit: nam alias immediate ad superiora erumpit, & inde per tussim facta excretione penitus suppuratio purgatur, alias autem in cauitatem thoracis erumpit, ibique firmatur, nulla facta suppurantis materiei ad extra purgatione. Hos duos eruptionis modos attendens Hipp. inquit: Si ex his, quæ artis beneficio ad eruptionem & purgationem puris parantur, qualia sunt in pulmonē infundenda, de quibus alias sigillatim actum est, pus non educatur, tunc facta eruptione pus per pulmonem, (quoniam in pulmonem pus primo recipitur, in eiusque fistulas infunditur) in thoracis cauitatem eructatur, quo loco receptum præbet ægrotanti melioris status sensum, ex quo sibi ipsi sanus videtur, quoniam eum antea pus in angusto loco, & in mēbro respirationi inseruiente esset cōclusum, indeq; patientem angeret, ac affligeret, tūc in ampliori cauitate receptum non amplius spiratoria organa premit, indeque spiritum, quem respirando attrahimus, liberum promeare permittit. Verum quoniam huiuscemodi status speciem sanitatis repræsentantes, non verā sed simulatam valetudinem attestantur, cum materia recepta sit prorsus præternaturalis, locus autem recipiens ex præscripto naturæ ab omni materia inanis ac vacuus esse debeat, ideo ægri non diu in eo apparentis sanitatis statu perdurant, sed deterius labūtur, cum fluente pure temporis progressu pectus eo impleatur, impletum autem inde tussi, febri, doloribus, spirationi difficili, aliisque doloribus obnoxium reddatur. Nam pus ipsum copia & grauat septum transuersum primum respirandi organum, & angustiat pulmonem, per quem spiritum attrahimus. Mala autem qualitate & tussim mordicando irritat, & febrem ex proprio non naturali calore suscitat, & dolores vi corrodendi excitat, & tandem clare morbum non solutum, sed permutatum fuisse aperit, ac manifestum facit. Quæ omnia si æger, antequam superueniant superuenerint, non agnoscit, dedecet medicum, ea aut non præuidisse, aut non prædixisse, quoniam medicus non ex aparentib. sed ex his, quæ vera sunt, iudicare ac prædicere debet, si artem callet, artisque existimationem curat.

66 *Hunc post eruptionem per quindecim dies sinere oportet, quo pus rursus maturescat. Nam ex eo, quod pus ad ampliorem locum deuenit, perfrigeratum est, & id, quod in thorace humidi erat, ad seipsum attraxit, ita vt ipsum sit semiputrefactum. Si quidem igitur sua sponte expui incipiat, in hoc tempore bene est. Sin minus, medicamentis aut potionibus opem ferre oportet, in vltimis ex quindecim illis diebus festinando ad corporis excitationem, antequam magis affligatur, ita vt caput purum custodias influxionum gratia.*

QVONIAM quicunq; corporis nostri humores non modo alimentarii, verum etiam excremētitii spiritibus, per quos omnes vigent facultates, abundant, ideo ad horum immodicam euacuationem semper animi defectio subsequitur. Quod animaduertens Hip. in excrementitiis ac inutilibus tum suppuratorum, tum hydropicorum succis lib. 6. aphorism. 27. dicebat: Quicunq; suppurati, aut aquam inter cutem patientes vruntur, aut secantur, si pus aut aqua vniuersim effluxerit, omnes moriuntur. Mors his sequitur, quoniam confertim tali facta dictorum succorū euacuatione, copiosi spiritus, qui in prædictis inerant succis, dissipantur ac exoluuntur. Ad quam dissipationē & exolutionem tanta succedit viriū defectio, ac animi defectus, vt postea eos restaurare propter propriam eorum debilitatem, sit difficile. Hæc eadem spirituum vbertas, quæ in suppuratæ pleuritidis pure reperitur, est in causa, vt erumpens suppuratæ pleuræ in cauitatem thoracis pus ipsum, quandoquidem ex loco angusto in ampliorem eructans spirituum affluentiam, ipsis euanescentibus & expi-

expirantibus, deperdat, refrigeretur, indeque crudiusculum, quam antea fuerit, euadat, cuius merito coctionem & dominium naturæ refugiens excretioni magis reluctetur, & hoc præcipue, si ibidem resideat, nec statim per excreationem educi incipiat. Quem casum animaduertens Hippoc. monet, tali facta in thoracis cauitatem eruptione per quindecim dies, id est, vsque ad decimam quartam diem ab his, quæ materiam peccantem irritare, & ad excretionem per sputum, ac tussim prouocare apta sunt, desistendum esse, ac sinendum illud quiescere, & rursus per nouam coctionem maturescens, iterum concoquatur. Hac autem maturatione & coctione iterum indiget, tum quoniam perfrigeratum est, cum eruptione in ampliorem locum facta multi expirauerint spiritus, tum quoniam immixtum naturali humiditati (talis naturaliter inest cauitati pectoris, ne ex continuo motu tum pulmo, tum partes circumstantes exiccentur) in cauitate thoracis existenti diluitur, & inde non pus concoctum, sed semicrudum (hunc vocat Hipp semiputrefactum) euadit. Hoc pus si statim per excreationem tussi irritante, ac spontaneo naturę motu expurgetur, vbi per quindecim dies quieuerit, & naturę ac artis beneficio alteram coctionem receperit, inquit Hippocr. bonum est, quoniam indicat talis excretio tum puris coctionem, tum naturæ dominium. Si autem nequaquã sponte expui incipiat, dicit Hip. medicamentis ac potionibus tussim excitantibus, & thoracis purgationem facere potentibus his opitulandum, & ad hoc peragendum quamprimum antequam ex diuturna puris in thorace mora quid mali visceribus infligatur, festinandum esse, simulque habita summa ratione antedicti mandati, per quod præcipiebat in his caput resiccandum esse, ne quid ab eo in pulmonem, ac pectoris cauitatem influere possit. Si enim supra pus quid noui influeret, tum coctio impediretur, tum excretio difficilior euaderet. Quapropter purum seruetur caput, ne quid ab eo influat.

67 *Si vero non spuatur, sed sui significationem ad latera præbeat, secato, aut vrito. At si neq. spuatur, neq. ad latera de se significationem præbeat, vbi multa calida ieiunum lauisti, & neq. potu vsum in firma sella locasti, alter ex humeris ipsum apprehendat, tu vero concute ipsum aure ad latera admota, quo percipias ex vtra parte significationem sui præbeat. Optandum autem esset ex sinistra. Nam dextra vrere, aut secare lethalius est. Quanto enim robustiores sunt dextræ partes, tanto etiam fortiores morbi in ipsis fiunt. Quod si præ crassitudine humor non fluctuet, neque strepitus sit in pectore, verum spiritum frequentem trahat, & pedes intumescant, & tussicula aliqua adsit, ne te decipiant hæc, sed thoracem pure plenum esse probe noris. Proinde in terra Erethriadi liquida & valde trita, ac tepida linteum tenue tingito, eoque thoracem circum circa integito: & qua parte primum resiccatum fuerit, ea secato, aut vrito, quam proxime ad septum transuersum, cauendo tamen ne hoc ipsum lædas. Si vero voles, ipsam terram Erretbriadem illinito, & similiter velut in linteo considerato. Multi simul illinunt, ne qua primum illinuntur, resiccentur. Post sectionem, aut vstionem linamento ex lino crudo vtere, & paulatim pus emittes.*

CVm eruptione suppuratæ pleuritidis in cauitatem thoraci. facta, qua methodo sit expurgandum pus, docuerit Hippocrates, eam iudicationem sibi proponens, vt per sputum excernetur, nunc subiungit. Quod si casu detur, vt neque artis, neque naturæ beneficio, excitata tussi, sputum prodeat, sed pus grauitate, dolore, calore, & respirandi difficultate, ac patientis loci rectitudine (nam dextra pleuritis in dextrum latus, sinistra in sinistrum erumpere consueuit) vtro in latere decumbat, significationem præbuerit, tunc inquit Hippocrates, antequam pus contentum internas partes contagio male afficiat, putrescensque circumstantia loca corrumpat. secato, aut vrito. An autem præferenda sit vel vstio, vel sectio, alias in Commentario primi libri declaraui, eiusque tempus, occasionem, & modum explicaui: quare non est, vt hoc in loco eadem repetantur. Si vero præter id, quod pus non expuatur, nec etiam ad latera de se significationem præbeat, incertusque sit medicus de loco pus continente, monet Hipp. duplici ratione hoc agnoscendum esse. Alter modus est per concussionem, alter per medicamenti liquidioris ad extra appositionem. Primi modi administrationem hanc esse monet, scilicet, vt prius æger in balneum aut solium aquæ calidæ & copiosæ deducatur, postea ieiunus in firma sella sedens collocetur, deinceps ministro ex humeris eum apprehendente medicus ipsum aure ad latera admota, concutiat, vt ex motu ac strepitu in thorace facto, qua parte pus decumbat, percipiat. In hac autem loci ambiguitate, inquit Hippoc. (quod idem libro secundo cap. de suppuratis ex peripneumonia affirmabat) optandum esse, vt pars affecta potius sit sinistra, quam dextra, tum quoniam morbi fiunt in parte dextra vehementiores, quam in sinistra, quandoquidem dextrę partes sunt robustiores sinistris, & robustiores partes non nisi à robustioribus morbis, cum debilioribus facile resistant, apprehendantur, tum quoniam tutius est secare aut vrere sinistras partes, dextras autem lethale existit, cum dextræ partes sinistris sint magis momentaneæ, robustæ, ac digniores. Quorum omnium cum rationem & causas in primi libri Commentario exposuerim, non est, quod quid aliud his superaddam, sed hæc omnia tanquam vera & rationabilia esse confirmem. Quo autem ad secundum modum, videlicet, vbi nec ad latera

pus sui significationem præbeat, nec per concussionem, cum pus, quia crassum existens, partibus ipsum continentibus inhæreat, nec inde per concussionem thoracis vllo pacto ant commoneatur, aut strepitum faciat, deprehendatur, verum adsit respirandi difficultas, pedum tumor & tussicula frequens, quæ omnia suppuratos consequi in progressu morbi solent, inquit, coniectandum esse thoracem parte plenum existere. In qua parte autem pus detineatur, hac ratione deprehendendum esse, scilicet, vt terram Erethriadem (hanc elegit præ cæteris, quoniam tum refrigeratoriam, tum concoctoriam, & mollificantem habet facultatem) aqua diluamus, ac liquefaciamus, eamq; aut in linteo supertillita thoraci apponamus, aut eandem ipsam circumquaque pectori illinamus, considerantes, in qua parte prius resiccetur. Etenim in ea pus residere coniiciendum erit; nam ratione puris contenti ea in parte maior adest calor, cum vltra naturalem adsit & alter præter naturam ex natura puris emergens. Hic autem locus ex resiccatione terræ Erethriadis cognitus erit aut secandus, aut vrendus, pro ratione affectionis, & pro ratione partis affectæ, quæ sectio quam proxime ad septum transuersum erit administranda, vt locus defluxioni aptus paretur, cauendo tamen ne ipsum lædatur. Quæ omnia cum exacte in primo commentario iam explanata sint, non erunt repetenda, sed pro horum cognitione ea loca erunt adeunda. Administrata autem aut sectione, ant vstione, duo obseruanda esse monet, quorum alterum est, vt linamentis ex lino crudo (hoc enim validius purgat) in curando vlcere vtamur; alterum vero, vt pus vniuersim & affatim effluere nequaquam sinamus, nam sicuti ex libro sexto aphorism. 27. annotauimus, in quibus vniuersim effluit, omnes moriuntur. Quare paulatim pus emittere curandum erit.

68 *Cæterum vbi secare vel vrere voles, corpori in eadem figura, in qua inter secandum, aut vrendum futurum est, notam imprimito, vt ne cutis te decipiat, si in figura transmutatione sursum aut deorsum magis cedat. Sed & tusses vitare oportet ex victu, vt ne rursus pus reuellant ad pulmonem. Malum enim hoc est: quare permittendum est, vt ad sectionem quam citissime resiccentur. Postquã vero duodecima affuerit dies, reliquum pus emittito, & ex linteo linamentum indito, & bis in die pus emittito, & ventrem supernum ex victu quam maxime resiccato. Atque hoc modo oportet etiam suppurationes ex vulneribus, & ex peripneumonia, & ex magnis destillationibus, & pulmone ad latera prolapso considerare ac curare.*

QVATVOR præcepta pulcherrima, & in sectionis ant vstionis administratione obseruanda hoc in loco tradit. Quorum primum est, vt antequam secemus aut vramus, corpore ea in figura, in qua aut secandum, aut vrendum est, locato notam cuti imprimamus, ne in opere ipso ex cutis aut sursum aut deorsum transmutatione facta, alium locum pro alio aperientes decipiamur. Secundum est, vt tussis & omnia tussim excitantia caueantur, ne pus, quod per locum apertum egressum est, ad pulmones retrahatur. Nam vi tussis excitatæ oscilla asperarum arteriarum attrahunt, ac absorbent materiam in cauitate thoracis existentem. Hoc autem si fiat, puris purgatio impeditur. Quare lenientia erunt admouenda, & ea pariter, quæ destillationes sistere, somnum conciliare, & materiam firmare apta sunt, qualia sunt diacodyon, diaspermaton, & philonium, erunt exhibenda, vt sedata tussi, quam citissime fieri queat, pus per locum sectum, aut vstum purgetur, & locus affectus resiccetur. Tertium est, vt vsq; ad duodecimam diẽ pus paulatim non affatim effluere permittamus, & linamentum ex lino crudo admoueamus. Post duodecimam autem diem pus, quam copiosius & citius possumus, educamus, linamentum ex linteo, non amplius lino crudo vtentes, & bis in die, quo celerius opus absoluatur, emittentes. Quartum est, vt supernũ ventrem quam maxime victus ratione conuenienti resiccemus. Talis erit, quę nec destillationes prritate, nec caput petere, nec humores agitare, nec vias spiritus replere est idonea, ex huiuscemodi enim victu resiccatur thorax, cum nihil per hanc in se recipiat, nec quid in ipsum influat. His traditis præceptis, docet Hipp. hæc eadem, quæ in superiorib. tradita sunt de suppurante pleuritide, esse obseruanda in reliquis thoracis suppurationibus, quæ vel ex confosso thorace, vel suppurante peripneumonia, vel destillationibus in thoracem magnis, & pulmoni ad latera prolapso succedunt. Nam in his omnia, quæ de purgantibus per excreationem, de eruptione in cauitatem pectoris, de cognitione lateris affecti, de modo sectionis vel vstionis, & de obseruandis, tum in administranda, tum post administratam, aut sectionem, aut vstionem tradita sunt, pari ratione obseruanda erunt.

Frigefactoriæ potiones.

69 *Frigefactorias potiones in febribus ardentibus, quando voles, bibendas dato.*

OBLATA in tria prisci medici diuidebant, scilicet in potiones, sorbitiones, & cibaria. Cibaria in morbis acutis in vsum non recipiebantur, nisi aut soluto, aut declinante morbo. Sorbitionum vsus erat in illis acutis, qui vel ad decimam quartam extendebantur, vel viribus non admodum robustis existentibus in primo septenario terminabantur. Potiones autem exhibebant per totum morbum in illis, qui robustis viribus existentibus intra primum septenarium finiebantur. Quod si vtræque in eodem morbo propinandæ forent, hoc ordine vtrasq; exhibebant, scilicet, vt in primo septenario potiones, in secũdo sorbitiones, ppinarẽt, cuiuscemodi plura habemus exẽpla in libris Epid.

præci-

præcipue autem in septimo, qui mea sententia non modo non est Hippocrat. verum etiam ante Hipp. secula conscriptus fuit; in tertio autem ad cibaria descendebant. Quem cibandi modum abhorrens Hipp. longa serie & probatione in libro 1. reg. acut. docuit, non à principio victu tenuiori, postmodum crassiori vsq; ad statum vtendum esse, sed è conuerso in morborũ acutorũ initio vberius nutriẽdos esse ægros, quam in augmento & statu. Quã sententiam inter aphorismos registrãs li. 1. aph. 10. docebat, in ipso consistendi tempore, & paulum ante illud, id est, in augmento cibum subtrahendum, prius autem vberius nutriendum esse. Cibaria erant solidi cibi, sicuti oua, pisces, carnes, maza, panis, & similia. Sorbitionum autem & potionũ, cum hæc vtraque sint sorbilia & potabilia, hæc erat differentia, quod potiones ex imbecilliori, sorbitiones ex validiori & crassiori materia constarent. Inter potiones numeratur mulsa, oximel, hydromeli, apomeli, rhodomeli, omphacomeli, acetum, mulsum, lotura farinæ hordei, lotura pollinis tritici, & in summa vinum, & omnia vinorum genera f.ctitia, & quæcunque aut per dilutionem, aut per coctionem fiunt ex aqua substantiam materię aut dilutæ aut decoctæ, vel nihil, vel simpliccem liquo em suscipiente. Inter sorbitiones numeratur ptisana ex hordeo parata, aliæq; quæ vel ex polenta, vel ex alica, vel ex zoia, vel ex milio, vel ex amylo, vel ex auena, vel ex olyra, vel ex lentibus, dum hęc in succum abeunt, non autem simpliciter decocta sunt, conficiuntur. Inter has numerantur etiam iuscula vel carnium, vel piscium, vel aliarum rerum, dum in his, vel interitur panis, & per coctionem in succum fere subit, vel substãtia carnis, aut piscis, aut aliarum rerum coctarum per diuturnam bullitionem liquescit. Cibariorum vsus est ad nutriendos & restaurandos ægros, potionum ad eos alterandos potius, quam ad nutriendos, sorbitionum autem ad vtraq;; nam per has simul alteramus & nutrimus. Eapropter vbi nutritioni ac restaurationi ęgrotantium incumbendum est, cibariorum vsus præferatur, nisi qualitas morbi, aut ægrotantis status oppositum contra indicet. Vbi autem alterationi sit incumbendum, potiones propinentur, si vtrisque indicationibus satis sit pariter faciendum, sorbitiones exhibeantur. At si data vtraque indicatione sorbitiones alterationi integre non satisfecerint, simul cum sorbitionib. etiam potiones dentur, quod idem in morbo, in quo ægrotantium vires cibariorum vsum desiderent, agendum erit. Nam cum his etiam potiones ad alterandum hora conuenienti, & tempore cõmodo erunt præbendę, vt simul & semel vires vel manuteneamus, vel augeamus, & morborum causas alteremus & coquamus. De cibariis egit Hipp. abunde in lib. 2. de Dięta. De sorbitionibus in libr. 1. reg. acut. & partim in libro de Affect. & partim in libro citato de Diæta. De sorbitionibus autem egit tum in lib. 3. reg. acut. tum hoc in loco, & sparsim aliis in lib. De his vero nunc acturus catalogum facit earum, quæ in febre ardenti cõueniunt, varias earundem formas & compositiones docẽs.

Hæ autem sicuti febribus ardentibus commodæ sunt, pariter plurimis morbis acutis non erunt inutiles, imo maxime salutares, si eis proportionatæ & congruentes eligantur. Has potiones, inquit Hippoc. quæ frigefactorię esse debent, in febribus ardentibus, quando voles, bibendas dato. Sed quid significant hæc verba, quando voles? Animaduertas, quod Hip. nequaquam dixit, quando vult æger, sed quando voles tu medicus, quoniam talis potus ad libitum ęgrotantium non sunt administrandi, quandoquidem intempestiue & indiscriminatim, dum hi siti cruciantur, non modo potum desiderant, verum etiam auide petunt, ac instanter flagitant, nullam rationem aut temporis aut qualitatis morbi habentes, sed hi pro voluntate medici propinandi sunt. Quæ voluntas reguletur tum ex tempore morbi, quoniam inchoante accessione negandi, consistente autem concedendi, declinante autem indulgenter exhibendi sunt, tum ex qualitate eiusdem, cum frigefacientes potiones crudiori existente materia non ita competant, coctione autem apparente magis conueniant. Quod idem potissimum obseruandum est, dum huiusemodi potiones vim aut prouocandi lotii, aut alui subducendæ habuerint. Quapropter quando voles, id est, quando ex regulata medici, non ex peruersa ægrotantis voluntate erit exhibendus frigefaciens potus, tunc talis bibendus detur. Quæ medici voluntas nõ eo summo rigore dirigatur, vt existimet, ne per latum quidem vnguem extra proprios, & regulatos limites nequaquam vnquam discedendum esse, quoniam etiam extra tempora determinata quandoq; in gratiam ęgrotantium aliqua cõcedenda sunt, vt docet Hip. lib. 6. Epid. sect. 4. tex. 8. & Gal. ibidẽ, dummodo ex his noxa non inemendabilis sequatur. Cuius conditionis rationem habens medicus, poterit quandoque nonnulla, licet præter rationem videantur, rationabilia tamen in gratiam ægrotantis condonare, & voluntati eius obtemperare.

70 *Sunt autem multarum operationum, aliæ enim mictionem inducunt, aliæ alui egestionem, aliæ vtrumq; præstant, aliæ neutrum, aliæ solum frigefaciunt, velut si quis in vas aquæ feruentis frigidam aquam infundat, aut ipsum vas ad frigidum ventum exponat. Dabis itaq; alias aliis, neq; enim dulces omnibus conducunt, neq; acerbæ, neq; eadem omnes bibere possunt.*

CVm multiplices sint frigefactoriæ in febribus ardentibus conuenientes potiones, ex multiplicique parentur materia, licet omnes vim refrigerandi obtineant, attamen ratione materiæ, ex qua componuntur, alias adipiscentur facultates, ex quibus aliæ sunt prouocandi lotium, aliæ subducendi aluum, aliæ vtraque hæc præstant, scilicet vt simul & vrinam prouocent, & aluum emolliant, aliæ autem ad neutra hæc valent. sed solum frigefaciendi vim retinent. Quæ vis frigefaciendi, cum sit ea principalis, quæ à medico in febre ardenti desideratur, non simplici, sed duplici ratione in actũ

deducitur. Nam sicuti, quæ frigefiunt, aliæ per admixtionem rerum refrigerantium, aliæ autem non per admixtionem, sed per puram alterationem ex vicinia rerum refrigerantium refrigerantur: ita hæ refrigeratoriæ potiones in febre ardenti exhibendæ refrigerant, aut quia admiscentur calidioribus ac feruentibus succis, aut quia frigida actu exhibita, & potentialiter refrigerare apta, cum ad intra assumpta fuerint, ex vicinia & contactu non modo succos & humores feruidos, verum etiam partes carnosas & solidas æstuantes refrigerant. Dabis itaq;, inquit Hipp. alias aliis, id est, cum laborantes febre ardenti non semper eandem requirāt medendi rationem, cum alii maiorem refrigerationem, sicuti sunt illi, qui duri & densi sunt habitus, desiderent, & tolerare apti sint, alii minorem, sicut illi, qui mollis & rari sunt habitus, non eadē refrigerantia omnibus conuenient, sed alia aliis pro ratione morbi, habitus, & cæterarum circumstantiarum diuersitate erunt exhibenda. Et hoc eo magis, cum non omnes homines eisdem delectentur rebus, quandoquidem alii dulcia, alii acida, alii acerba appetant, eisque oblectentur, ex iisdemq; alii nocumentum, alii iuuamentum recipiant. Quæ differentia, cum etiam sit ex parte potionum, cum aliæ sint dulces, sicuti mulsa, hydromel, & vinum dulce, aliæ sint acidæ, sicuti acetum mulsum, & oximel, vbi acidius existat, aliæ austerę, sicuti omphacomeli, & vinum austerum, ideo non eadem omnibus aut commoda, aut iucunda erunt, sed varia variis exhibenda erunt, quoniam non eadem omnes bibere possunt. Quam Hippoc. sententiam, si medicinam communiter facientes attenderent, non semper in eisdem morbis eadem omnibus ægrotantibus inculcarent, sed cum miseri ægri sæpius ex propria eorum natura aut dulcia, aut acida, aut austera renuant, ex iisque crucientur, pertinaciam deponentes, cum varietate medicamentorum oblectantium eorum naturæ, ac voluntati obsecundarent, vti etiam Gal. loco citato agendum esse insinuabat.

Potio prima.

Fauorum siccorum heminarum duarum mensuram aqua macerato, & conterens gustato, donec subdulcis aqua fiat, deinde excolato, & iniectis apiis bibendam dato.

INTER potiones numerabatur apomeli, cuius vsus penes antiquos erat in sanis ad extinguendam sitim in æstate, & ad refrigerandum corpus, in ægris autem quoniam vim incidendi & abstergendi habet, ad tollendas febrium putridarum obstructiones, cuius merito recensetur à Galen. libro octauo meth. cap. 4. inter medicamenta, ad tollendas obstructiones apta, & medium inter mulsam & oxymel. Hoc eodem vtebantur in acutis morbis cum continua febre, sicuti vtendum eo esse monet Hippo. in syderatione calcis superueniente continua febre, libro secundo de fracturis tex. 29. Huius compositio, sicuti habetur à Gal. in com. citati textus, & libro quarto de tuenda sanit. & ab Oribas. qui ex Gal. hoc transscribit libro Collect. med. 5. cap. 15. hæc erat. Fauos electos, & nequaquam vitiatos expresso melle in ollam mundam aquæ fontanæ, quæ pura & dulcis esset, non autem pluuiæ (huic illam præferebant, quoniam hoc medicamentum acescere, quod aqua pluuia prohibet, desiderabant) iniiciebant, & macerabant, & eatenus decoquebant, quoad nulla inde spuma fieret, & faui omnem eorum humorem deposuisse viderentur; deinceps recondebant, & vsq; ad æstatem adseruabant, non curantes, imo desiderantes vt mediocriter acesceret. Ad similitudinem huius medicamenti apomeli dicti format Hippocrates primam potionem, docens, fauorum siccorum duarum heminarum mensuram simplici aqua macerandam, & in ea conterendam esse, donec aqua subdulcis fiat, qua excolata, & in ea apio iniecto bibendam esse. Quæ compositio in eo ab apomelitis compositione diuersa est. Primo, quod in apomelite assumuntur faui humidi, quamprimum ab eis fuerit mel expressum, in hac autem potione assumuntur faui sicci. Atque est huius diuersitatis ratio? Hæc est, quod Hippocrates curans nunc febrem ardentem, in qua omnia dulcia facile bilescunt, & præcipue ipsum mel, abhorrens mellis substantiam, fauos non humidos ex pręsentia mellis, sed siccos præelegit, quoniam sat est ipsi, saporem mellis potius quam substantiam huic potioni impartiri. Secundo, quod summam dulcedinem, quæ commutationem in bilem facilem habet, vitans, siccos fauos assumit, non vt dulcis admodū, sed vt subdulcis euaderet potio. Tertio, quod potionem ad manus quacunque hora & tempore parandam desiderabat, non autem medicamentum, quod diu seruari potuisset, affectabat. Cui⁹ merito altera resultat differentia, quod apomeli fiat, vt diutius seruetur, per decoctionem, hæc autem potio, quoniam non diu est adseruanda, sed præsto, & ad datam occasionem propinanda, sufficit, vt per macerationem, & fauorum contritionem paretur. Cui apium addit, quoniam non solam refrigerationem, verum etiam aliqualem lotii aut sudoris prouocationem ex eadem procurat.

Potio secunda.

Seminis lini acetabulum aqua heminis decem affusis in noua olla prunis imposita coquito, ac feruere finito, vt transpirent, donec succus ad tactum pinguis fiat.

CVIVS temperiei quoad primas qualitates sit penes Galenum lini semen, non ita constare videtur, cum eum modo statuat quodammodo esse in primo calefacientium ordine, sicuti eum esse posuit libro octauo de simplic. medicamentor. facultat. cap. proprio. modo asserat illud non manifeste calefacere, sicuti dixit libro quarto regimin. acutor. com. 49. modo affirmet, ipsum esse eiusdem ordinis cum rosis, quo ad calorem tepidum, sicuti testatur libro tertio de simplicib. medicamentor. facult. capit. 10.

modo

modo perhibeat ipsum refrigerare, sicuti habet libro 4.reg.acut.com.113.& libro 6 de sanitate tuenda in fine, quo loci declarat lini semen coctum in aqua refrigerantem cremorem efficere. Sed ista sententiarum diuersitas per hæc concilianda venit, semen lini ad extra appositum, cum substantiam quandam viscidam, sed lenē retineat, omnino aliquam lenem caliditatem parti, cui adhæret, impartitur. Quæ leuis caliditas adeo est remissa, vt integrum primum rerum calefacientium gradum non attingat, cuius merito iure dictum est à Galeno ipsum vel non manifeste calefacere, vel quodammodo esse in primo calefacientium gradu. Dixit enim quodammodo, quia primum gradum attingit solum, non autem in eo perfecte constitutum est, quem calorem lib.3 de simp.med.fac.cap.10.nō simpliciter calorem, sed tepidum appellabat, ac si diceret, semen lini potius teporem, quam calorem inducere. Hoc autem si ad intra, aut ratione medicamenti, aut ratione obsonii, sicuti antiquiores vtebantur, assumatur, deuicta à calore innato lini substantia, quæ nullam insignem qualitatem coniunctam habet, refrigerabit. In quem vsum ab Hippocrat.lib.4.reg.acut.113.cum calorem ventris inferioris & tormina ex humorum acrimonia orta remittere intendat, receptum laudatur à Gal. in com. tanquam refrigerans. Quod idem sentiens Hipp.lib.2. de Diæta, dum de legminibus, ac cerealibus feminibus loqueretur, dicebat, lini semen comestum aluum sistit, habet & quiddam frigefactorium. Dixit autem quiddam, quoniam non impensè, sed leuiter admodum refrigerat. Si autē comestum non calefaciens, sed leuiter refrigerans existit, nullum dubium, vbi multa aqua diluatur, & per ebullitionem coquatur, quod cremorem refrigerantem, quo vtebatur Gal.lib.6. de tuenda sanitate ad tollendum renum incendium, efficiet, cum ea frigiditate aquæ tepor seminis retuttatur, & inde decoctio simpliciter propter abundanciam aquæ refrigerans resultet. Hæc eadem decoctio in copiosa aqua formata, vbi ad intra sumatur, omnino etiam refrigerans erat, quoniam deuicta ea seminis lini substantia, per quā teporem illum retinebat, per coctionem in multa aqua, omnino vim refrigerandi adipiscitur, quæ vis refrigeratoria erit lenis, & simul facultatem contemperatoriam & lenientem sibi ex mucilaginosa substantia comparabit. Quam in hoc loco affectans Hippo. seminis lini acetabulū, id est, duas vncias, & semis, sed paulo minus, vtpote dempta drachma, in aquæ heminis decem, quæ ad pondus centum vnciarū ascendunt, infundit, & in noua olla (ne in medicamento alienus inuehatur sapor) prunis imposita coquit, ac feruere ita, vt non transpirent, eatenus sinit, donec succus ad tactum pinguis, id est, mucilaginosus euadat. Quæ compositionis & præparationis forma omnem tollit, ob paruam seminis, & plurimā aquæ copiā, difficultatem, per quam quis de temperamento huius potionis ambigere queat.

Potio tertia.

Aquam mulsam aquosam ad dimidias coquito, deinde apio iniecto frigidam paulatim exhibeto.

CVM mel in acutis morbis facile ob putrefectilium humorum feruorem in bilem cōuertatur, & ob eam causam eis sit noxium, aqua autem in iisdem tarde penetret, & in hypochondriis diutius moretur, sitque ideo fugienda, vtriusque mixturam faciendam esse excogitarunt antiqui, vt per aquam mellis meracitas temperetur ac diluatur, per mel autem aquæ facilis transitus paretur, quam mixturam mulsam appellātes, eam in vsum acutorum morborum modo magis, modo minus dilutam pro ratione morbi & ægrotantis assumpserunt. Hanc eandem mulsam nunc ad curandum, & temperandum febris ardentis calorem assumens Hipp. nō omnem mulsam, sed aquosam & coctam apio iniecto in hunc vsum recipit. Aquosam quidem, vt omnis mellis robur & substantia optime diluatur; coctam autem, vt omnem turpitudinē & prauitatem vel mellis, vel aquæ fugiat. Coctura enim vt inquit lib.3.regim.acut.23 plurimam malignitatum turpitudinem tollit. Inijcit autem apium, vt materiam peccantem ad vias lotii deriuet, quam frigidam actu exhibet, vt actu, nō modo potentia refrigeret. Nam talis mulsa, non calefaciens, sed potentia refrigerans existit, cum non simplex mulsa, aut diluta, sed aquosa ab Hipp. in hunc vsum assumatur. Aliud enim est mulsam esse dilutam, aliud esse aquosam, illa potest calefacere, hæc autem nequaquam. Paulatim autem ea propinat, vt sitienti ægro consulat, & gratum faciat. Verum animaduertito huiuscemodi potionem non omni ardenti febri congruam esse. Nam cum alia sit exquisita ex putredine solius bilis pendens, consulo, vt in exquisita, quantum fieri possit, omne mulsæ genus fugiatur. In notha autem aquosa poterit cōdonari, tum quoniam in his nō est par feruor priori, tum quia materia pituitosa non ita, vt bilis potest ex simili materia incrementum suscipere. Quare vel sit aquosissima in exquisita, vel nusquam in ea vllum mulsæ genus exhibeatur.

Potio quarta.

Hordeum Achilleum magnum ac plenum hemina mensura siccato, & acutis spicis ablatis, vbi probe laueris, aqua congio affuso coquito ad dimidias, frigefacito, ac bibendum dato.

QVOD aqua hordei refrigeret, ac sitim leniat, præter experientiam testatus est etiam Hipp. libr.4.reg. acut.text.71. quo loci febris singultuosæ curam tradens, in fine dicebat: Quod si supta modum siticulosi fuerint, bibant aquam hordei. In cuius textus expositione Galen. qui tamen hunc potum ad sedandam sitim valere insinuat, nutanit, damnans Hipp. qui eius compositionis aut cōfectionis modum non docuerit. Sed Galen. qui libros de morbis diligentissime plegerat, tunc præsentis loci nō meminerat, quare nec eius cōfectionis modū ab Hipp. descriptū nequaq̄ fuisse dixit. Modus autē hic est, vt hordei Achillei, id est, præstātioris, ac purgati

(tale antiquiores Græci achilleum appellabant) magni, ac pleni, id est, quod nec gracile, nec rugosum existat, nam semina cerealia, vt laudabilia & meliora existant, plena, & superficiem tensam habere debent, alias vitiosa sunt. Nec si magna sint, non autem plena, sed laxa, cõmendanda sunt, quoniam in his superflua abundat humiditas, quæ eorum substantiam mollem ac laxam efficit. Quare non immerito ad magnum addit Hipp. & plenum. Hordei igitur præstantioris, purgati, magnique, ac pleni sumatur hemina, quod siccetur, & ablatis acutis spicis, vbi probe fuerit lotum (quod erit, quousque aqua per lotionem non amplius colorata euadat, sed colorem proprium retineat) in aquæ congio immittatur, deinde ad dimidias coquatur, coctione autem peracta, coletur, & frigefacta bibenda detur. Huius potionis facultas est refrigeratoria, & inde sitim sedare est apta, quoniam hordeum sui natura, vt vbique omnes testantur, est frigidum. Cum autem sit frigidium, & in copiosa aquę, quæ est etiam refrigerantis facultatis, copia decoquatur, nõ mirum, si & huiuscemodi decoctio vim refrigeratoriam consequatur. Proportio autẽ aquę ad hordeum est proportio decem ad vnum, ita vt vna pars sit hordei, decem autem sint aquæ, nam hemina pendet vncias decem, congius autem libras decem, ita vt pro singula hordei vncia singula aquæ libra sit affundenda. Quam eorundem mensuram videtur ad vnguem Orib. lib. 4. collect. med. cap. 7. obseruasse, dum aquæ hordei confectionem tradens, monet, in vnam heminam decẽ aquę heminas coniiciendas esse. Verum ab Hipp. discrepat in confectionis ac coctionis modo, quoniam Oribasius primum aquam, cum ad ignem intepuerit, abiiciendam, tum insuper aliam superimponendã esse monet, quæ eousque bulliat, quoad hordeum crepet, tuncque excolandam, & admisto melle, aut per se solam in potu febricitantibus exhibendam esse docet. Sed id, quod Hipp. per probam lotionẽ procurat, illud idem Oribasius per primę aquæ abiectionem intendit, videlicet, quod hordeum ab omni inquinamento purgetur, vt aqua, ex qua potio hæc est formanda, sit pura, nec ab hordeo possit proprio insici colore, quali in externa superficie dotatum est. Quod autem Hippoc. coquat ad dimidias, Oribasius autem quousque hordeum crepet, quod est multo, & multo minus, hinc est, quod Hipp. parat potionem, quæ in febre ardenti possit sufficere in robustis absque sorbitione & cibo. At Oribasius intendit solum parare potionem ad refrigerandum, & tollendam sitim, licet superaddat, quod & hæc aluum probe soluit, & vrinam ciet, & abunde nutrit. Nam quod aluum soluat, & vrinam moueat, hinc est, quod Oribasius in hunc vsum assumit hordeum non purgatum. Tale autem, vt docebat Hipp. lib. 2. de Dięta, habet vim quandam purgatoriam à proprio inuolucro. Hanc vim in hordeo appellabat Gal. facultatem detersoriam. Cum autem inquit Oribasius, quod abunde nutrit, loquitur in comparatione aquæ simplicis, quare non est, quod non sit asserendum aquam hordei Hipp magis nutrire, quam quæ ab Oribasio formatur, cum per coctionem magis diuturnam maior etiam hordei substantia aquæ communicetur. Huius autẽ aquę hordei vsum scio à nonnullis celeberrimis medicis in dubium reuocatum esse, ac damnatum fuisse, tanquam Arabum, non autem Græcorum inuentum, superaddentes, hanc flatuosam esse, ac stomacho infensam. At ad hæc nil aliud dicam, quã quod hi parum in Græcis autoribus legendis versati fuere, nec in rebus dignoscendis satis diligentes extitere. Nam quod flatuosa sit hæc potio, quia sit hordeacea, nequaquam vero consonat, cum flatus sit in substantia hordei, quæ per sufficientem ebullitionem non concocta flatus reseruat, non autem in aqua; at aqua, non substantia hordei est id, quod ægrotantibus exhibetur. Quæ aqua, si quid mali antea in se habuerit, potuit per coctionem illud abiicere, coctura enim multarum rerum malignitatẽ tollit. Quod autem ventriculo sit infensa, haudquaquam generale est hoc peccatum, cum solum frigidioribus ventriculis sit noxia. Cæteris autem, cum febrilis calor in eis abundans ac feruens sit ipsis tutela, & clypeus, non erit noxia. Quare tale peccatum non erit ex parte aquæ, sed ex parte medici, qui indistincte hanc exhibens nusquam languentium ventriculorum rationem habet. Ego autem testor, me huius aquę proficuum vsum in arte inuenisse, & plurimam vtilitatem tum ad refrigerandum corpus, tum ad leniendam sitim in febribus non tantum ardentibus, sed etiã cæteris omnibus biliosis adinuenisse, eam copiose exhibens, sed non omnibus pariter, ac indistincte. Eam enim in his febribus, quæ ardentium naturam habent, vbi coctionis signa manifesta apparuerint exhibeo, frigidam in his, qui sunt robusti ventriculi, tepidam vero in languentibus ventriculis, & copiosam admodum, nam eam ad satietatem concedo. In aliis autem biliosis febribus in vltima status parte, & libentius in declinationis principio eam exhibeo, & hoc præcipue in his, quę intermissionem habentes singulo quoque tertio die accedunt. Quem potionis tunc temporis dandæ modum excerpsi ex Gal. lib. 2. de cris. cap. 3. vbi loquens de vltima status tertianarum febrium parte, & de declinatione incipiente, dicebat: Et iam bibendi tempus adest ægrotanti, & statim post potum plurimus vapor calens per cutim exhalat, & sudoris nuncius, bilisque superuenit vomitus, venterque soluitur, & biliosum mingunt. Quæ verba considerans adnotaui, Galenum per hæc insinuare tunc temporis potum febricitantibus exhibendum esse. Potum autem cõuenientem ad hoc hanc hordei aquam existimaui, vtilissimamque ex euentu eam esse comperi.

Potio quinta.

Cumini AEthiopici hemina decima partis tres aquæ semicongios affunde, & olla luto piloso oblita, donec tertia pars restet, feruere sine, & frigidam hanc ad omnem ardentem, aliamque febrem exhibe.

DIxi antiquiores medicos in mulsæ compositione mel aquæ admiscuisse, vt aqua, quæ tarde pe-

de penetrat, & in acutis morbis diutius circa hypochondria moratur, penetrationem & distributionem in reliquas partes facilè impartiatur. Hoc idem nunc Hippo. per cumini in aqua coctionem procurat. Nam cum hoc sit calidum in tertio, vimque ciendi vrinam, & flatus dissipandi obtineat, aquæ incoctum non modo eius omnem noxam corrigere poterit, verum etiam ei penetrationem addere, & distributionem in totius corporis ambitum facilem tribuere aptum erit. Quoniam autē, vti dictum est, cuminum calidum est in tertio, & inde si in moderata aquæ potione incoqueretur, decoctionem calefacientem faceret, ideo Hippo. tum hoc inconueniens vitans, tum solam aquæ penetrationem ac distributionem procurans, minimam cumini quantitatem in copiosissima affundendam, & bulliendum esse aqua præcipit. Etenim decimam heminæ partem, id est, vnciam vnicam cumini assumens, ei tres aquæ semicongios, id est, libras quindecim, nam congius libras decem pendet, affundit. Ad hanc autem potionem parandam non omne cuminum, sed Æthiopicum tantum assumit, quoniam sicut ex generibus fœniculi aliud est dulce, aliud est acre, ita in generibus cumini aliud est suauius, aliud insuauius, ex omnibus autem iucundius & delectabilius est Æthiopicum, quod sicuti est suauius, ita parem cum cæteris non consequutum est caliditatem, sed moderatiorem, per quam suauius euasit. Hoc igitur præelegit Hippo. quoniam ea hoc duo sperat, alterum, vt porio caliditatem nullam ex eo recipiat, alterum, vt iucundior ea enadat. Confectionis autem modus est, vt cumini Æthiopici vnica vncia in vase testaceo posita, & affusa ad quindecim libras aqua, vas luto piloso (moderni hoc appellant lutum sapientiæ, quod ex terra figulina & pilis animalium admiatis formatur) illinatur, & ad ignem appositum, quousque tertia tantum pars supersit, feruere finatur. Hoc ab igne remotum & colatum efficit potionē, quæ vbi refrigerata fuerit, ad omnem febrem ardentem, & ad quamcunque aliam febrem opportune & commode exhiberi potest. Dixit autem Hippo. ad omnem febrem ardentem, quoniam & in causo exquisito, & in notho conuenit, in exquisito quidem, quia hæc potio refrigerat, nec apta est in bilem commutari, & lotium procurare potest, in notho autem, quia in ea non est tanta refrigerandi vis, vt ea ea possit recrudescere pituita salsa, imo ratione cumini poterit attenuari, & ad vias lotii deduci. Dixit etiam ad aliam febrem, quoniam in aliis febrium generibus conuenire potest, cum non sit admodum refrigerans, imo potius in se quendam teporem referuet, per quem omnibus excessibus aduersatur, cuius merito, nisi intempestiue propinetur, commode exhibere poterit.

Potio sexta.

Aquam cœlestem ipsam, per se ipsam præbe.

EX omnibus aquis arte carentibus, id est, ex his quæ nec præparationem, nec correctionem, nec compositionem ab arte recipiunt Hippocrat. libro sexto Epidem. sect. quarto text. 18. & Galen. in comment. pluuiam esse præstantiorem, ac cæteris antecellere prohibent. Quam eandem sententiam habuit Hippocat. libro de Aer. aquis, & locis, dicens, pluuias aquas omnium leuissimas, dulcissimas, tenuissimas, ac splendidissimas existere. Et hoc non immerito. Nam cum aqua pluuia per sublimationem fiat, eo quod tenuissimum est in aqua, & humidis locis, sursum vi caloris solis, rapto ac eleuato, & præter id etiam concocto ac elaborato, non mirum, si hinc aqua pluuia tenuis, dulcis, ac splendida euadat. Verum Hippocrat. loco citato libro 6. Epidem. non quamcunque pluuiam aquam commendat. Nam procellosam, quam nimbalem vocat Gal. id est, eam quæ opacis, & cōtinuatis nimbis æque ac si per vnam & continuatam nubem, qualis hyeme cōtingere solet, decidit, vituperat, malamque esse eam pronunciat, censens hanc non tam vi caloris extenuantis, ac elaborantis, quam ex humoris redundantia, & vaporum copia, ea quibus potius cruditas quam coctio arguitur, factam esse. Probat autem eam, quæ ex æthere excreta est, & quæ cum tonitru decidit, & quæ temporanea existit. Ex æthere illa dicitur excreta, quæ partim sereno cœlo, partim nubiloso procidit, sicuti cum peragratur media aeris regionem aliqua nubes, quæ vi ventorum huc & illuc diffluens pluuiam aquam inde excernat. Dicitur autem ætherea, quia decidit non nubiloso toto existente aere, sed pro maiori parte sereno, æther enim puritatem & serenitatem denotat. Ea autem cum tonitru decidit, quæ prouenit, aut dum ignis ad intra nubes interceptus ad extra erumpens nubem eam circumplectentem disrumpit, ac dilacerat, qui ignis cum ex vaporibus, & exhalationibus calidioribus eleuatis (quod æstatis tempore tantum fit) congregetur, hinc etiam est, vt tonitrua in solis constitutionibus calidis, non autem frigidis fiant, aut dum nubes ventorum violentia atteruntur, ac inuicem alliduntur. Attritæ autem & illisæ sonitum illum edunt ex percussione ingenti ignem excitantes. Verum ea temporanea existit, quę horæa à Græcis dicitur. Horæa autem in similitudinem fructuum horæorum appellatur, quoniam sicuti hi horæi dicuntur, quia tempore horæ aut declinant, aut incipiunt, aut in suo vigore consistunt, ita ea aqua pluuia dicitur horræa, quæ hoc eodem tempore decidit. Tempus autem hoc vocatur à Græcis horra, & est illud, in cuius medio caniculæ exoritur, quadraginta dierum numero circumscriptum, cum per viginti dies ante caniculam incipiant, & post eius ortum per totidem viginti dies subsequantur, sicuti docuit Galen. libro secundo de alimentis cap. secundo. Has autem summo iure commendat Hippocrat. quoniam præter tenuitatem, quam à materia recipiunt, cum id, quod leuissimum & tenuissimum est in aqua, sursum vi caloris ad generationem pluuiarum eleuetur, habent quoq; insignē tum elaboratio-

ratiooem, tum coctionem, aut vi caloris ſolis, aut vi motns ventorum, aut vi erumpentia ignis paratam, euius merito dulciſſimæ ac lympidiſſimæ euadunt. Hanc tamen ſententiam Rufus Epheſ. libro 2. de Dięta, vti retulit Oribaſius libr. 4. collect. med. cap. 3. eonatus eſt redarguere, dum exiſtimans pluuiam aquam omnem, quæ in terra ſit, vti etiam ſenſit Hipp. bonitate antecellere, vernam & hyemalem æſtiuç ac autumnali præfert, ea ratione ductus, vt cum æſtate ac antumno ſiceiores vapores eleuentur, aerque puluerulentis exhalationibus, quæ per pluuiam diluuntur, ſcateat, hinc in æſtaté, & in autumno fiant aquæ ſieciores, calidiores, nitroſiores, ac minus dulces, quam exiſtere debeant. Quæ cauſæ enm longe abſint ab hybernis & vernalibus, hinc fit, vt hybernæ & vernales aquæ ſint dulciores, & intra naturam aquei humoris magis conſiſtentes, quam ſint æſtiuæ ac autumnales. At ſciendum eſt hanc Rufi ſententiam noo euertere Hipp. dogmata, nec eis ex aduerſo cõtrariari, quoniam conueniens Rufus cum Hippoc. de bonitate aquæ pluuiæ, cum vtrique ſentiant hanc omnibus cæteris aquis præferendam eſſe, dum vernalem & hyemalem æſtiuali, & autumnali ob vaporum ſiccitatem, & ſordium terreſtrium in aera mixtioné præponit, non negatet, in conſtitutione non ita ſieca, & dum aer eſt purior nullam recipiens à terraant pnlnerem, aor ſordem, aquam pluuiam eſſe præſtantem. Nec Hipp. affirmatet, vbi illa præſto forent, aqnam pluuiam omnium præſtantiſſimam eſſe, cum tuoc temporis ratione cauſarum maloré, quam deceat, alterationem ſubire coacta eſſet. At vbi hæc nequaquam præſto ſint, nulli dubium ſit, aquam pluuiam ab Hippo. commendatam cæteris magis probandam eſſe, cum elaborationem & coctionem, qualem in hyeme & vere recipere non poteſt, habeat, tnm à calore ſolis, tum à motu véntorum concitato, tum ab eruptione ignis in nubibus circumplexi. Hanc igitur aquam pluuiam cenſendum eſt ab Hipp. hoc in loco ad refrigerandum in febre ardenti deſumendam eſſe, tum quoniam ratione tenuitatis & leuitatis facile viſcera pertranſibit. neein hypochondriis immorabitur, tum quoniam ratione duleedinis maxime humectabit ſimul, ac ſemel refrigerationem inſignem ex propria oatura efficiens, ac introducens. At huic ſententiæ aduerſari videtur Gal. qui loquens de potu frigidæ aquæ in hunc vſum, oon pluuiam ſed fontanam aſſumit, ſieuti in libro de cibis boni & mali ſucci in fine, & lib. 1. de tuenda ſanitate, & aliis in locis ſermonem habens de potu frigidæ in febre ardenti adminiſtrando. Ad hoc ſciendum eſt Galenum fontanam in huoe vſum recipere, vti eam, quæ ſemper præſto eſt, & ad manus continue commoda & opportuna, quod non eſt de pluuia. Nam hæc non niſi recens in hunc vſum aptatur, cum ex omnibus aquis, vt inquit Hipp. lib. citato de aquis, aere, & locis, omnium citiſſime putreſcat; ſi autem citiſſime putreſcit, diutius ſeruari non poteſt. Vnde cum non continuum huius defluxum, ſicuti cõtinuum fontanæ decurſum habeamus, nee diu ſeruari queat, ideo nee medieo ad manus ſemper opportuna, nec ſemper præſto erit. Quapropter Galenus in huius defectum fontanæ meminit, & eam in hunc vſum commendauit, nõ negligens tamen vſum pluuiæ, oec eam improbans. At hic ſcrupulus ineſt, cum Hipp. dicat aquam pluuiam omnium citiſſime putreſcere, ex aduerſo autem antiquiores medici oppoſitum ſentire videantur; quandoquidem aquam pluuiam in compoſitionem eorũ medicamentorum præcipue aſſumunt, quæ à putredine obnoxia ſeruare cupiunt. Vnde videmus in dyacodyon componendum potiſſimum notari, vt per aquam pluuiam fiat capitum papaueris decoctio. Quod animaduertens Gal. lib. 7. de comp. med. ſecundum loca in examine arteriacarum Andromachi dieebat, aqua quidem pluuia additur, qoo minus puttedini obnoxium ſit pharmacum. Hoc idem in propria compoſitione affirmabat, dicens, verum in aqua pluuia quidam capitum coctuuram fecerunt, ne videlicet ipſa ad aliam putredinoſam qualitatem tranſmutetur. Hac eadem ratione hac eadem aqua ad ocularia medicamenta, & ad formanda collyria, vt liquet ex pluribus locis libr. 4. de cõp. med. ſee loca, in quib. collyriorũ plurimę traduntur compoſitiones, ſumitur, quod idem animaduertit Gal. lib. 6 Epid. ſect. 4. com. 18. Si igitur ad hos vſus aqua pluuia deſumitur, vt ex eius commiſtione pharmaca putredini nequaquam obnoxia ſint, cum propter quod vnumquodque eſt tale, ſit & illud magis, igitur aqua pluuia minime putredioi erit obnoxia, cum cætera per ipſam à putredine præſeruentur. At hic ſcrupulus hac ratione tollendus eſt. Aqua pluuia cum ſit omnium leuiſſima, omnium etiam facillime alterabitur, dicebat enim Hipp. tum lib. 5. Aphoriſm. 26. tum libr. 2. Epidem. ſect. 2. aqua, quæ cito calet, & cito refrigeratur, leuiſſima eſt. Si autem facile alteratur, facile etiam corrumpi, & facile putreſcere poteſt, quoniam ab aere externo ob ſui tenuitatem facillime patietur. Et ideo iure dictum eſt ab Hippocr. eam omnium aquarum citiſſime putreſcere. Cum autem ita ad putreſcendum ſit prompta, nequaquam videtur apta ad alia à putredine præſeruanda, niſi quid illi ſuperaddatur. Quid autẽ ſopperadditur? Coctio. Nam cum per coctionem partes tenuiores, & ad putreſcendum promptiores abſumantur, ideo hæc aqua, vbi fuerit decocta, aptitudinem & facilitatem ad putreſcendum deponit. Quod animaduertens Hipp. libr. citato de aquis, aere, & locis, dicebat: Atque hæ quidem optimæ ſunt ſecundum hanc rationem, verum opus habent, vt decoquantur, ac à putredine defendantur. Cum igitur per coctionem aqua pluuia à putredine defendatur, & in compoſitione medicamentorum, ad quæ ea aſſumitur, decoquatur, ſicuti fit in diacodyon, nulli dubium ſit, eam non amplius putredini obnoxiam eſſe, & cum non ſit putredini obnoxia, poſſe pharmacum illud à putredine præſeruare. Quod idem obſeruans Galen. in compoſitione mulſæ, & apomeli lib. 4. de tuenda ſanitate probat mulſam fieri per aquam pluuiam, ne vllam putredinem iniret, in apomeli autem conficiendo eam renuebat, quoniam quandam putredinem, per quam apomeli

ace-

acescit, attendens, ab eius compositione aquã pluuiam, tanquam id prohibentem abnegabat. Sed si per coctionem aqua pluuia putrescendi facultatẽ deponit, cur hoc idem fontanæ, ac cæteris aquis non accidit? Quoniam ea, quæ per sublimationẽ fiunt, substantiam habent puriorem, & putredini magis ineptam, cum vi caloris maxime elaborentur ac attenuentur. Verum quoniam nulla coctio adeo integre perficitur, quin aliquid excrementi & imperfecti in eis supersit, ideo in omnib. aquis, quæ arte per sublimationem fiunt, abundat pars aquosa, quæ exposita soli digeritur & absumitur, cuius merito huiuscemodi aquæ ad hoc, vt perficiantur, indigent vt soli æstiuo exponantur. Quod idem cum pluuiæ aquæ eueniat, docuit Hipp. eam per decoctionẽ ab illo excremento aqueo emundandam esse. Quo peracto, superest aquæ sola substantia per calorem solis, ac motum ventorum, aut fulminum, & nubium conflictum elaborata, ac integre concocta. Quæ vbi sit ab illo excremento aqueo expurgata, & alteram coctionẽ ab arte fuerit adepta, omnino putredini non amplius erit obnoxia, cum putrescendi occasio in elementis, & rebus mixtis sit ab his, quæ eis præter eorum propriã naturam admista vel excrementa, vel vim excrementorum habeant. Cum autem huiuscemodi per coctionem expurgatio nõ sit par in reliquis aquarũ generibus, quandoquidẽ sint crassiores, grauiores, & magis q̃ pluuiæ terrestres, hinc fit, vt cęterę aquę per coctionẽ nõ adeo ab impuritate emundentur, quin partes crassæ & terrestres, p quas impurę existentes in putredinẽ sunt faciles, in eis remaneant. Quare summo iure assumitur aqua pluuia, non autem reliquę, in cõpositionẽ eorũ medicamentorũ, quorũ substantiã putredini minus obnoxiã reddere desideramus. At quis diceret, aquã pluuia in ocularia medicamenta, & in vsum collyriorũ vt plurimũ nec cocta, nec vllo pacto ab arte alterata assumitur, cum ea simpliciter ad excipiendã collyriorũ materiã recipiatur, sicuti in plurib. collyriorũ formis à Gal. lib. 4. de comp. med. secundum loca, descriptis apparet: quare nõ videtur dicendum, eam minus putredini p coctionẽ esse obnoxiã. Ad hoc sciendũ est, aquã pluuiã in hunc vsum assumi, non tantum quia sit minus putrescibilis, sed etiã quia sit adstringens, q̃ facultatẽ ocularia desiderant medicamenta, cuius merito aquæ, quæ cretã diluunt, & vim eius reseruant, satis commodæ ad oculos male affectos existunt. Quam facultatem in aqua pluuia animaduertens Gal. de ea in cõpositione diacodii dicebat: Aqua quidẽ pluuia additur, quo minus putredini obnoxiũ sit pharmacũ. Habet a. & adstringens quippiã in se hęc aqua. Sed si adstringens quid in se habet aqua pluuia, igitur nõ erit omniũ optima, quoniã q̃ optima aqua est, nullũ, vt docet Gal. Diosc. Rufus, cæteriq; omnes, aut saporẽ, aut odorẽ præseferre debet. Pręterea si adstringit, nõ facile viscera penetrabit, sed circa hypochõdria immorabitur, quod aquæ vitio, non bonitati adscribitur. Hanc adstrictionẽ consequitur aqua pluuia ex subleuatione, cum per sublimationẽ multæ partes tenues absumantur, quarũ basis relicta retinet quandã adstringendi vim, quę tamen nõ est tanta, vt per saporem ei cõmunicetur. Nam hæc aqua quandã habet leuẽ vim adstringendi, nõ tamen habet saporẽ adstringentẽ. Quæ facultas non est mala in hac aqua, sicuti esset sapor adstringens, quoniam hęc bonitatem aquæ destrueret, illa autem proficit. Vnde cum non sit adstringentis saporis, sed quippiam leue adstringens quo ad facultatem habeat, talis adstrictio non est damnanda, imo vtilis est ad dandam aquæ maiorem penetrationem, sicuti apparet de vinis aquosis, olygophoris ab Hipp. dictis, quæ cum sint leuiter adstringentia, vti docet Gal. lib. 7. meth cap. 6. facilius penetrant, & inde vrinam facile ducunt. Quam adstrictionem æmulantes aquæ pluuię, non modo propter hoc non immorantur in hypochõdriis, verum etiam facillime penetrant. Aqua igitur pluuia, quam cœlestem vocat Hippo. erit maxime commoda in febre ardenti, non tamen omnis. sed q̃ aut ex æthere decidit, aut cum tonitruis profluit, aut temporaria existit, dummodo recens sit, cum facillime, & citissime putrescat, collectaque sit non per loca arida profluens, qualia sunt stillicidia sub æstiuis ardoribus, quoniã nitrosam qualitatẽ, ac ardentiorẽ vim inde insciipiunt. Quare vbi colligẽda sit nõ à principio imbriũ, sed vbi prius omnia fuerint copiosa aqua madefacta, & infusa, imbiberintque multã eius copiã, quoniã tũc extincto eorũ ardore, & ablutis puluerulentis sordib. q̃ aquę immiscentur, pura aqua tunc colligi potest, quæ optima erit, nullã vaporum sicciorũ admixtionẽ retinens.

Potio septima.

Ptisanæ heminæ congio aquæ affuso ad dimidias coquito, deinde excolato, & apiis iniectis frigidam dato.

DIXI sorbitiones ex validiori, potiones ex imbecilliori fieri materia, cuius ratione hæ minus, quam illæ nutrimenti tribuunt. Nihilominus his addo, quod sorbitionũ materia si adeo copiosa aqua diluatur, vt non solum fluida, sed etiã aquosa euadat, hæc eadem potionibus formandis inseruire poterit, quod nõ tollet sorbitiones ex validiori, potiones ex imbecilliori cõstare materia, quandoquidẽ si parũ diluatur, multũ nutrimenti; si autem plurimũ diluta sit, nutrimenti minimũ exhibebit. Quod in ptisana Hipp. attendens eius heminam, id est, vncias decẽ assumit, & aquę congiũ, id est, libras totidẽ affundit, & ad dimidias, id est, quo ad quinq; aquæ libræ supsint, coquit, & deinceps colaturã, vt qualitẽ nõ substantiã ptisanæ retineat, facit, & apiis iniectis, vt aliq̃ vim ciendi lotiũ possideat, frigidam exhibendã monet. Hæc autẽ potio, licet ea ptisana, q̃ est sorbitio, formetur: attamẽ ob copiosam aquã affusam potio vera euadit, & vim refrigerandi tum ab hordeo, tum ab aqua sibi comparat, & acquirit.

Potio octaua.

Prosunt & vina alba aquosa ex vuis passis.

ANTIQVI nõ modo ex vuis maturescentibus, & ex his, quæ perfectam maturationem subiissent, verum etiam ex illis, quæ maturatæ vel in ipsa vite adhuc permanentes, aut à vite excer-

ptæ

ptæ sub sole in cratibus expositæ euaderent passæ, vinum conficiebant. Illud vinum simpliciter, hoc passum appellabant. Quod vbi per expressionem fieret, vel Creticũ, vel Theræum simpliciter vocabant, non quidem, quia in sola Creta, aut in Thera insula, quæ est vna ex Cicladibus in mari Ægeo posita, tantummodo fieret, sed quia in his duobus locis optimum præcipue conficeretur, à quorum locorũ analogia, quod vinosius & potentius erat, Creticum, quod imbecillius & minus vinosum esset, Theræum, eo quod in Creta potentiora, in Thera imbecilliora nascerentur vina, appellabant. Hoc idem passum, si non per expressionem fieret, sed sponte ex passis vuis simul coactis destillaret, non simpliciter passum, sed vinum Scybelites appellabant, vti animaduertit Aet. li. 9. cap. 24. Quod & protropon vocabant, quia antequam vuæ calcarentur, sponte ea vuis passis defluerer. Horum triũ est insignis ac simplex dulcedo, vt inquit Aet. in procœmio lib. 1. si tamen vuæ passæ dulces etiã simpliciter extiterint. Nam ea his aliæ sunt dulces, aliæ austeræ, aliæ acerbę, semper tamen aliquam dulcedinem cum austeritate & acerbitate reseruantes, vt docet Gal. lib. 2. de alimen. facul. cap. de vuis passis. Quapropter si passum simpliciter dulce futurũ est, ex passis simpliciter dulcibus formatũ erit. De his tribus passorum generibus, tanquã de dulcioribus liquoribus meminit etiam Gal. lib. 7. de comp. med. secundum loca, in principio. Quæ tamen omnia sub generali nomine vini, quanquam proprie passa dicantur, comprebendnntur; quandoquidem ex vuis licet passis conficiantur. Ex iisdem vuis passis aliud à prædictis vinum cõficiebant antiqui, quod aquosum appellabant. Hoc duplici ratione moliebantur, scilicet, vel supra vuas passas, antequam vinum aut exprimeretur, aut excolaretur, affusa aqua, & inde per expressionem educta, vel supra vuarum passarum vinacea, iam expresso & excolato vino, tantundem aquę, quantum vini excolauerit, affuso, indeque vel prælo, vel pedibus expresso. Hocque passum secundariũ appellabant, & idem quandoque expressum, vt diutius seruari posset, decoquebant. Hæc vtraque vina ex vuis passis, quia admixta & affusa aqua conficiebantur, aquosa appellabant. Quorum tamen amborum nõ est censendum Hippo. hoc in loco verba habuisse, quoniam primum illud multam vinositatem, cum plurimam vini substantiam secum deferat, habet, cuius merito febri ardenti valde obnoxium foret, sed secundi solum, quod secundariũ appellari dixi. Hoc enim conuenire poterit in febribus ardentibus nostris saltem, si nõ exquisitis, in quibus suspectum esse potest ob insignem dulcedinem, quam ex vuis passis contrahit, cum in nostris non sit periculum de transmutatione in bilẽ adeo facile, vt in illis, & cum in iisdem, ex eiusdem potus dulcedine salsę pituitæ insigne contemperamentum consequi possimus. Animaduertit autem Hipp. hæc vina aquosa eligenda esse alba, nõ autem nigra, quoniam licet color in vuis & vinis nõ sit qualitas actiua, attamen cum consequatur substantiæ naturam, & vuæ, ac vina alba sint tenuioris substantiæ, nigra autem sint crassiora, & substantiæ magis terrestris, ideo Hipp. eligit tale vinum, quod fit factũ ex vuis passis albis, vt vinum tenuioris substantiæ, & quod per viscera facile permeare possit. Quod si hæc vinacea sint ex albis quidem, & dulcibus passis, sed quæ tamen quandam admistam habeant austeritatem, ad hoc idem erit aptius, cum tales vuæ sint frigidiores illis (vt notauit Gal. lib. 2. de alim. fac.) quę simplici dulcedine sunt dotatæ. Et ideo huiuscemodi vinum nõ modo ad leniendam sitim, verum ad refrigerandum corpus aptissimum erit. Tale autem pręcipue ad febrem ardentẽ censeo ab Hipp. institutum & laudatum fuisse.

Potio nona.

Prosunt & vuarum passarum expressarum retrimenta aquosa.

ILLVD verbum, prosunt, quod in antecedenti, & in præsenti positum est potione, est verbum non ab Hippocr. sed ab interprete appositum. Dicebat enim Hipp. in superiori, huic ea vuis passis alba vina aquosa; nunc autem inquit: huic feces vinaceę ex vuis passis secundariæ aquosæ. Sed quę sint istæ feces vinaceę, quas aquosas, & secundarias ex vuis passis appellat? num est illud idem, quod superius passum secundarium appellare monui? Nequaquã, nõ enim bis idem, licet sub diuersis verbis ab Hipp. replicaretur; sed est vinum nõ secundario, sed tertio ab ipsismet, & eisdem vuis passis excerptũ. Nam excolato secundario illo passo, remanent vinacea adhuc madida, & humentia, non sane vinoso succo, quoniam in expressione vuarum, & vbi calcatæ colentur, primum quod profluit, est substantia vini, si quid autem residui relinquitur, est aquosior pars, quæ aquosissima est, si superinfusa aqua vinum præcedens confectum fuerit. Hoc autem cum contingat facto secundario passo, & vinacea hinc humentia supersint, inquit Hippo. horum vinaceorum fecem aquosam, id est, residuum aquositatis, quæ in vinaceis superfuit, & ex vuis passis secundariam, secundariam inquam, non ratione vini, sed humoris aquei, ac si diceret, fecem vinaceorum vnę passę, id est, aquosam secundariam conueniire, pro potione in febre ardenti. Quæ cum sit pars aquosissima suspluens ea secundario passo, omnino non erit refrigerans, cum nihil vinositatis, sed solum quid saporis ac odoris vini retineat. Vnde erit potio delectabilis quidem, & iucunda, sed quæ nihil caloris habeat, cuius merito febri ardenti exquisitæ erit præcedenti multo commodior, ac admodum proficua.

Potio decima.

Vuarum passarum albarum exemptis vinaceis heminam, radicum quinquefolii manipulum tundito, & affusis aquæ heminis viginti ad dimidias coquito, & frigidam hanc paulatim bibendam dato.

CVM Hipp. propositum sit instituere potiones refrigeratorias, in febre ardẽti, & ad hanc formandam vuarum passarum albarum substantiam exem-

exemptis acinis, & nucleis internis, vtpute nimis adstringentibus, recipiat, censeo in hunc vsum vel vuam passam albam, & austeram, vtpote qualitatem frigidam participanté, tantummodo assumi, vel si dulcem, eam, ex qua iam vini substantia excolauerit, alias potio hæc copiosam vini substantiam reseruans nimis calefaceret, & inde in hunc vsum inepta foret. Harum igitur vuarum passarum albarum, vtpote tenniorum, quæ quidem vel sint austeræ, vel ex eis vinum excolauerit, exemptis nucleis internis, substantiam ad heminæ mensuram assumendam esse, eamque addito radicum pentaphylli manipulo contundendam, & affusis aquæ heminis viginti ad dimidiú coquendam esse præcipit, monens eam deinceps frigidam paulatim propinandá fore. Sed ad quam intentionem addit radices pentaphylli, & quæ est huius potionis præcipua facultas? Si vuæ passæ erunt austeræ, nulli dubium, hinc refrigeratoriam euadere potioné, quoniam præter vuarum austeritatem, cuius merito eis inest aliqua refrigerandi vis, copiosissima etiam his aqua superinfunditur, per quam si qua adest vinositas ac dulcedo, vehementissime diluitur ac temperatur. Nam pro quaque vuarum passarum vncia superinfunduntur viginti aquæ vnciæ, quæ vbi ad dimidias ebullierint, constituunt potioné ad mensuram librarum octo, quatuor superadditis vnciis, ex qua copiosa aqua illud etiam resultat, quod licet passæ sint austeræ, decoctio tamen non euadat austera, quia multum diluuntur ab aqua, sed solum vim quandam subadstringentem, per quam facilius viscera promeare potest, in se retineat. His autem adduntur pentaphylli radices non ad refrigerandum, sed ad absumendam materiam febrem facientem, cum sit sicca in tertio gradu, & inde ad tollendas obstructiones valent, cum materiam eas facientem absumat, & discutiat, sicuti etiam ad prauas qualitates abolendas, cuius ratione venenis lethalibus reluctatur, & ad hepatis, ac pulmonis, quę duo membra sæpius in febre ardenti male affecta sunt, vitia corrigenda valet. Ad quæ omnia assumũtur pentaphylli radices tanquam vtiles, & commodæ, quæ etiam cum minimum euidentis caliditatis in seipsis habeant, per multam aquæ copiam affusam ea retusa non potest non fieri potio abunde refrigerans.

Potio vndecima.

Ad farina hordei pleni crassa chænicem dimidiam aquæ congium affundas, & cum iam intumescunt crassa farinæ partes, manibus teras, donec aqua alba fiat, & adianti pugillo iniecto sub dio per noctem exponito, ac exhibeto.

HIc est alter conficiendæ aquæ hordei modus, ab antecedenti in quarta potione declarato diuersus. Nam in ea hordeum purgatum quidem, sed integrum assumit, in ista autem non integrum, sed comminutum, non tamen in pollinem redactum, verum crasso modo contusum, seu confractum, ita vt speciem farinæ quidem referat, sed crassiorem, recipit. Hanc autem farinam ex hordeo pleno desumendam esse præcipit, vt per plenum hordeum perfectum insinuaret, laxum enim & rugosum, cum vacuum videatur, est malum, nec dignum vt probetur. Huius igitur farinæ chænicem dimidiam, id est, heminam vnam cum dimidia (chænix enim continet tres heminas mensurales, & pondere continet vncias vigintiduas cum dimidia, etenim ponderat centum octuaginta drachmas) assumit, & aquæ congium, id est, libras decem affundit, quas igni appositas tamdiu feruere sinit, quoad crassæ illæ farinæ partes intumuerint; tumentes auté eas manibus fricandas præcipit, quoad aqua alba euaserit. Sed cur tam breui tempore hanc aquam bullire sinit, cum in quarta potione eam ad dimidium coquere iusserit? Quoniam id, quod ex diuturna coctione in quarta procurabat, in præsenti cósequi ex hordei comminutione spectat. Nam cum hordeum sit cófractum, & in minutas partes redactum, vbi ex ebullitione intumuerit, per attritionem facile propriam substantiam aquæ communicabit, quod in illa quarta coctione nequam fieri poterit, nisi vbi diutius bulliens crepauerit, & inde propiam substantiam aquæ impartiuerit. Huic autem potioni adianti pugillum adiicit, vt potionem magis aperientem, & vrinam prouocantem formet. Adiantum enim ad hoc est valde opportunum, cum talem facultatem insignem habeat sine vlla calefaciendi potestate. Hanc aquá sub dio, vt vehementem consequatur refrigerationem, exponendam, & ita frigidam propinandam esse præcipit.

Potio duodecima.

Ouorum trium, aut quatuor candidum in aquæ congio concussum bibat. Hoc valde frigefacit, & ægrum ad aluum exonerandam conturbat.

SI qua est potio ex præscriptis, quæ vim refrigerantem habeat, hæc vna est ex albumine trium, aut quatuor ouorum in congio, id est, in libris decem aquæ concusso. Etenim oui albumen est refrigerans, leniens, & humectans, cuius merito pillularum materia ad sitim leniendam selecta, solet oui candido excipi, & inde in pillularum formam redigi. Hoc igitur optime in copiosa aqua conquassatum format potionem admodum refrigerantem, ac lenientem & humectantem. Qua de re non modo ad contemperandum febris ardentis feruorem, ratione frigiditatis apta erit, verum etiam ratione lenitionis aluum subducere, & emollire poterit. Quapropter non immerito dictum est ab Hippocra hoc valde frigefacit, & ægrum ad aluum exonerandam conturbat. Et forsitan ista ouorum albumina in hoc faciunt illud idem, quod in vinis, dum crassiora euadentia extra propriam naturam immutantur, & vappa fiunt, agunt. Hæc enim in aqua copiosa conquassata, si huiuscemodi vinis à principio affundantur, egregie illa rectificant, & attenuant, & in pristinam naturam restituunt,

tuunt, quod agunt, dum vino immixta illud refrigerant,& partes crassiores ad fundum vasis detrahentia illud attenuant. Quod idem fieri censeo in febre ardenti, quoniam contemperando tafrigerant, & ad inferas partes excrementa deducendo aluum subducunt. Hæc autem cruda sint, quoniam cocta vim omnem prædictam minorem habent.

Potio decimatertia.

Hordei torrefacti probe loti chœnicem dimidiam aquæ congio bis, aut ter feruere finito, & frigidam hanc exhibeto.

HIc est tertius conficiendi aquam hordei modus. In primo assumebat hordeum integrum, crudum & purgatum. In secundo crudum, & in crassiores partes confractum. In hoc autem tertio assumitur integrum, sed tostum, ac optime lotum. Ex torrefactione vim purgatoriam, quam habet, amittit, sed frigiditas ac siccitas seruatur. Ignis enim illam leuem dulcedinem, & lenitionem, quam possidet hordeum, absumit, refrigeratione relinquens, & siccitatem adaugens. Quare summo iure libr. 2. de Diæta dicebat Hippoc. de hordeo loquens: Quum autem tostum fuerit, humor quidē purgatorius præ igne perit, frigiditas autem, & siccitas relinquitur. Huius chœnicem dimidiam, id est, heminam vnam cum dimidia assumens, eam in aquæ congio, id est, in libris aquæ decem feruere ter, aut quater finens, format potionem, quæ vim refrigeratoriam habebit ex natura hordei, verum cum refrigeratoria siccatoriam quoque possidebit, cum ratione torrefactionis vis purgatoria hordeo inexistens sit absumpta, & siccitas adaucta. Quapropter potio hæc erit refrigerans, & siccans, non omni febri ardenti conueniens, sed iis tantū, in quibus vel aluus fluida existat, vel superflua adsit humiditas. Nam ratione frigiditatis febrilem calorem temperabit; ratione autem siccitatis aluum vel sistet, vel saltem non irritabit, & corpus superflua humiditate non irrigabat. Ad quam intentionem censeo ab Hippocrat. & ab antiquioribus medicis huiusmodi ex hordeo potionem institutam fuisse, vt frigida acta exhibita neutrum eorum malorum inducere, sed potius corrigere posset.

Potio decimaquarta.

Ptisanæ succum coctum tenuem, & vinum dulce dato. Hoc vrinam ducit.

SI ptisanæ viscositas, vt dicebat Hippocr. libro 2. reg. acut. 18. est humens, & sitim minime inferens, quanto magis eredandum est hoc inesse eius succo, id est, colaturæ coctæ, ac tenui, id est, quæ per copiosam aquā sit diluta? Hæc enim ratione abundantioris aquæ erit frigidior, & ideo aptior tum ad contemperandum calorem febrilem, tum ad humectandum corpus, tum etiam ad leniendā sitim? Huic supperaddit vinum dulce, vt magis leniat, ve vires magis corroboret, & vt eius aquositatem vehementem temperet. Vinum autem sit in minima quantitate, succus autem ptisanæ sit multus, quoniam si è conuerso fieret, febri ardenti hæc potio ratione vinositatis non conueniret. At vbi succus ille vinum superabundet copia, & proportione multa, potio erit refrigerans, & ob vini affusionem magis penetrans. Verum hanc potionem nec laudo in omni febre ardenti, sed in his solum, in quibus ægris nimio calore feruentibus vires vel labant, vel corpus vehementer resolnitur. In his enim vinum succo ptisanæ affusum poterit vires roborare, & corporis celeri resolutioni obstare.

Potio decimaquinta.

Cucumeris peponis corio nudati pollinem ex aqua prabeto. Hac potio vrinam ciet, frigefacit, & sitim sedat.

CVCVMERIS nomen penes antiquos communis est tam cucumeribus proprie appellatis, quam his, quos pepones vocamus, hac habita distinctione, vt prior cucumis satiuus, alter autem cucumis pepon diceretur. Huius secundi caro est frigida, & humida, vti docet Galen. lib. 8. de simpl. med. facul. cap. proprio, nonnihil absterforiæ facultatis habens, cuius beneficio, vt libr. 2. de alim. fac. habemus, vrinam ciet, & expedite per aluum secedit. Quapropter commodissima est, vt per eam potio formetur febri ardenti vtilissima. Nam hinc merito frigiditatis caloris vrentis refrigerium habebitur, merito humiditatis sitis lenietur, & corpus moderata humiditate irrigabitur; merito autem virtutis abstersiuæ lotium pronocabitur, & aluus ad excretionem (quæ omnia in febre ardenti desiderantur) irritabitur. Ex hac autem carne potio ista hoc pacto formabitur. Caro peponis à cortice purgata contundatur, ac optime comminuatur, cui tantum optime aquæ affundatur, vt omnia in potionis formam redigantur. Hoc autem erit, si caro multa aqua optime diluatur, non sorbitionis, sed potionis formam retinens, id est, vt potio, non sorbitio euadat. Hæc potio, inquit Hippocrat. vrinam ciet, frigefacit, & sitim sedat, sed & præter hæc, vti superius diximus, potest & aluum subducere. Quæ omnia quantum sint conuenientia, & in febre ardenti procuranda, omnes norunt.

Potio decimasexta.

Eruum in aqua præcoquito, deinde ollam nouam in maiorem ollam aqua plenam ponito, & alia aqua eruo affusa ad modicum tempus coquito. Postea vbi coctum fuerit eruum, tertiam aquæ partem reliquam excolatam bibendam dato, ita vt ad singulos cyatos & cucumeris, & erui pollinem inspergas. Hoc constanter sitim sedat.

ERVVM amarum est, & calidum, ac siccum, qua de re, & parum aptum vt ex eo formetur potio

potio refrigeratoria, ac febri ardenti commoda, nisi aliquam prius recipiat præparationem. Quam excogitauit Hipp. vt amarorem deponens, & propriam abiiciens insuauitatẽ, euaderet ad formandam febri ardenti vtilem potionem materia. Nam cum ex sui natura incidat, abstergat, obstructiones expediat, & lotium valenter prouocet, valde salutare esse posset, nisi ratione amaroris & concepti caloris obstaret. Hunc igitur calorem & amarorẽ remouere intendens Hipp. vt eum vtilem pro materia huius potionis reddat, iubet bis coquendum hac ratione fore, scilicet, vt primo sufficienter in aqua coquatur, postea abiecta hac, in qua primo coctum fuerit, & in qua maiorem amaroris partem deposuerit, iterum noua aqua affusa in duplici vase coquatur, hoc seruato, vt olla, in qua ipsum ferbeat, sit noua, ne ex coctura aliam prauam adipiscatur qualitatem, eaque in ampliori olla, quæ nouam cõtineat, deponatur. His autem ad ignem appositis, eruum cum aqua ad modicum tempus coquatur. Nam si diu coqueretur, omnes prædictas facultates amitteret, solaque pars terrestris superesset, sicuti monet Gal. libr. 1. de alimentis fac. cap. de Eruo, fieri in illis orobis, qui in aqua dulcorati duplicem subeant coctionem. Quod incōueniens euitans Hippo. monet secundam coctionem ad modicum tempus peragendam esse. Hac autem post quā eruum coctum sit terminata, iubet tertiam aquæ partem (facta scilicet crassiorum partium in reliquis duabus partibus residentia) frigidam in potu exhibendam esse, hoc seruato, vt ad singulos aquæ cyatos cucumeris (intellige peponis) carnem comminutam, & in pollinem quasi redactam, inspergas, ad hoc idem erui iam per coctionem eliquati portiuncula superinfusa. Hoc constanter, id est, certo ac sine dubio sitim sedat. Sed qua ratione hæc potio ita firmiter sitim sedat? Quoniam aqua illa per decoctionem orobi facta est tenuior; tenuitati autem addita per appositionem carnis peponis frigiditate, ac humiditate, nulli sit dubium, hanc potionem sitim constanter sedare posse.

Potio decimaseptima.

Vinum Thasium vetus parte vna cum viginti quinq; aquæ partibus dato.

THASVS est è Cycladibus insulis vna, Ægeo mari, Thraciæ ex aduerso sita, & ad septentrionalem plagam penitus exposita, cuius ratione dicebat Gal. lib. 1. Epid. sect. 3. com. 3. Thasum ventis Aquiloniis ac frigidis expositam esse. Si autem Thasus huiuscemodi situm habet, omnino eius solum frigidius erit, & cum sit frigidius, parum aptū erit ad producenda vina potentia. Nam cum huiuscemodi vina fortia ex propria natura in feruidis, vt docet Gal. libr. 3. reg. acut. com. 7. progignantur regionibus, & experientia doceat solum calidius vina potentia, frigidius autem imbecilla procreare, nequaquam in Thaso vina potentia orientur, sed tantum imbecilla, & aquosa. Ad quod alludens Virgilius lib. 2. Georg. dicebat. Sunt Thasiæ vites, sunt & Mareothides albæ. Pinguibus hæ terris habiles leuioribus illæ. Nam cum Thasiæ vites sint albæ, & inde aptæ ad generationem vini aquosi, eum penes antiquos vina alba essent aquosa, & prætereà leuioribus terris, id est, his, quæ nec pinguedinem, nec calorem participent, habiles, omnino vina potentia generare apta nequā erunt, sed tantummodo vina aquosa producunt. Quare hoc vinum Thasium, quod ad hanc potionem formandam assumpsit Hippo. erit imbecille, & aquosum, & hoc summo iure, cum vina potentia quantumuis diluta, aliquam vinositatem semper retineant. Quæ cum infesta sit febribus ardentibus, omnino erit ableganda ab huiuscemodi potionibus, sed in vsum erunt assumenda vina aquosissima, & imbecillima, quale est Thasium, vt non vinositate, sed odore, & sapore ægrotantium iucunditati consulat, substantia autem propria aquæ penetrationem tribuat, & cum omnibus his virium imbecillitati, si quæ adsit, prospiciat. Huiuscemodi autem vinum Thasium, quamuis imbecillimū, cum viginti quinque partibus aquæ diluit, vt potionem aquosissimā efficiat, aptam tamen ratione vini admixti facile viscera promeare, & in reliquum corpus facile distribui, vt inde etiam facile corpus vniuersum possit & humectari, & refrigerari.

Potio decimaoctaua.

Trifolium, cucumeris pollinem, & crassam hordei farinam in aqua macerato, & hanc bibendam dato.

QVEMADMODVM in superiori potione vini particulam aquæ bibendæ commiscebat, vt ea per illud penetrationem, & distributionem facilem consequeretur, ita huic potioni, quæ per macerationem carnis cucumeris, & hordei in crassas partes comminuti in aqua formanda erat, nunc trifolium asphaltites (hoc enim intelligebatur ab antiquis, dum simpliciter proferretur) admiscet, nam hoc calidum & diureticum existens hoc idē potest in hac potione operari, quod vinū in superiori operabatur. Verum in præcedenti commiscebatur vinum, quod nullam manifestam in se haberet caliditatem, in hac autem recipitur trifolium, quod in tertio gradu calefacit & exiccat, quoniam in hac maior, quā in illa requiritur caliditas, quandoquidem per macerationem carnis cucumeris, & farinæ hordei crassioris factam in aqua, aliquæ partes crudiores remanent, quæ notabili caliditate egentes vi ipsius trifolii contemperantur, & vim prouocandi lotium adipiscuntur. Vnde erit commoda febri ardenti potio.

Potio decimanona.

Apii manipulos tres, pulegii pugillos duos in aceti heminis decem ad tertias coquito, hoc melle, & aqua dilutum aquosum bibat adianti pugillo iniecto, hoc vrinam ducit, & aluum soluit.

DIXI alias potiones aliis febribus ardentibus proficuas, alias aliis noxias esse. Hæc autem

diuersitas ex diuersitate materiæ facientis febrem pendet. Nam vbi materia fit calidior per propriam naturam, vtputa syncera bilis, frigidiores potiones, & quæ vim insignem humectandi habeant, sunt præferendæ. Vbi autem materia ex accidenti fit calida, vtputa salsa pituita, potiones minus frigidæ, & vim aliquam vel calefaciendi, vel attenuandi, vel incidendi, vel exiccandi, vel abstergendi, vel vrinã ciendi habentes, sunt præeligendæ. Qualis est præsens, quæ ex apio, vtpote medicamento diuretico & calido, & pulegio, vtpote planta vehementer calefaciente & attenuante, in aceto, vtpote vehemẽti facultate incidẽdi dotato, cõcoctis, cõficitur. Sint a. apii manipuli tres, pulegii vero pugilli duo, aceti autẽ sint heminæ decem. Coctio tamdiu perducet, quoad tertia aceti pars absumpta sit. Residuum autem coletur, & sufficienti quantitate mellis dulcoretur, postea addita copiosa aqua ita diluatur, vt non solum potabile, verum etiam aquosum admodum euadat, in eoque adianti, vtpote vim attenuandi, exiccandi, & discutiendi habentis, pugillo iniecto, atque secundum artem infuso, fiat colatura. Quæ opportuna erit febribus ardentibus nothis, tum quoniã refrigerare poterit ratione aquæ & aceti, tum quoniam ratione apii, pulegii, & adianti vrinam prolicere, materiam peccantem attenuando, incidendo, & exiccando, valebit, tum quoniam ratione mellis poterit etiam aluum subducere. Quæ omnia in ardentibus nothis, vbi materia alicuius coctionis signa præseferat, desideranda sunt.

Potio vigesima.

Mala odorata dulcia contundito, & aqua macerato, & aquam bibendam dato.

QVEMADMODVM Hipp. in cõfectione aquæ hordei alias crudum, licet purgatum & vel integrum, vel confractum, alias torrefactum assumebat, quoniam ex primo aquam aluum sublnentem exhibendam, vbi aluus vel sponte non fluat, vel mediocriter sistatur, ex altero aquam proficuam, vbi aluus sit soluta, aut nimium fluat, propinandam procurat: pariter ex pomis duplicem potionẽ parare intendit, alteram quæ opportuna sit aluo firmata, alteram quæ eadem soluta conueniat. Et ideo primam hac ratione conficiendam docet, vt scilicet poma odorata dulcia assumãtur, quæ vbi optime contusa fuerint, aqua copiosa macerentur, quæ vbi excolata fuerit, bibenda detur. Hæc aqua non per coctionem, sed per macerationem facta, vnde haber, quod sit febri ardenti proficua? Aquã simplicem nouimus in acutis morbis tarde promeare, & in hypochondriis diutius immorari. Quare ad hoc, vt hæc duo euitentur incommoda, eget aliquo manum præbente, vt facilem penetrationẽ, & distributionem consequatur. Tale est mel, quod mulsæ hac ratione admiscetur, tale est vinum Thasium, quod in decima septima potione immiscetur, tale est trifolium asphaltites, quod in decima octaua additũ fuit. Talia autem sunt ad hoc opportuna, quia sua tenuitate, & innata caliditate aquæ tarditatem possunt corrigere, & ei transitum facilem impartire.

Hoc idem consequi ex pomis existimauit Hipp. sed qua ratione? Quoniam ex pomis quædã sunt, quæ vinositatem aliquam in se retinent, qualia sunt dulcia & odorata, quam dulcedine cruditatem, & frigiditatem deponentia odore insuper adaucto naturam vini æmulantur. Quam vini naturã æmulantur non tantum sapore, & odore, verum efficacia quoque. Nam sicuti à vino epoto quandoque succedit delirium, ita pariter ab huiuscemodi pomis assumptis nonnunquam subsequi solet, cuius ratione sumpta analogia à vino, huiuscemodi poma vocantur vinosa. Quam sententiam sicuti experientia testatur, ita & Gal. lib. 1. de præsag. ex pul. cap. 4. dũ agit de causis doritici pulsus, testatur, dicens: Clarius vbi symptoma aliquod consequatur, quod pomis solet succedere, inflatio ventris inquam, aut mordicatio corruptorum, aut stomachi aliqua compressio, aut delirium, vt à pomis vinosis. Hęc Gal. Dat eriã poma, quæ vinositatem in se retineant, testatur Cælius Aurel. libr. 1. chronion pass. 4. monens in epilepsia ante vini exhibitionem danda esse cibaria, quæ vinosæ sint qualitatis, vt sunt poma, quo vinum daturi corpus ad id per hæc prius disponamus, & inde vt ex familiaritate minus à vino lædatur. De his etiam meminit libr. 2. acut. pass. cap. 37. in 16. auxilio cardiacorum, loquens de pyris & pomis, vini similitudinẽ habentibus. Notandum tamen est huiusce modi poma nõ in omnibus deliriis indifferenter patere, sed in his tantum, qui debilis sunt cerebri, vel in delirium ex aliqua morbosa causa sunt propensi. In his enim leui negotio excitatur delirium, quod sicuti ego quandoque vidi factũ à pomis prædictis, ita pariter restatur Gal. nonnunquam fieri posse.

Potio vigesimaprima.

Mala cydonia eodem modo, si aluus soluta fuerit, in febre ardenti.

MALA cydonia, vbi absolute maturata fuerint, dummodo non sint sylnestria, sed domestica, & per insitionem cicurata ac culta, præter insignẽ, quem consequuntur odorem, nonnihil dulcedinis vna cum sapore adstringenti, quem propria retinent natura, adipiscuntur. Cuius merito vinositatem quãdam consequutæ aptæ euadunt ad corrigendam aquæ tarditatem, ac motam, si in eadem optime macerentur. Hæc autem aqua præter id, quod ratione vinositatis ex cydoniis malis contractæ viscera cito permeare poterit, nec in visceribus diutius immorabitur, vnde incendium temperabit, & sitim leniet, etiam ratione adstrictionis, quã possidet, aluum solutam firmare valebit. Quare nõ omni febri ardenti hæc erit, pficua, sed in illis tantum, in quibus aluus soluta nimium fluat.

Potio vigesimasecunda.

Quod si morbus regius insuper corripiat, vuæ passæ albæ exemptis vinaceis, & cicerũ alborum, vtrorumque dimidiã heminã, & hordei Achillei magni ac pleni tantundem, & cnici tantundẽ aquæ heminas decem, & apiũ, & mentam, & cori-

coriandrum, de singulis parum terito, donec placide aqua dulcescat, & adianti pugillo postea iniecto, ubi sub dio per noctem exposuisti, exhibeto.

FEBRIS ardens soluitur alias sanguine è naribus copiose profluente, alias post rigorem vehementem (quoniam leuis rigor tato est iudicatorius) vel sudore multo ac calido per totū corpus emanante, vel bile per vomitum aut per aluum erumpente, vel eadem ad corporis superficiem à venis ad extra venas excreta. Hic vltimus solutionis modus est ille, in quo post rigorem regius morbus, effusa ad cutim bile, succedit. Qui rigor si ante septimam superueniat, semper malus est, quoniam bilem critice ante septimam effundi est impossibile. Si autem in septima, aut post septimam superingruat, potest esse proficuus, nisi ad hunc motum aut inflammatio, aut obstructio hepatis sequatur. His enim absentibus signum coctionis & securitatis habemus, bilisq; ad cutim effusionis, quandoquidē eam integre ac proficue excretam fuisse conijcimus. Quo casu nihil agendum medico superest, nisi vt bilem effusam medicamento opportuno aut euacuet, aut discutiat. Si autem in hac bilis effusione quid mali contraxerit hepar (quod facit casum non ita tu ú) tunc videndum est, an inflammatio, an potius obstructio hepar obsideat. Si sit inflammatio, propria curatione tractanda erit; si autem sit obstructio, his, quæ secut roborare & obstruere valent, curationem desiderat. Ad huiusmodi autem peragenda opportuna est præsens hæc potio, nam ad eius compositionem effotmandā assumuntur vuæ passæ, quæ præter id, quod secundum totam substantiam ipsi visceri (vt docet Gal. lib 8. de comp. med. secundum loc. in examine consect. Cyphoidis) est familiaris & propria, vim habet concoctoriam, per quam humores obstruentes concoquere valet, & vim coercendi maligna, qua egebunt prædicti humores, si aliquam prauitatem consequuti fuerint. His aute eximantur vinacea, vt adstrictio insignis, quam hæc possident, à passulis remoueatur. Assumuntur & ciceres albi, vt qui vim discussoriam, sectoriam, exterforiamque possidentes, secut expurgare apti sunt. Horum duorum hemina, id est, vnciæ decem accipiuntur, quibus hordei optimi ac purgati, quod pariter refrigerare & extergere valet, & cnici, qui ob facultatem purgatiuam potest materias obstruentes euacuare, tantundem superadditur. His aquæ heminæ decem, quæ centum vncias, id est, libras octo cum vnciis quatuor pendent, affunduntur, quibus apium, tanquam diureticum, menta, vtpote corroborans, coriandrum, tanquā attenuans & discutiens, de singulis parum superinspergitur. Quæ omnia vbi admixta fuerint, ad ignem apponuntur, & tamdiu, quo ad placide aqua dulcescat, feruere sinantur. Quo tempore adianti pugillum superaddatur, postea ab igne remoueatur, & per noctem sub dio exponatur, vt data occasione in potu exhibeatur. Occasio autem erit, vbi morbus regius febri ardenti superueniens ab obstructione hepatis foueatur.

Potes etiam alia his similia imitari.

PER hæc verba duo insinuat Hipp. alterum est, ipsum non omnes potiones refrigeratorias, & in febre ardenti propinandas, descripsisse, alterum est, alios medicos ad imitationem prænarratarum potionum posse plures alias parare, dummodo hæc obseruentur, primo, vt aqua optima eligatur, secundo vt in ea aut per coctionem alicuius medicamenti opportuni, aut per eiusdem macerationem paretur potio. Quæ pariter per dissolutionem materiei parari poterit, si multa aquæ copia, pauca autem materia assumpta extiterit. Nam aliter parata non amplius potio, sed sorbitio euaderet. Materia autem erit diuersa, pro vt maius vel minus refrigerium attendimus, & pro vt potius lotium, vel sudorem, vel aluum irritare procuramus.

Omnia vero per noctem sub dio exposita dabis febrienti, exceptis his, quibus alui plusquam conueniat, fluunt.

FEBRIS ardentis est adeo vehemens ac sæuus calor, vt in eo aeris, ciborum, ac potuum refrigeratio sit procuranda. Quare non immerito videtur Hipp. docere, potiones prænarratas omnes sub dio per noctem refrigerandas, & in de febre ardenti laborantibus exhibendas esse. Non dixit autem sub dio per noctem refrigerandas, quoniam extremam illam frigiditatem, quæ per niuem, & per immersionem in puteis aqua contrahi potest, euitandā esse insinuabat: etenim talem tum lib. 5. Aph 24 tum lib. 6. Epid. sect. 3. text. 14. damnabat. Quæ autem sub dio per noctem cōtrahitur, haud quaq̄ est excessiua, sed moderate est frigiditatis quā proxime ad aquæ fontanæ frigiditatem accedens. Talis igitur opportuna erit, & ab ipso Gal. sub nomine fontanæ aquæ probata: hæc enim eas noxas, quas frigidissima aqua parit, inuehere non est apta. Verum ad hæc sciendum, non semper in febre ardenti potiones hoc pacto refrigeratas conuenire. Nam quæ simpliciter pro potu exhibentur, sicuti quæ vna cum cibo, seu potius cum sorbitionibus hora prandii, ac cœnę assumuntur, adeo insignem non debent participare frigiditatem, & hoc præcipue dum materia est crudior, quoniam tanta frigiditas coctionem & discussionem prohibens, materiam morbificā magis rebellem coctioni & discussioni facit. Quod considerans Aetius docebat, huiuscemodi potum sub lactei temporis qualitate propinandum esse. Quæ autem aqua ad refrigerandū & contemperandum calorem febrilem, concocta existente materia copiosa exhibetur, hanc docebat etiam non gelidam, & hoc præcipue in assuetis, sed fractam, & contemperatam exhibendam esse, monens aquæ gelidæ frigiditatē attemperari, ac frangi, si ad quinque gelidæ aquæ mensuras sexta calidæ admisceatur. Hinc aqua erit refrigerans, sed excessum frigiditatis, quem vitat Hipp. non attingit, ac maxime opportuna, ac commoda febribus ardentibus existet. Verum hoc vnum adnotato, vti animaduertit Hipp. vt omnibus ardenter febrientibus propinetur, exceptis his, quibus alui plusquā

conuenit, fluunt. Nam cum frigida aqua epota sit ex se apta alui fluorem, cum calorem internum nimis obtundat, patere, vnde dicebat Hipp. libro de locis in homine, omnia, quæ frigefaciunt ea, quæ in ventre sunt, talia aluum subducunt, vbi aluus nimiū fluxerit, huiusce modi potiones actu refrigeratæ nequaquā conuenient, cum fluxionem augere, & in ægrotantium detrimentum eam magis prritare sint idoneæ. Etenim hinc virium robur, & constantia, aluo nimium profusa, rueret. Quare his exceptis tuto in aliis huiuscemodi, potiones potentia refrigerantes, actu refrigeratæ ad abulendū ardorem eximium præbeantur, hoc seruato, quod quæ pro potu simplici in febre ardenti exhibetur aqua, non sit frigida, sed fracta, seu lactei teporis, quæ autem in cæteris febribus pro potu exhibetur, nō modo fracta, verum aliquali caliditate prædita propinetur. Huiuscemodi enim data ad faciliorem cibi coctionem & penetrationem, nullam in materia morbifica superinducens cruditatem, faciet. Quod animaduertens Hippo. lib. de locis in homine, dum curam febrium doceret, monebat, febrientibus aquam calidam in potu exhibendam esse. Sed dum hæc de aqua in potu febrientibus exhibenda scribo, venit mihi in mentem alius vsus aquæ frigidæ ad extra administrandæ, cuius vsum habuit Hipp. ea frigida ventrem perfundens. Sed in hoc miratus sum, cum quandoque ea vtatur ad sistendum ventris fluxum, quandoq; autem ad eundem subducendum. Nam lib. 5. Epi. hist. 18. in vxore Antimachi, quæ præter nimis affectibus vtero gerens catapotium fortius, quā oporteret, assumpsit, & inde superpurgaretur, vt aluum nimium solutam sisteret, aquā cuplosam ei super ventrem infudit, & inde voti compos factus est. In eodem autem libr. hist. 41. in muliere sana, & crassa, quæ catapotium concipiendi gratia assumpserat, & nihil inde purgata in intestinorū tormina, & ventris tumorem, & spiritus difficultatem, & sanguinis vomitum, aliaque mala inciderat, vt per inferna purgaretur, & aluus solueretur, copiosissimam aquæ quantitatē super corpus infudit. Sed quæ est huius diuersitatis ratio? In prima potuit aqua frigida super ventrem infusa aluum sistere, quoniā alui fluxus tum ab internis humoribus calidioribus (in ea enim abundabat bilis combusta) tum ab elaterio, quod calidum est, & vim irritantem habet, causabatur. Quapropter si per aquam frigidam partes internæ, & humores peccantes potuerunt refrigerari, & attemperari, pariter potuit fluxus sisti. At in secunda potuit soluere, quoniam non supra solum ventrem, sed supra totum corpus infusa potuit humorum omnium, & caloris innati ad intra magnā facere concentrationē. Cuius vigore insurgens virtus naturalis potuit excrementa, internas partes irritantia, ad viam secessus, ad quam etiam à catapotio dirigebantur, protrudere, cuius merito non per se, sed per accidens solutam fuisse aluum ab aqua frigida superinfusa dicere possumus. Quam tamen experientiam, vtpote discriminis plenam, consulo in exemplum nequaquam traducendam, sed vitandam esse, nisi forsan in desperato casu, in quo monebat Gal. ex Thucidide etiam aliquid cum periculo tentandum esse. Tutiorem autem primum casum existimo, sed quē in robustis naturis, & in his qui viscerum nullam habent imbecillitatem, experiendum esse censeo. Sed hæc exempla tanquam res mirabiles, & quæ non nisi à generosissimo medico tentata, aut tentanda sint, recipiantur. Hæc enim recensuit Hippo. vti res memoria & historia dignas, & quas omnes audire, paucos imitari fas est.

Potio vigesimatertia.

Pulegii pugillos tres, apii duplum in vino diluto coquito, ac exhibeto. Hoc vrinam ciet, & bilem per aluum trahit.

QVI seriem Hipp. animaduerterit, hanc potionem non tanquam refrigeratoriam ad febres ardentes ab eodem descriptam esse nouerit. Nam posteaquā illas descripsit, & earum exhibendi modum docuit, hanc vltimo loco tradidit. Quæ neutiquam facultatem refrigerandi, sed vrinam ciendi, & bilem per aluum trahendi, vti inquit Hippoc. & præter hęc attenuandi, & incidendi vim habet. Refrigerare enim nequit, licet ex vino diluto cōficiatur, quoniam in eius compositionem calidiora assumit; tale autem est pulegium, & apium. Vrinam vero prouocare ratione apii, bilem autem per inferna trahere ratione pulegii (quod inter medicamenta purgantia ab Aet. libr. 3. cap. 31. recensetur) potest, cuius merito valet quoque insigniter attenuare, & incidere. Quapropter si hæc potio ad febres ardentes assumatur, non omni ardentium generi conuenit. Nam exquisitis infesta esset, nothis autem, quæ indigent attenuatione & incisione, & quarum materiam opportunum est apparentibus coctionis signis ad vias lotii traducere, commoda, tantummodo, bilem, id est, calidiores succos ad inferas partes etiam deducens existet.

Finis commentariorum in Hippocratis librum tertium de Morbis.

PETRI

PETRI SALII DIVERSI COMMENTARIA IN LIBRVM QVARTVM DE MORBIS,

Præfatio.

EXPEDITO IN LIBRVM TERtium de morbis commentario, hunc quartum considerans, parum abfuit, quin ipsum sine commentatione relinquerem. Nam dum eundem lego ac relego, ipsumme et praxi, quam principaliter in hisce commentariis attendo, minimum conferre perspicio. Plurimam autem eius partem theoricæ speculationi inseruire cerno, quæ antiqua philosophia & prisci medicorum dogmatibus referta, solummodo veterem medicinam, parum Hippocratis decretis consonam, redoleat. Quo fit, vt non immerito sancitum sit, hunc librum non Hippocratis legitimum esse, sed ab aliquo antiquiori medico editum fuisse, qui Hippocratis dogmata nequaquam sequutus, alia principia, alia elementa medicæ artis sibi statuerit. Verum quoniam consequutione inscriptionis hic liber sub titulo de morbis quartus in numero succedit, multaq; aut difficilia, aut scitu digna, quæ nequaquam dissimulanda, vel subterfugienda sunt, in se continet, ideo tum vt omnes libros sub titulo de morbis comprehensos continuata commentatione absoluam, tum ne difficilia huius libri loca subterfugere videar, huius libri quarti commentationem aggredior, pollicens, in explanandis his veterum medicorum dogmatibus me operam enixe daturum fore, vt omnia plana, aperta & perspicua fiant, omni longitudine, & disceptatione semota. Nam per modum scholiarum authoris mentem explicans, hanc commentationem quam breuissime potero expediam.

PETRI SALII DIVERSI COMMENTARIA IN LIBRVM QVARTVM DE MORBIS.

TEXTVS I.

Ad hominis generationem de omnibus & viri & mulieris partibus semen progressum, & in vterum muliebrem illapsum condensatur, temporeq́ veniente natura hominis formam referens ex ipso producitur.

AVTHORIS QVEM semper iuxta operis titulum Hippocratem appellabo, ea est in hoc volumine principalis intentio, vt morborum quot & quę sint principia, & ex quibus causis per eadem homines ægrotent, exponat ac explicet. Verum quoniam rectum est norma obliqui, & quoniam ægritudo sanitatem (quæ ambæ sunt hominis passiones) præsupponit, eumque ea, quæ sunt secundum naturam, sint potiora & priora dignitate ac cognitione his, quæ sunt præter naturam, Idcirco Hippocrates antequam descendat ad explicationem causarum morbosi status, præmittit vniuersale dogma, per quod monet, qualis sit hominis tum generatio, tum constitutio, dicens, hominis primam generationem hac fieri ratione, quod semen progressum de omnibus viri & mulieris partibus (intellige organicis, & maxime principalib. cum ab his vltimam alimenti partem assimilatam, sed non appositam testes vi propria attrahant, & in propriis inuolucris recondant, ac magis alterent, ac concoquant, non autem similaribus, quoniam ab his forma & similitudo, quæ in fœtu à parentib. succedit, prouenire nequeunt) & in vterum muliebrem, cuius vi conceptio & fœtatio gignitur, illapsum, id est, tum vi penis virilis eiaculatum, tum vi vteri ad intus attractum ac receptum condensatur, id est, susceptum alteratur, ex eaque alteratione ex humida substantia in corpulentam, dum disponitur ad recipiendam hominis formam, trãsmutatur, temporeque veniente, quod est à primo septenario vsque ad 40. diem, natura hominis formam referens, ex ipso producitur, id est, in veram hominis speciem effigiatur. Quapropter prima hominis generatio erit ex semine tum viri tũ mulieris, in vterum muliebrem recepto, & ibi in formam humanam effigiato. Expedita autem hominis prima generatione, declarat, qualis sit hominis constitutio dicens:

2 *Habet autem & mulier & vir quatuor species humoris in corpore, à quibus morbi fiunt, qui non à violentia aliqua fiunt. Sunt autem species hæ, pituita, sanguis, bilis, & hydrops siue aqua, & de his non minima, neq́ debilissima in semen procedit portio. Et quia animal secundum parentes nascitur, tot humorum species & sanorum & morbosorum in seipso habet.*

CVM hominis generatio suum ortum referat in semen, quod à viro & à muliere decisum in hominis formam effigiatur, iure statuendum erat, ex quibus partibus semen constituatur, vt ex iisdẽ agnoscamus hominem ipsum, cum hic ex semine generetur, constitui. Verum quoniam vir & mulier, quamuis ex semine prodierint, ipso semine natura & dignitate, cum illa actũ, hoc potentiam ęmuletur, priora sunt, ideo Hippocrat. constitutionem hominis seminis constitutioni præmittit, vt ex iisdem, ex quib. constituitur homo, sciamus semen ipsum constitui. Cum enim hoc ex eo decidatur, iure ex eius potioribus partibus constituetur. Potiores partes appello humorales, quia cum semen non sit pars solida, sed humoralis, ideo nec à partibus solidis proprie, alias per colliquationem, non per concoctionem fieret, sed ab his humoribus, qui in vltima alimenti concoctione substantiæ partium solidarum assimilati, & ad earundem nutritionem vel dispositi, vel apti sunt, deciditur. Si autem ab his humoribus, qui sunt potiores in homine, deciditur semen, igitur qui sint ii humores in homine, præmittendum erat. Quod commonefaciens Hippocrat. inquit: Vir & mulier quatuor humorum species in corpore habet, ex quibus sicut nutritur, & sicut dum ii qualitate & quantitate à natura regulantur, bene valet, ita ex iisdem, dum

omnia

qualitate & quantitate improportionati à natura non reguntur, laborat homo, & omnia morborũ genera præter ea, q̃ ex violentia fiũt (hi n. nulla cõcurrente causa interna gignuntur) patitur. Hi a. humores sunt (inqt) pituita, sanguis, bilis & hydrops. Ex quibus sicuti, dum sunt naturales, & non excrementitii, nutritur & conseruatur homo, ita & ex iisdem, dum massam sanguineam constituentes in alimoniam partium solidarum concurrunt, non minima, neque debilissima portio in semen procedit. Non minima quidem ratione molis, cum portio notabilis in hoc assumatur, vt apparet liquido in his, qui veneri indulgent. Non debilissima autem ratione virtutis, cum ex absoluta, quam consequuta est, coctione non modo nutritioni & conseruationi partium solidarum sit conuenientissima, verum quoq; ex altera, quam in propriis vasibus adipiscitur, coctione spirituum opulentissima, & facultatis mirabilis, cum hinc in formam humanam effigiandi aptitudinem consequatur, existat. Quocirca statuendum erat, cum seminis generatio ex quatuor dictorum humorum massa pendeat, in semine similem, qualis prgexistit in homine, dictorum humorum numerum, & proportionem existere, quorum ratione semen sit aut sanum, aut morbosum, sicuti & bene valet, & ægrotat homo ex iisdem. Bene valet enim, dum hi qualitate & quantitate, & proportione conuenientes regulantur à natura; ægrotat autem, dum iidem eisdem conditionibus non conuenientes à natura non reguntur. Vnde sicuti si in homine recte constituti sint hi quatuor humores, hominem sanum, dummodo à violentia causarum exteriorum non superetur, efficiunt & conseruant, ita pariter semen sanum producunt; & si male constituti sint, ægrum hominem faciunt, ita & semen similiter morbosum pariunt, ex quo fœtus morbosi, sicuti ex sano sani oriuntur. Quapropter cum ex homine semen decidatur, & semen sit principium generationis hominis, omnino in vtrisque quatuor prædicti humores existent, pro quorum ratione homo & semen aut sana aut morbosa erunt. Hæc de Hippocratis sententia, circa quam duo explicanda veniunt. Quorum alterum est, quod Hippocrates morbos, qui fiunt à prædictis quatuor humoribus, ab eis, qui ex violentia fiunt, contradistinguit, innuens omnes morbos, qui fiunt in homine, ab his fieri humoribus præter eos, qui à violentia fiunt. At si hi ab illis contradistinguuntur, qua ratione inferius text. 26. docet, tria esse morborum principia, scilicet, humores, vim cœlestem, & violentiam? Quoniam loco citato explicat principia seiuncta, & quę sua actione, & vi propria morbos parere queunt, quæ cum ad intra hominem fiut humores, ad extra autem aer ambiens, aut occurrentia, quæ violentiam homini inferant, iure tria morborum principia statuta sunt. Verum quoniam ambiens homini morbum non infert, nisi quatenus humores corporis humani alterat, & ad statum non naturalem præteruehit, ideo hoc in loco iure dictum est, omnes morbos, qui homini accidunt, à prædictis quatuor humoribus causari prgter eos, qui à violentia gignuntur. Alterum explicandum est, quid per hanc dictionem, hydrops, intelligat Hipp. dũ quatuor humores, ex quibus constituitur homo, recenset, dicens: Sunt autem species hę, pituita, sanguis, bilis & hydrops. Porro si germana Hippocratis volumina percurramus, nulli dubium præter pituitam, sanguinem, & bilem, quartum humorem hominem constituentem, esse melancholicum succum, cuius ratione videri posset per hydropem melancholiam, seu bilem nigram intelligendam esse. Quæ tamen sententia non est recipienda, cum non tantum dictio ipsa, verum etiam rationes, quas subscribam, hanc redarguant. Etenim hæc dictio, hydrops, aquosum ꝓprie affectum designat, ex quo si humorem quempiam significat, aquã, non melancholicũ succum, qui totus terreus est, & elemento terræ in corpore humano proportione correspondet, significabit, ꝑ quam aquam an sit Hipp. non aquositatem hydropicorũ, sed partem ichorosam, & serosam, quæ in corpore humano naturaliter non tantum humoribus diluendis, & temperandis, verum etiam pluribus aliis vsibus, sicuti ad subungenda ossa, ad humectandos articulos, ad leniẽdas partes siccas, ad dandam humoribus facilem per corporis anfractus pronationem, & ad non minima alia commoda debetur. Quam ichorosam partem tanti fecit Hippocrates, vt eam inter principales humores recensuerit, & non immerito. Nam sicuti cæteri humores nisi aut abundent, aut decrescant, sanum hominem constituunt, superabundantes vero aut decrescentes morbosum reddunt, ita pariter hic succus, vbi mediocriter affluat, sanitati confert, vbi autem vel abundet, vel deficiat, morbos nõ contemnendos infert, cũ ex eius abundantia humorũ naturalium vis obtundatur, ex eius autem defectu, quicunq; eo careat, fit præternaturalis. Quare non immerito hic serosus succus inter principales corporis humani humores ab Hip. connumeratus est. Quod autem hic serosus humor intelligatur ab Hipp. per hydropem, præter dicta hæ tres rationes persuadeant. Prima hæc sit, quæ ex generatione huius humoris, qui ab Hippocrate hydrops appellatur, desumitur. Nam inferius text. 8. docens huius generationem, monet hanc ex potu gigni; at cui dubium est, ex potulenta materia, quæcunque sit, dummodo sit simplex, nec quid corpulenti ei commisceatur, generari non melancholicum, sed hunc ichorosum, seu serosum succum, multis vsibus in corpore humano destinatum? qui aquosus succus non modo hydrops eo loci ab Hippocrate dicitur, verum etiam ὕδωρ, id est, aqua ad maiorem rei declarationem appellatur. Secunda hæc est, inferius tex. 27. Hip. febris generationem, & à quib. humorib. gignatur, explicans, cum docuerit à bile, sanguine, & pituita, quoniam calidiora sunt, febrem fieri, inquit: Cæterum ab hydropa non valde fortis febris aboritur, neque diuturna, nam igni non bonum alimentum hydrops præbet. Si autẽ ab hoc humore hydrops vocato, nec fortis febris, nec diuturna causatur, igitur hinc excludatur

melan-

melancholicus succus, cum ab eo febres fiant crebro vehementes, crebettime autem, imo fere semdet diuturnæ. Hoc autem excluso, non alius superest succus, quam serosus, qui cum naturam aquæ retineat, iure dictum ab Hippocrat. nec fortes, nec diuturnas ab eo fieri febres, cum aqua igni non modo ineptum, verum etiam incommodum præbeat alimentum. Cuius merito cum non facile accendi possit, nec etiam propriam febris speciem parere potest, alias intermittentium febrium non tres forent species, sed quatuor, quod sicuti abnegant sensus & experientia, pariter ab eo febrem nō gigni persuadent. Tertia ratio hæc est Hippocrat. infra text. 29. explicans, quomodo ex cœlo morbi obueniant, docet vi aeris ambientis liquari humores, in quorum liquatione alia pars conglobatur & spissatur, alia autem dilatatur & secernitur; hanc partem dilatatam, & excretam vocat hydropa, docens sero, quod in coagulatione lactis separatur à caseosa parte, eam proportionari. Si autem hæc pars hydrops dicta sero correspondet, nulli sit dubium, eam aquæ naturam retinere, quare hydrops nullus alius erit succus, quam aquosus. At quis obiiciet, si per hydropa succum aquosum audit Hipp. igitur melācholici succi, qui nihilominus est morbificus, & affectuum deterrimorum feracissimus, non meminit, cuius tamen meminisse oportebat, si eorum humorum, qui morborum principia existunt, integrum catalogum instituere intendebat. At sciendum est, alia in hoc volumine assumpta esse medicinæ principia, alia in germanis Hippocratis libris, diuersamque vtriusq; existere doctrinam. In hoc enim prisca illa antiquorum medicorum scientia elucet, in illis autem vere elaborata, & vere Hippocratica doctrina fulget ac traditur, nisi dicemus, melancholicum succum vel sub nomine sanguinis, cum hic in sanguine contineatur, nec vllum proprium conceptaculum, in quo resideat, adeptus sit, vel sub nomine bilis, cum tam flaua, quam nigra pariter bilis vocetur, conclusit, & hoc præcipue, cum vtraque ex iecore repurgetur ad venas eius portas, licet hoc euidentius pateat de flaua, cuius merito folliculum bilis eius fontē vocauit, sub silentio nigram inuoluens, vel tanquam raro peccantem, vel tanquam per venas, non per proprium vas permeantem.

3 *Ostendam autem, quæ in vnaquaq; harum specierum, & plura & pauciora in corpore fiunt, & à quo ægrotant, & quod morbi in imparibus dieb. indicantur, & quæ sint morborum principia, & qualia singula ex ipsis in corpore efficiant, vt morbum inducant, & à quo rigor febrilis fiat, & cur post ipsum febris irruit.*

PRÆMISSIS illis vniuersalibus præsuppositis, de quibus iam actum est, descendens Hippocr. ad proprium opus per hæc eius propositum explicare intendit, significans septem quæsita ab eo declaranda fore, quorum primum est, ex quibus causis quatuor humorum species hominem constituentes, aut in corpore abundent, aut deficiant, secundum est, à quo ægrotant, id est, ex quibus causis prædicti humores fiant morbosi: tertium est, quare morbi diebus imparibus iudicentur: quartum, quæ & quot sint morborum principia, id est, ex quot generibus causarum homines ægrotent: quintum, quid morborum principia in corpore humano agant, ad hoc, vt morbos inferant: sextū, qua de causa rigor febrilis in homine contingat. septimum, cur rigori febrili febris ipsa, id est, calor præter naturam succedat. Hæc septem quęsita sunt ea, quæ principaliter ab authore intenta sunt, quibus tamen explicatis, nonnulla alia tanquam appendices, seu additamenta in fine superaddit, quæ numero sunt quatuor. Primo enim agit de generatione, natura, & conditionibus latæ vernicis: secundo calculi in vesica generationem docet: tertio demonstrat contra quorundam medicorum priscorum sententiam potum in pulmonem non descendere: quarto & vltimo de generatione hydropis tum vniuersali, sicut ea, quæ hominem ipsum occupat, tum particulari, sicuti ea, quę vterum muliebrem deprehendit, tractat.

4 *Primum autem demonstrare volo, quomodo bilis & sanguis, & hydrops, & pituita copiosiora, & pauciora fiant à cibis & potibus hoc modo. Ventriculus dum plenus est, omnium horum corpori fons est, verum vbi vacuus est, à corpore eliquato trahit. Sunt autem & alii fontes quatuor, à quibus vnusquisque horum humorum in corpus procedit, postquam sane ipsi à ventriculo acceperunt, & hi fontes quoq; vbi euacuantur, de corpore accipiunt. Sed & ipsum corpus attrahit, vbi ventriculus in seipso quid habuerit. Et sane sanguini fons est cor, pituitæ caput, aquæ splen, bilis locus folliculi in hepate. Hi sunt quatuor humorib. hi sontes, ventriculo excepto. Ex his autem maxime caui sunt caput & splen. Nam in hoc ipso maxima amplitudo est. Verum de hoc paulo postea clarius dicam. Quin & hoc sic se habet. In omnibus cibis ac potibus & biliosi quid est, & aquosi, & sanguinei, & pituitosi: in alio plus, in alio minus. Quapropter & quæ eduntur, ac bibuntur, alia aliis præstant ad sanitatem. Atq; hæc mihi de hoc dicta sunt.*

HIPPOCRATES explicatis tuis ea quæsita, quæ proposuit, nunc primum declarandum aggreditur, quod erat, quomodo quatuor prædicti humores fiant in corpore humano, aut pauciora, aut copiosiora. Verum quoniam ex cibo & potu hi generationem habent, cibus autem & potus primo in ventriculum infunditur, ab eoq; in reliquum corpus pro eius reparatione & conseruatione recipitur, ideo huius ordinis formam primo, secundo autem humorum generationem tradit. Quoad primum inquit, ventriculum, dum cibo & potu affluit, reliquo corpori fontem esse, fontem, inquā, ex quo reliquum corpus proprium hauriat alimētum.

tum. Nam cum io ventriculo cibus & potus ingestus primum, ac statim recipiatur ab eo, vbi coctionem inlerit, in reliquum corpus insumitur. Ventriculus enim vt qui iodigentiam, postq̃ reliquũ corpus ab eo rraxerit, ipiumq; alimento ingesto exhauserit, persentit, cibum & potum appetẽs hominem edere & bibere compellit, vt exinde reliquom corpus ab eo nutriatur. Si forte antem cibus & potus haudquaquam supperat, ventriculus appetens, id, quod ab exteroo potu & cibo expetit, nam habens oppositum naturali motum molitur, nam cum vi attractrice insigni polleat, à reliqoo corpore inediam oon sustinens attrahit, lodeque sibi outrimentum quærit. In qua actiooe cum reliqoum corpus violentiam patiatur, iore dictum est, corpus eliquari. Id etenim, quod eius notrimeoto destinatum est, per contrarium oaturall motnm attrahiror à ventriculo, vtpote ab voiuersali totius corporis fonte. Præter autem hunc vniuersalem & communem fontem, qui vniuersalis & communis appellatur, quoniam ab hoc vno omoes quatuor homores in corpore deriusnt, sunt alii quatuor particulares fontes, qui particulares vocantur, quia vnnm particularem ex illis quatoor dictis humoribus secundum proprietatem propriæ naturæ in se recipiunt. Isti fontes sunt cor, caput, lien, & folliculus bilis. Ex qnibus cor sanguinis, caput pituitæ, lien aquæ, folliculus dictus bilis foos particularis, sicoti vniuersalis est omnium humorum ventriculus, existit. Hæc autem quatuor membra fontes nominautur ab Hippocrate, oon quia ab eis io reliqoum corpus quatuor prædicti humores redondant, sed quoniam in his illi principaliter colliguntur & coacernantor. Vnde cor sanguinis fontem vocauit, qa in eo plurima, & magis elaborata sanguinis copia colligitur. Capor autem dixit esse pituitæ fontem, quia in eo copiosior, quam in cæteris membris pituita, vt ex destillatiooibus liquet, aggregatur. Lien pariter dictus est aquæ fons, qoon am vbi plurimus potos, & plurima aqua in potum assumatur, io ipsum lien decombit, illudqoe tumefacit. Folliculus vero bilis pari ratione dictus bilis foos, qoia in eo copiosior cumolator. Hos aotem quatuor fontes comparans ad inuicem Hip. monet ex his caput & splen maxime caua esse, cum in his maior sit amplitudo, quam io cæteris footibus. At sensus, dices, aliter dictat, cum cor habeat ventriculos manifestos, & aptos, quibus caret lien. Amplitudo adoertas naturalis maior est in corde, quam in liene. Sed eum cor extensionem, & ventriculorum dilatatiooem ooo sustioeat, lien autem affluente materia in molem lngentem, & naturali multo maiorem emergat, existimaoit ac decreuit Hippocrat. lien amplitudioem & cauitatem corde maiorem possidere. Hæc de primo. Quoad secundum vero, quomodo quatuor prædicti humores generentur, inquit Hippocrates, hęc ex cibis & potibus in ventriculum ingestis, & eococtis generari. Nam cum cibus & potus noo sint simplicia elemeota, sed ex elementis constituta, necessario in his erunt partes, quæ elementorum qualitatibus actiuis proportiooe respoodeant, vnde ea parte, quæ calidior existat, bilis, ex magis temperata sanguis, ex frigidiori pituita generabitur. Et quoniam cibus semper diluitur aquoso humore, nec fieri potest, vt sioe aqua fiat mixtio perfecta, aut mixtorum integra continuatio resultet, ideo hoc stante semper in cibo præter potum erit quid aqoosi, ex quo aqoosus constabitur succus. Quapropter necessario in omni cibo ac potu semper erit quid biliosi, quid sanguinei, quid pituitosi, & quid aqnosi, cuius merito fit, vt idem cibus non sit omnibus pariter commodus. Nam exempli gratia, qui plus biliosi in se continet calidioribus naturis infestus, frigidioribos erit salutaris: qui autem plus pituitosi, frigidis temperamentis erit nocuus, calidioribus autem erit commodior, nec omnia omnibus pariter commoda erunt.

5 *Postquam autem comedit aut bibit homo, corpus in seipsum humorem relatum ex ventriculo, & fontes trahunt per venas de ventriculo, similis humor similem, & corpori distribuunt. Quemadmodum & in plantis similis humor similem trahit de terra. Habet enim eodem modo terra omnigenas in seipsa, ac innumeras facultates. Quæcunq; enim in ipsa nascuntur, his omnibus exhibet humorem similem vnicuiq;, qualem & hoc ipsum, quod nascitur, sibi similem, iuxta cognationem habet: & trahit vnum quodq; de terra alimentum, quale & ipsum existit. Nam & rosa de terra trahit talem humorem, qualis ipsa in potentia est, & allium de terra humorem eiusmodi trahit, quale ipsum in potentia est. Et alia omnia terra nascentia ex terra trahunt singula iuxta seipsa. Si enim hæc res non ita se haberet, non nascerentur plantæ similes similibus. Cui porro plantæ in terra cognatus humor multo vberior est, quam conuenit, ea planta ægrotat. Cui vero paucior, quam opportunum est, ea resiccatur. At si ab initio non insit terræ humor, quem planta iuxta cognationem trahat, ne germinare quidem poterit. Intelligentia autem huius rei, quod si non habeat planta humorem secundum naturam, ne ab initio quidem germinet, inde nobis suppeditatur. Ionia enim regio, & Peloponesus pro temporibus anni à sole non minime calet, ac illustratur, vt sol nascentibus è terra sufficere possit, attamen fieri non potest, multis frustra iam tentantibus, vt in Ionia, aut Peloponeso silphium nascatur. At in Lybia sua sponte nascitur. Non enim est neque in Peloponeso eiusmodi humor, qui ipsum alere possit. Quum autem sint & aliæ multæ medicinæ, quas sole sufficiente,*

ente, regiones non alere possunt, alia vero sua sponte producunt, hoc ipsum eius, quod nunc dicturus sum, considerandi occasionem exhibet, quantum videlicet locus alteri loco est valde vicinus prastet ad iucundi vini productionem, sole aqualiter sufficiente. Hic etenim in terra humor est, qui vinum suaue exhibere potest, illic non est. Sunt & syluestria non pauca in loco nascentia, qua ad orgya seu cubitorum quatuor spatium translata nasci minime comperias. Non enim habet terra talem humorem translata, qualem illa syluestribus plantis exhibebat. Sunt enim ex ipsis quadam venenosiores, alia humidiores, alia dulciores, alia sicciores, alia asperiores, & innumera alia aliter se habent. Innumera enim sunt in ipsa terra facultates. Et propter hac genera primum nihil alteri simile ex terra productum est, quod non esset cognatum. Et mihi sane videntur ha omnes planta syluestres fuisse. Verum homines ipsas mansuefecerunt fructum ferre, efficientes vnamquamque iuxta suum semen. Trahit enim similis humor similem ex terra, & ex hoc augescit, ac nutritur. Et nullum ex terra nascentibus alteri simile est, quod non aqualem, neq; similem humorem ex terra trahat. Et omnia qua nascuntur in cibi ac potus vsum venientia, multas facultates de terra ad se trahunt, & in omnibus est aliquid pituitosi ac sanguinei. Et ex hoc adeo ad hanc demonstrationis necessitatem deueni, quod à cibis ac potibus in ventriculum procedentibus trahit corpus secundum fontes, quos nominaui, similis humor similem per venas.

HOc præsupposito, quod ventriculus vniuerso corpori sit communis fons, quatuor autem dictorum humorum singularium sint quatuor singulares fontes, scilicet cor, caput, lien, & folliculus bilis, reliquum erat declarare, quomodo à ventriculo quatuor prędicti humores suggerantur tum vniuerso corpori, tum quatuor singularibus fontibus. Quod nunc explicans Hippocrates statuit, ac decernit corpus, ac reliquos particulares fontes à ventriculo tanquam à communi fonte proprium humorem, non promiscue sed distincte ratione similitudinis attrahere. Quæ similitudo est in causa, vt vnaquæque pars sibi conuenientem, ac peculiarem, non autem alienum, ac importunum attrahat humorem. Hanc autem attractionem fieri ratione similitudinis duplici ratione persuadere videtur Hippocrates, quarum prima sumitur à plantarum conformitate, altera ab effectu. Prima autem hæc est. Ea ratione, qua nutriuntur plantæ, & conseruantur, pari & humanum corpus nutritur & conseruatur. At plantæ nutriuntur & conseruantur, quia ex terra sibi similem attrahunt humorem. Igitur humanum corpus nutritur & cōseruatur, quia eius partes ex ventriculo, in quem cibus & potus, vtpote corpori nutriendo destinato, ingeruntur, ratione similitudinis proprios & peculiares trahunt humores. Quod id de plātis verificetur, ex eo ostendit, quod cum terra in se contineat omnigenas, & innumeras succorum species, hinc multiplices, diuersas, ac dissimiles producit, alit, & conseruat plantas, quæ in eodem solo variæ existentes omnes pariter nutriuntur, & manutenentur, quia vnaquæq; sibi proprium ac connaturalem trahit, vt inde alatur, succum. Hic enim in terra, antequam attrahatur, erat similis naturali succo plantæ, & ratione huius similitudinis erat in potentia plantæ alimentum, qui postea in actu reducitur, dum attractum alteratur, coquitur, & in plantæ naturam ac substantiam transmutatur. Hic vero succus, qui ratione similitudinis est commodum plantæ alimentum, quantitate debet esse moderatus. Nam si vberior existat, hinc planta ægrotat, cum sicuti ex superflua lignorum congerie ignis suffocatur, ita plantę viuidus calor ex vberiori succo imminuatur, & ad extinctionem disponatur; si vero paucior, quam oporteat, exstit, ex eo planta exsiccatur, sicuti & animalia tabescunt & arescunt, conuenienti alimento subtracto. Quoniam autem alias plantæ ex terra sponte oriuntur, alias ex semine ortum ducunt, hanc similitudinem in illis arguit, quod qualis est succus, talia profertur planta; in his autem, quod ex semine talis oritur planta, ex quali illud decisum est, nam semen illud proprium, & peculiarem attrahens plantam ei, ex qua decisum fuit, similem ob alimenti similitudinem producit. Hinc sequitur, vt ea terra, quæ succum plantæ, quæ solo alieno in aliud & nouum translata fuit, congeneum & connaturalem in se non habeat, nec eandem plantam in seipsa aut viuere, aut germinare permittat, quod silphii exemplo persuadeatur. Hoc enim quod sponte in Lybia oritur, translatum in Ionia, aut Peloponeso, quia hæ terræ succo illi connaturali carent, nec germinare, nec conseruari potest, sicuti nec ibidem eandem ob causam sponte natum vsq; apparuit. Hinc docebat Theophrastus lib.3. de historia plantarum cap.1. non omne solum quibusque arboribus conuenire, nec omnes in omnibus pariter aut nasci, aut germinare, & conseruari, sed alias aliis, alias diuersis locis gaudere, quod idem lib.2. de caus. plan. c.9. monebat. Et quoniam non omnea plantæ eodem delectantur succo, hinc etiam libro citato de caus. plant.3. cap.13. & libr.5. capit.21. docebat, non omne stercus omnibus plantis conuenire, cum aliud stercus alium succum, aliud autem diuersum habeat. Verum quoniam antiqui diuersitatem ortus plantarum, sicuti & Theophrastus loco citato de hist. plant. & cur potius in hoc solo viuant, quam in illo, ad cœli situm, & ad solis calorem referebāt, hanc sententiam duabus rationibus refellit. Prima hæc est, quod Ionia & Peloponesus pro temporibus anni à sole non minime calet ac illustratur, quare sufficere posset ad silphii generationem & vitam, si succo ei congeneo abundaret. Secunda hæc est, quod in eodem tractu cœli, & in eodem

solo

solo ad distantiam quatuor pedum sit in eodem genere plantæ, ne dicat in variis, diuersitas naturæ. Nam experientia testatur in vna eiusdem soli parte vitem succum dulcem, in altera autem contigua ei parte succum austerum proferre. Cuius diuersitatis ratio non in cœli aut solis aspectum, sed in diuersitatē succi, quē terra ipsa in se habet, & viti attrahenti pro eius alimēto cōcedit, referatur. Tertia ratio hæc est, plantæ syluestres, & ex terra spōte nascentes quibusdam in locis facile oriuntur, quę tamen in eodem solo ad alium locum per distantiam quatuor cubitorum translatæ, nec nasci, nec viuere comperias. Quod sicuti in pluribus plantis verificatur, quemadmodum de genista & filice liquet, quæ ad cubitum ne dicam ad quatuor translatæ viuere crebro nequeant, ita aperit hanc diuersitatē & causam non ad situm cœli, sed ad similitudinem aut dissimilitudinem succi, quam solum in se habet, referendam esse. Quæ succi similitudo est in causa, vt in hac parte soli virulentæ, illic humidæ, ibi siccæ, inibi dulciores, alibi asperæ, & alio in loco alterius qualitatis oriantur. Cum enim plures sint in terra facultates, & succi, hinc plures & diuersæ in ea oriuntur plantæ, quarum successiua similitudo pendet ex succi, per quem aluntur & conseruantur, similitūdine. Propter hoc enim plantæ ex proprio loco in alienum translatæ viuunt, & similes prioribus conseruantur, cum ex terra, in quam translatæ fuerunt, congeneum nanciscantur & attrahant succum. Vnde cicutatæ ac domesticæ euadentes non penitus naturam propriam, sed tantum syluestrem deperdunt. Cultura enim plantas domesticas tales effinxit, quę tamen omnes, antequam hominum diligentia & studium eas mansuefaceret, erant syluestres. In qua status mutatione semper quid naturæ prioris conseruarunt, & fructum iuxta semen suum produxerunt, quoniam similem succum semper attrahentes naturæ conformitatem retinuerunt. Hac eadem ratione plantarum conformitas & similitudo orta est: nam quod cicoreum cicoreo, quamuis in diuersis locis nata, simile sit, non in aliam potest referri causam, quam in similitudinem succi, ex quo nutriatur. Etenim ex terræ nascentibus nullum alteri simile est, quod non æqualem aut similem humorem ex terra trahat. Cum autem omnia in vsum cibi aut potus venientia (siue sint plantæ, siue animalia) ex terra proprios succos attrahant, indeque varias facultates, prout ipsis à terra subministrantur, in semetipsa assumant, hinc etiam fit, vt cibaria non vnicam in se retineant naturam, sed variam & diuersam, prout succi species à terra ipsi suggeritur. Cuius ratione fit, vt, cum succus ille ex terra exhaustus sit quid concocti, & in ipsa alterati, in qua coctione & alteratione requiritur agens & materia mixta, cibaria non simplici natura, sed diuersa dotata sint, quare in omnibus erit quid pituitosi, & quid sanguinei, sicuti erit & quid biliosi & aquosi. Quæ cibaria, vbi in ventriculum ingesta erunt, ob prædictam naturam erunt in ventriculo ea alterante & concoquente, materia biliosi sanguinei, pituitosi, & aquosi succi, qui postea ex ventriculo in reliquum corpus, & in quatuor singulares fontes suggerantur, quoniam ab his ratione similitudinis, sicuti in plantarum ortu, germinatione, & vita contingit, ex ventriculo prędicti quatuor succi attrahuntur.

6 *Referam quoq; aliud argumentum, quod singula, prout relatum est, trahant, & simul dicam, vnde pituita in corpore gignatur. Vbi quis caseum comedit, aut aliquid acre, aut aliud quid edit aut bibit, quod pituitosum est, statim ipsi ad os ac nares occurrit. Atq; hoc ita fieri partim omnes videmus, partim ita esse credere oportet, ex his quæ referam. Assero itaq;, quod quantum in cibo aut potu pituita inest, illud vbi ad ventriculum peruenit, partim corpus ad seipsum trahit, partim caput, vt quod tanum sit, & velut cucurbita corpori incumbat, ad se trahit, vtpote viscosa existente pituita, ita vt hanc alia per aliam sequatur ad caput. Et quæ quidem recens ex cibo generatur pituita, in capite manet. Vetus autem, prout copiosior est recens, ab ipsa violenter extruditur. Quapropter vbi quis edit, aut bibit aliquid pituitosi, excreat pituitam. Habet autem & hæc res se hoc modo. Si, vbi edit aut bibit quid pituitosi homo, non rursus exeat, quod redundat, neque per os, neque per nares, necesse est ipsum manere in capite, aut ad corpus descendere de capite, & ad ventriculum peruenire. Ac optimum quidem fuerit, si ad ventriculum perueniat: exire enim poterit vna cum stercore, & si quidem multum fuerit ac humidum, stercus humectare poterit: si vero modicum, non hoc effecerit. At si in capite maneat, multum dolorem capiti exhibuerit, quum in venis est. Si vero modicum, non hoc fecerit. Significationem autem de se prabet, copiosumne sit, an modicum. Quod si ad corpus deueniat, atque illic alii humori admixtum fuerit, si quidem multa fuerit pituita, statim corpus læserit; si vero pauca, non adeo lædere poterit, quum magnum sit corpus, si non & aliud quoddam principium ipsi reliquum sit. Verum temporis progressu, si alia pituita superaccedat, lædi vtique possit. At si corpus vesicæ, ac ventriculo deleget, atque hæc foras perferant, nihil mali ex ipsa habuerit. In hoc igitur sermone demonstratum est, quomodo caput pituitam ex ventriculo trahat, & simile ad simile perueniat, & simul à me dictum est, quomodo & quare copiosior pituita homini à cibis ac potibus fiat.*

HIPPOCRATIS intentio erat, docere, vniuer-

ſum corpus & particulares fontes à ventriculo ptoprios humores ratione ſimilitudinis trahete. Et hoc duplici ratione, quarum altera à plantarum conformitate, altera ab effectu ſubſequenti deſumitur. Prima iam explicata eſt, alteram nunc aggreditur, ſimul cum ea alia duo declaraturus, nam exemplo pituitę rem ipſam explicans de ea præterea docet, quando in corpore à cibo & potu copioſior fiat, & quando innoxia, vel noxia exiſtat. Inquit igitur Hippocrates, vbi quis cibum aut potum pituitoſum ingerit, quod pituitoſum in eo eſt, ad caput primario accurrit, in eoque principaliter recipitur. Cuius ratio eſt, quoniam cum caput ſit temperiei ſimilis pituitæ, (eſt enim membrum ex propria natura frigidum ac humidum, cum ſit ſeminale, ac molle) ſuperpoſitumque cætero corpori, tanquam cucurbita exiſtat, hinc eam trahit, & lubenter recipit, & hoc adeo manifeſte, vt licet reliquum corpus quid pituitæ etiam ex ventriculo trahat, nihilominus par non eſt caſus, cum in capite copioſior aggregetur, in reliquo autem corpore perſpicue haudquaquam, nec clare per ſenſibilem molem recipiatur. Hæc res exemplo comprobatur. Etenim vbi quis caſeum, aut quid aliud, quod pituitoſum exiſtens odore ſit grauis, & nares percellat (Δριμὺ male tranſlatum eſt acre, tum quoniam acria ſui natura non ſunt pituitoſa, ſed building bilioſa, tum quia hæc dictio importat odorem grauem, qui proprie nates percellat, qualem odorem perſentimus in caſeo veteri, de quo eſt ſermo, non de recenti) ſtatim pituita ad os & nares accurrit, id eſt, vel per os pituita expuitur, vel per nares emungitur. Quod clare liquet fieri in his, qui imbecillioris ſunt cerebri, nam ab aſſumpto caſeo veteri plurima in eis ex capite defluunt, quæ vel ad os, vel ad nares accurrentia aut expuuntur, aut emunguntur. Hoc inde fit, inquit Hippocrates, quoniam pituita ad caput, quod pituitam in ſe naturaliter continens, cauum, & tanquam cucurbitula reliquo corpore ſuperpoſitum eſt, facile tum ex ſimilitudine, tum ex propria eius viſciditate, ex quo alia aliam prompte ſequitur, accurrit: accurrens autem præcedentem violenter extrudit, quæ extruſa deinceps aut per os, aut per nares ad extra prodit. Ex quibus duo perſpicue liquent, alterum quod pituitam cerebrum à ventriculo tanquam à communi fonte, ratione ſimilitudinis (quod idem verificatur de reliquis particularibus fontibus, dum in ventriculum cibaria conſimilem eis ſuccum habentia ingeruntur,) attrahit: alterum quod ab aſſumpto cibo pituitoſo pituita excreatur, quia recens pituita veterem & præcedentem extrudit ac explodit. Sed qua ratione hoc fit? Cum cerebrum pituita naturaliter abundet, vbi non ſit immodica, eam retinet, & ad proprios vſus eandem conſeruat. Huic autem ſi noua ratione cibi præſumpti ſuperaccedat, vetus cedit, ſi ea copioſa exiſtat, indeque vel per os, vel per nares exploditur. At ſi recens modica fuerit, vetus non cedit, ſed vtręque à natura regulantur, indeque nihil prioris aut per os excreatur, aut per nares emungitur. Quo caſu cum nec vetus, nec recens pituita per os, aut per nares expurgetur, alterum duorum ſuccedit. Vel enim in capite retinetur, vel à capite in partes deſcendit inferiores. Si in capite retineatur, dum in venis, id eſt, in vaſibus internis, non in viis communibus manet, ſi copioſa eſt, dolorem capiti exhibet, ſi autem modica exiſtat, nequaquam. Cerebrum enim à copia grauatur & extenditur, modicam autem quantitatem facile tolerat & ſuperat. An autem ſit copioſa, nec ne, indicabit victus præcedens, capitis robur aut imbecillitas, grauatiuus dolor, vel nequaquam grauans, aliaque hiſce ſimilia. Si autem de capite ad infra deſcendat, vel in ventriculum, & inde in vias communes influit, vel in reliquum corpus per venas & vaſa, & membrorum intercapedines permeat. Vbi in ventriculum fluat, ſi copioſa extiterit, per ſeceſſum feces alui humectans egeretur. Si autem modica ſit, retineri ad meliorem coctionem adipiſcendam poterit. Si autem ad reliquum corpus deſcendat, in eoque per venas, & cætera vaſa, ac membrorum cauitates recipiatur, corpus ipſum male afficiet, vbi multa fuerit pituita cæteris humoribus in corporis receptaculis exiſtentibus admixta, ab ipſa enim cæteri humores aliquam ſubeunt violentiam, cuius merito corpus male afficietur. Si vero pauca exiſtat, nullam læſionem inferre poterit, tum quoniam ipſa à cæteris humoribus ſuperabitur, tum quoniam corpus, quod eſt in mole magnum, à modica huius quantitate parum alterari eſt aptum. Niſi aliud quoddam principium ipſi reliquum ſit, id eſt, niſi alia noua pituitæ quantitas denuo huic ſuperaccedat, copiamque eiuſdem augeat & accreſcat. Aucta enim in maiori mole accumulata tunc poterit corpus vitiare ac lædere, niſi forſan corpus ob robur naturale illam eandem aut ad ventriculum, aut ad veſicam, vt illinc vna cum fecibus, hinc vna cum lotio prodeat, relege: tunc enim purgata ac excreta corpus ab eius noxa incolume relinquet. Ex quibus pateat, cerebrum à ventriculo ratione ſimilitudinis pituitam trahere, hancque ratione eiuſdem ſimilitudinis ſibi inuicem ſuccedere, ex iiſdemque liqueat, quare pituita copioſior in corpore aggregetur, & quando noxia ac morboſa euadat. Et hæc de pituita.

7 *Nunc vero dicam de bile, quomodo & cur copioſior in corpore fiat, & quomodo locus folliculi in hepate ipſam trahat. Habet ſe res hoc modo. Poſtquam comedit & bibit homo aliquid amari, quodque bilioſum ac leue eſt, copioſior etiam bilis fit hepate, & ſtatim dolet hepar, quod pueri cor vocant. Atque hoc ita fieri*

fieri videmus, & clarum nobis est, quod à cibo aut potu factum est. Trahit enim corpus in seipsum de cibis omnem prædictum humorem. Trahit etiam folliculus in hepate, quicquid istic biliosi inest. Et si derepente multa bilis fiat, homo hepar dolet, & de ventre copiosior fit. Hoc enim contingente, procedit de veteri bile propter multitudinem ad ventriculum, & ex hoc tormen ventriculo oboritur, & pars ipsius per vesicam, part per aluum egreditur, atq; sic minima pars in homine manet, & dolores cessant. Si vero neutrum horum contingat, procedit primum de veteri bile ad corpus, distribuitur enim ad ipsum. Et si multa fuerit, statim significationem sui præbet, alii humori admixta. Si vero modica, non adeo læserit, quum magnum sit corpus, si non & aliud quoddam principium suboriatur. Verum temporis progressu, si alia bilis superaccedat, copiosior hominem vtique læserit; si vero non superaccedat, ex calore illam poterit corpus, vt & bilis, & quæcunq; biliosa sunt, prodeant. Nam quæ in cibo ac potu sumuntur, alia aliorum medicamenta sunt. Sic sane etiam alia quæcunque lædentia sunt medicamenta, vbi aliud ab alio in ventriculum incidit sua ipsius potestate causam habens, id quod superatum est expellit, ac ipsum lædit. At si superaccedat alia bilis in corpore ab his, quæ in ventriculum incidunt, morbus huic oboritur. Atque in hoc sermone iam ego declaraui, quomodo bilis, & cur copiosior fiat in corpore, à cibis & potibus, & quod trahit in seipsum folliculus in hepar iuxta similitudinem id, quod biliosum est, à cibis ac potibus.

EXEMPLO pituitæ declarauit Hippocrat. fontes particulares ratione similitudinis humores sibi familiares à ventriculo trahere, & sermonis consequutione declarauit, quando ea copiosior aut parcior existat, & ex hoc quando noxia aut innoxia euadat. Hæc eadem de bile nunc explicaturus est, monens, à cibo & potu amaro, aut leui (huiuscemodi autem cibi & potus sunt aliis calidiores, & inde plurimum biliosi humoris in se continent) statim copiosam aggregari in hepate bilem, ex eaq; tum præ copia, tum præ eius feruore statim dolere hepar. Quo casu pueri, vt qui dolorem molestum sentiant, non autem internorum viscerum differentiam agnoscant, dicunt se corde dolere, id est, tantam ex eo dolore percipere molestiam, quantam si cor ipsum esset id membrum, quod doleat. Hoc autem ea fit ratione, quod cum corpus à ventriculo, vti à communi fonte proprios attrahat humores, hic locus vti humorem sibi familiarem, ac sibi ratione caliditatis similem, & ratione loci congeneum, attrahit biliosam cibi ac potus partem, eamque in proprio folliculo recondit. Quæ biliosa assumptorum pars, vbi abundantior existat, vel retinetur in loco dicto, & inde sequitur prænarratus hepatis dolor, vel etiam ad ventriculum resudat, quo casu stomachicæ affectiones, & tormina succedunt, vel præter hæc aut per vesicam, aut per aluum transmittitur. Quo casu imminuta ac excreta materia peccante hepatis, ventriculi dolores cessant, cum minima eius portio in homine supersit. Si vero neutrum horum fiat, id est, si nec ad ventriculum, nec ad vias communes, per quas expurgari queat, hic succus transmittatur, in reliquum corpus distribuitur, veteri bile à recenti explosa, & violentiam inde passa. Quæ si multa sit, cæteris humoribus admixta eos alterat, & corpori morborum occasionem præbet per manifestam læsionem; si autem modica fuerit, non adeo lædere apta erit, cum ratione paruitatis à cæteris humoribus admixta superetur ac deuincatur, nec habilis sit corpori, vtpote magno, & inde leues noxas facile sustinente, nocumentum inferre, nisi aliunde quoddam principium suboriatur, id est, nisi noua detur occasio generandæ recentis bilis, quæ superueniens veteri quantitatem & robur eius adaugens, maioris nocumenti possit esse occasio. Nulla autem noua superueniente bile, corpus præcedentem aut alteratione, ac aliorum humorum mixtione eam superare poterit, aut eandem per vias expurgationi excrementorum demandatas excolabit, vel per insensibilem transpirationem, cum sit humor tenuis, leuis, ac calidior, difflabit. Hoc autem fieri leui negotio poterit, cum ex assumptis alia aliorum sint medicamenta, calida enim frigidis, frigida calidis, crassa tenuibus, tenuia crassis contrariantur. Quare si recta victus ratione vtitur ille, in cuius corpore bilis transsumpta erit, eam facile purgabit, indeque morbosa euadens hominem offendet. His autem explicatis facile patet, quomodo bilis à proprio fonte ratione similitudinis attrahatur, & quando copiosior, aut parcior fiat, & quando noxia aut innoxia euadat.

8 *Nunc vero dicam de hydrope, quomodo, & cur copiosior fiat in corpore, & quomodo splen trahat in seipsum. Assero autem, vbi homo bibit amplius, ex ventriculo, & si plus traxerint quam oportet, statim hominem affligi: atque hoc ita fieri intelligunt, quicunq; homines splenici existunt. Postquam autem traxit splen, optimum est, si vetus aqua, quæ in splene inerat, ad vesicam aut ventriculum excoletur, & per hæc expellatur. Nam per supernas regiones non purgatur aqua de splene, nisi quantum eius in vasis inest, quæ de liene procedunt: verum ad ventrem & vesicam*

depurgatio fieri potest. Si vero hæc ad fluxionem apta non fuerint, neq; aqua per ea foras excoletur, de splene ad infernas partes aqua procedit, atque illic alii humori miscetur. Et si quidem pauca fuerit, non sane læserit: sed de corpore ad vesicam, & ad ventrem per venas excolari poterit. Sunt enim multa ex hoc tendentes deorsum, quæ ex inferuis partibus ad seipsas trahunt, vbi sicciores fuerint, quam prius erant. At si alia aqua generetur, & ventriculus, ac vesica foras non expellant, splen eleuatur, & inferna corporis partes dolore afficiuntur. Atque hac à me dicta sunt, quomodo & cur aqua copiosior generetur in corpore à potu, & quomodo splen trahit.

ILLVD idem, quod de pituita & bile docuit superius, hoc in loco explicat de hydrope, quam modo ὕδρωπα, modo ὕδωρ appellat, clare per hoc innuens, humorum aquositatem ac serositatem per hæc significari. Cuius cum soppositum sit ventriculum communem, splenem autem huius particularem esse fontem, nunc declarandum venit, quomodo ab ipso splene attrahatur aquositas dicta, & quando attracta sit copiosior, & inde corpori fit noxia aut innoxia. Quod aquositas hæc à splene tanquam à particulari fonte attrahatur, hoc ab euentu demonstrat Hippocrates, nam vbi quis immoderato potu, ex quo ichorosa hæc humiditas ortum & generationem habet, vtatur, hanc ex ventriculo trahit tum vniuersum corpus, tum ipsum lien præcipue. Vniuersum qdem corpus, vt inde humectationem consequatur, splen autem, vt quod aquositatis sit particularis fons. Cui^o ratione fit, vt qui splenici existant, statim noxam ex immoderato potu sentiant. Quæ noxa emendabitur, si vetus aqua, quæ prius in splene, aut in ventre inerat, noua superueniente & eam commouente ac agitante, ad vesicam transcoletur, & inde expurgetur. Nam per superiora non purgatur aqua de splene, nisi quantum eius aquæ sit in vasis, quæ à ventriculo ad lienem tendunt, quoniam tunc regurgitate ad ventriculum, & inde per superiora expurgari potest. At quæ iam in liene insumpta est, per vlteriora vasa potest aut ad ventrem, aut ad vesicã excolari, & inde è corpore euacuari. Veruntamen si hæc aqua fluxioni, aut quia crassior existat, aut quia viæ interceptæ sint, non sit apta, à splene in corporis partes inferiores transmittitur, in illisque cæteris corporis humoribus admiscetur: admixta autem, si modica fuerit corpus haudquaquam offendet, temporisque processu paulatim aut per ventrem, aut per vesicam, vbi à natura euicta sit, excolari, vel à partibus infernis, vbi sicciores existant, absumi poterit. Verum si hæc aqua copiosa, vel ex prima generatione, vel quia alia denuo generetur, præcedentique à superioribus partibus aggregetur, existat, splen ex vbertate aquæ intumescens eleuatur, & corporis partes infernæ tum grauantur, tum dolent ob superfluam in eis imbibitam aquositatem. Ex quibus pateat, quomodo ex potu aqua in corpore generetur, & quomodo à splene attrahatur, & quando copiosior aggregetur, & inde corpus male afficiat, ac ipsum lienem offendat. Verum quoniam ex prædictis habemus, lienem purgari per vesicam, & per intestina contra Galeni decreta, qui docuit, lien per intestina tantum, non autem per vesicam expurgari posse, sciendum est, experientiam comprobare lienosos vrinæ fluxionibus sæpius expurgari, ac alleuiari. Quod idem innuit Hippocrates libro secundo Epidemior. sectio. secunda, in historia Bionis, tumorem in liene patientis, & libro de affect. in quo splenetticos tandem per diuretica curat. Non tamen per hæc Galeni sententia explodenda venit, quoniam Galenus loquitur de materia coniuncta lienis tumorem faciente, quæ nullam habet communionem vasorum cum vlis vrinæ. At materia vel præcedens, vel genita ratione languoris lienis, cum hinc non expurgato sanguine sæpius serosæ in corpore aggregentur humiditates, ex quibus oculis, facie, pedibus solent crebro subtumescere, per vias lotii summo cum ægrotantium iuuamento expurgari potest, id quod non modo natura per se sponte ac fructuose facere quandoq; consueuit, verum etiam ars ipsa eius exemplo acratione ducta sæpenumero maxima cum vtilitate exequitur.

9 *Nunc autem de sanguine dicam, quomodo & cur amplior in corpore generetur. Postquam bibit aut comedit homo aliquid, quod sanguineum est, trahit quidem & totum corpus in seipsum. Trahit autem & cor sanguineum ad seipsum, & vbi plus attraxit, non oboritur cordi dolor. Est enim cor res solida ac densa, & propterea dolore non affligitur. Et ex ipso procedunt venæ crassa, iugulares appellatæ, ad quas statim si copiosius accedat, sanguineum illud distribuitur, & illæ impletæ breui ad caput & corpus delegant. Et quum ederit aut biberit homo quid sanguinei, statim venæ iugulares attollantur, & facies rubet. Accedente vero ad cor & corpus sanguine quam satis est vberiore à cibis ac potibus, & ad alium humorem admixto, si non ab ipso egressus fuerit per aluum, aut vesicam, reliquo humori admixtus, dolorem corpori inducit: si vero modicus accedat, non sane læserit corpus. Verum temporis progressu distribuitur ab ipso ad ventriculum, aut ad nares, quæ ipsum foras excolant, & nulla læsio contingit: si vero paulatim copiosior fiat, morbosus efficitur. Atque ita quomodo copiosior sanguis generetur, à me declaratum est. Quum autem sint*

qua-

quatuor, sanguis, bilis, pituita, & aqua, omnia hæc à me demonstrata sunt, & quomodo, & cur copiosiora fiant, à cibis ac potibus.

EX quatuor humoribus hominis statum constituentibus superest sanguis, de quo eadem, quæ de superioribus dicta sunt, declaranda veniũt. Hæc autem erant, eorum generatio, attractio ad proprium fontem, & qua ratione fiant copiosiores quam deceat, & quando sint morbosi. Hæc de sanguine declaraturus Hipp. inquit, quod sanguinis generatio est à cibo aut potu sanguineo, cibus autem ille ac potus est sanguineus, qui temperatæ qualitatis existens molti est nutrimenti, & deuictus à natura in sanguinem facile transmutatur. Hic in vsum assumptus, & in sanguineum succum permutatus statim pro nutriendo homine à toto corpore in ipsum trahitur. At ex omnibus corporis partibus cor, vtpote validissimum, & vi attrahente maxime pollens, ac maximam conformitatem cũ eo habens, sanguinem potissimum in seipsum trahit. Valide autem trahens, quamuis sępius in maiori mole, quam oporteat, traxerit, nequaquam tamen inde aut dolet, aut male afficitur, quoniam cum fibrosissimum, solidum, ac densum valde existat, ex sanguine superueniente licet copioso, nec extensionem, nec lacerationem vllam patitur, & hoc eo magis, cum copiam eam sanguinis ad venas iugulares, quæ ipsi superpositæ sunt, transmittere ac delegare consueuerit, quo casu & illi tument, & facies ac caput repletur, rubent, ac indicia manifesta abundantis sanguinis præbent. Sanguis autem hic tum à corde, tum à reliquo corpore attractus, si modicus fuerit, nullam inferet noxam, & hoc eo magis, cum hic à natura deuictus sæpius per nares, aliquando per inferiorem aluum, ac per hæmorrhoides excernatur. Quod si neutiquam contingat, & alter sanguis denuo generatus huic aggregetur, plures noxas inferre poterit, sicuti & inferet, vbi copiosior affatim generetur. Hic enim copia abũdans, & vberior quam pro naturæ statu existens corpus lædet, nisi natura eiusdem excretionem vel per nares, vel per infernas partes, vel per aliam viam moliens, hanc læsionem anteuertere ac prohibere tentet. Quare pateat, vnde sanguis generetur, & quomodo à corde attrahatur, & cur copiosior fiat, & vnde morbosus euadat. Hæc autem cum pariter de pituita, bile, & aqua explicata sint, liquet Hippocratem primo & secundo quæsito, vti proposuerat, satisfecisse.

10 *Quod autem ex his fiant ac generentur, hoc argumento constat. Si homo parum edit, & parum bibit, nullum morbum hoc ipsi inducit. Et hæc quidem de hoc mihi dicta sunt. Significaui etiã intelligenti me declaraturum, quomodo hæc pauciora fiant. Verum de hoc paulo melius tractabo.*

DVo per hæc declarare intendit Hipp. alterum quoniam in præcedentibus pro supposito recipiebat, ex cibo & potu quatuor principales humores generari, vere ex cibo & potu horum generationem emanare, alterum, quoniam promiserat se declaraturum, quomodo humores fiant in corpore, aut copiosiores, aut pauciores, solum autem quomodo copiosiores euadant, declarauit, qua ratione, & ex qua causa pauciores fiant, nunc declarat. Primum autem comprobat argumento sumpto à contrario sensu, dicens, nullus morbus à prędictis quatuor humoribus infertur, vbi homo parum edat, & parum bibat, igitur iidem humores ex potu & cibo generantur, quoniam cum morbi accedant, vbi copia abundauerint prænarrati humores, humorũ autem copia non accedat, nisi ex cibo & potu, igitur iidem humores generationem ex solo cibo & potu habebunt, alias qui parce bibunt, & parce edunt, pariter ægrotarent, vt illi, qui gulæ indulgentes potu & cibo se satiant. Secundũ autem inquit, se significasse ex prædicta ratione, videlicet, quod cum homo parce bibens, & parce edens non ægrotet, quia humores prædicti non abundent in corpore, igitur vt pauciores sint ii humores ex affluentia cibi & potus copiosiores, quã deceat, in corpore fiunt, ita iidem fiunt pauciores, cum homo temperate ac abstinenter viuens parce edit, & parum bibit. Quare humores copiosi ex cibi & potus abundantia, pauci autem ex eorundem defectu generabuntur. Verum cur pauci omnino in corpore existant, inferius tex. 14. clarius declarabitur.

11 *Cæterum hi quatuor fontes, quos nominaui, quũ pleni fuerint, semper corpori distribuunt: quũ vero vacui, vice versa trahunt ab ipso. Sic etiam ventriculus facit, & habet se res hoc modo. Veluti si quis tria aut plura ænea vasa in planissimo loco componat, & cooptata quam optime disponat, fistulis ad foramina insertis, atq; ita placide in vnum vas aquam infundat, donec omnia ab aqua fuerint expleta, ab vno enim diffluet in reliqua vasa, donec etiam alia fuerint expleta: postquam autẽ plena facta fuerint vasa, si quis de vno aquam effundat, & retribuet se retro fluens aqua ad vnum vas, & vacua fient reliqua vasa rursus, quemadmodum etiam susceperunt: sic sane & in corpore res se habet. Postquam enim cibi ac potus in ventriculum inciderint, fruitur corpus de ventre, & vna cum fontibus impletur. Vbi vero aluus vacuatur, rursus retro humor ab ipsa redditur, quemadmodum susceperat veluti ex aliis ad vnum vasculum. Venæ enim sunt per totum corpus tendentes, aliæ tenuiores, aliæ crassiores, multæ ac frequentes. Hæ autem, donec viuit homo, apertæ sunt, & suscipiunt, & dimittunt nouum humorem. Vbi vero mortuus fuerit, clauduntur, & extenuantur.*

QVATVOR esse fontes non generationis humorum, sed congregationis, quorum peculiare est munus à ventriculo, vti à communi fonte proprios & familiares trahere humores, suppo-

situm iam à principio fuit. Verum ad quem vsum hæc facta sint, nondum explicatum est, quod declarare volens Hippocrates, inquit, hanc humorum singularium in singularibus & propriis fontibus coadunationem ea fieri ratione, vt cum repleti fuerint, proprios humores in reliquum corpus distribuant, sicuti & promiscue omnes humores in ventriculo cibo & potu affluente generantur & coaceruantur, vt inde in particulares fontes pro vniuscuiusque propria natura, & pariter in reliquum corpus pro vniuscuiusq; membri necessitate distribuantur. Et quoniam oppositorum oppositæ sunt rationes, subiungit Hippocrat. quod sicuti repletis his particularibus fontibus fit humorum distributio in reliquum corpus, ita ex aduerso his exinanitis ad eosdem met à reliquo corpore proprii retrahuntur humores. Vnde sicuti fontes repleti humores distribuunt in corpus, ita vice versa vacui attrahunt à corpore, cum propria eorum natura sit huiuscemodi, vt propriorum humorum affluentiam expetant, & exquirant. Quod idem de ventriculo verificatur: hic enim repletus omne humoris genus particularibus fontibus, ac reliquo corpori subministrat, vacuus autem à reliquo corpore, & à particularib. fontibus id, quod alias subministrauit, ad seipsum retrahit. Verum quoniam hic oppositus motus humorum non ita videri posset congruus aut possibilis, hoc nititur mechanico exemplo comprobare, dicens: Si tria aut quatuor, aut plura vasa ænea magnitudine pacia in planissimo loco coaptentur, fistulisque ad foramina vicissim ac pariter insertis propinque componantur, vbi in vnum ex his vasibus placide aquam infundas, quousque hoc repleas, cætera omnia vasa ab eadem aqua pariter replebuntur, quoniam ab vno diffluit in reliqua, donec omnia fuerint expleta. Notanter autē dixit placide, quoniam si abundanter ac rapide, nullaque apposita mora aquam infundas, vas primum replebitur, nulla adhuc vel minima parte in reliqua vasa diffluente. At si placide, id est, leniter, ac quasi stillans aquam affundas, ex primo vase in reliqua facile diffluit, indeque omnia pariter replebuntur. At si postquam omnia repleta fuerint, ex vno aquam exhaurias, restat aqua ex cæteris vasibus in id, quod exinanieris, vnde illa euacuabuntur, hoc autem replebitur, illorumque euacuatio eademmet fiet ratione, qua prius facta erat repletio. Sicuti enim per vnius repletionem replebantur, ita per vnius euacuationem euacuantur, hinc indeque aqua modo diffluit, modo refluit, oppositum motum pro ratione diuersitatis dispositionis vasorum patiens. Hoc idem inquit Hippocrates, in corpore humano contingit, nam vbi ex cibo & potu ingesto ventriculus repletus est, corpus & quatuor fontes trahunt de ventriculo proprios humores, indeque replentur. At si ex inedia ventriculus exinaniatur, rursus humor in corpus reliquum distributus, ac à particularibus fontibus attractus retro refluit in ventriculum, qui ipsum exinanitus attrahit per eandem viam, per quam antea fuerit transmissus, ac distributus. Hæc autem via, per quam hic humorum oppositus motus peragitur, sunt venæ & vasa tendentia à ventriculo & cæteris fontibus ad reliquum corpus, quæ sicuti plura sunt, ita etiam diuersa existunt, cum alia sint maiora, alia minora. Omnia autem dum viuit homo, ob affluentiam spiritus innati ac influentis, ita aperta sunt, vt facile suscipiant ac dimittant omnem humorem, eundemque promeare, ac remeare leui negotio concedant. Quod iter fieri in viuente homine ob vasorum amplitudinem est expeditum, ita in mortuo est penitus impeditum, cum ob extinctionem innati calidi, & ob spirituum resolutionem omnia vasa claudantur, extenuentur, ac in seipsa concidant. Vnde via humorum motui in mortuo præcluditur, sicuti in viuente hinc inde conceditur. Quod sicuti de ventriculo, ita pariter de cæteris quatuor particularibus fontibus verificatur. Nam hi dum familiari humore expleti sunt, hunc eundem reliquo corpori subministrant, dum autem sunt vacui, eundem à reliquo corpore trahunt.

12 *Quamdiu igitur viuit homo, fruitur corpus de ventriculo, vbi quid in seipso habuerit, fruuntur etiam fontes, & impleti corpori distribuunt. Si enim corpus non traheret de ventriculi humore, sed soli fontes, & hi ad corpus distribuerent, non sane haberet corpus sufficiens alimentum, sed paucius: non enim amplius haberent alimentum fontes, quod corpori subministrarent. At vero si fontes isti non essent, dum edimus ac bibimus, vere non cognosceremus, neque quid iucundum, neque quid iniucundum esset, propter hanc quam referam necessitatem. Hi loci quum minores sint, & intra reliquum corpus semper etiam antea quam attrahat, vnusquisque iuxta suam facultatem reliquo corpori denunciat de cibis ac potibus, qui biliosus sit, & qui pituitosus, & qui sanguineus, & qui aquosus. Quicquid enim horum humorum plus quam opportunum est, in cibis ac potibus nobis obuenerit, neque cibos illos iucundos facit. Qua vero maxime appetimus, pro eorum ratione etiam illi iucundi sunt. Si vero cibis ac potibus opus habuerit fons quidam, pro hac ratione etiam corpus trahet ab ipsis fontibus, donec humor paucior, quam oportet, fiat, & tunc sane appetit homo aut edere, aut bibere tale quid, quod portionem illam expleat, ac reliquis adaquet. Et propterea vbi multum cibi sumpsimus, aut bibimus, quandoque adhuc cibum aut potum appetimus, & nihil aliud libenter edimus, quam*

quod

quod appetimus. Postquam autem comedimus, & adaquatus fuerit humor, his perfectis, & in fontibus, & in corpore, tunc cessat appetentia. Atque hæc de hoc à me dicta sunt.

POSTEAQVAM Hippo. declarauit, quomodo ventriculus & singulares fontes, vbi repleti fuerint, corpori quatuor dictos humores subministrent, & quomodo vice versa, vbi vacui existunt, eosdem à corpore in se ipsos trahant, nunc duo alia ad prædictos fontes pertinentia declarare intendit. Quorum primum est, quod à ventriculo nec soli particulares fontes attrahant, nec etiam quod hi soli humores primarios corpori destribuant. Alterum autem quod intendit, est explicare necessitatem prædictorum quatuor fontium. Quo ad primum inquit Hipp. dum viuit homo, corpus de ventriculo, vbi ex ingestis alimentis repleatur, trahere in se ipsum humores in eo contentos, & ad eius conseruationem destinatos. Quos eosdem humores trahunt etiã à ventriculo singulariter pro vniuscuiusque propria natura, singulares fontes, qui æque ac ventriculus, vbi repleti familiaribus humoribus fuerint, prædictos humores vniuerso corpori impartiuntur. Quo stante, liqueat, non solos fontes à ventriculo trahere, nec à solis fontibus humores corpori subministrari. Cuius rei ca est ratio, quoniam cum alimentum alendo corpori debeat esse quantitate proportionatum, ne ex minori quam deceat assumpto cibo absumatur, si soli fontes à ventriculo trahcrent, & hi soli reliquo corpori alimentum & humores subministrarent, sufficienter corpus nutriri non posset, cum hi fontes paruam humorum quantitatẽ in se recondant, corpus autẽ ob sui magnitudinẽ maiorem eorum copiam deposcat. Quo autem ad secundum, quatuor singularium fontium necessitatem persuadere ac demonstrare volens, inquit, si hi quatuor fontes nõ essent, assumptorum iucunditatem aut iniucunditatem haudquaquam perciperemus, omniaque cibaria vel sine, vel cum pari appetentia assumeremus. At cum ex eodem cibariorũ genere illud idem quandoque sit nobis iucundum, quandoque vero iniucundum, & nõnunquam illud idem cum appetentia, nonnunquam sine appetentia sumatur, hinc clare quatuor singularium fontium necessitas ob causam mox explicandam arguatur. Etenim cum cibi iucunditas appetentiaque pendeat ex ipsius indigentia, ea enim quorum maxime indigemus (illud verbũ χατίζ male translatum est, appetimus, cum indigentiã hoc in loco denotare velit Hipp.) pro eorum ratione nobis iucunda fiunt. Sicuti ex aduerso iniucunditas, & inappetentia ex copia, & saturitate, ac excessu prouenit, cumq; datum sit his fontibus, qui in comparatione totius corporis exigui sunt, & inde magnam humorum molem in se recondere nequeunt, denuntiare reliquo corpori (sicuti exemplo casei declaratum est in text. 6.) de cibis & potibus, quis admodum aut biliosus, aut pituitosus, aut sanguineus, aut aquosus existat, hinc clare liqueat, iucunditatis & iniucunditatis, appetentiæ & inappetentiæ, ciborum & potuum causam referendam esse in hos fontes. Nam vbi hi familiari humore scateant, assumpto cibo aut potu consimilis facultatis corpori eius copiam & excessum denuntiantes, iniucunditatem & inappetentiam eius pariunt. At vbi iidem familiari & proprio humore careant, cum ab iisdem reliquum corpus cõtinue attrahat, indeque eiusdem indigentia accrescat, hinc iucunda ea cibaria, quæ ad replendũ fontem proprio humore apta sunt, euadunt, eademq; ob prædictam indigentiam cum appetentia assumuntur, eaque tamdiu iucunda & desiderata sunt, quamdiu fons ille repleatur, & fiat adæquatio ad alios humores, qui in aliis existunt fontibus. Quousque enim non sit facta hæc repletio & dicta adæquatio, semper cibi illius est iucunditas & appetentia, cuius merito fit, vt quandoque assumpto & cibo, & potu, eundem tamen cum iucunditate & appetentia sumamus, cum nondum is fons repletus sit, & proprii humoris cum cæteris non sit facta adæquatio. Dum enim est assumptorum indigentia, ea cum appetentia sumimus, quę vero cum appetentia sumimus, ea nobis iucunda existunt, at ex aduerso ea, quibus non indigemus, nec libenter, nec cum iucunditate assumimus. Cuius ratione fit, vt postquam comederimus, ac biberimus, & adæquatus fuerit humor in fontibus, & in corpore, id est, in corpore æque ac in fontibus humor abundet, tunc cessat appetentia, nec præsumpti cibi amplius est cupiditas.

13 *Quin & hoc se ita habet, quod ad folliculum in hepate sola bilis à cibis ac potibus secernitur. Venulæ enim quum debiles & tenues sunt, alium humorem trahere non possunt, qui & grauior, & crassior existit: & simul non est ea loci capacitas, vt alius humor in hoc folliculo consistat: & est hic locus maxime familiaris bili secundum naturam, & ob id in ipso nullus alius fit morbus, quam is quem homines Cardiogmum quendam, hoc est, cordis morsum vocant. At caput, & cor, & splen, de omnibus humoribus participant. Vnumquodque tamen si non ægrotet, plurimum de relatis participat, iuxta suam ipsius naturam, caput pituita, cor sanguine, splen aqua. Trahunt autem & de alio humore venæ in se ipsas amplæ, & crassæ, & tortuosæ existentes, ita vt vbi trahant, alius humor alium sequatur. Et cordi quidem propinquant venæ iugulares, crassæ, ad quas cito distribuitur, vbi illi amplior, quam commodus est, humor accedat. Hæ vero ad reliquum corpus delegant, & simul ipsum cor solidum est, ac densum, vt ab humore non ægrotet, & propterea nullus morbus in corde oboritur. Caput autem, & splen maxime sunt morbis obnoxia. Ægrotant enim & ab his quæ à natura insunt, quum plura quam opportunum est,*

acceſſerint. Aegrotant item ab aliis humoribus. Venæ enim in ipſis craſſæ, ac multa ſunt, & ipſa quoq; venoſa ſunt ac caua, vt ex aliis humoribus recipiendis capacitas in ipſis ſit, paulatim nimirum accedentibus, & ad eum humorem, qui à natura ineſt, ſe admiſcentibus. Quemadmodum in vaſe magno amplior capacitas eſt, quam in paruo, ſic ſane & in capite, aut in ſplene, res ſe habet. Magna enim capacitas maxime in ipſis eſt; ſi vero repleta fuerint iſtic humore venæ, ab ipſo ſane in illis morbus oboritur. Atque hæc mihi de hoc dicta ſunt.

QVONIAM quæcunque de fontibus ac humoribus dicta ſunt, ea ratione explicata ſunt, vt illa, quæ ſunt præter naturam in homine, quæque morborum cauſæ exiſtunt, medico innoteſcant, ideo his præmiſſis (quæ potius theoriam, quam praxin reſpiciunt) deſcendit ad declarationem eorum, quæ præter naturam ipſis fontibus accidunt, & quorum occaſione ipſi fontes laborent, vt inde opus ipſum titulo, cum ſit de morbis, correſpondeat. Inquit igitur Hipp. ex quatuor particularibus fontibus vnum ex proprio, non autem ex alieno humore ægrotare, alterum ex alieno, non ex proprio ægrum fieri, reliquos duos tum ex propriis, tum ex alienis ægrotare humoribus. Qui ex proprio tantum ægrotat humore, eſt folliculus ad hepar appoſitus. Hic enim cum ex propria natura in ſe ipſum ſolam bilem, quæ à cibis & potibus in ipſum ſolum ſecernitur, attrahat, nullamq; aliam, ob viæ anguſtiam & tenuitatem, materiam, cum reliqui humores omnes ſint ipſa bile craſſiores, admittat, non ex alia poterit ægrotare materia, quam ex ipſa bile. Quæ cum ipſi familiaris exiſtat, indeq; ratione conformitatis ab eo attrahatur, ipſum folliculum, & ipſi adhęrens hepar male afficiet, vel cum vberior, quam deceat, ſit eius proventus, vel cum quomodolibet in qualitate immutata prædictas partes alteret, morbum his partibus inferens, & inde Cardiogmon morbum ita vocatum, quia penes antiquos pueri hepar, vt ſuperius text. 7. notatum eſt, cor appellabant, cauſans. Qui autē fons ex alieno, non autem ex proprio ægrotat humore, eſt cor. Etenim venæ ad ipſum pertinentes ſunt craſſæ, & amplæ, quorum merito facile alienas materias in ſe ipſum vna cum ſanguine attrahere poteſt, quæ deinceps, cum nec ſint ei familiares, nec ꝓportionatę, illud male afficere, & in diuerſos pręcipitare morbos valent. Quod nihilominus ex ꝓprio, & congeneo humore, qui eſt ſanguis, non ægrotat, quoniam cum ſit membrum ſolidum, ac denſum, eo quod fibroſiſſimum exiſtat, ipſiq; adnatæ ſint venæ iugulares, quæ ſunt vaſa ampla, & craſſa, ratione propriæ ſubſtantiæ difficulter patitur à copia ſanguinis; ratione autem vaſorū adiacentium paſſionem euitat, quoniam ad has, vbi copia ſanguinis prematur, ſanguinis vbertatem delegat, à quibus deinceps ſanguis in reliquum corpus diſtribuitur, & inde cor ab omni noxa immune cōſtituitur. Reliqui antē duo fontes, qui tam ex alieno, q̃ ex proprio ægrotant humore, ſunt caput & ſplen. Etenim pręter id, quod ipſa ſunt caua, venæ ad has partes tendentes ſunt amplæ, & craſſæ, vnde leui negotio non tantum proprias, ſed & alienas materias in ſe ipſas aut recipiunt, aut recondunt. A propriis autem tunc ægre habent, cum pluſquam opportunum eſt, hæ acceſſerint, ab alienis autem, cum hæ admixtæ familiari humori eundem à propria natura immutauerint, indeque eoſdemmet fontes praue alterauerint. Quare ex omnibus quatuor fontibus cor & ſplen præ cæteris morboſa exiſtunt, tum quia caua ſunt, tum quia & venas amplas habent. His autē minus cor, & ſplen, cor quidem propter robur, proprię ſubſtantię, folliculus autem propter viarum anguſtiam.

14 *Volo autem melius declarare, quomodo vnuſquiſque horum humorum in corpore paucior fiat. Quatuor equidem humores eſſe demonſtraui hominem lædentes. Quatuor item ipſorum fontes. Quatuor quoq; eſſe dico locos, per quos homo de ſingulis his expurgatur. Sunt autem hi, os, nares, podex, vrinæ meatus. Et vbi humor aliquis affligens copioſior factus fuerit, ſi his locis homo depurgetur, nullus ipſum morbus ab illo premit. Et ſi ventriculus plenus fuerit, liqueſcente corpore ab humore, defluit ad ipſum, & extra prodit per aliquem horum locorum, & propterea humor paucior fit in corpore. Corpus enim, velut & antea dixi, ventriculo retribuit, vbi vacuus fuerit, & fruitur de ipſo, vbi plenus exiſtit. Atque hæc à me dicta ſunt, quomodo, & cur pauciores fiant humores hominem affligentes.*

PROMISERAT Hipp. text. 10. cum ex præuaricatis, quando pauciores fierent quatuor humores primarii, ſatis conſtaret, ſe hanc rem melius in poſterum declaraturum fore. Quam rem nunc exequens, inquit, tunc vnumquemque ex prędictis humorem fieri pauciorem, cum per proprios ductus, vbi copioſius accumulatur, expurgetur. Proprii autem ductus huic expurgationi deſtinati numero correſpondent & humoribus, & fontibus. Quemadmodum enim quatuor ſunt humores, qui morbos homini inferre idonei ſunt, & quatuor ſunt eorundem fontes, in quibus copioſius, quam in reliquo corpore abundent, pariter ſunt quatuor ductus, per quos excerni, & è corpore eliminari conſueuere. Hi autem ſunt, os, nares, anus, & vrinarius meatus. Etenim per hos naturali more ſolent ſuperflui ac noxii humores expurgari. Si autem ad eos, qui ſunt in capite, libro de locis in homine, additi ſunt & aures, & oculi, nihilominus his bęc duo annumeranda nequaquam ſunt, quoniam horum via non eſt naturalis, ſed potius pręter naturam, cum per hos duos morboſę tantum fiant excretiones. Quatuor igitur ſunt ductus naturales, humo-

humoribus, & fontibus eodem numero correspõdentes, per quos naturali ordine peccantes humores excreti pauciores fiunt. Excernuntur autẽ præcipue, vbi liquescente corpore ab humore, id est, vbi corpus ex superfluo in ipsum immisso humore nõ naturaliter nutritum, sed potius tabescens, cum à nimia humoris peccantis copia opprimatur, eundem humorem ad ventriculum, id est, ad vias communes per quas postea expurgandus est, transmittat. Quemadmodum enim corpus ventriculo, vbi is exinaniatur, retribuit, sicuti & ab eo, cum est plenus, recipit, & de eo fruitur, pariter cum superfluo & nimio obruitur humore, ad eundem ipsummet peccantem humorem, quem de ipso attraxerat, remittit. Qui humor deinceps, vti corpori molestus, non amplius ad corporis ambitum recedit, sed ad prædictos quatuor ductus, per quos expurgari debet, relegatur. Ex qua excretione duo emolumenta corpori succedunt, alterum quod peccans humor imminuitur, & paucior redditur, alterũ quod ab eodẽ humore nullus homini morbus insequitur. Ex quibus liquet, cur pauciores fiant in homine humores, qui ipsum affligere possint, scilicet vel quia homo parce bibat, & parce edat, indeque copiosæ generationi occasio non detur, vti hoc in loco dicitur, & tex. 10. dictũ est, vel quia, vbi ex copioso potu, & cibo sint geniti, per proprios ductus euacuantur.

15 *Quomodo vero, & cur homo sanus degat, referam. Postquam comedit ac bibit, & humor ad corpus peruenit eo, quo dictũ est, modo ammixtus alii, tum ei, qui in corpore, tum ei, qui in fonte est, ea quidem die, qua accesserit, in corpore manet: postridie vero alius humor ad ipsum accedit. Atque hi quidem duo sunt dies, duo vero in corpore humores. Et alteri quidem humori dies sunt duo, alteri vnus. Et qui quidem postridie accessit, manet in corpore, vt qui sit crassus: alter autem coctus, à caliditate diffunditur, & tenuis factus postera die ad ventriculum accedit, & per omne tempus à recenti expellitur. Vbi vero ad ventriculum peruenit, cibos in hoc loco coquit, & de se sanguinem in corpore facit; si vero permanserit, tempore graueolens fit. Tertia vero die vna cum stercore & vrina exit, copia ipse sibi ipsi aequalis & consimilis, & aequilibris, etiam si sui ipsius pars quaedam sit, quo humor maneat in corpore iuxta relatam rationem. Influit autem & tertia die humor de corpore ad ventriculum amplior, & graueolentior, qui videlicet reliquus fuit à secundo, & defert cibos concoctos, & quicquid est in corpore morbosum, & rursus simul exit. Inditio est autem vrina, quae salsuginosa est, quod cibi deferunt de corpore etiam id, quod morbosum est. Et cibi quidem semper postridie per aluum secedunt: humor autem ad tertiam diem. Hoc modo sanitas contingere solet. Atq. haec dicta sunt quomodo, & cur homines sani degant.*

CVM sanitas in mediocritate humorum consistat, declaratumque sit, quomodo ab eorundẽ vbertate fontes laborent, & quomodo hi pauciores in corpore fiant, reliquum erat explicare, qua ratione homines seruata humorum mediocritate sani degant. Vt autem hoc declaret Hippo. secundum prisca antiquorum medicorum principia res altius ordiens, inquit, vbi ventriculus tanquam communis fons, & qui aliorum indigentiam optime cognoscit, cibo & potu expleatur, eodem die caeteri fontes ac reliquum corpus, (vnusquisque pro sua ipsius ratione ac familiaritate) proprium attrahit ab ipso ventriculo humorem. Qui humor in corpore ac reliquis fontibus, cum sit adhuc crudus, & vlteriorem coctionem ab eis deposcat, eadem die permanet. Verum quoniam continuatis diebus quotidianam deposcit corpus alimoniam, indeque subsequenti die nouus ingeritur tum potus, tum cibus, ab ingesto nouiter cibo & potu, nouus secunda in fontes & in corpus demandatur, & recipitur humor. Et ea propter in hac secunda die duo eiusdem generis sunt, tum in corpore, tum in fontibus humores, in corpore parcius, in fontibus abundantius. Qui duo humores licet eiusdem rationis & naturae, tamen sicuti tempore, ita qualitate differunt, cum ille, qui prima die accesserit, coctionem iam inierit; qui autem die secunda superuenit, cum de recenti sit receptus, nondum vllam nouam alterationem subierit: quare primus erit coctus, secundus autem crudus. Cum autem ex coctione primus attenuatus, secundus ex cruditate sit adhuc crassus, primus ex attenuatione adepta motui aptus factus, secundus vero ex crassitie ad hoc ineptus erit. Quamobrem hic secundus in corpore remanebit, primus autem tenuis factus, & à violentia secundi concitatus, à corpore & fontibus iterum ad ventriculum, id est, ad vias communes demandatur. Quo loci existens ex propria coctione & attenuatione, quam in fontibus & corpore adeptus est, ciborum denuo ingestorum coctioni confert, & vlteriorem alterationẽ inibi recipiens, puriorem & perfectiorem sui partem in sanguinem immutat: impuriorem vero, & minus perfectam, quae vbi in iis partibus moram traxerit, graueolens euadit, tertia die vna cum stercore & lotio ad extra excludit. Qui circuitus, cum per quotidianam cibi & potus ingestionem continuis seruetur diebus, hoc agit, vt semper similis, aequalis, & aequilibris excernatur humor; nam praeter partem, quae in sanguinem vertitur, semper proportionata remanet & proportionata existit è corpore humoris qualitas. Quod autem tertia die hic humor, qui secunda die de corpore ad ventriculum influens ex mora in viis communibus

tracta graueolentiam adipiscitur, è corpore exeat, hoc persuadent quod sicuti salsuginosum prodiens quod morbosum est in viis lotii secum defert, ita hic humor tertia die exiens secum cibos concoctos, id est, excrementa alui sicciora, & à natura exiccata, & cocta, ac si quid aliud est in illis partibus morbosum, secum defert. Nam cibi, id est, excrementa cibi crassiora, quæ sunt feces ipsæ, secunda die à cibo, humores autē tertia die secedunt. Quibus ambobus ita prodeuntibus, quoniam hinc humorum mediocritas, & excrementorum naturalis purgatio habetur, homo sanus degit, ac conseruatur.

16 *At vero quomodo hic si particulatim foras humor prodiret postridie, cibi non similiter ex ventriculo graueolentes facti foras prodirent, sed veluti cocti, & vrina potui similis, & corpus semper euacuaretur, & per omne tempus homo, vbi ventrem exonerasset, ac minxisset, opus haberet statim potu ac cibo, pro egestionis facta copia, si modo validus esse deberet, quum humor sufficiens in corpore non relinquatur, sed vna cum stercore foras prodeat postridie, aut eadem die. Et si quidem commedisset, bene esset, sin minus, & euacuatus debilis esset, neque humor crassus fieri posset, vt postridie foras prodiret. Non enim sufficiens in corpore relinquitur. Nunc vero aluum exonerantes probe valemus, & si per biduum nihil cibi acceperimus, & viuere, & facere quid possumus, & non penitus debilitamur ex euacuatione in hoc tempore. Humor enim in corpore manens, robur exhibet. Atque hæc à me dicta sunt, quomodo, & cur fieri non possit, vt humor, qui corpori accessit, foras egrediatur eadem die, imo neq; postridie.*

QVONIAM dixerat Hipp. cibos, id est, cibi excrementa crassiora, quæ in fecum naturam mutantur, postridie; humorem autem, id est, succum quadruplicem, qui tum corpori nutriendo, tum ad alios vsus de ventriculo ex ingestis, & à fontibus, & à reliquo corpore attrahitur, tertia die ad extra prodire, nunc vtrumque confirmaturus, incipiens ab vltimo, id per argumentationem ad incōuenìens deducentem probare nititur, dicens: Si humor ante diem tertiam è corpore secederet, tria hæc inconuenientia sequerentur. Primū est, quod cibi, id est, alui excrementa non graueolentia, sed veluti cocti, id est, non cocti vere, sed his, qui cocti sunt, similes prodirent, quod cum veritati refragetur, nec verum erit humorem ante diem tertiam ad extra prodire. Hanc consequentiam assumpta in priori textu demonstrant. Nam cum graueolentia nō accedat cibariis, nisi post coctionem, & cum humor coctionem in corpore non adipiscatur, nisi post secundam diem, quandoquidem in prima attrahitur, in secunda autem crassus existens coquitur, in tertia vero coctus, & tenuis factus à calore diffunditur, & à nouo humore concitatur, vnde in ventriculum refluens ciborum coctioni confert, & ex mora cibi tracta graueolens euadit. Igitur si ante tertiam diem prodiret, nec graueolentes cibi fierent, nec etiam perfecte coquerentur, cum carerent illius humoris calore, per quem coctionē absolutam recipiunt. Secundum est, quod lotium potui simile, & nequaquam immutatum excerneretur. Nam cum lotium ab humore, qui coctionē in tertia die adeptus ad vias cōmunes & vasa communia refluit, tingatur, saporemque salsuginorum habeat, igitur humore ante diem tertiam prodeunte, ichorosa & potulenta materia nec in colore, nec in sapore immutaretur. Tertium inconueniens est, quod excrementis alui secedentibus, & lotio prodeunte, statim homo cibo & potu indigeret, si validus esse deberet. Nam cum postridie alui excrementa excernantur, si cum his simul excerneretur humor, à quo corpus nutriendum, & conseruandum est, nec quid eius in corpore relinqueretur, homo deficiente alimento debilis fieret, & inde statim nouo cibo indigeret. Quod cū veritati repugnet, etenim per duos dies exonerata aluo, & lotio prodeunte, sine cibo nouo assumpto viuimus, nec penitus debilitamur, igitur humor, ex quo corpus nutriendum & conseruandum est, secunda die ad extra non prodit. Sed nec prodire potest, cum secunda adhuc crassus existens, cuius merito vlteriorem coctionem requirit, motui sit inhabilis, & inde in ventriculum, vt cibis admixtus extra prodeat, refluere nequeat. Quare hinc liqueat, humorem nedum prima, sed nec secunda die è corpore secedere. Humor autem hic, qui tertia die ab Hipp. ad extra prodire dicitur, non intelligatur ille, qui actu hominem nutrit, sed qui ab eo deciditur, & qui excrementitius existit, quare ad extra secernendus est. Hic autem ante tertiam diē non excernitur, quoniam ante hanc diem non deciditur ab eo, qui actu nutrit, cum hic tertia die coctionem perfectam consequatur. In perfecta autem coctione excrementitiæ partes decidantur ab vtilibus.

17 *Id porro assero, si humor pluribus, quam tribus diebus in corpore permaneat, aut alius multus implens accedat, venis calescentibus, ac stantibus, maius malum, aut minus, homini significationem de se præbere, hyeme quidem minus & posterius, æstate vero maius ac prius. Atque hæc à me dicta sunt de eo, quod fieri solet, si humor in corpore maneat.*

CVM naturæ opera sint certo ordine determinata, liqueatque humorem seu succum ex ingestis exhaustum non secunda, sed tertia die è corpore prodire, hinc etiam liqueat, si hic idem humor vltra tertiam diem in corpore immoretur, naturæ limites excedere, hincque noxium homini futurum esse. Nam cum iam coctione peracta attenuatus, & calefactus existat, non potest corpus non calefacere, & hoc eo magis, vbi nouus superaccedat ex nouo ingesto cibo humor: ab hoc enim

præ

prçexistens magis concitatur, & mole magis augetur. Quorum merito corpus male affectum modu magis, modu minus, modu citius, modu tardius labefactatur. Citius quidem & magis æstate, quoniam tunc corpora sunt languidiora, & minus morbificis causis resistunt. Tardius autem, & minus hyeme, quoniam tunc corpora sunt robustiora, cum in his tunc vigeat maxime calor innatus, & magis murbificis causis resistere valeat. Quare statuendum erit, humorem cibalem nec ante diem tertiam ex corpore prodire, nec vltra tertiam diem in corpore naturaliter immorari.

18 *At vero si corpus cibos eadem die egereret, non sufficienter humore vti posset, sed essent homines tenues, ac debiles. Nunc vero quum maneant cibi ac potus, quamdiu permanent, corpus fruitur sensim de ventriculo trahens, & impletur. Hac dixi & quomodo, & cur cibi non possint eadem die exire.*

ALTERO ex assumptis declarato, ad alterum declarandum accedit, videlicet cibos, id est, cibi excrementa crassiora non posse ante secundam diem secedere. Inquit autem, cum homo ex humore, quo fruitur corpus, & fontes de ventriculo, nutriatur, & bene valeat, huius autem fiat attractio à fontibus, & à reliquo corpore prima die, igitur prima die nequeunt secedere cibi, quuniam his prima die secedentibus nulla posset fieri attractiu humoris, & inde corpus nec nutrietur, nec bene valeret, sed debile fieret, & valde attenuaretur. Quod cum nequaquam vero consonet, nec etiam verum erit cibos prima die secedere.

19 *Si vero cibi maneant in ventriculo ampliore tempore quam opportunum est, & alii ad ipsos incidant, corpus vtiq; repleatur, & dum premuntur à plenitudine venæ, calor ac dolor corpori accesserint, æstate quidem citius, hyeme vero posterius. Æstate enim calidus est aer ambiens, & calidiorem corpus in se ipsum trahit. Et si calido adhuc existente ventriculo, calidior, quam opportunus est, spiritus homini accedat, nihil miri est hominem ex tali febrire. Hyeme vero quum frigidum spiritum trahat in se ipsum, multo magis poterit corpus repletionem ferre, homine modice ventrem exonerante. Et hac à me dicta sunt de eo, quod fieri solet, si cibi ampliore tempore in ventriculo maneant. Et attigi quoque obiter, vt declararim omnem humoris ac cibi, & longioris, & breuioris temporis differentiam, cur homines ægrotent. Verum de hoc melius tractabo temporis progressu.*

CVM regulariter, & ex præscripto naturæ, cibi secunda die prodeant, vbi diutius immutẽtur in corpore, ex naturæ terminis egredientes erunt infesti homini. Nam alii cibi denuo super ingredientes replebunt vasa illa communia, quæ dum premuntur à plenitudine, dolorem & calorem contrahentes hæc eadem reliquo corpori impartiuntur. Quod si æstate cõtigerit, citius & maius inde malum succedet; si autem hyeme multo minus, & multo tardius, cum hyeme corpora facilius omnia mala tulerent, & sustineant. Et hoc præcipue, cum ex inspirato aere frigido omnibus causis calefacientibus, quales in casu istu contingunt, minimum in modum resistere valeant. Cuius oppositum cum sit æstiuu tempore, quandoquidem tunc corpus calidius euadens calidiorem spiritum, & calidiorem aerem inspirat, facile hinc incalescunt, & febriunt. Nam non modu in his sunt causæ externæ promptæ ad inducendam febrem, verum etiã adsunt internæ, videlicet excrementorum alui, & cibi præcedentis vberiores reliquiæ, quæ inuicem accumulatæ & compressæ calorem concipientes, eundem reliquo corpori impartiunt. Vnde ex prçdictis liqueat, quod sicuti humor tertia die naturaliter prodit, ante autem tertiam prodire nequit, si vero vltra tertiã immoretur in corpore, ipsi noxius est, ita pariter cibos secunda die regulariter secedere, ante secundam autem non posse vtiliter excerni, post secundã vero, si in corpore permanserint, nocuos fore. Verum de hoc melius in posterum se tractaturum esse promittit Hipp.

20 *Reuertur rursus retro de sanitate dicturus, quod sane corpus hominis humore de cibis ac potibus fruitur, & prodeunt foras in sano, tum cibi, tum humor, iuxta relatam rationem. Et si quidem foras prodeat plus humoris, quam de cibis ac potibus accessit, homo attenuatur. Prodit autem foris plusquam accessit ob hanc causam. Si in quiete degat homo, & non laboret, mali aliquid ipsi in corpore inest, verum præ alia sanitate, quæ multa est, non lædit valde. Malum vero illud huiusmodi est. Postquam aliquid ex his quatuor corpori accedentibus aduenerit copiosius, non ita multo, corpus calescit sensim, vt non valde lædatur, & liquescit in ventriculo, & cibum homini iniucundum facit. Si vero humor alius alio copiosior fuerit, febris ex hoc homini oboritur. Verum de hoc exactius paulo post tradam. Quandoq; est, vbi cibus iucundus est, homo attenuatur. Causa vero eadẽ est. His autẽ contingentib. plus humoris extra prodit, q̃ succenturiatur. Et propterea in quiete degenti contingit vt attenuetur. At vero laborantibus hominibus itidem corpus calescit, (& hoc à labore calescente) tum humor in ipso diffunditur, tum attenuationis morbus oboritur. Quum autem inutilis fiat humor, & ad ventriculũ, & ad vesicã defluit, hac autẽ foras expellunt. Pars vero ipsius extra exhalas per internã corporis raritatẽ, pars a. quæ adhuc intus manet, sudor fit, & p corpus foras pcedit. Eodẽ modo & exerci-*

ercitationes iuuenum idem efficiunt, quod labor. Si vero etiam non paucior fuerit humor eo, qui prius exiuit, accedatq; insuper alius à cibis ac potibus, attenuatur propterea homo. Paucior autem accedit, si non aliud quid edere poterit, & si neq; laboret pro prioris laboris, aut exercitationis ratione, alii aliis pauciores fiunt. Cæterum bonus corporis habitus accedit ex esu, hac de causa. Postquam resiccatus est tempore humor, & in priore labore prius egressus est alius alio copiosior, & vnus alius alios valde superauit, homo repletus fit. Et si quidem à multis valde superetur, febris ex hoc modo oboritur; si vero à paucis, parum superatur. Sed & corpus hoc modo sufferre, ac reualescere potest: humiditate enim vberiore in ipso existente, calorem exoluit. Calescit enim corpus à febre. Et si quidem modicum fuerit id, quod affligit, tertia die eodem modo dimittit, per duas autem continue tenet; si vero copiosius, quinta die, per quatuor vero tenet pro ratione. Atque hoc modo morbi per dies iudicãtur. At si dimiserit febris in imparibus diebus, & sanus homo fit, & moritur. Qua de causa paulo post dicam.

DECLARATO dierum numero, in quo regulariter, & ex naturę pręscripto, tum cibus, tum humor è corpore prodeat, cum per cibum alui excrementa sicciora, per humorem autem non alimentarium succum, quia hic corpori adhæret, & in eo pro eius nutritione reseruatur, sed excrementitium, qui ab alimentario deciditur, & qui ab eo decisus è corpore secernẽdus est, relinquens eius partem alimentariam in corpore pro eius nutritione, intelligat, nunc declarare intendit, quomodo iisdẽ cibis & potibus ingestis modo attenuetur homo, modo crassescat bonum corporis habitũ adeptus. Et quoniã duplici modo solent homines attenuari, quandoquidem alii per quietem & summum otium, alii vero ex immoderatis laboribus & superfluis exercitationib. attenuantur, iden de vtrisq; agens vtrumq; declarare intendit. Ad quod explicandum hac communi vtitur argumentatione, videlicet, quod quandocunq; è corpore plus humoris, quam de cibis ac potibus accesserit, prodeat, semper corpus attenuetur. Ratio huius est, quod cum ex cibo, & potu ingesto fontes, & corpus attrahant humorem, ex quo nutriri & conseruari debent, cumque hic idem humor in corpore attractus pro eius nutritione & conseruatione elaboretur; elaboratus autem partim (& hæc est ipsius pars vtilis, & alimentaria) in corporis substantiam immutetur, ac transeat, partim vero (& hæc est eiusdem pars excrementitia, & nutritioni inutilis) in vias communi excrementorum excretioni destinatas refluat, si cum excrementitio pars quoque alimentarii ad hæc vasa relegetur, cũ hinc corpus sufficienter nutriri nequeat, necessario attenuabitur; attenuabiturque multo magis, si non tantum vtilis, & alimentarii succi, qui denuo accessit, pars foras prodeat, verum etiam si cum eo præcedentis portio, quæ iam in corporis substantiam est immutata, exeat. Hinc enim vere, ac ex necessitate corpus attenuabitur, quoniam plus humoris vtilis secernitur, quam ex cibo, & potu corpori accesserit. Hoc autem quomodo, tum ex nimio otio, tum ex superfluo labore eueniat, docet Hippoc. dicens, quod per summam quietem corpora attenuantur, quoniam cum homo non laboret, indeq; nulla fiat succorum in corpore existentium resolutio, ex quotidiano potu, & cibo ingesto copiosior, quã deceat, quatuor humorum copia in homine aggregatur. His autem vltra, quam conueniat, accumulatis, corpus incalescit, cum in eo abundet copia attenuatorum ex vlteriori coctione humorum, incalescente autem hinc corpore, maior succedit humorũ attenuatio. Qui vbi attenuati fuerint, refluunt in ventriculũ, & in vias communes, ex quibus facile ad extra ob immodicam attenuationem, quã vocat Hippocrat. liquefactionem, in maiori mole, quam corpori conueniat, prodeunt, indeque corpus necessario ob subtractam alimoniam attenuatur. Hanc attenuationem quandoque fouet inappetentia, ex refluxu copiosi humoris in ventriculum causata; nam cum hinc cibi iniucundi euadant, homines minus quã deceat assumunt. Vnde cum humor præexistens à calore diffusus foras prodeat, & ob inappetentiam cibus sufficiens pro restauratione deperditi non assumatur, multo magis homo attenuabitur. Quæ tamen attenuatio, licet non tanta, euenit quandoque etiam appetentibus, & inde cibum assuetum assumentibus, & hoc quoniam copiosiori existente humorum copia fit eorundem attenuatio, & diffusio, quorum merito humoris plus, quam accesserit, foris prodit. Horum autem humorum copia per summum otium aggregata, cum sensim augetur, nec est multa, nullam sensibilem læsionem corpori infert. Cum autem est copiosior, tunc succedunt incõmoda narrata; si vero immodica sit, alio super alium augescente humore, tunc ęgrotat homo, & ex superfluo humorum feruore febricitat. Qua ratione autem fiat hæc febris, inferius declarabitur. Et hæc de his, qui per summam quietem attenuantur. Attenuatur autẽ & homo ex superfluis laboribus, quoniam cum motus sit causa caloris, ex his corpus supra modum incalescit. Incalescente autem vltra, quam deceat corpore, humores calefiunt, attenuantur, & diffunduntur. His autem diffusis, & inde inutilibus redditis, pars crassior ad ventriculum & vias communes refluit, & inde excretioni demandatur, pars altera tenuior per cutis raritatem exhalat, pars autem tertia, quæ inter duas prædictas substantia est mediocris, per sudorem expellitur. Qua de re diffluens, & è corpore prodiens humor, qui vtilis corpori eius nutritioni destinatus erat, corpus exhaustum & proprio alimento priuatum relinquens, est in causa, vt corpus inde attenuetur. Quam attenuationem nec impedire poterit humor eo, qui foras prodierit, copiosior, ex cibo &

potu

potu abundanti accedens, quoniam stante superfluo labore continua succedit humorum calefactio, attenuatio, & diffusio. Quod si nec abundans, sed parcius, quoniam refluente humore ad ventriculum appetentia labefactatur, assumat homo alimentum, & inde ob imbecillitatem nequeat æque ac consueuerat laborare, attamen corpus attenuabitur, dum fusio humorum perseuerabit, ob proportionatam laborum ad humores quantitatem. Ex quibus liqueat, qua ratione homo ex superfluis laboribus, quos in hoc casu æquiparant superfluæ, quamuis ea arte fiant gymnastica, exercitationes, attenuetur. Qua ratione autem homo bonum corporis habitum adipiscens crassescat, docet Hippocrat. dicens, ex ingestis tum cibis, tum potibus hunc bonum habitum homini accedere, cum per temperatos labores, & moderatas excretiones superfluitas humorum resiccatur, & excrementitiis succis egressus facilis paratur: tunc enim ex cibo & potu, suggesto copioso alimento, & vberiori humorum vtilium prouentu, alius super alium vtilis accedit corpori succos, ex quibus corpus repletur, & inde crassescit optimum habitum adeptum. Hic autem bonus habitus tamdiu perseuerat, quoad ex nimia copia corpus obruatur. Tunc enim superante corporis vires humoris accedentis copia, factaque repletione supra naturæ gradum, vasa omnia obstruuntur, & inde febris succedit, quæ secundum plenitudinis proportionem corpus fatigabit. Si enim hæc parcior fuerit, facile soluitur, nam cum multa sit in corpore humiditatum vtilium adhuc copia, & febris hinc leuior, cuius essentia in caliditate consistit, succedat, facile erit, vt à multo humore calor extinguatur, caliditas enim ab humore exoluitur. Hæc autem plenitudo, quæ pro eius proportione febrem parit, si fuerit modica, febris per duos dies hominem detinebit, tertia vero die soluetur. Si autem maior, per quatuor dies perseuerans quinta soluetur. Qua eadem ratione morbi omnes soluuntur, ac indicantur, cum in imparibus diebus homo aut ex morbo saluetur, aut ex eodem moriatur. Qua ratione autem iudicia & mortes fiant diebus imparibus, inferius declarabitur.

41 *Nunc autem referam, cur febris dimittat. Sic autem sentio. Quæcunque febris de corpore hominem corripuerit, necesse est tertia die humorem affligentem exire de corpore, aut in alio copiam impari die, iuxta rationem antea relatam. Non enim exit, priusquam alius bonus de ventriculo ipsi accedat. Nam intermedia, & postera die corpus trahit de ventriculo, quicquid ipsi in se ipso dimiserit priore die, nisi ventriculus id expulerit, & alium humorem habuerit, quod sane malum homini esset. Si vero dimiserit febris tertia die, eodem modo dimittit quo etiam eadem die, velut dictum est. Atque ita quidem contingit, vt febris de corpore oriens, tertia die remittat. Dico autem, etiam si quinta die, aut septima, aut nona dimittat eodem modo dimittere, quemadmodum & tertia exiuit. Etenim alimentum febri cõtingit, secundum locos quos paulo antea dixi. Vbi enim humor copiosior praualuerit, homo liberatur à febre.*

CVM docuerit Hippocrat. repletionem supra naturæ gradum factam homini incommodam esse, eidemq; febrem inducere modo longiorem, modo breuiorem secundum plenitudinis proportionem, quandoquidem à modica plenitudine breuior, à maiori vero longior producatur, dixeritque huiuscemodi febrem ex plenitudine ortam solui aut tertia, aut quinta, aut alia impari die, adhuc sermonem habens de febre ex plenitudine causata, duo de eadẽ febre declarare intendit, quorum primum est, qua ratione huiuscemodi soluatur febris, secundum, cur diebus imparibus dimittat. Primum in hoc textu exequetur, alterum in sequenti. Inquit igitur, quod quotiescunque febris de corpore, id est, ex causa interna, qualis est plenitudo dicta, hominem corripuerit, non alia soluitur ratione, nisi vbi humor superfluus, ac noxius, & qui corpus offendit, ac affligit, è corpore prodierit. Hic autem cum tertia die naturaliter, nisi quid impedimento subsit, prodeat, in hac eadem tertia die prodiens febris solutionem causabit, aut eandem in alio impari die gignet, vbi hic tardius exeat. Etenim hic humor naturaliter non prius exit de corpore, quam alius vtilis de ventriculo ex ingestis cibariis & potibus subministretur, quod cum fiat tertia die, tertia etiam die aut alia impari exibit. Nam in intermedia, id est, in die secunda, quæ est media inter primam & tertiam, & in postera, id est, quarta, quæ est post tertiam, corpus trahit de ventriculo humorem, in secunda quidem die naturalem ex cibo & potu subministratum, in quarta vero illum eundem quem corpus transmiserat ad ventriculum in tertia, & quem ventriculus ad extra nequaquam expulerit, aut alium humorem ex nouo ingesto potu ac cibo habuerit. Quod homini malum esset, quoniam malum est vigente febre nouo potu ac cibo expleri, & hoc præcipue in huiuscemodi febre à plenitudine causata, in qua vel summa inedia, vel tenuissimus tantum conuenit victus. Cum igitur trahat corpus humorem naturalem secunda die, eundemque tertia die remittat ad ventriculum, cumque hic nisi prodeat tertia die, iterum à corpore, (cum vice versa hæc attractio fiat, vt superius explicatum fuit) in quarta die attrahatur, in quinta vero iterum remittatur, semper eadem ratione soluetur febris, siue hoc in tertia, siue in quinta contigerit, quoniam semper solutio febris eueniet, cum humor affligens ad extra prodiens euacuabitur. Cur autem modo tardius, modo citius soluatur febris, iterum, quamuis antea dictum sit, repetatur. Vbi modica sit repletio, accensa febris parum durare valet, quo-

nium hinc febris orta leuior existit, cum autem sit leuior, facile superabitur à copiosa humiditate naturali, quæ in huiuscemodi abundat corpore, humidum enim calorem extinguit, & ideo hæc febris cito solutionem admittit. At vbi sit vberior repletio, diutius hinc orta febris affliget, tum quoniam hinc maior accendetur calor, tum quoniam humidom naturale non ita facile huic dominabitur calori, vt eam expurgare cito queat. Quare diutius hæc protrahetur, longitudo autem proportionabitur plenitudini. Quæ plenitudo cum sit alimentum febri secundum enarratos antea locos, id est, secundum corporis attractionem, & remissionem & secundum ventriculi transmissionem, aut expulsionem, cumque humidum copiosum præualens calorem præter naturalem extinguere sit aptum, omnino febris aut breuitas, aut longitudo hinc attendenda erit.

22 *Dimittit autem febris in diebus imparibus ea de causa, quod videlicet in imparibus diebus trahit corpus de ventriculo, in imparibus vero dimittit. Ventriculus autem extra propellit in homine sano. Iuxta huiusmodi necessitatem morbi in imparibus diebus iudicantur. At hac quidem ratione homo febricitans sanus euadit.*

ALTERVM ab Hippocrat. explicandum erat, cum febres diebus paribus iudicentur ac dimittant, cuius causam nunc exponens inquit, febres in diebus imparibus dimittere ex eadem causa, ex qua soluuntur. Nam cum tunc soluantur febres, quando ventriculus (per ventriculum intelligo omnia vasa infra ventriculum excrementorum excretioni destinata) propellit ad extra peccantem ac noxium humorem; hoc autem non fiat nisi, vt superius declaratum fuit, in diebus imparibus, igitur propter eandem causam non possunt dimittere febres, nisi in die impari, quandoquidem corpus trahat de ventriculo diebus paribus, in imparibus autem dimittat, & materiam superfluentem ad ventriculum, vt inde foras prodeat, releget. Quare solutionis febrium in diebus imparibus erit hæc immediata causa, quod noxius humor ad extra corpus propellitur in die impari; eo autem ad extra prodeunte, cum morbi causa euanescat, necessario dimittet febris.

23 *Assero autem & quod doleant maxime homines ægroti in imparibus diebus, propter hoc, & secundum rationem fieri. Conturbatur equidem homo quum febricitat. Cuius rei signum est, quod horror alias atque alias per corpus transcurrit. Hoc vero non sane ita contingeret, si non conturbaretur humor, & de ipso aut plus, aut minus secerneretur, & alius alium superaret. Conturbatur autem maxime in imparibus diebus quum ægrotat. Sed & horror maxime tunc fit. Habet enim se res hoc modo. De humore affligente expellitur aliquid ex corpore, à recentissimo humore superatum, & procedit ad aluum infernam, & aluus ipsa vna cum affligente calescit, suscipiens in se ipsam magis quam priore tempore. Hoc autem maxime fit in morbi iudicatione. Et si paulatim corpus ad aluum dimiserit, & non multum fuerit id, quod hominem affligit, & aluus, & corpus calorem sufferre in iudicatione potest, & homo sanus euadit, vbi humor affligens egressus fuerit, is, qui febri alimentum prabuit, consumptus, & sanus præualuerit. Atque hac ratione propter relatas à me causas homo ægrotus sanus euasit. Nunc vero referam, cur moriantur homines in imparibus diebus. Sic autem sentio. Si multum fuerit id, quod affligit in corpore, magis quam opportunum est, & aceruatim robustum, turbatur ad ventriculum, & quum non possit calorem sufferre corpus, eo fruitur, & graueolentiam circa spiritum fieri necesse est, & quum nequeat corpus præ debilitate, nimirum omni humore morboso existente, spiritum trahere, quo ea, quæ in ventriculo sunt, refrigerentur, quicquid est humoris vitalis, id foras exhalat, atque ita homo moritur. Non enim superat alius salubris humor, sed totus à morboso, qui multus est, eleuatus ac consumptus à febri, exhalauit, ac perspirauit. Atque hoc modo in imparibus diebus maxime dolor affligit. Neque est quisquam cui hoc non sit notum.*

CVM certum sit iudicationes morborum fieri in iisdem diebus, in quibus homines aut superfiunt, aut pereunt, certissimumque sit easdem iudicationes fieri cum magna ægrotantium afflictione, hinc arguens Hippocrat. intendit euidentiori probatione persuadere ac commonstrare, febres necessario in diebus imparibus dimittere. Inquit autem sensus, & experientia testatur, ægrotantes in diebus imparibus maxime affligi, quoniam iisdem diebus febres maxime exacerbantur. Exacerbantur autem febres, & maxime dolent iisdem diebus patientes, quoniam conturbario humorum nequaquam fit, nisi in diebus imparibus. Febres etenim, & horrores has præcedentes, non alia fiunt ratione, quam quia conturbetur humor. Si enim hic non conturbaretur, nec de eo plus, aut minus secerneretur, nec alius humor superueniens præexistentem superaret, indeque ad extra eundem propelleret

leret, haudquaquam febris exacerbaretur. Igitur cum exacerbetur febris, quia conturbetur humor, conturbatio autem ista non fiat, vt ex præcedentibus liquet, nisi in die impari, igitur febrium exacerbationes, & ægrotantium maiores afflictiones non fiunt nisi in die impari. Si autem in his fiunt maiores febrium exacerbationes, & maiores ægrotantium affectiones, igitur & in his fiunt earundem iudicationes. Cum autem iudicationes morborum duplices sint, cum per alias supersint, per alias intereant homines, indeque sint aut salutares, aut lethales, vtrumque modum explicans, qua ratione per eas, aut saluentur, aut pereant ægrotantes, docet. Incipiens autem à salutari iudicatione inquit, tunc eam fieri, cum affligens humor, qui febri alimentum præbuit, à nouo & salubri superueniente humore superatus propellitur ad aluum, vel ad aliam excrementorum purgationi destinatam viam, in quibus maiori in mole, & deteriori qualitate, quam priore tempore consueuerit, receptus incalescit, & incalescens aluum ipsam, & vasa omnia circumstantia maxime calefacit, & in summa febrem maiorem accendit. Hoc autem cum potissimum fiat in morbi iudicatione, si contigerit, vt non aceruatim, sed paulatim hic humor à corpore ad aluum transmittatur, nec eius humoris multa sit copia, tunc aluus & corpus calorem tolerare, & morbo reluctari poterunt, indeque febri superstites erunt, cum humor affligens & febri alimentum præbens è corpore egressus, & consumptus fuerit, præualente eo, qui sanus est, & qui morbosum concitans eundem è corpore propellit. Qua ratione homo per iudicationem sanus euadit. Quæ omnia cum fiant in die impari, liqueat etiam febrem hominem dimittere in die impari. Et hæc de salutari iudicatione. Quo autem ad lethalem, & quæ mortem homini inferat, inquit eam hac ratione fieri. Vbi humor affligens, & febri alimentum præbens, fuerit admodum copiosus, & non modo copiosus, verum etiam robustus, ac virtute valens, & non paulatim, sed aceruatim ad aluum à corpore transfundatur, turbeturque corpus ex tanta, & tam vehementi turbatione, admodum alteratum non potest calorem febris tolerare, sed succumbit, euictum à febris ardore, circa spiritum graueolentia inducta, id est, superante putredine vitalem spiritum. Cuius merito cum nequeat corpus præ debilitate (quandoquidem morbus humor copia & facultate superat, salubris autem & mole, & virtute minor est à morboso euictus ac consumptus) spiritum sufficientem trahere, quo æstuantia viscera, & humorem ad intra aluum ardentem refrigerare possit, necessario æger succumbit foras, exhalante quicquid aut humoris, aut spiritus vitalis in ipso inerat, atque ita homo moritur. Hæc autem omnia cum fiant turbato humore, & turbatio ista fiat in die impari, igitur & hæ mortes in die impari succedent, quemadmodum & sanitates in die impari eadem de causa succedunt.

24 *At vero quod humor turbetur in iisdem diebus, hoc signum est. Quicunque iam à febre continua correpti pharmaco vsi sunt in diebus paribus, hi nimium purgati nunquam sunt. Qui vero in diebus imparibus medicamento forti vsi sunt, nimium purgati sunt. Multi vero etiam perierunt nimium purgati. Proinde priores medici in hoc maxime peccarunt. Medicamenta enim exhibuerunt in diebus imparibus, & homines peremerunt, non scientes quod hae res sic ita habet. Humor enim in corpore ægroti magis turbatur in imparibus diebus, nimirum corpore humorem ad ventriculum transmittente. Et si quis iam turbatum adhuc magis perturbet medicamento immisso, nihil miri est ex talibus hominem perire. Quin & vlcera si curentur, maxime in his diebus inflammantur. Venit enim humor ad omnes venas quum turbatur, easque replet. Et vbi ad vlcus peruenit, si quidem curetur, & pus exitum habeat, expellitur ab humore qui in turbatione accessit, & vlcus foras expurgatur. Si vero curetur, pus exitum non habens, & istic vna cum eo qui accessit permanens, dolorem inducit, & carnem circa vlcus attollit, & ex illo si quidem in cruribus habuerit vlcus, attolluntur venæ, quæ in iuncturis crurum existunt. Si vero in manibus, quæ in manuum iuncturis sunt, & ex hoc glandularum tumores fiunt. Quibuscunque vero hominibus febris incidit, si nihil aliud male habeat homo, à pinguiore quam oportet existente humore incidit, & venæ impletæ dolorem ac calorem vlceri inducunt. Hoc autem calefactum, etiã reliquũ corpus calefacit. Atq; hoc modo caliditas ad vlcera peruenit. Calescit enim corpus, & vlcera, ab humoris commotione, & labor talia efficit. Liberantur autem vlcera ab inflammatione quinta die, & iuxta horum dierum rationem, prout etiam vlcera fuerint magna, & tertia, & quinta, & septima, & nona, & vndecima. Deinde absoluto primo circuitu, rursus secundi principium, tertia sequens hinc est, quæ à prima, decimaquarta est. Maxima vero vlcera decimaquarta die ab inflammatione liberantur. Atque hæc ratio docet morbos in imparibus diebus iudicari, & humorem in sano homine tertia die exire, stercus autem secunda. Et hæc tertia die contingentia mutuum inter se testimonium præbent, quod res ita habeat. Atque ita mihi hic sermo vniuersus ad summum perductus est.*

CVm dixerit Hippo. in diebus imparibus fieri iudicia febrium, eo quod humores in imparibus diebus turbentur, nunc quod huiuſcemodi turbatio in eiſdem fiat diebus, triplici ratione ab euentu, & ſuccedentibus effectibus deſumpta perſuadere nititur. Harum autem prima hæc eſt, quod cum febrientes continua febre, vbi diebus paribus purgans medicamentum aſſumpſerint, nunquam ſuperpurgationem paſſi fuerint. Qui autem in diebus imparibus purgati ſunt, ex forti medicamento ſuperpurgati ſunt, cuius matiro plurimi perierunt, hinc clare liquet, in corpore ægrotantium magis turbari humores in diebus imparibus, quam in paribus. Nam cum hi non agitentur in diebus paribus, tunc ſolam medicamenti turbationem patientes ſuperpurgationem non ſubeunt. Cum autem in diebus imparibus, nimirum corpore ad ventriculum humorem propellente, agitentur; hine ſuperpurgationis ſuperuenit diſcrimen motui naturali altero artificiali, ac vehementi ex violentia medicamenti peodente ſuperaddito. Quod non aduertentes antiquiores medici plurimos exhibito in die impari pharmaco interemerunt. Secunda ratio eſt, vlcera in diebus imparibus curata, maxime hiſce diebus inflammantur, curata inquam non ſimplici, & benigna curatione, ſed ea, cuius meminit Hippocrat. libro quarto de fract. tex. 33. eam improbans in diebus criticis adminiſtratam. Hæc autem ea eſt, ex qua vel per valida medicamenta vlcera exagitantur, vel per ferramentorum admotionem, vt ſeceruntur, ſeparenturue, aut quid tale patiantur, irritantur. In his enim diebus vlcera exagitata & irritata rebellationes, inflammationes, ſordities, & febres pariunt. At ex qua cauſa hæc contingunt mala? Quoniam turbato humore in die impari, cum eius altera pars ſit alimentaria, & viilis, altera excrementitia, & inutilis, hæc propellitur ad aluum, illa autem ad venas transfunditur. In hac autem transfuſione & turbatione humor ad omnes venas turbatur, & inde in omnes, tanquam turgens, præterfluens eaſdem replet. Replens autem venas vſque ad vlcus peruenit, quod ſi benigna curatione tractetur, & pus exitum habeat, humor, qui ex turbatione acceſſit, illud propellit, quo extra prodeunte expurgatur vlcus, & nihil ſuccedit mali. Si autem irritanti, & dura curatione tractetur, pus exitum non habens, & humori, qui ex turbatione acceſſit, ammixtus dolorem inducit, & tumidum vlcus facit. Dum autem ex turbatione humor ad vlcerata loca transfunditur, ſi vlcus fuerit in cruribus, ad inguina attolluntur venæ ex fluente humore, indeque fiunt bubones, phigethla & huiuſmodi tumores, recepta materia in grandulis inibi exiſtentibus. Si autem fuerit in manibus, in axillis eademmet ſuperueniunt, quæ de inguinibus dicta ſunt. Interim vero dum hic turbatur humor, ſi febris eo accenſo ſuperueniat, cum ignis ſemper humoris pinguioris partem priuſquam aut terreſtrem, aut aquoſam, adoriatur, hinc vlceri calor & dolor ſuperuenit. Quod cum calefactum fuerit, facile reliquum corpus in conſenſum trahens illud idem mirum in modum calefacit; vnde ſicuti & corpus, ita & vlcus ex humoris turbatione caleſcit. Quod cum fiat diebus imparibus, in iiſdem etiam diebus erit malum tractate vlcera irritante & dura curatione: talia enim ταλαιπωρία (labor vertit interpres,) id eſt, ærumna ſeu ærumnoſa curatio tractatione facit. Tertia & vltima ratio hæc erit. Sicuti febrium iudicia ſalubria in die impari facta, indicant humorem in die impari turbari, cum eadem die turbatus ad extra prodiens hominem ſanum relinquat: ita pariter ſolutiones inflammationum vlceribus ſuperuenientium, cum fiant in die impari, quandoquidem & tertia, & quinta, & ſeptima, ſimiliſque cæteris diebus modo celerius, modo tardius ſecundum proportionem aut magnitudinis, aut prauitatis vlceris eueniunt, certo perſuadeant humorem in die impari turbari. Nam huiuſcemodi ſolutiones non alia fiunt ratione, quam prodeunte ad extra humore peccante. Hic autem cum ad extra non prodeat, niſi in die, in qua turbatur, igitur ſolutiones dictæ atteſtantur humorem in die impari turbari. Hæ autem ſolutiones cum pro ratione magnitudinis aut paruitatis vlceris eueniant, vltimum terminum decimamquartam habent diem, maxima enim vlcera hac die ab inflammatione liberantur. Quæ decimaquarta dies, cum alias ſtatuatur terminus acutorum morborum, iure merito ponitur terminus maximarum inflammationum, cum hæ habeant rationem morbi acuti. Quare hinc pateat morbos diebus imparibus iudicari, & humorem in ſano homine tertia die, ſtercus autem in ſecunda prodire. Et cum tertia die, ſeu in impari fiant ſuperpurgationes, & vlcerum inflammationes, & inflammationum liberationes, hinc etiam pateat humorum turbationem ſemper imparibus euenire diebus. Verum, vt cómonefaciam medicos, cum nouerim exercitatiſſimos viros hunc locum tanquam Hippocratis legitimum recepiſſe, hinc cenſentes proprium eſſe morbis acutis moueri diebus imparibus; vbi autem diebus paribus moueantur, non ex proprietate morbi, ſed ex errato aut medici, aut ægrotantis prouenire, digrediens parumper ab Hippocratis commentatione vtrumque falſum eſſe enitar demonſtrare, vbi prius quid ſit moueri diebus paribus, vel imparibus declarauero. Morborum acutorum (quorum febres, vt habet libro primo regim. acut. octauo, prorſus continuæ exiſtunt) alii nullam habentes periodum, ſemper eandem aut parum diuerſam retinent febris continuitatem, alii autem habent certam periodum, de tertio in tertium febris typum ſeruantes. Primi nec paribus, nec imparibus dicuntur diebus moueri, ſed iudicia & mutationes recipiunt in diebus decretoriis. Quorum cum alii ſint ſimpliciter decretorii, alii autem contemplabiles, & indicatorii

ſimul

simul, potius in primis, quam in secundis solutiones; in secundis autem potius quam in primis mutationes, vel in melius, vel in deterius accipiunt. Hi autem morbi pendent à sanguine, & naturam synocharum seruantes vnicam accessionis formam retinere videntur. Secundi vero, qui de tertio in tertium mouentur, duplici modo huiuscemodi typum seruant. Quidam enim in duobus diebus duas habent accessiones, quidam vero vnicam habent per duos dies continuantē. Qui duas habent accessiones, vel easdem pares habent, vel impares. Si pares, naturam primorum morborum, qui nullum habent typum, sortiuntur, & inde mutationes & iudicia non recipiunt, nisi in diebus aut indicatoriis, aut iudicatoriis, nec hi moueri dieb. paribus, aut imparibus dicuntur. Si impares, vbi prima accessio sit deterior secunda, & primæ correspondeat tertia, tertiæ autem quinta, quintæ vero septima, & sic de singulis, tunc dicitur hic morbus diebus imparibus moueri. Si vero ex aduerso secunda accessio sit deterior quam fuerit prima, & secundæ correspondeat quarta, quartæ sexta, & sextæ octaua, & sic de reliquis, hic morbus moueri diebus paribus dicitur. Qui autem habent vnicam accessionem per duos dies continuantem, in his considerandum est, quæ sit accessionis aut deterior, aut benignior pars, & quæ eiusdem pars sit tolerabilior, & quæ minus tolerabilis. Nam in qua die pars accessionis deterior, & minus tolerabilis inciderit, secundū eam diem dicitur moueri morbus. Vnde si in prima die, cui correspondeat tertia, & in tertia, cui quinta, & sic de cæteris, contingat, deteriorem & molestiorem accessionis partem affligere patientem, dicitur morbus diebus imparibus moueri. Si autem hoc idem in secunda eueniat, cui quarta correspondeat, & quartæ sexta, & sic de futuris, tunc hic morbus dicitur paribus moueri diebus. Omnes autem hi morbi, qui paribus vel imparibus mouentur diebus, à bilioso causantur succo: cum enim omnes hi de tertio in tertium periodos habeant, solaque bilis tertianæ formam cōstituat, prorsus censendum est omnes prædictos morbos à bile produci. At quoniam hæc bilis nequaquam vnius est generis, alia etenim est tenuior, alia crassior, & alia naturalis, alia præter naturam, & quæ præter naturam est, quandoque est ardentior tantum, quandoque autem & præter id exustionis nōnihil passa est; præterea & eadem bilis quandoque nulli immixta est humori, quandoque autem alicui admixta est, hinc fit, vt cum hæc putrescens febrem tertianam pariat, non vnius tantum modi eam constituat. Etenim pro eius varietate variant etiam periodi, & periodorum motus. Nam quamuis omnes tertianum seruent typum, nihilominus inter se variant, & quo ad breuitatem vel longitudinem accessionum, & quo ad motus celeritatem vel tarditatem, & quo ad benignitatem vel malignitatem morbi. Nam vbi bilis sit tenuior (sit vel naturalis, vel præter naturam) & ardentior, & nulli immixta humori, breuiores parit accessiones, & quæ celeri mouentur motu, vnde ab huiuscemodi bile (siue conculcata putrescat, siue sparsa vel febrem ardentem, vel tertianam continuam producat) causantur febres, quæ diebus imparibus mouentur. Nam ex breuitate accessionis, & celeritate motus hoc habent, quod prima dies sit deterior secunda, cum in eadem die prima accessio augmentum & statum pertranseat, declinatio vero pertineat ad secundam diem, si vnica in duobus diebus futura sit accessio; si vero duæ futuræ sint, etiam pertranseat declinationis partem, cuius reliquū perdurabit, quo ad secunda die altera accessio, quæ minor extiterit, superueniat. His autem succedentibus diebus proportionatæ subsequentur accessiones, quæ tertianum typum seruantes semper diebus imparibus mouebuntur, cum primæ tertia, tertiæ quinta, & sic de singulis proportionari debeant. At si bilis sit crassior, vel aliis admixta humoribus, accessiones longiores, & tardioris motus efficiet. Qua de re si vnicam edet accessionem, quæ duobus diebus sit duratura, cum ex crassitie, & aliorum humorum, qui omnes sunt bile frigidiores, mixtione tarde huiuscemodi accedatur bilis, indeque principium longius futurum sit, in prima die tantummodo principium huius febris habebitur, quæ extensa ad secundum diem, in eodem augmentum & statum habebit, minimi temporis declinationem receptura, cum in vltima huius secundi diei parte quandam minimam tantum recipiat declinationem. Si vero duæ ex hac in duobus diebus futuræ sint accessiones, necessario ob prædictas causas prima accessio erit semper minor secunda. Quare in his duobus casibus febris semper diebus mouebitur paribus, cum dies secunda sit deterior prima, & successiuo tempore subsequentes accessiones his proportionatæ correspondeant. Si vero bilis tenuis, & ardens existat, simulque aliquam prauitatem vel ob exustionem, quam subierit, vel ob mixtionem alterius praui humoris, vt si ei admistus sit atrabilaris succus, vel ob aliam quampiam causam conceperit, hæc quidem poterit in prima die vehemens incendium conflagrare, at in secunda, si remissionem febris in prima non acceperit, incendium vehementius excitabit, vel recepta remissione in prima ob prauitatem conceptam causabit declinationem à prauis symptomatibus concomitatam: ex labore enim naturæ in huiuscemodi declinationibus solent succedere animi deliquia, extremorum frigiditates, pulsus obscuritates & paruitates, ac sudoris aut inæqualitas, aut frigidas. Quæ omnia attestantur & naturam succumbere, & morbum prauum esse. Hæc autem cum in secunda eueniant potius, quam in prima die, hisque proportionatæ subsequantur accessiones, morbum paribus moueri diebus significabit. Quod idem si fiat in prima die, in diebusque huic proportioni in posterum subsequentibus, dicetur morbus imparibus moueri diebus. At hoc rarissimum est, illud autem frequentius: diuturnus enim labor magis, quam breuis solet vires euertere, ac corpus vna dissoluere. Cuius merito etiam fit vt in omnibus

morbis moueri diebus paribus sit malum, cum secunda dies, quæ remissionem cum febris, tum laborum excipere deberet, sit antecedenti deterior, & magis laboriosa. Deterior quidem in his, qui vnam habentes in duobus diebus accessionē, incrementum, & statum vsque ad secundam diem protrahunt, cum grauior sit ea accessio, quæ breuem & paruam recipiens declinationem, incrementum & statum producit, quam quæ ad incrementum, & statum properans longam, & maiorem habet declinationē. Deterior etiam in his, qui duas in duobus diebus habentes accessiones, secunda deterior est prima, cum laborem remissionem habere longe melius existat, quam post laborem rursus exagitari, ac exacerbari. Laboriosa autem in his, in quibus superuenientibus prauis symptomatibus corpus dissolui, & naturæ robur euinci significabitur. Cum igitur malum sit morbos diebus paribus moueri, non immerito Hippocrat. libro 1. Epidem. sect. 2. text. 75. recensens febrium ardentium, quæ tunc vigebant, lethalia signa inter ea accessiones diebus paribus factas enumerabat. Huiusque rei exemplum eodem libro sect. 3. text. 17. Philisci historiam narrans animaduertebat in fine, dicens accessiones diebus paribus, per hæc insinuans ac docens malum esse accessiones diebus paribus fieri, per eosdemque morbos moueri. Verum hoc non vsque adeo statuendum est esse malum, vt nusquā bonum sit, cum experientia, & Hippocrates ipse testetur, quosdam morbos, qui diebus paribus mouerentur, rite iudicatos fuisse, vt constat libro tertio Epidem. sect. 3. tex. 78 de Pericle Abderita, qui in quarta ex acuto morbo liberatus fuit, & text. 84. de virgine Larissæa, quæ in sexta ex morbo grauissimo euasit. At si ex morbo, qui die pari mouea-tur, euadunt patientes, quare accessiones diebus paribus factæ inter signa lethalia ab Hippocrat. loco citato libro p. Epidem. sect. 2. text. 75. recensentur? Præterea quæ est ratio, vt hi in huiuscemodi morbis pereant, illi autem euadant? Hippocrates ibi earum febrium exitialium accidentia recensens non adnumerat ea tanquam necessario lethalia, sed tanquam praua. Prauitas autem accidentium discrimen, non mortem connotat, vbi singula adsint, verum vbi plura connectantur, lethalem casum esse indicant, sicuti in istis febribus ardentibus factum est, quandoquidem in eis plurima eiuscemodi mala copularentur. Vnde coniicio, quod accessiones diebus paribus factæ tunc sint tantummodo lethales, cum vna cum aliis prauis signis, qualia febres illas ardentes comitabantur, consociantur. Si autem absque his existant, solum discrimen, non mortem præsagire censeo. Quare moueri diebus imparibus erit quinimo prauum signum, quam bonum, sed anceps, cum & salutem, & mortem pariter consequi valeat. Quod attendens Hippocrat. dicebat, libro primo Epid. sect. 3. text. 13. Quæ diebus paribus accedunt, paribus iudicantur; quorum vero sunt in imparibus accessiones, imparibus iudicantur. Cum enim iudicia sequantur motum humorum, humores autem vehementer moueantur in accessionibus vehementioribus; ideirco in morbis, qui mouentur diebus paribus, in eisdem iudicantur, qui vero in imparibus, in imparibus eiusses habent. Etenim tunc temporis natura magis irritatur à morbosis causis, & propter motum humorum excretio eorundem est promptior. Cuius rei cum par sit casus in die tam pari, quam impari, similia etiam in his diebus possunt contingere iudicia, scilicet tam salutaria, quam lethalia. Sed cur hæc in diebus paribus fiunt salutaria, illa autem lethalia? Sciendum est, ex morbis acutis alios à benigna, alios à praua causæ materia. A benigna pendent illi, qui vel à sanguine, vel à bilioso succo, qui nec insignem corruptionem, nec vehementem putredinem subierint, nec ex alia causa prauitatem vllam adepti sint. A praua autem illi fiunt, qui ex prædictis humoribus quidem pendent, sed cum insigni corruptione correpti vehementer putruerint, aut exustionem senserint, aut prauorum humorum, qualis est atra bilis, admixtionem participauerint. Cum illi moueutur diebus paribus, facile salutarem possunt consequi solutionem, quoniam materia illa benigna facile à natura euincitur, euictaque ad extra propellitur, quod patuit in Pericle, & virgine illa Larissæa. Nam Pericles cum esset lienosus, indeque copia sanguinis serosi in eo abundaret, qui ingentem, nec corruptionem, nec putredinem conceperat (quod vrina tertio die concocta indicanit) facile potuit ex acuto morbo, qui die pari monebatur, in quarta euadere. Etenim natura facile materiam peccantem, cum prompte ex propria benignitate cederet, superans, potuit prima die copiam sanguinis è dicto loci patientis per nares excernere, & pro serositatis abundantis expurgatione in tertia eius portionem, per multam vrinam, in quarta autem per laudabilem, & copiosum sudorem residuum penitus euacuare. Virgo autem Larissæa potuit in sexta, quæ ex sui natura infausta est dies, motum habente per dies pares morbo, salutare iudicium consequi, quoniam ex sola sanguinis superflui abundantia; quam insinuare volens Hippocrat. dicebat, facies rubicunda, oculi dolebant, caput graue erat, ægrotabat. Quæ sanguinis abundantia cum esset ratione ætatis biliosa, acutum morbum, & in morbo anxietates, fastidia, & horrores parere potuit. Quæ tamen erumpente copioso sanguine, tum per nares, tum per vterum in sexta soluta, & inde morbus iudicatus sine recidiua fuit. Quod aduertens Hippocrat. & miratus in sexta crisim fidam & perfectam dixit: huic non repetiit. Non repetiit autem, quia morbus ex sola sanguinis vbertate productus leui negotio potuit superueniente copiosa sanguinis euacuatione iudicari, & absolutam penitus solutionem consequi. At in Philisco oppositum contigit, videlicet vt in sexta ex morbo, qui diebus paribus mouebatur, perierit, quoniam laborabat ex morbo, à prauis & exustis succis vna cum phlegmone interno pendente. Prauitatem indicabit

sudor

sudor perpetuo frigidus, & ex naribus stillæ sanguinis prodeuntes: exustionem autem attestabantur vrina nigra, & sanguis merus, qui ex naribus stillabat: phlegmonem vero significabat spiritus quasi reuocanti similis, & lienis tumor. Et ea propter cum tot mala in hoc essent ægro, non mirum fit, si in sexta perierit. Quod idem in ardentibus illis febribus, de quibus libro primo Epide. sect. 2. text 75. agebatur, iure merito contingebat, cū eæ ex praua & exusta penderent materia: etenim sudores frigidi, extremorum liuor ac frigus, stillatio sanguinis ex naribus, ingens anxietas, & alia similia prauitatem attestabantur. Exustionem autem significabat vrina nigra tenuis & pauca, cum hæc fiat exusto bilioso humore, & timores, ac mœstitiæ, cum hæc deustæ bilis symptomata existant. Quare peccante materia praua & exusta, tot prauis accidentibus concomitantibus non potuerunt non recipere hi morbi lethale iudicium in sexta, cum diebus paribus mouerentur. Similia his Pythioni, cuius historia narratur ab Hippocrate libro tertio Epidem. sectio. 3. in tertio ægroto, non tamen eadem contigerunt. Nam licet ex morbo, qui diebus paribus moueretur, in decima perierit, non tamen in eo accessiones diebus paribus contingebant, cum in die impari inciperent, vt ex rigore in prima & tertia die accedente, qualem motum censendum est febrem in posterum reseruasse, patet. Tunc temporis enim febris incipiens, & ad noctem se extendens, cuius merito noctes, quæ dies pares antecedebant, omnes erant molestiores, etiam vltra ad sequentem diem perdurabat, qua declinante ad meridiem, æger obmutescebat, refrigerabatur, & spiritum paruum per multum tempus habebat. Quæ omnia sicuti pessima sunt, ita & lethalia existunt, cum hęc innatum calorem imminui, & extingui attestentur. Vnde in hoc accessiones nequaquam dieb. paribus inuadebant, sed in eis labores & symptomata praua contingebant. Quod animaduertens Hip. in fine, non accessiones diebus paribus accidebant, sicuti transtulit Interpres, sed in paribus labores, dicebat. Labores autem huic diebus paribus accidebant, quoniam in eisdem diebus contingebat febres declinare, in declinatione autem harum ex ingenti prauitate digesto iam febrili, vt inquit Gal. calore, & propter morbi sæuitiem labefactato, ac resoluto calido natiuo, hinc corpus refrigerabatur, ex spirituum resolutione, ac inopia vox deperdebatur, in qua eadem declinatione censendum est sudorem quoq; frigidum & copiosum fuisse, vti in vltima die factum notat Hippocrates. Quare cum declinationea harum febrium essent prauæ, & cum prauis accederent symptomatibus, & totius accessionis, quæ in fine diei imparis incipiebat, & tarde vsq; ad diem parem procedebat, para deterior esset, hic morbus dictus est, dieb. parib. moueri, & in die pari labores habere. Ex quo factum est, vt & in die pari Pythion moreretur. Nam cum mortes, vt docuit Galenus libro secundo de diebus criticis, capite duodecimo, in accessionum deteriori parte contingant, & in Pythione deterior accessionis pars esset declinatio in die pari eueniēs, omnino in declinatione, & in die pari erat ei moriendum. Mortis igitur huius in die pari diuersa est ratio à præcedentib. cum tamen eadē quoad mortis causam existat, videl. prauitas morbi, & malignitas materię peccātis, quæ in hoc adeo insignes fuere, vt mirum sit, quomodo vsq; ad decimam diem æger perdurarit. Sed forsan ęgrotans Pythion ex causis procatarcticis, quæ semper detrahunt iudiciis, & sine quibus semper deterior censendus est morbus, potuit tandiu durare, vt decimam attigerit. His autem explicatis liqueat non esse proprium morbis acutis, moueri diebus imparibus, nec etiam morbos acutos tunc tantum moueri per pares, quando ex erratis aut ægrotantium, aut medici eorundem iudicia ac constitutiones peruertuntur, cum alii ex acutis hunc motum ex causa interna, & propria natura habeant. At si hæc vera sunt, quid ad Hippocratem dicendum erit, qui libro quarto regim. acutor. 36 aiebat, maxime vero numerus impar est obseruandus? Quem locum explicans Galenus inquit, hoc de acutis morbis esse intelligendam, cum insignis in his fiat in vtramq; tum salutem, tum mortem mutatio diebus imparibus. Qui idem Hippocrat. libro quarto apho. 61. dicebat: Febricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidiuare. Quod idem sentiens libro secundo Epid. sect. 5. dicebat: Si non in die impari febris dimittit, recidiuare necesse est. Quare si numerus impar in acutis maxime est obseruandus, & si febris, quæ non soluitur. id est, iudicationem non recipit in die impari, solet recidiuare, igitur iudicia in morbis acutis erunt tantum attendenda diebus imparibus. At notandum est, Hippocratem dixisse, numerum imparem maxime non solum obseruandum esse, ratio est, quoniam frequentissimum est, morbos acutos moueri diebus imparibus. Etenim cum pendeant vtplurimum à calidioribus succis, solent primam accessionem vehementiorem habere, & reliquas illi proportionales per diem tertium, (nisi quid adsit eorum, quorum merito diximus vel accessiones, vel labores ad secundam diem deteriores fieri) succedere. Quod licet frequentissimum, nō tamen perpetuum existit, cum nonnunquam dentur morbi acuti, qui non in prima die, sed in secunda aut vehementiorem accessionem, aut deteriora accidentia habeant, cuius merito moueri diebus paribus dicantur. Ad quod respiciens Hipp. lib. 1. reg. acut. 25. monebat, ptisanam post crisim per duos dies adhuc exhibendam esse, vt dierum paritas & imparitas obseruetur. Hanc autem paritatem & imparitatem dicebat Gal. adnotandam esse, vt ii, qui diebus tum paribus tum imparibus fiunt, accessionum circuitus obseruentur. Si a. hęc obseruanda sunt in acutis morbis, de quib. loquitur, cui dubiū Hip. & Gal. sentire morbos acutos, & per dies pares, & per dies impares moueri, & in eisdem posse iudicia consequi? & hoc præcipue cū loquantur de acutis, qui salubriter soluuntur. In quibus si fiunt salutaria iudicia, igitur non ex errato censendū est, morbos acutos dieb. parib. moueri. Quod

tamen cum non sit frequens, sicuti frequentissimum est, hos imparibus moueri dieb. ideo dicebat Hip. numerum imparem maxime, id est, præcipue obseruandum esse. Non autem dixit, quod soli impares dies sint obseruandi, cum & pares etiam obseruari debeant, vt loco citato lib. 1. reg. acutor. 25. notatum est, & sicuti insinuat Hippocrat. libr. 1. Epid. sect. 3 tex. 14. recēsens ex decretoriis diebus, & qui per pares, & qui per impares iudicant dies, absolute sentiens morbos tam per pares, quam per impares iudicari ex propria natura consueuisse. Quod autem febres, nisi diebus impsribus dimittant, recidiuare consueuerint, quid aliud est, quam febres recidiuare consueuisse, nisi solutionem receperint in die naturali ac legitimo, id est, in quo legitime indicatio fieri debeat, qualis vt plurimum solet esse impar in tertianis, & ardentibus, de quibus loquebatur Hippocrat. imparitatem non secundum dierum numerationem, sed secundum circuitus, qui cum de tertio in tertium, siue morbus diebus paribus, siue imparibus moueatur, fiunt, idcirco vocati sunt impares dies. Cum enim iudicia rite facta sequantur accessionum vehementiam, ideo in his imparibus diebus, id est, in circuitibus tertianis vehementioribus, non autem in diebus paribus, id est, in minoris accessionis die iudicia fieri debent, alias non erunt aut fida, aut perfecta. Nam cum in die pari, id est, in die minoris accessionis natura parum irritata sit, & humores vehementer non moueantur, eruptiones peccantis materiei absolutæ, ac perfectæ nequaquam fieri possunt. Quamobrem relicta humorum peccātium parte, non potest non recidiuare febris; quæ tamen necessitas non est absoluta, cum hæc sententia æque ac cæteræ medicinales regulæ vt plurimum verificetur. Quare aphorismi sensus hæc erit, quod si iudicia febrium tertianarum & ardentium non fiant in die maioris accessionis, recidiuæ periculum imminet. Et quoniam dies maioris accessionis coincidit cum die motus morbi, hinc ab Hippocrate dictum fuit, quæ diebus paribus accedunt, paribus iudicantur, quorum vero sunt imparibus accessiones, imparibus iudicantur. Et quoniam tam pares dies, quam impares possunt esse indicatorii, ideo Hipp. sequenti text. 14. & pares & impares decretorios enumerare voluit. Quibus enumeratis subiungit iudicia extra præscriptos dies facta recidiuam prænunciare. Quod simile est aphoristicæ sententiæ, habenti iudicia in febribus tertianis & ardentibus extra dies impares, id est, legitimos & indicatorios facta recidiuam portendere. Quam eandem sententiam recipiens, & magis explicans lib. 2. Epid. sect. 5. dicebat, si febris non dimittat ἐν τῇ γονίμῃ, id est, in naturali die, id est, qui legitimus, & legitime iudicare debet (non in impari, vt male transtulit interpres) recidiuari necesse est. Hanc sententiam magis aperte explicauit Hippocrat. in libro de coac. præno. recensens prædictiones in febribus, sic dicens: Quibuscunq; desinunt febres non in diebus indicatoriis, his recidiuæ fiunt. Quare cum hęc vna sit, & eadem in omnibus prædictis locis sententia, liquet per dies impares in aphorismo intelligendos esse legitimos & indicatorios. Impares autem dicuntur ex motu tertiano: legitimi vero, quia in his legitime iudicia fieri debent, & quæ in his fiunt, legitima sunt: iudicatorii autem, quoniam in his iudicia plerunque fiunt, & his dicata proprie est vis iudicandi. Quare admiror Galenum, qui in Commento illius aphorismi mutauerit & dubitauerit, an germanus, an interiectitius existat. Admiror eundem quoque, qui numerans dies pares pro paribus recenseat decimam quartam, vigesimam, trigesimā quartam, quadragesimam, sexagesimam, & octuagesimam, cum tamen hos omnes dies pro imparibus enumeret ac recenseat lib. 4. reg. acutor. 56. At suntne hi pares an impares? secundum numerationem numeralem profecto sunt pares, at secundum vim & formam sunt impares. Cum enim omnes hi ex septimanis constent, tanquam ex imparibus compositi impares vocantur, & impares vere sunt, quoniam sicut annus & menses, ita & septimanæ, vt docet Hippoc. lib. 3. Prognostic. text. 5. integris diebus nequaquam numerari possunt. Sicuti autem integris numerari diebus nequeunt, ita numerationi numerali haudquaquam correspondentes dies secundum numerationem numeralem pares ex septimanis cōstitutos impares efficiunt. Numerationem autem numeralem considerabat Gal. in aphorismi Comento, alteram autem in 4. acut. respiciebat. Impares igitur sunt præscripti dies vt iudicatorii, pares autem vt numeratione numerali numerati. Quam imparitatem attendens quoq; author huius libri 4. de morbis decimumquartum diem pro impari recenset, dum dies impares enumerat. Quam eandem respiciens Hippocr. libr. 4. aph. 36. inter impares numerales decimam quartam, vigesimam, & trigesimam quartam numerabat. Sed quid est, quod Galenus in com. dicit, quartam ab Hipp. prætermissam esse, quia in ea non fiant iudicia per sudores, cum habeamus Periclis Abderitæ historiam, qui in quarta per sudorem indicatus fuit, & quod dicit, morbos, qui diebus imparibus accessiones habent, cito, qui vero paribus, tarde iudicari, cum hicidem Pericles in quarta, virgo autem Larissæa in sexta iudicata ex morbis motum in die pari habentibus fuerit, plurimorum autem exempla habeamus, qui tarde iudicari sunt ex morbis, habentibus in imparib. diebus accessiones? Dixit Galenus rarum esse, morbos per sudores in die quarta indicari, non autem absolute dixit, non iudicari; quod cum rarissimum existat, idcirco Hipp. historiam Periclis Epidemiis libris, tāquam rei rarę exemplum adscripsit. Quod autem morbi, qui diebus imparibus accessiones habent, citius iudicentur, qui vero paribus, tardēt, & ratio & experientia hoc docet. Nam materię, quę segniter mouentur, tarde etiam iudicia recipiunt, sicuti ex aduerso, quæ celeri motu donata sunt, cito iudicantur. At ex prædictis constat, morbus, qui diebus paribus mouentur, segnem habere motum, qui autem imparibus, celerem, quod ex materia, & ex natura peccantium humorum habent. Nil tamen ex aduerso prohibet, stante virtutis robore,

bòre, & benigna peccante materia, eaqoe vel ob eopiam, vel nb qualitarem naturam irritante, quin in morbis motum parem habentes velociter iudicentur, vt in Pericle, & virgine illa factum est, cuiuscemodi & nihil obstat, quin succumbente virture, & praua peccante mareria, eaque ob malignitatem naturam irritante in eodem genere morbi celeres fiant iudicationes, vt in Philisco factum fuit. Sed hæ lethales, illæ autem salutares: quemadmodum & crebro videmus iodicia in morbis impari die motum habentibus tardare, cum anceps est pugna inter naturam & morbum, vel viribus robustis eum vehementi morbn æqua vi eoncertantibus, vel neutris horum robustis existentibus, vel materia leniter irritante naturam. Ex omnibus enim his causis solent tardare iudicia, sicuti ex oppositis accelerari. Quare Galeni sententia regulariter, nnn ex necessitare intelligatur, morbosque singulos, siue paribus, siue imparibus moueantur diebus, posse tarde & cito ex speciali causa iudicari aduertatur, sicuti ex speciali causa possunt esse aut salutares, aut lethales. Et hæe de morbis, prnur vel pari, vel impari die mouentur.

Nunc autem exactius referre volo, cur homines ægrotent, simulq; cum hoc sermone dicam, quæ sint principia morborum, & qualia vnūquodq; ipsorum efficiat. Sic a. assero. Si cibi plures quā opportunū est, qui iam concocti sunt, intus maneant, & homo non purgetur, & alii cibi superingerantur, corpus ab humore priore, ac recenti repletum calescit, & febris ex hoc homini oboritur. Verum febris hoc modo oboriens, nō periculosa, neq; fortis est, in qua humor æqualis est, copia paululum vberiore nos affligens. Si n. hoc ita se habuerit, & quis admodum validus sit, & quæ cōmoda sunt, adhibuerit, sanus euadit. Vnus a. morbus solus est ex omni humore, & septem signa habet. Nam & tussis ipsum habet, quæ & debilis & sicca est: & venter durus fit, vtpote stercore intus contento: caput grauatur, & vomit, & febrit, & vrina non probe prodit. Hæc septem signa huius morbi sunt ex omni humore oborientis. Si vero alui egestione non prodeunte vnus ex aliis humoribus superet, melius deget homo. Et si quis febre oboriēte ab omni humore non adhibeat idonea, inualescet morbus quantum ipse humores superauerit, hoc modo. Calescente sanguine exhalat maxime per hunc humor aquosus, qui febri est infestissimus. Relinquitur autem pinguis ac leuis, qui est biliosus, & febri maxime nutrimentum est. Exhalat autem hoc modo, velut si quis aquam & oleum in vas aneum infundat, & ligna multa subiecta ad multum tempus exurat. Aqua enim multo paucior erit, ex vase enim exhalabit: oleum autem paululum imminuetur. Nam aqua præ raritate ab igne attenuari potest, & leuis reddita exhalare: oleum vero, vtpote quod est viscidum ac densum, attenuari non potest, neq; similiter vt aqua exhalare. Sic sane & in homine se res habet, aqua enim calescente corpore foras exhalat: biliosus autem humor, vt qui coniunctus est ac densus, non similiter attenuatus exhalare potest. Verum attenuatus hic biliosus humor, corpus magis calere facit. Copiosius enim & melius alimentū febri bilis suppeditat, & prorumpens, aut firmata in corpore, morbum supra priora corroborat. Atq; hæc quidem dicta sunt de eo, quod afficitur homo, si non purgetur & curetur. Si vero non ipsa copia præualuerit, siue semel multa fiat, siue paulatim colligatur, reliquum corpus dum hoc fit, præ robore sufferre potest, donec principium aliquod superaccedat. Atque hoc sane modo morbus fit, si homo à copiosiore humore non expurgetur.

SECVNDVM ex principalibos quæsitis propositorum erat explicare causas, vnde homines ægrotent. Quas licet abunde Hippoc. superius exposuerit, nihilominus tanquam sibi nnn plene in prædictis satisfecerit, rursus hanc eādem rem exactius se relaturum pollicetur, promittens se quarto quæsito, per quod declaranda erant morbnrum principia, in hac explicatione, vt integra hinc habeatur morbosarum causarum enumeratio, satis se plene facturum esse in sequenti textu, declarando simul qua ratione vnumquodque horum principiorum morbos efficere aptum sit. Rem autem aggrediens inquit: vbi ingesta alimenta fuerint concocta, & in corpore recepta manserint, nulla humorū extrementitiorum, quæ ab vtilibus deciduntur, facta ad extra corpus purgatione, aliiq; superingerantur cibi, qui pariter, vbi concocti fuerint, in corpus insumantur, tunc corpus ab humore priore ac recenri repletum incalescit, & ex hoc homini oboritur febris. Et hoc non immerito, etenim cum tam excrementitius, quam vtilis in eo abundet humor, non potest non alterari præter naturam corpus, ex qua alteratione cum præternaturali calore incalescat, febris in eo oboritur. Verum hanc febrem, si plenitudo non admodum supra vires, sed paululum fuerit, poterit corpus, vbi robustum existat, & nullum aut in victu, aut in curatione errorem admittat, non tantum facile tolerare, sed etiam superare, vnde sanum ex hac febre, (vbi quæ pro ratione administranda sunt, adhibeat) celeriter euadet. Si autem non vnicum, sed omnes pariter quatuor dictos humores massam sanguineam constituentes contingat, vberius quam deceat, abundare; eorundemq;, nec eorum, qui ab his deciduntur, nullam purgationem fieri, tune vnus insurgit morbus ex plenitudine supra vires causata, cuius sunt septem non propria, nec necessaria, sed coniecturalia, & vt plurimum contin-

cootiogeotia signa. Quorum primum est tussis debilis, pendens ex angustia vaiorum ob pleoitudioem turgentium. Secuodom est tussis eadem, sed sicca, nam cum nihil desluat à capite, & nihil refudet è vasibus, prorsus sieca erit. Tertium est ventris durities ex terentione fecum, quas natura grauata & oppressa exelodere nequit, causata. Quartum est capitis grauitas, ab bumorum cerebtum occupantium immoderata copia peodens. Qnintum est ciborum ingestorum vomitus, natura etenim præ faturitate ob plenitudiuem Ingruente assumpta renult, & inde eadem facile reiicit. Sextum est febris orta ex plenitudine vasa obstrueute. Septimum est lutiom oon rite secundum naturæ ordinem prodieus, & cum calore, & substantia à natutali immutatom exeat. Qnæ septem signa fuot morbi ex plenirudine orti indicia, ptoot copiam homorum omoium lo venis abundantium iodicaot. Si vero aloi egestione uoo prodeunte, id est, si uulla fiat reduudantium bumorum purgatio, & vnicus taotum ex prædictis bumoribus abundet, non autem omnes, vt in priori casu, çque superfluant, ex hoe casu melius deget bomo, quam ex eo, in quo omnes pariter reduodant. Nam louge optabilius est vnicum, quam plures habere aduersarios. Vbi autem omues pariter affluaot, & ex bac affluentia febris obotiatur, nec vòlia præsidia, & quç pleoltudinem Imminoere, ac supetueniētem alterationem retundere idonea adhibeantur, in ea proportione morbus inualescit, in qua Ipse humores superauerit, ac eis dominatus fuerit. Prædomioiom autem hoc in febre, ex massa sangulnea supra modum affluente causata, hac fit ratioue. Calesceote ac ebullieute ob prænarratam febrem sanguinea massa, quam ex quatuor primariis humoribus eonstare oouimus, omnes bumores pariter, non tamen pari ratiooe acceuduntur. Alter enim qui aquosus est, & natutam aquæ teseruat, aceensus absumitur, alter veto, qui pioguis ex geoetarione, leuis ex substantia, tenuis ex alteratione existit, accensus flagrat. & ioceodium maius parit, nec tameo ex incendlo absumitur, quinimo augetur. Sed cur ille absumitur, hic vero haudquaquã? Quoniam aquea lubstantia vi ignis exbalat, pioguis autem nequaquam. Hoc pateat exemplo: nam si hydrelçum in vase æneo igni appooatur, aqua ebullieote bydrelæo cousumitur, oleum autem vix imminuitur. Qood Idem proportiooaliter cootingens io massa saoguinea ob febrem ebulliente, causat, vt humor aquosus, qui febri est iufensus ob bumiditatem aqoeam, & inde febris ardorem retundere posset, facile ob propriam aquæ naturam coosumatur, bilis autem, quæ febri proportionalis est ob naturam igneam alimeotum, & viscidam proportiooe ad oleum substanriam retinet, non absumatur, quinimo augeat ageore in dies vehementius in reliquum sanguineæ massæ præternaturali calore, à quo semper pingulor pars superacceusa in bilem vertitur, & lode continne febri fomes suppeditatur. Cuius merito fit, vt morbus cootinne innalescat, & deterior euadat, cum preter id, qood idoo ea tum ad Imminuendam plenitudlnem, tum ad remittendam alterationem non adhibeutur præsidia, etiam coufiagrante sanguinea massa pars aqoosa, à qua febrilis calor obtundl posset, absumatur, biliosa autem pars, quæ igoi proportlonata febrilis caloris commodum est alimeotum, ooo modo accendatur, verum etiam augeatur. Quæ omnia dicta & Intelligenda sunt de morbo ex çquali omoium quatuor humorum plenitudine orto, vbi oec vlla oaturalis purgatio, nec vlla rationalis curatio fieri contingat. Quæ ramen plenitudo siue paulatim, siue aceruatim colligatur, si copia corpori non admodum præualuerit, morbum vehemenrem, qualem superiorem describimos, nou causabit, sed debiliorem pariet, quem corpus validum præ robote tolerans taodem superare poterit, oisi voom aut alterum ex principiis morbotum, de quibus in sequenti agendum erit, iosuper accedar, & hominem sua vehementia male afficiat.

26 *Principia, ex quibus fiunt morbi, tria sunt. Et vnum quidem iam à me relatum est, qualia & quot efficiat in corpore: (demonstraui enim quomodo & cur ægrotet homo, si non purgetur) Alterum est, si contingat, vt ea, quæ ex cælo obueniunt, inepta, & præter victus rationem sint. Tertium est, si violentum quid accidat. Violentum autem esse dico & casum, & vulnus, & plagam, & laborem, & si quid aliud est huiusmodi. Horum vero principiorum maximum est violentia, si magna fuerit: si vero parua, non ita maximum. Secundum est, si non purgetur homo. Tertium, si quæ ex cælo obueniunt, inepta fuerint ad sanitatem. Proinde diligenter ab his se custodire oportet.*

QVINTVM ex principalibus quæsitis propositorum hoc vnum erat, scilicet, declarare, quot morborũ priocipia existant, cui nũc satisfacere intendit, sumpta occasione ex morbis leuiorib. à plenitudine ortum habentib. dũ diceret, hos à corpore facile tolerari & facile superari posse, nisi his supaccedat vonm aut altetũ ex principiis morborũ, quorum vehementia male afficiatur homo. Iuquit igitur, in summa tria sunt motborum priocipia, quorum primum est bomorum redundantium copia, vbl oulla eorum fiat purgatio, de qoo principio abunde iam actum est. Secundum est, si ea, quæ ex cœlo obuenlont, saoitatl Incommoda, & extra rectam viuendl rationem fueriot. Quæ autem ex cœlo obueniunt, sunt eæ alterationes, quæ ab aere ambiente qoomodolibet immutato contingunt, & per quas aut singulariter in quosdam homines morbi sporades, aut in multos alios vniuersaliter, ac vulgariter Epidemiales morbi introducuntur. Consueuit enim Hippocrates aerem ambieotem cœlum appellare, sicuti libro 1. Epid. sect. 2. text. 4. liquet. Quo loci receos secundum cõstitutiooem, quæ facta fuit in Thaso, & aeris qualitates explicans dicebat: Cœlum procellosum atq; onbilum. Tertium vero principium sunt ea, quæ noo per altera-

pretationem, sed per violentiam corpori noxam inferunt. Huiuscemodi autē sunt vulnera, casus, plagæ, labores, & quæ huius sunt classis, dum per violentiā, non per alterationem hominem offendūt. Ex his a. tribus principiis efficacissimū & vehemētiss. violentū, vbi impēse & vehemēter agat. Quod tamen non erit validum, si moderata fuerit eius actio. Secundum ab hoc in agendi efficacia est plenitudo citra purgationem. Tertium in ordine erūt ea, quæ ex cœlo obueniunt, vbi sanitati incommoda extiterint. Sunt autem incommoda, dum humana corpora ab eis vel in hanc, vel in illam qualitatem nimium immutantur. Quæ immutatio, cum ex causa externa, cui obstare homines diligentia ac sedulitate crebro valent, pendeat, ideo diligenter ab hac homines cum his, quæ aeris excessui reluctantur, seipsos custodire oportet. Sed cur Hip. aerem solum inter morborum principia, non autem aquam vel terram, & ea quæ aut ex aqua, aut ex terra obueniunt, inter ea enumerauit? Quoniam aqua, & quæ ex terra prodeunt, si in vsum alimenti veniunt, sub cibo & potu, à quibus humorum prædictorum generatio pendet, comprehenduntur. Si autem in vsum alimenti non veniant, sed male affecta male afficiant, hoc nulla agunt ratione, nisi vbi prius aerem alterauerint ac immutauerint, vti patet de aquis stagnantibus, de aquarum inundatione, de terræ hiatibus, & cauernis reclusis, ac aliis similibus. Quare sufficit vt aer inter hæc principia recenseatur, aqua autem, & quæ ex terra obueniunt, excludantur, quoniam hæc morborum non sunt causæ, nisi vbi in corpus ingesta humorū prauorum generationi occasionem dederint. Qui praui humores, si non purgentur, & morbos inferant, ad primum morborum principium rediguntur. Quod licet sub nomine repletionis comprehendatur, nihilominus & sub eo quæcunq; praui humores præsentia intelligitur, dum à natura nequaquam ad extra expurgetur.

27 *Singula vero talia in corpore faciunt, qualia ego dicturus sum. Equidem si vulnus fiat, manifestum est, quod caro dissecta est, & vlcus factum est: hoc autem morbum esse dico. Si vero contusio fiat, homine percusso aut lapso, aut aliud quid tale perpesso, & tumor oboriatur, sanguis statim præ violentia calefactus, & venis hiantibus illapsus, non habens exitum præ copia, quo abire possit, conglobatur, & propterea tumor fit, & tamdiu adest, donec depurgatus fuerit, eo modo, quo de locis depurgari dictum est, aut etiam per ipsum tumorem, & siue per chirurgiam, siue sine ea, sanguini transitus fiat, aut per tempus suppurato, aut non. Sed & labor tale quid efficit. Quum n. homines laborarint, quibus sane partibus maxime sanguinis afflictio contigerit, illic firmatur ac calescit, & ex hoc dolor oboritur. Si vero hæc quidem superarit homo, verum plenitudo ob laborē accedat, & aluus ac vesica non breui copiā expulerint, febris sane ex hoc irruerit. Et si quidem prior humor æqualis fuerit, nequaquam: si vero in labore ipsorum plurimus in corpore permaneat, superat ille. Atq; hæc à me dicta sunt, de violentia, qualia in corpore efficit. Et hæc quidem duo sunt principia, violentia & plenitudo, quæ, si non purgentur homines, corpora calefaciunt.*

CVm ex tribus morborum principiis efficacissimum posuerit violentum, ab hoc incipiēs exemplo vulnerū, contusionum, & laborum nititur declarare, qua ratione fiant morbi ex violētia. Ordiens a. à vulnerib. inquit: Si vulnus infligatur corpori, manifestum est, carnem dissectam esse, & vlcus factum esse. Si autem factum est vlcus, factus est & morbus. Nam vlcus est morbus, & non modo est morbus, sed alias dictum est, sicut habetur libro 3. de fract. text. 34. probabili, & æquitatem habente oratione cæteros quoq; morbos posse vlcera appellari. Quo ad contusionē, inquit: Si ex percussione, aut casu, aut alia simili externa occasione in parte aliqua corporis carnosa cōtūdatur homo, ob violentiā volulæ internæ ruptionē quandā subeūt, quib. hiantib. confluit sanguis in partē contusā, è qua egredi cum nequeat partib. externis sensibilem continuitatis solutionem nequaq̄ patiētibus, inibi colligitur, conculcatur, & tumorem in parte contusa producit. Qui tumor morbus est, & nulla alia ratione solubilis, nisi aut per insensibilem trāspirationem difflato, aut per coctionem suppurato ipso sanguine, ac demum aut sponte, aut arte per chyrurgicum opus purgato. Quo vero ad laborem, inquit, ex labore (per laborem intelligit exercitationem supra vires cum vehementia factam,) morbum & febrem oriri, quoniam ad eas partes, quę maxime laborarint, sanguis ex superfluo labore fusus ac concitatus confluit, inibiq; firmatus calescit, & dolorem simul inducit. Quod facile patet in lassitudine phlegminosa, dum à nimia exercitatione causatur. In hac enim, si corpus fuerit validum, hanc lassitudinem quidem tolerabit; verum si natura aut per aluum, aut per vesicam materiam peccantem non expurgauerit, tandem febris necessario superueniet. Quæ materia, si plurima fuerit, & copia corpori præualuerit, ipsum superans magis lędet, si vero in ea ęqualitate existat, vt copia nequaquam, sed alteratione & qualitate offendat, nequaquam tantam inferet noxam, sed minimam, vt hinc aut minime aut parum febriat. Longe enim noxior est peccantis humoris copia, quam eiusdem sola qualitas. Et hæc in exemplum eorum, quæ per violentiam morbos inferunt, dicta sufficiant. Quamobrem duo morborum principia, scilicet, violentia & repletio, quę non purgetur, expedita sunt; superest tertium, scilicet, quæ in cœlo obuenit, de quo in sequenti.

28 *At vero quod ex cœlo obuenit principiū, si ineptum fiat in homine, superat aliquid humoris, & velut ad morbum calefacit & frigefacit prius, si fieri contingat. Dicam autem prius de*

de eo, quod calefacit. Sic igitur sentio. Si in eodem homine fuerit aliquid morbosi, quale in priori dixi, & ea, quæ ex cælo obueniunt, incommoda fuerint, & calefcat homo, turbatur humor omnis in corpore calescens. Hoc autem violentia facit. Et si quidem depurgetur homo humore illo turbato, secernitur quantum eius plus quam commodum est, redundarit. Et habet hæc rei similitudinem ad id, quod Scythæ faciunt ex equino lacte. Lac enim in caua vasa lignea infusum concutiunt: illud autem, dum turbatur, spumescit ac secernitur: & pingue quidem, quod butyrum vocant, quum leue sit, in superficie consistit: graue vero & crassum, deorsum scidit, quod etiam secretum siccant: vbi vero concretum ac siccatum fuerit, Hippacen ipsum vocant. At serum lactis medium locum tenet. Sic etiam in homine, dum turbatur humor, quicquid eius est in corpore, à principiis, quæ dixi, dissparatur. Et in superficie quidem bilis consistit, (leuissima enim existit) secundo loco sanguis: tertio pituita: grauissimus autem horum humorum est aqua. His vero ita se habentibus, quisquis ex his in morbo plurimus fuerit, in principio contingente turbatione deuenit ad locum, vbi plurimus esse possit. Verum in turbatione spatiosa capacitate euadente secretus distrahitur, & calefacit corpus. Aut aliqua corporis parte firmatus vna cum alio humore, cum quo est in alio loco, dolorem ac calorem exhibet. Qui vero calefactus est locus, insuper etiam reliquū corpus concalefacit, & ex hoc febris oboritur. Et oboritur magis à bile & pituita, & sanguine: calidissimi enim hi humores existunt. Et si quis horum in aliqua corporis parte firmatus fuerit, vt plurimū morbus illinc nominatur, & cognomen habet. Cæterum ab aqua non valde fortis febris oboritur, neq; diuturna. Nam igni non bonum alimentum aqua præbet. Atq; hac quidem de hoc dicta sunt.

Cum tria morborum, præcipue autem febrium principia constituta sint, & de duobus, quomodo corpora calefaciant, scilicet de violentia, & plenitudine, quæ non purgetur, iam actum sit, superest vt de tertio agamus, scilicet de his, quæ ex cœlo obueniunt, cum hominis sanitati incommoda sunt, dum humoribus ex sui vehementia prædominantia eos præter naturam alterant, & ex ea alteratione hominem in morbum, id est, in febrem disponunt. Quod cum duplici ratione fieri contingat, scilicet, vel quod ex febre & morbo corpus tantum calefiat, vel quod antequam calefiat, prius frigefiat, de primo nunc agemus, de secundo in posterum acturi. Cum in homine extiterit quid morbosi, quale dictum est, id est, cum aliquis ex quatuor humoribus, vel simul omnes aliquo pacto cumulentur, nulla eorum facta purgatione, & ea quæ ex cœlo obueniunt, incommoda sint, quia calidior quam deceat, sit aer ambiens, hinc immoderate, & præter modum calescit homo. Eo autem immodice calescente, omnis in eo facta ex motu commotione, turbatur humor. Quam turbationem & commotionem vis & violentia aeris supra modum alterantis operatur. Dum autem sit ista humorum ex aeris violentia commotio ac turbatio, si contingat hominem purgari, humoremq; plus quam oportebat, redundantem ad extra secerni, tunc minimum quid læsionis patitur homo, qui tamen nulla facta humoris peccantis purgatione, noxam maiorem subiens inde ægrotat ac febricitat. Qua ratione autem fiat talis turbatio & commotio in humoribus, & qualis existat, exemplo lactis, dum ex eo butyrum conficitur, pateat. Nam sicut in conficiendo butyro (cuius operis forsan inuentores fuere Scythæ, illud ex equino lacte, quo plurimum abundant, primum facientes) lac in cauo vase positum concutitur & agitatur, & ex hac concussione & agitatione pars spumescens, quoniam pinguior & leuior est, sursum colligitur, butyrum appellata, pars vero crassior, quę est lactis caseosa pars, & quæ siccata casens appellatur, ob grauitatem deorsum secernitur; serum autem, vtpote & pondere & substantia inter dictas partes medias medium locum tenet: ita in homine facta humorum turbatione, quicquid eorum est in corpore ex violentia trium principiorum dictorum, scilicet, aut ex plenitudine, cuius nulla fiat purgatio, aut ex violento accidente, aut ex ambiētis alteratione, secernitur, & ab inuicem segregatur. Qua secretione & separatione facta pars leuior sursum rapitur, grauior autem deorsum residet; medium autem locum occupant, quæ medium inter illas duas retinent conditionem. Vnde quoniam bilis omnium humorum leuissima, cuius merito alias flori, quod in vino supernatat, assimilatur, existit, ideo in superiori loco residet; secundum ab hac retinet sanguis, vtpote qui ob spirituum opulentiam calidior cæteris humoribus existens, eisdem etiam est leuior; tertium locum occupat pituita, vt quæ sanguine frigidior, & ideo grauior; infimum autem locum tenet aquosus humor, cum omnium sit grauissimus. Grauissimus autem est, dum in viuente homine ad intra vasa coercetur, quoniam ea spirituum opulentia, qualis est in cæteris humoribus, caret. Nam pituita, ne dicam de sanguine, (cum in eo maior quam in cæteris spirituum copia abundet, & inde leuitatem, cum ex propria natura ob terreæ partis abundantiam, per quam extranenatus concrescit, fit grauis, adipiscatur) pituita inquā, vtpote quæ futurum homini potest esse alimentū, multis spiritibus dotata fuit: quorum copia iure caruit aquosus humor, vt qui alendo corpori non erat destinatus, & ideo pituita licet crassior, dum ad intra vasa in viuente homine à natura regulatur, est humore aquoso leuior. Qui tamen aquosus humor ex propria natura, cum sit sanguine & pituita

pituita subtilior & tenuior, ipseque naturam aquæ referat, sanguis vero & pituita plurimam terræ partem habeant, est leuior ambobus. Vnde in sanguine à vena eiecto, postquam concreuerit in summitate supra eos secernitur, infimum locum occupante sanguine, vtpote maiorem terræ partem in se habente. Supra quem colligitur pituita, quoniam licet crassa, nihilominus minus sanguine terrea existit. Super hanc autem bilis residet, vtpote sanguine & pituita tenuior & leuior. Super omnes autem eminet aquosus humor, vtpote, qui naturam aquæ reseruans illis omnib. quæ magis terrea sunt, est subtilior & leuior. Cuius oppositus & contrarius situs attamen in viuente homine seruatur, dum ab inuicem secernuntur turbati hi humores: quoniam dum ad intra venas coercētur, & à natura regulantur, secundum qualitatem substantiæ & spirituum copiam situantur. Vnde cum bilis sit omnium tenuissima, in superiori loco residet. Sanguis huic proximus est, quamuis substantia terreus ob spirituum copiam. Tertium locum habet pituita, quia plurimo abundat spiritu, quo cum plurimum careat aquosus humor, licet tenuis, in fundo locatur. His vero quatuor humoribus ex turbatione & agitatione ita se habentibus, quisquis ex his magis abundauerit, facta quoq; turbatione in proprio fonte, decurrit ad locum, vbi plurimus esse possit. Et quoniam ex motu sequitur rarefactio & calefactio, hinc exista turbatione & commotione vasa interna magis spatiosa euadunt, & inde humores fluitantes facile recipiunt; humores autem hinc rarefacti, & magis incalescentes facilius distrahuntur, & distracti corpus calefaciunt. Qui casus nō est alius, quam febrem causari à materia sparsa, & in venis adhuc contenta. Si autem non in vasibus humor secretus contineatur, sed ex motu concitatus in aliquam singularem corporis partem irruat, in ea parte firmatur, & humori præexistenti admiscetur, simulq; in eādem dolorem & calorem inducit. Vbi autem hæc pars in tantum calescat, vt & calorem reliquo corpori impartiatur, hinc febris ex materia in vnico loco cōculcata oboritur. Et huiuscemodi morbi à parte, in qua firmatur humor, vtplurimum nominātur, & cognomen habent, vt à pleura pleuritis, qui morbi particulares à particulari parte affecta denominationem habēt. Hæc autem febris in huiuscemodi morbis causata vehementior causatur à bile, & pituita, & sanguine, q̄ ab aquoso humore, quoniam bilis, sanguis, & pituita sunt calidissimi humores, aqua autem nequaquam eiuscemodi existit. Quapropter à bile, & sanguine, & pituita febres fiunt vehemētiores, ab aquoso autem humore leuiores; quemadmodum & ab illis propter eorum crassitiem fiunt diuturniores, ab hoc tum propter eius tenuitatem, tum propterea quod aqua igni non est proportionatum alimentum, breuiores. Sed qua ratione dictum est, pituitam esse calidissimum humorem, cum ex propria temperie sit frigida? Et qua ratione dictum est ab aquoso humore nequaquā fieri febres diuturnas, nec magnas, sicuti à pituita, cū pituita sit etiā frigida, & ideo calori pariter, vt aqua igni, importunum sit alimentum? Pituita dicta est calidissima, non à naturali eius tēperie, sed ab adscititia. Nā ex turbatione & motu in corpore facto, id est, ea concepta putredine, facile incalescit, putredinique ac febri promptus, seu facilis fomes existit. At humor aquosus ex turbatione cum nec facile incalescat, nec facile putredinem cōcipiat, pituita frigidior dicitur. Qui idē, quoniam vbi incalescat, & putredinē concipiat, leuem calorem, & leuem putredinem patitur, ideo dictum est, ab aquoso humore non magnas causari febres, sicuti nec diuturnas esse posse declaratum est, cū aquosus humor igni nō bonum præbeat alimentum, quandoquidē careat pinguedine & visciditate, quas duas conditiones depoposcit alimentum, q̄ igni commodū & proportionatū esse debeat. Hæ a. duæ conditiones, cum insint pituitæ quoquo modo, non sit mirum, si diuturnas & magnas simul parere queant febres.

29 *At vero ante turbationem non habet multus humor, quo procedat, sed sursum ac deorsum voluitur & distrahitur, alis humori permixtus, (omnia n. plena existunt) In turbatione vero euacuantur. Verū aliud alio magis euacuatur, & multus humor suum locum occupat, & alienus alii non ammiscetur, si firmatus fuerit, priusq̄ ille virib. adaequetur. Potest autem ipse adaequari his, qui ab ipso postea ad morbum superaccessit, donec purgatus fuerit locus qualicunq; purgatione. Si vero multus fuerit affligens humor, attrahitur & cōsumitur ad morbum etiam alius, qui prius salubris erat. Et tali modo homo moritur. Attrahitur a. si morbus non amplius sufficiens alimentum habuerit, & consumitur ab humore, qui in loco dolente existit: primum n. propinquum assumit, deinde longius depascitur, donec consumptum fuerit, & non amplius inest in corpore alimentum. Alimentum a. est homini humor leuis. Quēadmodum igitur, vt certū est, putrefactio primum paulatim fit, si maxime calefiat; postea vbi istic alimentum putrefactioni non amplius sufficit, depascitur de sano, initio sumpto à proximo ad totum corpus, donec totum quicquid carnosum est putrefecerit: postquam vero in totum depasta est, alimentū putredini consumitur: sic sane etiā in morbo. Sūpto n. à loco illo initio, vbi istic alimentū sufficiens nō amplius inest, depascitur vlterius, à proximo initio facto. Postquam n. per totum grassatus fuerit, alimentum morbo consumitur, & alius salubris humor nō superat. Et si hoc fiat, homo moritur. Quin & in turbatione, vbi hic salubris humor ampliorē locum occuparit & non firmatus fuerit, sed voluatur ac distrahatur, non amplius alii miscetur, sed ad morbum consumitur, si nō depurgetur. Deinde venæ superimplentur. Val-*

de a. impleta nihil ex seipsis remittunt, priusquam spatiosa capacitas ipsis cõtingat. Quẽadmodũ vbi quis vehementer percussus est, sanguis sub plagã subterfurrit, nimirũ venis à plaga euacuatis. Postquam a. carnes veluti spongia fuerint repleta, non amplius remittunt, sed continent in seipsis, donec in loco aliqd ab ipsis euacuatum fuerit. Quum n. collectus fuerit sanguis, præ copia viã intercipit. Quemadmodum si qs vas olearium, coriaceum angusti oris oleo impletũ, in osculum vertat è directo, & si hoc fecerit oleum ex ipso prodire non poterit; viam n. ipsum oleum intercipit, vtpote multum & aceruatim incumbens. Si v. quis ipsum vas inclinet, libera erit via osculi intercepta, qua effluet oleum ex ipso. Idẽ fecerit etiam aqua in mensa. Ita sane etiã vbi multus humor in corpore, præ turbatione locum occuparit, & venas impleuerit, non amplius ab ipsis discedit, priusquam vbi locus vacuus est alimento à morbo consumpto. Atque hac à me dicta sunt de hoc, si in corpore qd fuerit, vnde morbi gignantur, redundantib. etiam aliis, & quomodo principia efficiant calorem, & turbationẽ humorũ deducentia ad morbũ.

CVM explicatum sit. qua ratione febris facta in humorib. turbatione oboriatur, & qua ratione oborta non æqualis ab omnib. fiat, dictũq; sit ex turbatione humorũ fieri particulares morbos, irruente & firmato in particulari corporis parte superfluente humore, nunc declarandum superest, cur humores licet redundantes ante turbationem morbos hosce particulares nequaquam pariant, & cur post turbationem factam ex iis succedẽtib aliĩ sint salutares, alii vero lethales. Quoad primum a. inqt Hip. humor multus, id est, ille, qui copia superabũdat, ante turbationẽ nullum producit morbũ, quoniam anteq̃ ex turbatione corpus incalescens meatuum internorũ dilatationẽ adipiscatur, & humor ipse fundatur, nõ habet hic humor, quo procedat, sed sursum ac deorsum voluitur, id est, intra vasa interna & ꝓpria solũmodo circũfertur, & per ea tãtum ꝑmeat vna cũ cæteris humorib. q ad intra venas existentes, hinc & inde per corpus vniuersũ circumfluũt. Etenim vasa & venæ internæ prædictis humorib. plenæ sunt, & prædictos humores, anteq̃ turbentur, continent & coercent. At hi, vbi turbati fuerint, funduntur, fusi a. hinc inde circumfluendo morbum salutarẽ pariunt, cum ex turbatione hi euacuentur facile, tũ ob promptitudinẽ & latitudinem vasorũ, tum ob fusionẽ ex turbatione adeptã, licet alius alio facilius aut propter tenuitatẽ substãtię, aut propter latitudinẽ vasorum propriorũ euacuetur. Et quoniã conturbatis humorib. vti superius exẽplo factis declaratũ fuit, vnusquisq; in suum secedit locum, hinc fit, vt humor mult⁹, id est, ille, qui copia excedit, facile propriũ occupet locũ, quo loco firmatus cõmoderationem pro restitutione pristinæ sanitatis non recipit, priusquã per aliquam seu purgationẽ seu euacuationem cæteris adæquetur humorib. commoderationem n. recipiunt humores, cũ ad inuicẽ æquantur, quo casu simul cõmisceri cessante turbatione, & ꝓ ꝓportionatã in venis & vasib. humorũ massam formare solẽt. Dum n. alter alterũ superat, ad inuicẽ nõ miscentur, nec cõtemperãtur. etenim ꝓdominãs humor aliorũ mixtionẽ aut tẽperamentũ non admittit. Potest tamen ipsi adæquari is, q ab ipso postea ad morbũ supaccessit, donec purgatus fuerit qualicunq; purgatione, id est, humori ꝓdominanti, & ob copiã redundanti, potest quilibet humor, qui ad morbũ, id est, ad locũ affectũ supaccedat, æquari, vbi ille, qui redundabat, qualibet purgatione, id est, siue per aluũ siue per lotiũ purgetur, euacuatus, & inde imminutus fuerit. Eo n. ad commoderantiã redacto cæteri humores ipsi æquantur, & inde si quid morbosi ex tali turbatione ꝑexciterit, solutio succedit, cum sanitas ex humorũ ad inuicem cõmoderatione cõstituatur. Si vero humorũ commoderatio nón succedat, eo q humor affligens sit multus, & nullam recipiat purgationem, tunc eo ꝓdominante insumitur in morbum quilibet alius humor, quamuis salutaris, qui morbo superaccedat: ex quo fit, vt nõ tantum humor affligens cæteris non æquetur humorib. sed etiam vt cæteros ei superaccedentes in ꝓpriã immutet naturam, indeq; omnem salubrẽ humorem depascens, tandem homini mortem inferat. Insumitur a. in morbum salubris humor, cũ morbus, id est, putredo ꝓpriũ humorem absumpserit, nã eo absumpto, & inde ei deficiente alimẽto, serpit morbus & putredo à particulari loco affecto in propinquos tum locos, tum humores, à quib. deinde continue & longius progrediens tandem sana & salubria corporis depascit, donec prorsus absumptũ fuerit, & non amplius insit in homine alimentũ. Quod alimentũ cum ꝑ coctionem omne excrementi genus deponat, & per eandẽ tenuitatẽ substantiæ adipiscatur, vt inde per corpus facile promeare, & leui negotio in nutriendi corporis substantiã transmutari possit, dicitur esse leue. Propter hanc a. leuitatem, & propter tenuitatẽ adeptam, facile ex morbi violentia totam salubrem corporis molẽ depascente, potest in dicto morbo absumi. Hoc a. absumpto vitæ nullum est residuũ, cum tamdiu viuamus, quamdiu nutriamur. Quod a. mors ex morbis particularibus prædicta ratione obueniat, videlicet, quia in morbum insumatur totum salubre alimentum, ab eoq; in proximiorem partem serpẽte prorsus absumatur, pateat exemplo putredinis in affectibus nomodis contingente. Nam cum nome & putrefactio ex superfluo calore innatum resoluente ab initio in aliqua corporis carnosa parte exorta fuerit, alimentum illius partis salubre ac naturale absumit, quo absumpto serpit ad vicinas & sanas partes, hoc idem in eis agendo, ab eisdemq; in proximas progrediens vlterius absumpto priori alimento depascitur, quousque per totum corpus grassata alimentum vi morbi consumpserit, & nullus amplius humor salubris superfuerit, quo casu pars nomode affectu deprehensa mortificatur vitam amittens.

Quod

Quod idem cum contingat in morbis particularibus, videlicet, quod humor alimentarius per partem post partem in morbum insumatur, ab eodemq; absumatur, non mirum sit, si ex huiuscemodi morbis homo pereat. At qua ratione salubris, & alimentarius humor, qui ex sanguinis massa constituitur, insumitur in morbum? Insumitur, quoniam, cum ex corporis turbatione hic humor, quandoquidem ex hac fundatur, maiorem requirat locum, in quo contineatur, nec vllibi firmetur, sed hinc inde circumuoluatur, & intra vasa circumfluat, tandem, nisi præuia aliqua euacuatione purgetur, ad morbum, id est, ad locum affectum decurrit, & in eius circumstantia spatia sistitur, à quo deinceps venæ, quæ morboso humore plenæ erant, hoc salubri superimplentur. Vbi autem hæ valde ita impletæ fuerint, nihil ex seipsis, cum hinc omnia spatia sint obturata, remittunt, indeque morbum grauiorem faciunt, qui eousq; patientem affligit, quousq; spatia illa exobstructa, cuius merito purgari morbosus humor queat, fuerint. Quod idem cum in vulneribus vehementioribus contingat, doceat nos, qua ratione humor ad locum affectum decurrens eundem repleat, & repiendo vasa obturet, morbumque faciat, qui eousque affliget, quousque per eadem spatia idem humor euacuetur. Etenim videmus in vulneribus magnis sanguinem per ampla vasa ad extra effluere, & simul per spatia minora, & per venas exiles in circumstantem carnem influere, quæ circumstans caro eum veluti spongia prædicto sanguine fuerit repleta, nihil ex se remittit, cum sanguis inibi collectus pre copia sibi viam præcludat, sed illum continet, quousque ex iisdem spatiis aliquid euacuatum aut purgatum fuerit. Quod autem humores simul collecti, & in vnum locum inclusi non diffluant, sed sibi viam præcludant, hoc pateat exemplo vtris olearii, hic enim si oleo repletus inuertatur, è directo oris angusti, quod habet, nihil ex se remittit, quoniam oleum sibi viam, quoniam aceruatim & multum incumbit, intercipit. Quem tamen si quis non è directo inuertat, sed tantum incliner, oleum libere effluit, cum via à copia non intercipiatur. Quod non diffluat etiam humor in vnum collectus, indicat aqua supra mensam proiecta, cum ex ea formantur guttæ rotundæ, ac orbiculares: nam hæ nisi tabula inclinetur, stant firmæ, nec loco dimouentur, nusquam defluentes. Quare non sit mirum, si vbi multus in corpore humor abundet, & præ turbatione commotus locum aliquem particularem occupauerit, eiusdemque venas repleuerit, ibidem collectus ab eo non discedat, priusquam ea spatia, ad intra quæ repletus fuit, exinaniantur, hinc remoto & ablato morbi alimento, alimentum enim morbi erat humor in parte affecta collectus ac receptus. Et hæc dicta sint de morborum causis, & quomodo principia calorem & turbationem in corpus inducentia morbos diuersos pariant.

30 *Nunc autem dicam, quæ efficiant ea, quæ ex cælo nobis obueniunt, si ad quæ in corpore generata sunt, inepta fiant, & quum humorem in corpore superarint. Assero a. partem humoris in homine, vbi liquatus fuerit, conglobari ac spissari, donec morbum pepererit: partem vero dilatari ac secerni. Habet autem & hæc affectio similitudinem ad lac. Si quis enim coagulum in lac immitat, frigiditas in ipso oborta lac inspissat, ac conglobat. At circum inspissatum serum est. Sic etiam in homine humor, frigiditate in morbo oborta, conglobatur & inspissatur. Circum ipsum vero aquosum humorem adhuc etiam alius humor, quanto copiosior fuerit in alio corpore, ammixtus est. At si quidem ad aluum deuenerit, stercus conturbat, & tormen in aluo inducit, & foras pertransit, nullo magno damno illato. Si vero non ad aluum deuenerit, firmabit se aliqua corporis parte, vbi ipsi plurima capacitas erit. Volutatur itaque, exquirens sibiipsi loci capacitatem. Et quod quidem aquosi humoris de conglobatione secretum est, vtpote frigidissimum ac grauissimum in corpore existens, ad infernas partes descendit, & circum ossa ac neruos volutatum adhuc magis corpus ad inflammationem perducit, & clarum est, quod circa neruos, & præsertim circa ossa, aquosus humor, qui humorem facit, existit. Circa osseas enim corporis partes homo maxime riget, & capilli erecti stant, contorta cuticula, ac sicciore euadente quam priori tempore, nimirum aquoso humore istic deficiente, & circa ossa obuoluto. Atq; hinc sane solus ille locus, vbi primo tempore erat, humorem facere non potest, vnde etiam rigor oboritur. At vero reliquus humor, quam æqualissime crassus est, partim quidem in toto corpore est, partim vero quantum abundauerit, si quidem aluus plena non fuerit, & quod affligit, modicum sit: quandoque ad aluum deuenit, & nullum magnum damnum inducit, & aliquando quidem febrem non inducit, aliquando vero debilem, & innoxiam, & quod affligit, vna cum stercore exit. Si vero aluus plena multum, quod affligit, habeat, periculum est ex ipso morbum aliquem fieri, si alicubi se firmet id, quod affligit, aut ad latus, aut ad viscus, aut alicubi aliam partem calefaciat, vt primum illum humorem simul turbet. Qui vero non valde ex calore ab aquoso humore victi sunt, vtpote qui circa ossa, & prope medullam consistit: hos progressu temporis magis lædet, primum quidem in illum*

ipsum locum, & deinde ipsi propinquum, & semper vlterius depascitur, & aluus ipsum assumit, vt quæ calida sit: & postea tum aluus, tum ledens humor, adhuc magis calefacit. At humor crassus calescens primum diffunditur, is, qui propinquus affligenti existit: diffusus autem aquoso humori affligenti miscetur, deinde in concussione corporis inanior redditur: & tamdiu rigor tenet, quamdiu aquosus humor alii humori ammixtus est: Quin & febris hoc modo generata oboritur. Affligentia ad locum firmata, calescens corpus febrem in se suscipere cogunt: & ab affligente, & ab aluo calefactum, reliquum aquosum humorem superat. Atq; sic febris fit post frigus, si qua corporis parte copiosior humor firmatus fuerit. Si vero voluatur ac distrahatur, tali modo febris oboritur. Post frigus febris volutatur maxime affligens circa aluum & supernam & infernam. Istic enim plurima loci capacitas existit. Dum autem volutatur, primum propinqua calescunt, & viscera, & quæ in aluo sunt. Postea etiam alius humor diffusus calore fruitur, & aquoso humori miscetur. Atq; febris post rigorem hic fit, vbi affligēs volutatur, imo etiam vbi firmatum fuerit reliqua corporis parte. Et hæc à me dicta sunt, quomodo & quādo rigor morbosus fiat, & quomodo, & ex quali necessitate febris post ipsum irruit. Et quæ sint principia morborum, & qualem vnumquodq; ipsorum morborum in corpore inducat, & quomodo, & cur in diebus imparibus morbi iudicantur. Et vnde homines sani sint, & vnde ægrotent, & quomodo bilis & pituita copiosior & paucior fiat. Itemq; alia multa, quæ in ipsa natura humana sunt, demonstraui, quæ sane hic sermo exigebat. Atq; hæc ita relata finem habent.

CVm ex febribus corpus alias taotummodo incalescat, alias antequam calefiat, prius frigefiat, explicatumq; antea fuerit, qua ratione per vim cœlestem fiant illæ febres, ex quib. corpus taotum incalescit, nunc ad alterū membrū transiens Hipp. docere intendit, qua ratione fiaot illę febres, in qb. corpus priusq̃ calefiat, frigus ac rigorem patitur, & hoc potiss. vi ambientis aeris, cū eius violentia homori in corpore existenti, & inepto ad sanitatē facto dominabitur. Ordiens a. hanc tractationem & præsuppooens ab aeris violentia humores io corpore turbati, cōmoueri ac fundi, inquit: Hoc primum affero, quod vbi homor quispiam in corpore fundatur, ac liquefiat, eius pars altera cōglobatur ac spissatur, donec morbū pariat, altera autem ab ea secernitur ac dilatatur, æque ac videmus in lacte fieri, dum coagulum in ipsum immittitur, nimirum alteram eius partem, scilicet caseosam, oborta in eo frigiditate, conglobari ac spissari, alteram autem, videlicet, serosam seorsum secerni, quę postea circa cooglobatum ac spissatum consistit ac residet. Hoc idem cootingit in homine, vbi cooturbatis humoribus frigiditas superuenit: si quidem altera eius pars conglobatur ac spissatur, altera a. quæ est aqoosus humor, circa conglobatā ac spissatam partem seceroitur. Hęc tameo secretio ac separatio oon est vsq; adeo exquisita, vt penitus fit homor aquosus ab altero humore denudatus, imo circa ipsum humorem aquosum adhuc aliquid illius superest, & ei ammixtus, vbi copiosior fuerit io reliquo corpore nonnihil permanet. Hic humor autem aqooso homori ita permixtus, cum ex turbatione fit in motu constitutus, si ad aluum deueniat, intestina irritans stercus cooturbat, & tormina in ioferiori aluo caosat, & tandem per secessum emanat oollo magno nocumeoto illato, cum hinc humor turbatus purgetur. Si autem ad aluum is non deueniat, sed intra corporis ambitum cootioeatur, firmabitur ac consistet io aliqua corporis parte, pręcipue aotem in ea, in qua ex turbatione & motu maior ei spatiosa capacitas detur. Etenim turbatus humor circumfluit, ac circumuoluitur ad intra vasa, amplam sibi capacitatem requirens. In qua cum firmatus fuerit, secernitur ab eo aqnosa pars, quæ quoniam est frigidissima & grauissima omnium humorum in corpore existeotium, ideo ad inferas partes (per has intelligas artuom penitiores partes) ob graoitatē descendit, & quoniam horum artuū penitiores partes sunt nerui & ossa, ad has decurrens easdem ob frigiditatem refrigerat, & corpus reliquum, præcipue autem partem primario affectam magis ad ioflammationem perducit. Etenim subtracto hoc humore, q reliquū corpus & cæteros humores sua frigiditate contēperabat, corpus facile incalescit, leuiq; negotio inflamatur. Quod a. circa oeruos, & circa ossa hic aqnosus humor, vbi seorsum secretus sit, cōsistat, hinc liqueat, q facta hac secretione homo maxime rigeat, cum ab eo partes neruex & osseæ, quæ ex sui natura sunt frigidæ, magis refrigerentur, & capilli erecti stant, cū secedente humore ad partes osseas & nerueas, cuticola exiccetur magis, quam antes, & contorqueatur deficiente humore, q ipsum superiori tēpore tum homectabat, tū lenē reddebat. Qui idē humoris aquosi defectus est etiā in causa, vt locus & pars ea, in qua prius inerat, humorē amplius facere nō possit, id est, non amplius tantam in se homiditatem, cum deficiente humore aqooso exciterur, contineat, vt quid humoris ex ea effluere qoeat. Quo casu maior etiam fit rigor, cum in rigore partes ob siccitatem magis rigeant. Et hæc de secretione aquosi humoris. At humoris turbati ea pars, qoam diximus io secretiooe conglobari ac spissari, donec morbum pariat, vbi quam æqualissime siue in toto corpore, siue in eius singulari parte, in qua abundauerit, crassior euaserit, si venter tam infernus, quam supernus excrementis non scateat, & is, qoi affligit homor, sit modicus, superante natura morborum affectum, qoandoq; ab ea ad aluū transmittitur, & p

secessum

secessum expurgatur, quo casu nullum magnum damnum infereus, vel nullum vel debilem ac innoxiam febrem inducit, quandoquidem vna cum stercore prodeat, & corpus incolume relinquat. At si venter & viscera excrementis abundauerint, copiaque affligentis humoris, & illuc decurrentis scateant, periculum est ex ipso humore morbum aliquem particularem fieri. Nam vbicunq; firmetur is humor qui affligit siue ad latus, siue ad viscus aliquod, siue ad aliam quamlibet internā partem, in eadem morbum pariet, quod aget, dum eam calefaciens præexistentem eius humorem turbat ac cōmouet, ex qua turbatione pars ea, in qua firmatus est humor, inflammatur, morbum & febrem vniuerso communicans corpori, sicq; fiunt particulares morbi, ex quorum violentia & phlegmonē totum comparatur febriens corpus. Corpus autem hoc febriens augmentum febris hac ratione subit, quod cum ex calore ab aquoso humore non valde sit victum, id est, quod cum caloris vehementiam aquosus humor in eo non dominetur, nec abundet, vtpote, qui ex caloris violentia secretus circa ossa, & prope ossium medullam, id est, circa ossium intimas partes penetrans consistat, semper maiorem concipiet læsionem, nullo facto humoris peccantis per aquosum contemperamento. Quinimo hic humor peccans, qui ex turbatione conglobatus & spissatus incaluit, & incendium concipit, primum quidem locum, in quo firmatus est, accendit, deinde ipsi propinquum, & semper vlterius serpens demum flammam visceribus, quæ ad intra aluum contenta, cum in eis plurimus abundet calor, facilime alieno calore ac incendio incalescant, impartitur. Vnde febris concepta augmentum recipit, cum hac ratione progrediente morbo, tum lędens humor, tum viscera adhuc magis incalescant. Ex quibus pateat, qua ratione febres, vbi inceperint, augmentum recipiant. Quantum autem tēporis rigor febrilis perduret, ex hoc habeatur, concepto incendio in humore, qui ex turbatione conglobatus & spissatus est, is humor, qui ei congeneus & propinquus existit, quamuis ex peccantis propinquitate, & naturæ conformitate quoquo pacto crassior, vi caloris accensi diffunditur, diffusus autem & ob corporis concussionem inanior, id est, tenuior, (motus enim rarefacit) redditus, aquoso humori affligēti, id est, rigorem causanti admiscetur. Hoc autē ei admixto cessat rigor, nam tamdiu rigor corp⁹ detinet, quamdiu humor aquosus alii humori admixtus contemperamentū propriæ frigiditatis senserit. Verum quoniam rigori & frigori succedit febrilis calor, explicandum quoque venit, cum febris alias fiat ex particulari membro affecto, alias ex materia sparsa, qua ratione in vtroque harum febrium genere hoc eueniat. In illis, quæ ex particulari loco affecto procedunt febres, frigori & rigori succedit calor, quoniam affligens humor in singulari corporis parte firmatus accenditur, accensus autem reliquum corpus febrem in se suscipere cogit, cum aluo & viscerib. proprium incendium ea ratione, qua superius explicatum fuit, communicauerit. In qua actione quoniam aquosum humorem tum calore, tum mixtione ob fusionem facta tandem deuincit, ideo est in causa, vt post rigorem, & post frigus calor superueniat. In illis autem, quæ ex sparsa fiunt materia, post frigus febris succedit, quoniam dum friget corpus, humor affligens circa viscera circafluens, ac intra ventris tam inferni quam superni caua spatia vagans accenditur, accensus autem flammam & incendium visceribus, & omnibus partibus, quę ad intra aluum cōtinentur, communicat. Harum autem omnium partium accensione facta, alius humor affligenti congeneus & propinquus, vi caloris concepti diffunditur, qui ex calore diffusus, & ex motu in rigore facto attenuatus per corporis ambitum circumfluens tandem ad serosum, qui circa ossa & neruos consistit, humorem parauerit, eique admiscetur. Admixtus autem eiusdem frigiditatem contemperans, rigorem & frigus terminat. Quapropter eadem ratione, siue febris fiat ex particulari membro affecto, siue ex materia sparsa, rigori febrili succedit calor, quandoquidem in omnibus mixtio alieni humoris, qui vi caloris fusus, & vi motus in rigore facti attenuatus fuerit, cum aquoso finem rigori ac frigori statuat. Vnde ex his pateat, quando rigor morbosus fiat, & quomodo, & ex qua necessitate post ipsum febris irruat. His autem omnibus, quæ hucusq; explicata sunt, patefactis, liquet omnibus quæsitis, quæ à principio proposita fuere, abunde satisfactum fuisse, & nullum eorum intactum remansisse.

31 *Nunc autem de lumbricis latis dicam. Assero enim ipsos in puero, dum adhuc in vtero est, nasci. Postquam enim semel ex vtero egressus est, non tanto tempore stercus in aluo manet, vt ex eius diuturnitate ac putrefactione tantæ magnitudinis animal generari possit. Excernit enim semper hesternum stercus per omnes dies, si sanus homo esse debet. Tale vero animal nasci non possit, etiam si multis diebus homo stercus non egereret. Multa enim nascuntur, dum puer in vtero est hoc modo. Vbi ex lacte & sanguine computrescente ac redundante, vtpote quod dulce est, pus factum fuerit feruidum, animal istic generatur. Nascuntur autem & rotundi lumbrici istic eodem modo. Signum vero, quod hac res ita se habet, hoc est. Postquam in lucem editi sunt pueri, mulieres ipsis in cibo offerunt medicamenta, quo stercus ex intestino exeat, & non comburatur, & simul vt intestinum dilatetur, cum cibum obtulerint. Multi sane pueri & rotundos, & latos, & lumbricos vna cum primo stercore excernunt. Si vero non excreuerint, fiunt etiam, insuperq́; nascuntur in ventribus. Et rotundi quidem pariunt, lati vero non amplius, etiam si quidam ipsos parere dicant. Nam homo qui latum lumbricum habet, velut cucumeris semen excernit alias*

atq; alias, vna cum stercore ipso, & sunt homines, qui hoc lumbrici partus esse dicunt. Mihi vero non recte dicere videntur, qui talia dicunt. Neque enim ab vno animali tot pulli generari possunt: neque ea est loci ex intestino capacitas, vt partus educare queant. Augescente autem puero, augescit etiam lumbricus in intestino, ab his, quæ in ventriculum ingesta sunt, & æqualis fit intestino, quibusdam paulo prius. Et postquam intestino adæquatus est, similiter augescit, & quanto maior factus fuerit, vna cum stercore excernitur de intestino recto, & excidit velut cucumeris semen, sæpe vero etiam maior. Quibusdam vero iter facientibus, aut laborantibus, & ventriculo calescente, deorsum descendit, ipsisque prominet ex podice inflatus, hocque facit, & de podice resecatur, aut retro cedit. Signa vero quod non pariat, sed ita habeat, velut ego dico, hæc sunt: Si quis curet hominem latum lumbricum habentem, & medicamentum dederit aut potionem, si quidem fuerit homo bene præparatus, totus rotundus factus ad pilæ figuram exit, & homo sanus euadit. Si vero ad medicinam hæreat, recta pars de lumbrico abrumpitur, longitudine duorum aut trium cubitorum, aut etiam longe amplior, & vbi abruptus fuerit per multum tempus signa cum stercore non prodeunt. Postea vero augescunt. Atque hæc argumenta sunt, quod lumbricus latus non parit, sed abrumpitur. Est autem species ipsius, qualis alba intestini rasura. Signa habet hæc, cacat alias atque alias velut cucumeris semen, & vbi ieiunus est homo, ascendit ad hepar alias atque alias, & dolorem inducit: & quandoque sputa ori influunt, vbi ad hepar assilit, quandoque non. Quibusdam etiam vocem intercipit, si fortiter ad hepar irruat, & valde multa sputa ex ore fluunt, paulo autem post sedantur, & tormen multum in ventriculo alias atque alias oboritur. Quandoque etiam ad dorsum dolor incidit. Nam & hic aliquando firmatus initur. Hæc lumbrici lati signa sunt. Contingit & hoc. Qui hoc animalculum habet, in toto quidem tempore ei nil admodum graue contingit; vbi vero debilis factus fuerit, vix reualescit. Latus enim lumbricus partis alicuius particeps fit, ex his quæ in ventriculum ingesta sunt. Si quidem igitur curatus fuerit iusto modo, sanus fieri poterit. Si vero non curetur, sua sponte non exit. Mortem tamen non inducit, sed consenescit. Atque hæc à me dicta sunt de lumbrico lato, vnde nascitur, & quæ morbi ipsius signa sunt.

EXPEDITO principali proposito, quatuor quæsita, tanquam additamenta quædam, verum digna scitu, & antiquioribus medicis aut ignota, aut praue intellecta suboectit, & declaranda proponit. Ex quibus primum est de verme lato tractatio, cuius generationem tum quoad tempus, tum quoad modum ante alia declarare intendit; secundo an pariat, & vermes alios generet; tertio, quæ sit eius forma; quarto quæ eiusdem sint signa; quinto & vltimo, quis status ægrotantis sit, dum vermem hunc latum ad intra se habet. Incipiens autem à primo, inquit, tempus generationis esse, dum adhuc fœtus est in vtero. Nam eo tempore, cum excrementa alui non egerantur, sed intra intestina retineantur, horum ex diuturna mora facilis est in hoc animal transmutatio, quæ postea difficilis est, vbi egressus ex vtero fuerit infans, quoniam in eo tamdiu stercus, id est, alui excrementa non immanent, (cum quotidie stercus hesternum in homine sano egeratur) vt ex eius diuturnitate ac putrefactione animal tantæ magnitudinis generari possit. Nam per omnes dies hesterno prodeunte stercore eius generatio vel impediretur, cum stercus omnia intestina promeans & abradens tempus generationi nequaquam concedat, vel inchoata ob assiduam stercoris eductionem tolleretur. Si tamen detur, quod multis diebus homo non egerat, & alui excrementa diutius, (quod in his, qui non integra sanitate fruuntur, quandoque euenit) intra aluum immorentur, in his quoque hic idem vermis generari poterit. Veruntamen longe facilius generatur, dum adhuc puer est in vtero, quoniam tunc temporis excrementorum alui nulla fit excretio, iisdem assidue ad intra immorantibus, nec vnquam ad extra, nisi post partum prodeuntibus. Et hęc de tempore generationis. Quo autem ad modum, hac, inquit, ratione vermem hunc generari. Vbi lac (alludit ad opinionem authoris libri de pueri natura sentientis, quod lactis generati pars ad vterum commeat, & eam fœtus hauriat, ac pro nutrimento habeat,) & sanguis, quæ duo sunt fœtus alimenta, computrescant, & simul copia (nam ex pauca materia tantum animal gigni nequit) abundent, & his vtpote ex propria natura dulcibus, (amara enim vermium generationi inepta sunt) vermibus generandis materia paratur; & pus ex his factum, vbi feruidum fuerit, in vermem hunc latum effigiatur, id est, hæc materia putrescens, (quam improprie ab concepta putredine pus appellat) vbi à calore præter naturam prędominetur, tunc in vermem hunc transmutatur. Quare modus generationis huius vermis hic erit, cum calor præter naturam materiæ putrescenti prædominabitur, tunc enim hic vermis obtinente materiam calore extraneo generabitur.

Quæ

Quæ eędem conditiones cum & lūbricis teretibus competant, eorum etiam erit par, & quo ad tempus, & quo ad modum generatio. Nam æque ac vermis latus in vtero teretes vermes possunt generari, & ex eadem materia à calore præternaturali deuicta procreari. Quod autem hæc, quæ de lumbricorum tam teretum, quam latorū generatione tu vtero vera sint, id persuadeat, quod multi infantes nuper nati vnà cum primo stercore (quod non est aliud, quam sanguinis crassius recrementum ad intestina per portas transmissum) & rotundos & latos lumbricos excernunt, vbi aliquam ab obstetricibus medicamentosam materiam ad eluendas & purgandas intestinorū sordes acceperint. Quod obstetrices antiquiores facere duabus de causis consueuere, quarum altera est, ne ea excrementa diutius retenta immodice exsiccentur, & inde infantulo aut retenta, aut excreta negotium facessere̅t, altera est, vt intestinum cito dilataretur, ex qua dilatatione hoc consequitur infans, quod oblatum cibum facilius tum recipit, tum excernit. Si autem vna cum primo stercore hi infantes excernunt & rotundos, & latos lumbricos, igitur liquido constat, horum generationem in vtero præfuisse. Veruntamen si infantuli non ita veotrem purgauerint, nec intestinorum sordes excreuerint, possunt etiam fieri lumbrici tam lati, quam rotundi in eorum ventribus. Cum enim in vtero fiant, vbi excrementa alui putruerint, & à calore extraneo deuicta fuerint, pariter in his, postea quam in lucem editi fuerint, generabuntur, vbi ex diuturna in aluo mora eadē excrementa cōputruerint, & à calore pter naturā deuicta fiant. Et hæc de primo. Quo antē ad secundum, an vermis latus pariat, inquit, q licet lumbricos teretes liquido cōstet parere, nihilominus hoc de verme lato non verificatur. Licet enim, qui habent vermē latum, excernere cōsueuerint vna cū stercore quædā cucumeris semen æmulantia, quæ quoniā emouentur, certo animātia sunt, & inde à nōnullis tanq̄ vermis lati partus iudicata, nequaquam tamen censendum est eum parere, & hoc duplici ratione. Etenim nec ab vno animali tot pulli, quot excernuntur à vermem latum habentibus, (sunt autem plurimi) procreari possunt, nec intestinorum capacitas ea est, vt in ea tot partus (si vere pareret) educari possent. Si quidem rationabile est, vnum sane animal posse multos edere fœtus, sed plurimos & indefinitos, vti sunt cucurbitini isti, nequaquam, sicuti rationabile quoque est, animalium fœtus in loco, in quo ad parientia conformitatem educari possent, edi, ac prodire, quorum neutrum est in prædicto casu. At si hęc excrementa, quę cum stercore prodeuntia, & motu animalis, & figura cucumeris semē æmulantur, non sunt lati vermis partus, quid igitur sunt? Sunt vermis lati partes ab insima eius parte decisæ, ac abruptæ, quæ motu naturam animalis æmulantur, quoniam cum insectorum partes decisæ aliquamdiu vitam retinere possint, hæc autem sint vermis, qui inter insecta nomerandus est, ideo abrupta, & decisa adhuc viuere, & inde animal repræsentare possunt. Figura autem cucumeris semeo referunt, quoniam cum hic vermis non vnicam habeat generationem, sed genitus per accretionem, sicuti lapides in vesica augentur, incrementum semper noua suppeditata materia recipiat, hinc fit, vt quasi per annulos superadditos in dies accrescat, qui vbi postea abrumpantur, & decidantur, in vnum coeunt, & coacti formam seminis cucumeris recipiunt. Sed qua ratione hæ partes à lato verme deciduntur, aut abrumpuntur? Hic vermis principium generationis in superioribus intestinis habet, & incrementum recipit ab his, quæ in ventriculum ingesta sunt, cum fundo ventriculi propinquus existens ab eo alimentorum quærat, & attrahat, hinc ex suppeditata à ventriculo alimonia, indies augescente puero, ipse quoque augetur, Cum autem augeatur, non per alimentum ad propriam eius substantiam appositum, & postea assimilatum, ac in eo tandem, sicut fit in vera animalium nutritione, transmutatum, sed per accretionē, superaddita noua materia, vti in lapidum vesicæ generatione fieri nouimus, ex hoc nimirum est, vt per solam inferiorem partem augmentationem tantummodo recipiat. Hac vero ratione augescens semper ad inferiora extenditur intestina, ex quo diuturnitate temporis omnia occupans intestina illis longitudine adæquatur, quod in aliquibus ante pubertatem, in aliquibus in pubertate, in aliquibus vero post pubertatem euenit. Cuius diuersitatis ea est ratio, quod in his, qui deterioribus cibis, & nutritioni huius vermis proportionatis vtuntur, citius, in illis vero, qui cibaria meliora, & huic vermi improportionata sumunt, tardius crescit, & sua longitudine adæquatur tardius omnibus intestinis. Rarissimum tamen est, quod post pubertatem ita excrescat, sicuti est frequentissimum, quod vel ante pubertatem, vel in pubertate ipsa ad tantam deueniat augmentationem, propterea quod ætas puerilis omnium ętatum maxime in victu delinquat, & propter copiam humiditatis propriæ facillimam corruptioni & putredini occasionem præbeat. Hac igitur ratione auctus hic vermis, & intestinis longitudine adæquatus, tandem pertingit ad rectum intestinum, in quo cum colligantur feces alui crassiores, in earum excretione hoc euenit, vt dum prodeunt, abrumpant inferiores istius vermis partes. Quæ abruptæ vna cum stercore exeunt, modo cucumeris semini pares, modo maiores. Pares quidem, vbi per singulos annulos, secundum quos formatus & adauctus fuit, fiat disruptio. Maiores autem vbi non sigillatim singuli annuli, sed plures simul complicati exciderint. Qui tamen omnes figuram illius seminis referunt, quoniam cum prodierint, in vnum coeuntes formam prædictam repræsentant. Verum adæquato hoc verme intestinis non hoc solum accidit, quod in excretione fecum excidant quædam eius partes, figuram seminis cucumeris referentes, sed hoc etiam alterum quandoque euenit, quod istius vermis pars inferna nequaquam abrupta extrinsecus prodeat, ab extra podicem formam intestini inflati referens

promineat, & hoc quousque aut forcipe resecetur, aut sponte retrocedat. Quod autem ita extra sedē quandoque promineat, causa est conceptus calor, ex quo vermis hic distensionem & elongationem adipiscitur. Nam calor, cum sit aptus rarefacere, agens in animal humidissimum, & ex insectorum genere cogit eum elongari, ac extendi. Hinc experientia obseruatum (quod & ego sæpius vidi) est in vermē latū patientib. huius extra sedē elongationem, & prominentiam fieri, cum aut iter longum fecerint, aut valde laborarint, aut quid calefaciens ingesserint, vel quid aliud, ex quo aluus tam superna, quam inferna incaluerit, egerint. Hæc autem pars prominens tunc retrocedit, cum corpus caloris præcedentis refrigerium senserit. Cum enim frigidi sit cōdensare, hic vermis, qui vi caloris extēsus & elongatus fuerat, tunc superueniente frigiditate contrahitur, & inde sursum iterum retrocedit. Si vero, vel quia ex nimio refrigerio ei vita adempta fuerit, vel quia ex insessu cōpressus & cōtusus extiterit, vel quia ad cōtractionē ex alia causa impotēs euaserit, nō retrocedat, tunc tuto resecari poterit, vtpote quæ sit pars non hominis, sed animalis insecti, & præter naturalem hominis constitutionem formati. Hæc autem omnia, quamuis abunde faciant ad declarandum vermem hunc nō parere, veruntamen his omnibus & hoc addatur manifestissimum signum, quod faciet etiā ad maiorem naturę huius vermis notitiam. Qui vermem latum habet, si facta idonea & sufficienti præparatione, pharmacum ad hunc necandum, & educendum aptum assumat, eundem totum, rotundumque, & ad instar [illegible]æ formatum eiiciet, & inde sanus euadet. Hanc autem formam orbicularē tunc recipit, quoniam cum per formam annularem sit formatus, vbi vita priuetur, totus simul contrahitur, & inde formam rotundam adipiscitur. Si vero vel quia sufficiens præparatio non præcedat, vel quia medicamentum inualidum existat, totus non exeat, pars eius magna vi medicamenti abrumpitur, & inde ad duorum, aut trium, vel paulo plus cubitorum magnitudinē producta vna cum pharmaco secernitur. Quo casu, licet vermis adhuc intestinis superioribus hærens viuat, permultum tamen tempus vna cum stercore non [illegible] illę partes cucumeris semen referentes. Quæ tamen postea successiuo tempore denuo prodeunt, cum iterum diuturnitate dierum vermis superauctus intestinis adæquabitur. Quare si abrupta huius magna parte nusquam illa videntur, adaucta autem & intestinis adæquata iterum apparent, igitur liquet hæc non esse vermis [illegible] partum, sed partes ab ea decisas, cuius fidem adauget, cum totus integer ad instar pilæ vi medicamenti secernitur. Hoc enim est indicium vnicum esse vermē, nec plures ibi adesse vermes, cum vnus, & vnica sub forma prodeat. Et hęc de secundo. Quo ad tertium inquit formam huius vermis repręsentare albam intestinorum tunicam tanquā ab eis derasam, & perinde ac in formam ramenti decisam. Dixit autem albam, quoniam vermis hic coloris est albi, cum generetur ex mucosa, & pituitosa materia intestinorum superficiem internam oblinente, & circumualante, quam materiam improprie membranam appellauit Herodotus. Huius autem albedinis merito tunicæ, intestinorum colorem æmulatus, & cum sit figuræ orbicularis, & longæ, cuiusmodi sunt & intestina, tunicam eorundem internam repræsentat, & ideo non immerito dictum est, vermem latum esse talem, quale est album intestini ramentum, id est, huius vermis ea est propria figura, vt videatur interna intestinorum tunica ab eis derasa, ac decisa. Hæc de tertio. Quo autem ad quartum, signa hunc vermem connotantia explicans, quinque apponit. Quorum primum hoc est, quod qui latum habet vermem similia cucumeris semini vna cum stercore secernit ea ratione, qua declaratum fuit. Secundum est, quod patienti vbi ieiunus existat, dolor hepatis superuenit. Nam cum hic vermis suum alimentum à ventriculo hauriat, hoc præ ieiunio deficiente, illud idē per venas portas ab hepate quęrit, vnde ad hepar ipsum ascendens, & ipsi vim per violentiam attractionem inferens, dolorem in eo inducit. Tertium est, quod vbi hic vermis sursum ascendens hepati assideat, plurima quandoque effluant ad os sputamina; quandoque autem non. Effluunt, vbi præ dolore compatiens ventriculus sit resudatio propriarum humiditatum ad os, non effluunt, quando nequaquam compatitur. Quartum est, quod si hic vermis fortiter ad hepar (id doloris vehementia indicabit) irruat, vox compatiente septo transuerso, & ob violentiam deorsum reuulso intercipitur, & cum ex ingenti dolore ventriculus omnino compatiatur, & inde facta resudatione resupinetur, valde plura prodibunt ex ore sputamina, quæ tamen vel lenito dolore, vel terminata resudatione paulo post sedantur. Quintum est, quod per interualla quædam ventriculus ob violentam attractionem, & hoc potissimum vbi non satur existat, tormina nonnulla patitur. Nam cum ex violenta attractione vellicetur, non potest non inde quędam tormina subire. Sextum & vltimum est, quod in vermem hunc habentibus dorsi dolor superuenit aliquando. Quandoq; enim hic vermis ad dorsum conuertitur, & in eo firmata vehementior innititur. Ad dorsum autem conuertitur, & in eo innititur, cum ligamentis, quibus intestina dorso annectuntur, incumbit. Quod cum quandoque contingat, quandoque etiam ex hoc dorsi dolor succedit. Et hæc de signis. Quo autem ad quintum, & vltimum propositum, quæ conditio, & quis status sit eorum, qui ex huiuscemodi verme ægrotat, inquit, qui hoc morbo laborant, nil admodum graue patiuntur. Nam licet decolorati, & lassitudine continua sint affecti, & quandoque dolores hepatis, aut ventriculi tormina patiantur, nihilominus omnia hæc mala leui sustinent negotio, ac facile tolerant; quousque hic vermis grandior, & validior factus eorum, quæ in ventriculum ingesta sunt, maiorem partem pro sui alimento hauriat, & inde corpori debitum nutrimētum surripiat. Hinc enim debiliores euadunt patientes, qui deinceps ex hac debilitate aut vix, aut nusquam reualescere possunt. Præterea, qui hoc

eodem

eodem ægrotant morbo, si recte ac conuenienter curari fuerint, toto integro eiecto verme prorsus sanari possunt. At si nequaquam curentur, nec naturæ beneficio sanantur, cum nunquam sua sponte ob maximam cum interna intestinorum superficie colligantiam extra prodeat; nec ab eodem verme perimuntur, quoniam licet famem ingentem, assumptum alimentum depascens, causare, & corpus surrepto ei alimento emaciare queat, nihilominus mortem inferre non potest, sed cum patiente consenescit. Consenescit autem, non quia vsque ad senium hi perdurent, cum omnes antea pereant, sed quia vermis cum patiente antiquatur, id est. tamdiu durat, quamdiu vita patientis prorogatur. Non prorogatur autem ad senium, quoniam corpus imbecillum & emaciatum hinc factum adeo languidum euadit, vt facile morbificis causis cedens diutius viuere nequeat. Et hæc de his, quæ de lumbricis latis erant dicenda ac declaranda, sufficiant. Verum ego circa primam huius textus partem duo annotabo, quæ silentio prætereunda esse non censeo. Quorum primum est, quod vbi interpres habet. *Tale vero animal nasci non possit, etiam si multis diebus homo stercus non egereret*: textus græcus habet. Γένοιτο δ' ἂν τοιοῦτο ζῶον, οὐδ' ἢν πολλῶν ἡμερέων μὴ ἀποπατέῃ ὥνθρωπος. Quæ sicuti male translata sunt, ita occasionem errandi dederunt. Nam ex his viri celebres existimarunt, vermem latum post editum partum in homine, quamuis per multos dies non egerat, nusquam generari posse, cum tamen per hæc Hipp. oppositum docere velit, dicens: Generatur autem & tale animal, neque si pluribus diebus non egerat homo. In qua sententia explicanda dupliciter lapsus est interpres, nam dictionem illam, οὐδ', quæ debetur secundæ parti, primæ applicauit, & duas negatiuas penes Græcos, quæ ambæ in secunda orationis parte existunt, magis negare nō animaduertit, cum germanus Hipp. sensus hic sit: Tale animal generaretur, si per plures dies homo, id est, vir, (vt excludat infantes in vtero existentes) non egerat. Alterum adnotandum, quod multi medici existimarunt, ex hoc progressu sermonis lubricos tam teretes, quam latos ad mentem Hipp. tantummodo principium suæ generationis habere in vtero. Quod sicuti falsum est, ita & redarguitur per ea verba; si vero non excreuerint, fiunt & in ventribus. Nam per hæc docet Hipp. si puer exhibita materia medicamentosa ad eluendas intestinorū sordes nec latum, nec rotundum lumbricum, eo quod nihil tale in intestinis insit, excreuerit, nihilominus in eorum ventribus generari possunt, vbi ea retentis excrementis suppetat materia pro eorum generatione. Et hæc de lato verme nunc dixisse volui, lectorem ad ea, quæ in annotationibus, & super tertio libro Auicenn. scripsi, si quid desit, remittens.

32 *Cæterum calculi morbo principium oboritur à lacte, vbi puer lac impurum sugit. Lac autem in nutrice impurum fit, si pituitosis cibis ac potibus, & alimentis impuris nutrix vtatur. Conferunt enim omnia in ventriculum illabentia in ipsa ad lac. Habet autem & hæc res se hoc modo. Si nutrix non sana fuerit, sed biliosa, aut aquosa, aut sanguinea, aut pituitosa, lac etiam malum puero generatur. Consentiunt enim corpus & ventriculus. Plurimum vero ipsi ad lac cedit, de eo quod ipsa plurimum in se ipsa habuerit. Et puer si de nutrice lac non purum suxerit, sed biliosum, velut dixi, morbosus fit ac debilis, & in præsens maxime affligitur, quamdiu lac prauum ac morbosum suxerit. At vbi suxerit lac non purum, sed terreum, & pituitosum, & habuerit puer venas de ventriculo ad vesicam tendētes amplas ac attrahentes: procedit autem, & quod bibit nutrix, & lac in ventriculum pueri, tale quale trahit à ventriculo de lacte, in totum similiter prout venæ ad ventriculū detrudere possunt: si quid sane in lacte non purum fuerit, id quo vesica fruitur, lapis fit tali modo, velut in aqua non pura, in calice, aut vase æneo turbata, & rursus sedata, seu aceruata fit in medio, sic sane & in vesica de vrina non pura existente. Et non per vrinam eiicitur, vt quæ in cauo sit loco, & maxime aceruata collecta, præ dolore per mictionem non pertransit, & à pituita cruda concrescit. Glutinum enim fit pituita ad fecem ammixta. Et primum parua lanugo superstat, deinde quod accedit arenosum fit, glutino existente pituita, quæ est in vesica de lacte, & augetur, & quicquid humoris in glutinatione accesserit, emingitur. Rursus autem fex solida fit, & lapidis speciem accipit, quemadmodum ferrum ex lapidibus, ac terra dum comburuntur fit. Et in prima quidem in ignem immissione, conglutinati sunt lapides cum terra ad ferri recrementum. At vbi iterum atq; iterum in ignem immissa fuerint, recrementum quidem foras decidit liquescens ex ferro, id quod ita fieri oculis videmus. Ferrum autem in igne relinquitur, & recremento decedente subsidet, fitq; solidum, ac densum. Sic profecto etiam fex in vesica dum pituita glutinum fit, emingitur id quod ab vrina liquescit. Fex autem subsidet, & densatur, ac solida fit velut ferrum. Vbi vero subsedit, ac solida facta est, sursum ac deorsum in vesica volutatur, & feriens vesicam dolorem inducit, & si vehementer feriat, ac vlceret, aliquid de ipsa aufert. Verum id quod insuper affertur, adhuc magis quam id quod arenosum decessit, concretionem efficit. Atque tali modo fit lapis de lacte in vesica. Et si puero anxietas aliqua ab hoc oboriatur, alias atq; alias, vbi meiere vult, vrinæ meatū apprehendit. At si puero iam adulto*

lapis

lapis gignatur ex terræ esu, dolor non adest ipsi prius quã ipse sibiipsi cibũ deligat. Et hæc à me de hoc relata sunt. Cæterũ morbus signa quinque habet. Nam vbi meiere vult, dolore affligitur, & vrina paulatim fluit, velut in vrinæ stillicidio, & est subcruenta, nimirum vesica à lapide exulcerata, & vesica inflammata est. Verum hoc signum inconspicuum est, indicat tamen summa pars præputij. Quandoq; mingit arenosa, verum à talibus, qualia ego dicam. Eiicit autem aliquando lapides duos, aut etiam plures paruos, generatos eodem modo, velut de vno dixi. Fiunt etiam tali modo. Quum lapis fuerit concretus, profunde subsederit in vesicam in arena separata, ita vt ipsam aduenientem lapis non assumat in se ipsum, sed grauior ac copiosior fiat, vt tamen ipsa ad se ipsam non concrescat, etiam sic duo lapides fiunt. Fiunt etiam plures eodem modo. Sed & collisis inter se in agitatione aliquid disparatur, & arenosum per vrinam eiicitur. Quod etiam aliquando contingit, vbi arena ad vesicam descendit, & non coaluit.

SECVNDVM ex quattuor ptiocipalibus quæsitis, quæ tanquam additamenta principali oegotio adscripta suot, est tractatio de calculo vesicę. Quē quoniam antiqnitas esse affectum pueriiem existimanit, ideo quatuor de eo explicare inteodens primo docet, qua ratiooe io pueris lactentibus generetur, secundo ex qua causa in pueris adultis gignatur, tertio calculi geniti signa tradit, quarto & vltimo, cur aliquando vnicus, aliquando autem plures generentut lapides, exponit. Quod ad ptimum inquit, hoiosce calculi in pueris lacteotibus generationem in vitium, & in impuritatem lactis referendam esse. Quod lac vitiosom ac impurum duplicem habet generationem, alias eoim gignitur ex vitiatis cibis ac potibus, & ex impuris alimentis cuius ingesta suot postea vi, quoniam sanguis, ex culus vlreriori postea in mammis alteratione fit lac, eiusdē conditionis gignitur, cuius iogesta fuere, qoorum merito alimentum, sanguis, & lac sempet proportionantur. Alias vero gignitur, ex ægra nutricis natura, quæ quoniam est admodum aot billosa, aut aquosa, aut sanguinea, aut pituitosa, ideo prauum geoerat lac. Etenim eius, qood plurimum in corpore abundat, plurima etiam portio in lactis generationem coottibuitur. Vode si bilis, aot aqua, aut sanguis, aut pituita in ea prædomioetur, lac pariter generabitur, aut biliosum, aut aquosum, aut sanguineum, aut pituitosum. Tale autem existens prauom erit, cum temperatum, oō intemperatum esse, nec prædominium alicuius homoris habere debeat. Quod prædominium licet apette malum sit in bile, aqua, & pituita, io sanguine aotem possit esse suspectum ob benignam eius naturam, nihilominus nec sanguis copia oimia ad lactis generationem ptobanda est, quoniam vbi sanguis oimis abundet, iode lac crassius, quod est damnandum, psoereatur. Quare ad generationem huiusce lactis consentiunt, tum ventriculus, tum corpus, id est, ad hoc cōferuot ventriculus & corpus. Ventriculus quidem per iogesta, corpus autem per propriam intempetiem. Huiuscemodi igitur vitiatū, ac impurum lac, quale est biliosum (subintellige & pituitosum & aquosum, & sanguioeū) si puer luxerit, morbosus ac debilis, cum prauo alimento nutriatur, euadit, ex quo tamdiu affligetur, quamdiu id genus lactis assumpserit. At si lac, quod sugit puer, non modo sit prædicta tatione impurum, verum etiam insuper sit terreum, & pituitosum simul, & ad hæc puer venas, ac vasa ad vesicam pertingeotia ampla, & calidiora habeat, in hoc puero omnia ad geoerationem lapidis facientia eoeuot. Nam lac ea ratione, qua est terreum, materiam furmando calculo aptam cootinet, qua autem est pituitosum, habet gluten, quo partes terreæ eooglutinatæ, ac io vnum congiobatæ, formam lapidis facile recipiunt, ac tetioeot, amplitudo vero & caliditas illa vasorum ad vesicam pertingeotium negotium istud facilius redduot. Nam quia ampla sunt, promittuut materias crassiotes, & terreas ad vesicam perfacile excolari, quia aotem calidiora, sunt in causa, vt maior eius materiæ copia illuc idē deeutrat. Nam cum calidi sit attrahere, hæc vasa, vbi supta modom incaluerint, vehementer à superioribus partibus trahere poterunt. Concurrentibus igitur omnibus hisce causis, lapis facile geoerabitur. Geoeratio autem hac tatione fiet. Sugente puero lac dictū, videlicet terreum, ac pituitosum, propter amplitudioem & caliditatem vasorum ad vesicam pertingeotium, facile quicquid in lacte est excrementosi, & imputi, ad ipsam vesicam excolatur. Excolatum autem residentiam crassioris partis io vesicæ siue medio, siue fundo facit, perinde ac facit aqua ooo pura in vase, aut calice cauo turbata, & rursus sedata, nam io medio eius sex, & pars crassior à tenniori separata residet. Quod idem accidit in præsenti casu. Etenim dum in vesica humorum serosus, ac impurus ichor excolatus firmatur, si quid est terrei, & crassioris substantiæ, sepatatum à teuui calore tanquam sex io fuodo vesicæ residet, quod in emictione postmodum non eiicitur præ dolore. Etenim cum crassius, quam deceat, fit, & vlteriorem, quam oporteat, alteratiooem subierit, vbi collum vesicæ attigetit, illud mordicans cogit insantem mictionem cohibere. Qua cohibita retinetur, reteutum autem à pituita, quæ tanquam giuten adhęret, coocrescit. In prima autem concretiooe, cum ooodom solidius factum est, parua lanugo, seu ἄχνη, id est, veluti acus (acus dicitur frumeori purgamentum leuissimum, quod veotilabris extra aream eiaculator) iocumbit. Quod tamē in posterum arenosum euadit, tum ob pituitam glutinantem, tum ob diuturnam in vesica permanentiam propter quam cōtinue magis iocalescens magis etiam induratur. In qua actione cum semper fiat teoois partis à crassiore separitio, hinc fit, vt quicquid humoris tenois in agglutinatione accesserit, emingatur, quod autem crassius est retioeatur,

tur. Hoc autem retentum indies ob prædictas causas solidius euadens tandem temporis diuturnitatem lapidis formam consequitur. Quæ lapidis formatio æquiparatur purgationi ferri, dum ex propria minera eductum, & lapidibus, ac terra inuolutum fornacum, & ignis opera depuratur. Nam sicut in hac purgatione, dum omnia simul cõercmantur, primum lapides, & terra, vi ignis eliquata, tanquam recrementum ad extra effluunt, ferrum autem in fundo relinquitur, quod tandem vi ignis ab omni recremento purgatum, solidum, ac densum euadit: ita in calculo hoc formando, dum vi caloris lotium imputum in vesica excoquitur, quod tenue est diffluit, & emingitur, quod autem est crassius in vesica consistit, condensatur, & tandem soliditatem & duritiem consequens formam lapidis recipit. Lapis autem vbi ita fuerit formatus, vexat, & angit patientes, quoniam cum sursum ac deorsum in vesica ad motum vel patientis, vel vrinæ circumuoluatur, vesicam ipsam feriens ac lancinans, dolorem ac molestiam inducit. Et si vehementius vesicam feriat, etiam ipsam vlcerat, de ipsa aliquid abradens, cuius merito fit, vt fere omnes calculosi vlcere quoque vesicæ laborent. Cum autem ex lapidis volutatione, & ex vesicæ vlceratione valde anxii sint patientes, & vehementem in illis partibus sentiant laborem, hinc alterum subsequitur malum, videlicet quod ratione tum doloris attrahentis, tum imbecillitatis in illis partibus contractæ, cuius merito facillime omnem materiam recipiunt, maior semper defluat in vesicam peccantium humorum copia. Quæ cum sit impura, & male affecta non tantum ex prauitate lactis, verum etiam ex vesicæ vitio, hinc fit, vt continue ex eo, quod superinfertur, tanquam magis vitioso, & magis copioso, lapis longe grandior euadat, quam tunc fieret, cum tantũ harenosa generabantur. Talia enim cum paucior est, & minus vitiata materia, ꝓdeunt, cum est copiosior, & deterior, non harenosa, sed lapidosa euadit materia, quæ in emictione infantem affligens stimulat, cum ad apprehendendum pudendum, ac confricandum, existimantem difficultatem misturitionis eo in loco esse. Quare hinc pateat, quibus ex causis pueruli lactentes calculosi fiant, & ex lapide anxietatem, & laborem sentiant. Et hæc de primo. Quo ad secundum inquit, in puero adulto, qui ex lacte non contraxerit lapidẽ, tunc fieri calculum, cum terram vorauerit. Quoniã sicuti ex lacte terreo formabatur lapis in puero lactente: ita in adulto formabitur, cum ex terræ esu succus terreus in eo cumulabitur. Per terram autẽ nõ audias eam solam, quæ à pueris picæ vitio manditur, sed omnem cibum ac potum, ex quo huiuscemodi succus generari queat. Ex potib. tales sunt aquæ palustres, niuales, glaciales, ac imputæ, & pariter vina crassa, & potissimum nigra. Ex cibis autẽ talis est panis azymus, subcineritius, & cætera edulia, quæ qualitatis terrestris existant, qualis est lens, & brassica. His igitur à puero assumptis facile generabitur calculus, si quidem ex iisdem succus terreus in corpore cumulatur. Sed cur in omnib. pueris hosce in alimoniam desumentibus generantur calculi? Quoniam præter materiam requiritur etiam amplitudo, & caliditas vasorum ad vesicã pertingentium. In his enim qui hæc vasa non habent ampla, nec calida, ob angustiam non permittitur succo terreo in vesicam transitus, & ideo non in omnibus pariter calculus gignitur, sed solum in his, qui ea vasa ampla, & calidiora possident. In his autem, inquit Hipp. dolor non adest, id est, nec lapis inest, nec lapidis signa adsunt, priusquam ipse sibi ipsi cibum deligat, id est, antequam puer relictis sorbitionibus, & ferculis humidioribus ad cibaria solida se conferat. Quæ sententia nil aliud exprimit, quam pueros de recenti ablactatos, quamdiu sorbitionibus, & ferculis humidioribus vtuntur, non consueuisse lapides generare, cum facile ea concoquant, & inde tenues non impuros ichores colligant. At vbi ad cibaria solida se conferant, (cibum enim hic sumit Hipp. vti sui moris est, tanquam quid distinctum & à portione, & à sorbitione) tunc incipere consueuisse tum lapidis generationẽ, tum molestiã. Nam cum tunc temporis fiat transmutatio à cibo leuissimo, & facillimę coctionis ad cibũ, qui difficulter coquatur, & plurimũ nutriat, tunc etiã generationis pituitæ, q̃ est gluten in generatione lapidis, & maioris impuritatis lotii amplior est occasio. Quare tunc facile poterit generari lapis ex suo terreo præexistente, & inde eo generato poterit dolor, quẽ calculus inducit superuenire. Et hæc de secundo. Quo ad tertiũ, quinque apponit signa calculum vesicę denotantia. Quorũ primũ est dolor, q infantẽ, vbi vult meiere, affligit. Etenim dum vrina ad exitũ paratur, simul commouetur lapis, qui petens vesicę collum illud lancinat. Secundum est vrinæ stillicidium, quod tum lapide collum vesicæ obstruente, tum infantulo dolorem refugiente causatur. Tertium est lotium subcruentum, quod quandoque ita prodit lapide feriente, & inde non vesicã, sed vesicæ collũ exulcerante. Nam cum vesicæ collum sit carnosum, vbi vlceretur, potest cruentum reddere lotium, quod nõ potest vesica, cũ sit exanguis, & nullo pacto carnosa. Quartũ est vesicæ inflãmatio, id est, feruor, qui magis ꝓprie vesicę collo, q̃ ipsimet vesicę adscribatur, cũ hoc sit magis sensitiuum, & magis affectum, quam vesica ipsa. Verum hoc signum est inconspicuum, & de se non patet, at illud iudicabit summa præputii pars, quæ rubens, & pruriens, & ardens colli vesicæ inflammationem cõnotat. Per inflammationem autem audias non tumorẽ phlegmonodẽ, sed phlogsim, id est, feruorem ac ardentem sine materia & fluxione calorem. Quintum signum est sedimentũ harenosum, quod simul cum vrina emingitur. Huiuscemodi autem harena est alba, quoniam à vesica caloris albi, à renibus autem vel flaua, vel rubicunda prodit. His sextum addit Hip. libro de aquis, aere, & locis, (quod idem etiam superius tetigit) videlicet quod pueri fricant ac trahunt pudenda, nimirum censentes in eis causam difficilis misturitionis esse. Septimum sit hoc, vbi grandinsculus sit calcul[9], quod dum mingere volunt, simul vehementi ac imõdica egerendi, qualis quandoq; accedit, voluntate tentantur, in qua tantus quandoq; est conatus, vt

inde

inde sedis euersio succedat. Octauum & certissimũ quod in aliqualib. calculis superuenire consueuit, est lotium crassum, & male olens, in quo facta residentia apparet sedimentum colore pus referens, & adeo viscidum, vt perinde ac gluten ab inuicem vix separari queat. Ex tot autem enarratis signum hoc vltimum est inter reliqua certissimum. Cætera enim licet ex natura rei procedant, attamen vtplurimum coniecturalia existunt, si quidem alios possint etiam morbosos affectus concomitari. Et hæc de tertio. Quo ad quartum & vltimum docens qua ratione non minus, sed duo, aut plures, quandoque in vesica lapides generentur, ne quia censeat vnum semper generari calculum, experientia comprobante asserit nonnunquam calculos eiicere duos, aut etiam plures parum eademmet ratione, qua supra de vnico declaratum est, genitos. Cur autem hoc eueniat, videlicet quod vno plures generentur lapides, inquit, hanc esse rationem. Cum vnus enim iam lapis fuerit genitus, & profunde in vesica ob grauitatem subsederit, si contingat harenam seorsum à lapide separari, quia lapis eam aduenientem in seipsum pro sui accretione non assumat, tunc ea harena indies ex superueniente materia grauior, & copiosior euadens, & materia noui calculi existens vbi ipsa ad se ipsam vnica coagulatione non concrescat, non modo duos lapides, verum etiam plures procreare poterit. His autem genitis, & inter se ex corporis, aut vrinæ agitatione collisis, aliquid ex ipsis circumfrangitur, ac disparatur, quod cum non ita sit graue, & conplosum, sicuti erat harena seorsum à lapide separata, ex qua plures diximus posse formari lapides, facile per vrinã eiicitur, indeq; lotiũ harenosum mingitur. Quod lotium & alia ab hac diuersa fieri potest ratione, nam si ex succo terreo in vesicam illabente fiant harenulæ, nec eis superaccedat, tanquam gluten pituita ipsa, ex illis harenis non poterit glutine deficiente fieri lapis. Quare cum ad inuicem non coagulentur, nec concrescant, simul cum vrina prodeunt, & inde lotium meiitur harenosum. Ex quibus pateat, quando lotium huiuscemodi sit, aut nõ sit lapidis, vel signum, vel causa. Et hæc de calculi generatione, & signis, & pluralitate sufficiant.

33 *Quidam dicunt, quod potus in pulmonem deuenit, ex hoc vero in reliquum corpus. Hi autem qui hæc dicunt, redarguuntur ex hoc, quod dicturus sum, quod videlicet pulmo cauus est, & in ipso fistula est. Quod si pulmo cauus non esset, & fistula non ipsi adhæreret, animalia vocem non ederent. Vocem enim de pulmone, quia cauus est, & fistula ipsi adest. Vocem autem articulant labia, & lingua. Verum de hoc exactius in peripneumoniæ tractatione egi. Cæterum hominibus quibus potus in pulmonem ferri videtur, aduersabor, habetq; res se hoc modo. Procedit potus in ventrem, à ventre autem in reliquum corpus expanditur. Oportet autem his quæ dicturus sum mentem adhibere. Sermonis argumenta, quod potus non procedit in pulmonem, sed in ventrem, hæc sunt. Si enim potus procederet in pulmonem, quum pulmo expletus esset, homo non facile respiraret, neque loqui posset; non enim esset, pulmone pleno existente, quod resonaret. Et hoc quidem vnum argumentum est. Deinde si potus in pulmonem procederet, cibi nobis sicci existentes non similiter concoquerentur. Atque hæc duo argumenta existunt. Sed & medicamenta aluum subducentia, si in potu sumantur, extra ventrem procederent. Habet autem hæc res hoc modo. Quæcunque medicamenta purgatoria sunt, aut superne, aut inferne, aut etiam vtrumque præstant, ea hæc faciunt. Omnia valde vrunt, & fortia quidem ex ipsis, si partem aliquam teneram corporis contigerint, eam exulcerant, mitiora vero turbulentum corporis motum faciunt, quamcunque tandem partem occuparint. Si vero aliquod ex his medicamentis in pulmonem perueniret, videtur mihi magnum aliquod malum inducturum esse: pituita enim de capite descendens, eum in valde breui tempore exulcerat. Tenera enim, & rara res est pulmo, & si exulceratus fuerit, nõ bene habebit homo ille, ob multas sane causas. At vero venter à medicamento non exulceratur. Nam res est valida ac robusta, nimirum velut pellis & corium. Et plerique sane ex Libya incolis pecorum pellibus pro vestibus vtuntur, ventribus autem pro crumenis. Robusta enim res venter existit. Deinde vbi à vino nigro homines repleti fuerint, nigra recrementa excernunt. Atque hæc omnia argumenta existunt. Et vbi alia comederimus, aut aliud quoddam edulium olidum, vrinam reddimus comesta odore referentem. Et hæc quidem omnia argumenta sunt. Sed & hoc considerandũ venit, quod dicturus sum. Si quis cyceonem biberit, aut farinam coctam sorbuerit, aut aliud quid eiusmodi, & hoc ipsum in pulmonem peruenerit, certe arbitramur ipsum ne minimum quidem tempus viuere posse. Vbi enim modicum quiddã pituitæ in pulmonem peruenerit, aut in fistulam ipsius, multa ac fortis tussis oboritur, ac conuulsio. Si vero vtique & vixerit homo, qui cyceonem biberit, aut farinam coctam sorbuerit, vbi sane concocta fuerit sorbitio, videtur mihi multa & fortis caliditas corpori oboritura esse, multusque dolor, vt omnino moriatur homo, hoc modo, si illa in pulmonem perueniant. Atque hæc iam argumenta septem sunt. Præterea quomodo lac infantes pueros nutrire posset, si ad pulmonem descen-*

descenderet? Atq; hoc mihi aliud adhuc argumentum est. Et hæc ne produxissem quidem ad sermonis mei confirmationem, nisi multi adeo homines essent, quibus potus in pulmonem procedere videtur: & necesse est ad opiniones fortiter inhærentes multa argumenta adducere, si quis velit auditorem à priore sententia abducere ac conuertere, vt suis verbis fidem habeat. Et propter hoc etiam potus in pulmonem non procedit, sed in ventrem, quia contigua & annexa est ipsi gula hominis semper hians, & in hanc procedit. Et simul pulmonis fistula velut ederetur folium incumbit, quare neq; descendere permitteret in transglutiendo, si in ipsum procederet. Atq; hæc mihi de hoc relata sunt.

ADeo rudis in re anatomica fuit antiquitas, vt vsque ad Hipp. secula plurima à veritate longe distantia crediderit, ac docuerit dogmata. Inter quæ hoc vnum erat, quod, licet cibus immediate in ventriculum demandetur, potus tamen in pulmonem descendat. Quam sententiam vti nobilium medicorum, & à plurimis receptam nunc Hippo. pro tertio additamento insectari, & multis ac grauibus argumentis redarguere, & penitus ex hominum animo adimere, ac prorsus delere intendit. Inquit autem: Qui dicunt potum in pulmonem immediate deuenire, ex eo vero in reliquum distribui corpus, licet ex ipsa pulmonis forma, ac ex eius vsu redarguantur, siquidem pulmo non cauus propter arterias permeantes existat, & fistula (quam arteriam asperam posteriores appellarunt) ipsi insit, indeque expirationi & inspirationi destinatus formandæ voci inseruiat, vnde quæ carent pulmone animalia, vocem quã postea articulant labia & dentes, non edunt, nusquam videtur aptus ad recipiendos liquores, cum his expletus, ac humectatus nec resonare, nec viam spiritui liberam concedere possit. Nihilominus nouem insuper additis argumentis redarguuntur ac refutantur. Quorum primum hoc sit, si potus in pulmonem descenderet, post potum homo loqui non posset, cum & liquoribus expletus pulmo resonare nequeat, at à potu licet copiosissimo optime loquimur, igitur potus in pulmonem nequaquam descendit. Secundum hoc est, si potus in pulmonem & non in ventrem deueniat, cibi in ventriculo humiditate priuati, non bene, cum coctio fiat à calido & humido, coquerentur, sed potius torrerentur, quod cum sit falsum, redarguit, potum in ventrem non deuenire. Tertium hoc est, si potus in pulmonem omnino descenderet, pariter medicamenta purgantia in potu exhibita in pulmonem deuenirent. At hoc nequaquã fieri id persuadet, quod cum pulmonis substantia sit tenera & rara, & inde iniuriis externis facile obnoxia, cuius merito à pituita de capite descendente, vbi aliqualem acrimoniam, aut lassedinem habuerit, prompte exulceratur, si in ipsum pharmaca purgantia reciperentur, necessario à validiorib. medicamentis exulceraretur, à mitioribus autem valde turbaretur; cum validiora medicamenta omnia sint acria & fortia, mitiora autem nec penitus blanda existant. Quam læsionem pharmaca in ventriculum ingesta nequaquam inferunt, quoniam ventriculus cum sit membrum validum & robustum, pellis naturam, ac corium referens, acrimoniæ ac robori medicamentorũ reluctari valet, quod autem ventriculus huius roboris existat, comprobant, qui Lybiam incolunt, cum ex his plerique pellibus pecorum pro vestibus vtentes etiam pro crumenis & sacculis eorum ventribus vtantur. Quare ventriculus cum sit res robusta & valida, poterit noxam & robur medicamentorum sustinere, pulmo autem, cum sit mollis ac raræ substantię, nequaquam. Si autem hoc, igitur medicamenta in potu exhibita in pulmonem non deuenient, quo stante nec reliqui potus in eum descendunt, diuersitatis enim nulla est ratio. Quartum hoc est, in his, qui vina nigra ingurgitant, iisdemq; replentur, alui excrementa nigro colore infecta exeunt. Si autem hoc, igitur per ventriculum, non per pulmonem defluit vinum. Quod autem nigra prodeant alui excrementa ex potu vini nigri, non in omnibus verificatur, sed in his tantum, qui à vino nigro immoderate sumpto replẽtur, cum in his parum apte cibus & potus concoquatur, vel etiam crebro corrumpatur: Ex quo ad extra prodiens & proprium colorem ex parte reseruans adhuc nigro colore profusus est. Hoc autem sufficit Hipp. ad declarandum in ventriculum non in pulmonem potum descendere. Quintum hoc est, assumpto edulio, quod graue oleat, sicuti allium & cepa, reddimus vrinam comestum edulium odore referentem. Igitur potus non in pulmonem, sed in ventriculum æque ac edulium ingeritur. Etenim lotium referens edulii assumpti qualitates significat, ipsum edulio cõmistum fuisse. At quia alia ratione commiscetur, nisi quia potus ac omnis potulentus liquor, qui vrinæ est materia, cum in cibo in ventriculo permiscetur ac confunditur? Eapropter si vrina talem mixtionem attestatur, neutiquam potus in pulmonem descẽdit, quoniam nequaquam in eo cibus recipitur. Sextum hoc est, si quis sorbitionem aliquam absorbens casu aliquam eius partem in pulmonem demittat, maxima oboritur spirandi difficultas, quæ tanta est, vt si diutius duret, non arbitremur hominem viuere posse, sed strangulari. Si autem sorbitio, quæ est res potabilis, tale discrimen infert, cui dubium, quod in pulmonem res potabilis recipi nequeat, imo nec pituita ipsa à capite in pulmonem descendens discrimine caret. Etenim si non per parietes asperæ arteriæ dilabatur, sed in eius cauitatem irruat, multa ac fortis, reluctante spiritu, oboritur tussis, & crescente affectu etiam spasmus, id est, totius corporis contractio & concussio ad expellendam & ad extrudendam è loco obstructo materiam. Septimum hoc est, si quis sorbitionem sorbens eam in pulmonem dimise-

rit, angustiæ & difficultati spirandi supersit, & superuiuat, prorsus censendū est huic omnino plura alia superuentura esse mala. Nam hæc sorbitio in anfractib. pulmonum retenta, cum sit in calidiori loco conclusa, à calore alterata, tanquā per coctionem deuicta, caliditatem vniuerso corpori, & febrem inducit, & dolorem infert. Quæ omnia, vbi augescant, vitæ discrimen afferent, & tandem mortem certissimam inuehent, nisi per tussim vi naturæ per eādem viam, per quam ingressa est, iterum extraducantur. Octauum hoc est. Infantes solo lacte nutriuntur, igitur in eis potus, (hoc etenim est res potabilis) non in pulmonem, sed in ventrem descendit. Nam alimenti coctio fit in ventriculo, & ab eo fit in reliquum corpus concocti alimenti distributio, eapropter si potus in pulmonem descenderet, infantes nequaquam nutrirentur, cum eorum cibus, qui est lac, ita in pulmonem reciperetur, & inde proprio alimēto defraudarentur. Nonum & vltimum argumentum hoc est. Gula hominis, quæ vsque ad ventriculum pertingit, semper hiat; at principium asperæ arteriæ in deglutione è larynge obturat, igitur assumptus potus semper per gulam in ventriculum, nunquā autem per asperam arteriā in pulmonem descendit. His autem argumentis sat sit antiquam illam de potu in pulmonem sententiā redarguisse, quæ plurima, & diuersa ab Hipp. apposita fuere, quoniam ad delendas opiniones hominum animis pertinaciter inhærentes non vnica sufficit probatio, sed multæ requiruntur, vt ex pluribus deductis veritas magis eluceat. Quare non ad pompam, sed alacriorem rei indagationem ab Hippocrate plurima, & diuersa deducta sunt argumenta.

34 *Procedit autem potus in ventriculum, & vbi expletus est splen de ipso suscipit, & distribuit ad venas, & omentum, & in decliue deorsum, & in scrotum, & ad crura, & ad pedes. Et postquam morbus ex aqua multa obortus fuerit, procedit de ventriculo, & semper ad splenem venit de potu, vbi biberit homo. Contingit autem in hoc morbo, vt neque febricitet alias ex ventre, quā vbi homo sitiat, vesica autem, & ventriculus non iusto modo excolent, neque conueniente diæta homo vtatur. At splen subægrotans à ventre de potu trahit. Morbus autem oboritur, & scrotum pellucidum fit & clauiculæ & collum, & pectora attenuantur. Colliquantur enim ab hoc morbo, & humor ad ventriculum defluit, & inferna partes aqua plena sunt: & venter cibum auersatur, & quandoq; valde adstringitur: quandoque defluit. Nec vesica iusto modo excolat, & plerunque horror alias atque alias per corpus discurrit, & quandoque febris corripit. Et quibusdam facies tumida fit, quibusdam non. Aliquibus etiam tibiæ rumpuntur, vbi morbus diuturnus factus fuerit, & aqua illinc effluit. Incidunt & vigiliæ & impotentia corporis, ac maxime lumborum. Et postquam edit aut bibit, etiam paulo amplius splen affligitur, & spiritum frequentem semper emittit. Atque hæc signa hydropis sunt. Est autem & circa ventriculum solum, siue febris corripuerit, siue non. Et venter magnus fit, & crura implentur aqua. Verum superna corporis partes attenuantur his, qui ita affecti putantur. At signa omnia debiliora sunt, & simul in cruribus aqua non accedit, & dolor tanto minor existit. Cæterum circa ventriculum solum hydrops & aqua hac de causa fit. Etenim vbi aceruatim aqua accessit, & via in principio non pateat ad infernas partes, sed aceruatim in venis concludatur, nimirum vtq; respirationem non habeat, neque sursum, neque deorsum inniti potest: haud aliter quā si quis magnum vas angusti osculi occludat, ac subito inuertat, deinde sensim operculum de osculo detrahat. Et si enim hoc fecerit aqua non effluet foras, neque enim respirationem habet, sed à spiritu qui intus est, conclusa est. Nam spiritus qui intus est replet vas, & externo spiritui remittitur, & excursus aquæ non datur præ spiritu vas implente, & simul aere incumbente. Si vero quis sensim vas inclinarit, aut fundum perforarit, spiritus de vase exibit: egresso autem spiritu, procedit etiam aqua foras. Sic sane in hydrope, si quidem perspiratio sursum aut deorsum contingat, in principio morbi, transit ad crura hydrops & ad pedes. Sin minus, istic solum volutatur circa ventriculum: atq; ita quidem de his à me dictum est. Fit autem & mulieribus hydrops in vtero ipso, & signa sane in ventriculo, & in cruribus, & reliqua signa eadem habet. Et de hoc ipso à me dictum est in morbis muliebribus. Atque hæ tres sunt species morborum ab hydrope. Fiunt autem hi morbi cito omnes difficiles, & omnes cito augentur. Adhuc autem difficiliores fiunt, si ex alio morbo corpus liquefactum ad hunc deuenerit. Si quidem igitur subito occupauerit morbus hominem, moritur, nempe alio morbo diutissime iam affligente. At vbi etiam aluus valde fluida fuerit, citissime moritur, & sentiens & loquens. Atq; hæc à me relata sunt de hydrope, & vnde oriatur, & quid hæc sint ipsius signa.*

HOc est quartum & vltimum eorum, quę huic operi tanquā additamenta annexa fuerunt, quod est tractatio de hydrope, cuius duplices recensens speciem alteram vniuersalē totius corpo-

ris,

tis, alteram particularem solius vteri. Vtriusq; caussas explicare contendit. Primæ autem primo generationis modum, secundo accidentia, tertio cur in ea venter quandoq; tantummodo tumeat, quandoque autem & cum ventre crura & pedes, quarto & vltimo quædam eiusdem prognostica apponit. Incipiens autem à primo, inquit: Cum constet potum in ventriculum descendere, hinc etiam constet, qua ratiooe ex superfluo & immodico potu hydrops ille, qui ad lienem affectum succedit, sequatur. Etenim huiusceemodi morbus hac fit ratiooe, vbi ventriculus potu expletus, id est, immodico & nimio potu plenus fuerit, lien vtl membrum male affectũ, & quod cũ aquosis humoribus magnam analogiam habet, suscepit de ipso ventriculo assumptum potum, quem postea tanquam huius humoris promptuarium distribuit in vniuersum corpus per venas, præcipue autem ad partes intra omentum conclusas, & ad partes infra abdomen positas, quale est seretum, crura & pedes. Facta autem huius humoris ad prædictas partes distributione succedit morbus hydrops, & potissimum qui ascites appellatur, nam ascites nihil aliud est, quam tumor abdominis, & partium aliquando inferiorum ab aquoso humore product⁹. Postquam autem hic morbus multæ aquæ successerit, augmentum recipiet continuum ex nouo assumpto potu, nam vbi biberit homo, de ventriculo ad lienem procedit potus, ab ipso autem liene in prędictas partes distribuitur, cuius merito morbus & tumor augmentationem recipiet. Et hæc de primo. Quoad secundum, inquit, hæc accidentia ad hunc morbum consequi, quorum primum est, quod hydrope laborantis ratiooe morbi, cum materia peccãs sit frigida, nec putrescat, nusquam febricitant, si quandoque autem contingat, vt febri capiantur, hoc erit ex errato vel in potu, vel in cibo. In potu quidem, vbi valde sitientes nimio potu se repleuerint, qui cum sufficienter per vias lotii non expurgetur, quoniam lien subægrotans semper potum d. ventriculo trahit, inde grauens, & male afficiens hominem ei febrem inducit, in cibo autem quando cibariis importunis ac prauis vtetur. Nam hinc cruditatibus succedentibus fiunt eorundem corruptiones, & à corruptionibus febris. Præterea in hoc morbo consueuit scrotum pellucidum à principio fieri, decumbẽte in ipsum seroso humore, quod postea in futurum suggesta à morbo noua materia mirum in modum excrescit, herniam aquosam referens. Vltra scrotum intumescunt etiam omnes partes infernæ, videlicet, pedes, crura, & insuper morbo grauiori euadente etiam coxæ, nimia in hæc influente aqua. At tumentibus partibus infernis supernæ admodum emaciantur & extenuantur, ita vt pectus, clauiculæ, collum, & facies magis indies extenuata conspiciantur, ex quibus tamen facies quandoq; subtumida, & hoc præcipue circa oculos apparet. Attenuantur autem partes supernæ, inferoæ autem tument, quoniam illæ deficiente alimento male nutriuntur, istæ autem decumbente ad inferas partes ob sui grauitatem aquoso humore, nec earum nutritioni conferente eo replentur, ac tument, cuius vitio etiam quandoq; vlcerantur, & talia vlcera solent esse difficilia, & aquam manantia. In his etiam potus auiditas, cibi autem auersio succedes, venter quandoq; cum nihil aut minimum generetur bilis valde adstringitur, quandoq; autem vltra modum defluit, cum viscera ex morbo labefactata vim cõtentiuam deperdiderint; vesica in his iusto modo non excolat, id est, vrina pro ratione potus assumpti non excernitur, cum in his aquosus humor fere periclus retineatur, parum autem quid eius ad vias lotii demandetur. Plerunque in his horror ac frigus alias atq; alias, id est, inordinate, & in tempore indeterminato per corpus discurrit, ex aliqua humoris aquosi & frigidi per corpus commotione. Et quandoq; hos febris ex minimo errato corripit, quæ tamen nec ratione morbi accedit, nec diu perseuerat, sed breui soluitur. Superueniunt his interdum diuturnæ vigiliæ solis partibus infernis humectatis, superioribus exsiccatis, & corporis, cum male nutriantur impotentia, maxime autem lumborum, quoniam ad circumstantia illis loca sunt alligatæ interraneæ partes nimia aquositate scatentes, & inde supra modum grauantes. Insuper è cibo & potu assumpto lien, vtpote ad quod omnis superfluitas decurrit, & quod valde tumens amplum desiderat locum, valde affligitur, cum hinc è ventriculo repleto grauetur & angustietur. Quæ eadem ventriculi repletio spiritum frequentem reddit, cum hinc septum transuersum deprimatur & grauetur. Et hæc sint hydropis accidentia & signa apposita. Cæterum ad hæc sciendum est, hydropem quandoq; fieri circa solum ventriculũ, in qua siue febris corripiat, (intellige ex errato) siue non, magnus fit venter, & crura in progressu morbi replentur aqua, & in hac perinde, ac in superiori partes corporis supernæ attenuantur. Verum in hac eadem hydrope omnia signa & accidentia sunt debiliora, quam in præcedenti. Vnde nec in hac à principio crura implentur aqua, nec dolor adest lienis, nec cętera accidentia, quæ vtriq; communia sunt, sunt ita vehementia, vti in priori euenire iam dictum est. Hęc autem hydrops à præcedenti in hoc differt, quod in ea morbus habet ortum à ventriculo, & tumor crurum ac pedum ventris afflictiones præcedit. At in hac morbus à ventriculo suam refert originem, & ventris tumor infernarum partium tumori antecedit. At hæc differentia non est realis, sed accidentalis, cum vnus & idẽ sit vterq; morbus. Et hæc de secundo. Quo autem ad tertium, videlicet, cur aliquando intumescat solus venter, non autem crura in hydrope, inquit, id esse in causa, quod vbi aquosus humor non sensim, sed aceruatim generetur, si contingat aquæ patere exitum ex principiis, in quibus aqua colligitur, ad inferas partes, tum humor ille aquosus aceruatim ad intra vasa & spatia illa abdominis interna concluditur, nimirum, vt quæ nullam perspirationem habens nec sursum, nec deorsum erumpere queat, non aliter, quam si quis magnum vas angusti oris aqua replens, & occluso ore statim inuertat, & postea operculum sensim

 detra-

detrahens perſpiciet aquam ex vaſis oſculo non prodire.nimirum ſpiritu,qui ineſt vnus,ipſum replente,& os vaſculi occludente, ac ſpiritui exteriori reluctante. Exitus enim aquæ negatur præ aere,vas intus replente,& eo,qui foris eſt, incumbente. Vtriſque enim ſibi inuicem reluctantibus, hæc exitum illi, illa ingreſſum iſti prohibet. Si quis autem aeri in vaſe incluſo perſpiratum vel proforato fundo,vel ſenſim inclinato vaſe exhibeat, ſtatim aquam effluere ſentiet. Sic ſane in hydrope contingit. Nam ſi aqua ſenſim generetur, & genita exitum liberum ad partes infernas habeat,tranſit ad crura & pedes, & inde hæ partes ſunt illæ,quæ primo tumeant,& quæ primum veſtigium hydropis afferant. Si vero hæc aqua aceruatim genita nullum habeat ad partes inferiores exitum, tunc ad intra abdominis cauitatem retinetur, & inde ventris tumorem cauſans hinc primam hydropis ſignificationem præbet. Quo autem ad quartum, videlicet, quoad huius morbi prognoſtica ac iudicia,duo potiſſimum memoranda docet:quorum alterum eſt,quod omnis hydrops,cuiuſcunq; ſit generis,cito curatu difficilis euadit, & cito ad augmentum properat. Ex quo inſinuat principio huius morbi omni conatu à medico reluctandum eſſe,nec vlla ratione huiuſcemodi patientes negligendos eſſe, cum huiuſcemodi morbi,qui ſint difficiles curatu, etiam cito ad incrementum feſtinent. Alterum eſt, quod ſi ex alio morbo hydrops ſuccedat,vt quandoque ex acutis ſit,tunc adhuc difficilior exiſtit. Nam cum ſuperueniat ægro iam à præcedente morbo diſſoluto ac perfracto,non modo curationis diſcrimen, verum etiam vitæ interitus imminet, quæ vita citiſſime aboletur, ſi aliquis in his fluida euaſerit. Nam cum hæccine euacuatio morbo nuſquam conferat,vires autem tollat, non poterit non ſuccumbere morbo æger,qui ſentiens & loquens citiſſime peribit, nimirum cum in huiuſcemodi caſu quaſi ſubito ac nullo ſuperueniente delirio mors ſuperaccedere conſueuerit. Et hæc de vniuerſali hydrope,quæ vitio lienis producitur. Quo autem ad eam particularem,quæ ortum habet ab vtero genita & cumulata in ipſo aqua,inquit Hipp.(qui de hac eadem egit in libro de morbis mulierum) quod hæc hydrops ab vtero habet eaſdem cauſas, quas ſuperiores habere dictum eſt:& quod pariter in hac,vt in illis,quandoq; crura & pedes tument, quandoq; autem ſolus venter. Cur autem fiat,iam dictum eſt in ſuperioribus. Quare non eſt, quod eadem repetamus. Et hæc de his trib. hydropis ſpeciebus (quarum prima eſt ea, in qua toment crura & pedes,& aliæ quædam partes, ſecunda eſt ea, in qua ſolus tumeſcit venter,tertia eſt ea, quæ ſit ab vtero) dicta ſufficiant; & huic operi finem imponant.

Finis Commentariorum Petri Salii Diuerſi in Hippocratis libros quatuor de Morbis.

E R R A T A.

Fol.56. vomicas lege vomitus. Fol.185. virium lege vinum. Fol.190. lege pariſthmia. Fol.229. pro liente lege leniente. Fol.248. lege μάλιϛα. Fol.356. lin.75 lege lati vermis.

INDEX

INDEX RERVM ET MATERIARVM, QVAE IN QVATVOR PETRI SALII DIVERSI DE MORBIS LIBRIS CONTINENTVR, LOCVPLETISSIMVS.

A.

B.

C.

Index.

Febrium

Index.

Hydro-

Index.

Phre-

Index.

in Sectio-

Index.

T.

V.

in

Index.

F I N I S.

FRANCOFORTI
TYPIS MELCHIORIS HART-
MANNI;
Sumptibus
NICOLAI BASSÆI.



ANNO M. DCII.